## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

Phil
3972



Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# INSTITUTIONES METAPHYSICÆ

CONTINUIS EXEMPLIS INPRIMIS THEOLOGICIS, JURIDICIS, MORALIBUS, POLITICIS ILLUSTRATÆ,

(ut omnium Facultatum ac diſciplinarum Studioſis eorumq; uſibus apprime ſerviant)

AUTORE

VALENTINO Velthem/

Hallenſi Saxone,

Logices & Philoſophiæ Primæ Profeſſore Publico Ordinario in Academia Jenenſi.

JENÆ,

(Sumtibus Autoris)

Typis Wertherianis

A. O. R.

cIↄ Iↄc LXXX

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRIS. ACADEMIÆ
JENENSIS
# RECTORI
MAGNIFICO
## DN. HENRICO
BALTHAS. ROTH
JCTO. CELEBERRIMO. CONSILIARIO. SAXONICO. ET. SCHWARTZBURGICO. CURIÆ. PROVINCIALIS SCABINATUS. AC. FACULTATIS JURIDICÆ. ASSESSORI.



Digitized by Google

*UT. ET*

TOTI. SENATUI

ACADEMICO

*VIRO. SUMMO*

DN. GEORGIO

ADAMO. Struve/

HÆREDITARIO. IN. Wanzle-

ben ET. Wenig Jehna/

JCTO. CONSUMMATISSIMO

SERENISSIMORUM. DUCUM. SAXO-

VINARIENSIUM. CONSILIARIO

INTIMO. FACULTATIS. JURIDICÆ

ORDINARIO. PRÆSIDI

ETC.

DOCTO-

Digitized by Google

DOCTORIBUS
*MAXIME. REVERENDIS*
DN. JOHANNI
MUSÆO
TOTIUS. ACADEMIÆ. ET
FACULTATIS. SUÆ. SENIORI
MAXIME. VENERABILI
DN. FRIDEMANNO
BECHMANNO
DN. JOH. GUILIEL-
MO. BAJERO
DN. PHILIPPO
MULLERO
PROFESSORI. PUBL. EXTRA-
ORDINARIO. ELOQVENTIÆ. AC
POESEOS. ORDINARIO



Digitized by Google

DOCTORIBUS
JURECONSULTISSIMIS
DN. NICOL. CHRI-
STOPH. LYNCKERO
SERENISSIMI. DUCIS. SAXO-
ISENACENSIS. CONSILIARIO. ET
FACULTATIS. SUÆ. SENIORI
VENERABILI
DN. JOH. VOLK.
BECHMANNO
HÆREDITARIO. IN
Obern-Tröbra/
DN. JOH. CHRI-
STOPH. Falckner/
DN. PETRO
MULLERO
P. P. EXTRAORDINARIO

DOCTO-

Digitized by Google

DOCTORIBUS
EXPERIENTISSIMIS
DN. RUDOLPHO
WILH. Krauß/
FACULTATIS SUÆ SE-
NIORI VENERABILI
DN. GEORGIO
WOLFFG. WEDELIO
DN. AUGUSTINO
HENR. FASCHIO



Digitized by Google

DOCTORIBUS
*CLARISSIMIS*
DN. CASPARO
POSNERO
FACULTATIS. SUÆ. HOC
TEMPORE. DECANO. SPECTABILI
DN. JOHANNI
Friſchmuth/
FACULTATIS. SUÆ. SE-
NIORI. VENERABILI
DN. ERHARDO
WEIGELIO
DN. CASPARO
SAGITTARIO
SS. THEOL. DOCTORI
DN. GEORGIO
SCHUBARTO
P. P. EXTRAORDINARIO

PRO-

PROFESSORIBUS. IN-
SIGNITER. MERITIS. ET. IN
SINGULOS. DIES. EGRE-
GIE. MERENTIBUS

# DNN. PATRONIS

FAUTORIBUS
& COLLEGIS

*SUMMA. OBSERVANTIA*
*COLENDIS. ET. HONORATISSIMIS*

INSTITUTIONES. HAS

METAPHYSICAS

*LUBENS. MERITOQVE*
DAT. DICAT. DEDICAT
VAL. Velthem.

Digitized by Google

# EPISTOLA DEDICATORIA.

SOlvo quod debeo, & adhuc debeo, quod ſolvo. Nam ſi quid præſtiterim ſcribendo, certe debeo pluribus ex Vobis, qui partim viva voce, partim eximiis ſcriptis doctrinas uſu communes omnibus diſciplinis & ſingulis facultatibus, quas liber meus exhibet, eadem ratione ſive explicuiſtis, ſive applicuiſtis: Eſt enim benignum, ut arbitror, ait Plinius,

Digitized by Google

nius, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris. Igitur ut de ſe Cicero profitebatur, pro Archia agens, ſic ego de Vobis vere dicere poſſim: Si quid eſt in me ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, vel inprimis poſt DEum hi Viri fructum a me repetere poſſunt: Si quid in Academia, poſt Deum optimum Maximum & Nutritores Academiæ Munificentiſſimos, Sereniſſimos Principes & Dominos noſtros Clementiſſimos, debeo

toti

Digitized by Google

toti Veſtro Ordini incluto. Tantum enim abeſt, ut meam rationem vel docendi vel ſcribendi pleriq; Veſtrum unquam ægre tulerint, ut potius ex ſingulis quatuor Veſtris Facultatibus Venerabilibus vel ſinguli vel pleriq; (noſtis hæc a me ſalvo ſub pectore teſte ſcribi) calcar mihi addideritis, ſcopum meis conatibus publicis præfixum ut & media, quibus ad eundem ducor, probaveritis, Patroni, Promotores, Commẽdatores ſtudiorum meorum exſtiteri-

tis.

Digitized by Google

tis. Accipite ergo, Patroni & Fautores optimi, benevola manu hunc inſtitutionum librum obſidem, meæ erga Vos obſervantiæ & ſpecimen futurarum curarum mearum pro Studioſorum ad idoneam eruditionem aſpirantium ſalute. Memoria tenaciſſima teneo, profeſſionem Logices & Philoſophiæ Primæ tam ab Ampliſſ. Senatu Academico, quam a Facultate Philoſophica permagni fuiſſe æſtimatam, adeo ut Sereniſſimis Nutritoribus hujus Academiæ, Prin-

cipibus & Dominis noſtris Clementiſſimis prolixe teſtati fueritis, quantum momenti utraque ſolide, fideliter, diligenter excul- ta afferat ad omnium ſin- gularumque Facultatum ac diſciplinarum ſtudia, quotve ac quanta damna neglectus hujus muneris etiamnum dare poſſit, ſic ut Studioſi Academici in hiſce talibus deficientes nec in aliis diſciplinis phi- loſophicis nec in ulla alia facultate ſat feliciter pro- ficere queant: Quod etiam Sereniſſimi ac Celſiſſimi

Nu-

Digitized by Google

Nutritores, Principes & Domini noſtri Clementiſſimi, non ita pridem in aliquot clementiſſimis ſuis mandatis & reſcriptis luculentiſſime aſſeruerunt, ſuum in his ſtudiis & tuendis & promovendis zelum, & erga eorum cultores & profeſſores gratiam & inæſtimabilem benignitatem vivis argumentis probantes. Itaque cum Deo omnem movebo lapidem, ne ſpes de me concepta vos fallat, ſpartamque quam Veſtris conſiliis & deſideriis nactus ſum,

quam

quamdiu Deus & Sereniſſimi Duces, Nutritores Munificentiſſimi, voluerint, pro virili ornaturus. Cæterum quod de Timanthe excellentiſſimo pictore narrat Fabius, cum in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Ulyſſem, addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere mœrorem; conſumptis affectibus, non repetiens quo digne modo Patris vultum poſſet exprimere, velavit ejus caput & ſuo cuique animo de-

dit

Digitized by Google

dit æſtimandum; Sic ego tenuitatis meæ probe conſcius, non Agamemnonis dolorem, ſed egregias Veſtras virtutes, inſignia & luculentiſſima in Inclutam hanc Salanam merita, promovendarum literarum ingens & incredibile ſtudium, in florentiſſimam Nobiliſſimorum Optimorumque Studioſorum Coronam propenſum animum, in adminiſtranda Civitate Academica prudentiam ſingularem, bonis & æquis lectoribus

æſtimanda relinquo omnia. Interim pro ea, qua me indignum hactenus amplexi fuiſtis, benevolentia pono Vobis altare intra Veſtra doctiſſima pulpita, cui ſit titulus:

*MAGNIFICO*

ACADEMIÆ. RECTORI

ET. SENATUI

SOLIDÆ. ET. NECESSARIÆ

PHILOSOPHIÆ. ÆQVISSIMO

ÆSTIMATORI.

Valete & favete

*VESTRORUM. CELEBERRIMORUM. NOMINUM*

Cultori ad quævis & obſequia & officia devoto

VALENTINO Velthem.

Digitized by Google

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

SIſto Tibi, *LECTOR BENEVOLE*, *præcepta fundamentalia, ceu vocantur, Philoſophia Prima, quam vulgo Metaphyſicam nuncupant, non ex proprio cerebello conficta aut nudius tertius nata, ſed a probatiſſimis & celeberrimis Philoſophis dudum tradita, & apud omnium Facultatum Doctores uſu recepta ac ad quarumvis diſciplinarum materias applicari ſolita. Univerſo namque Orbi literario dudum perſpecta fuerunt & adhuc ſunt egregia merita Anteceſſorum meorum* νῦν ἐν ἁγίοις, *maxime vero B. STAHLII & B. SLEVOGTII, olim celebratiſſimorum Profeſſorum Logices & Metaphy-*

ſices in Alma Salana noſtra, quanto applauſu quantoque fructu & laude Logicam & Metaphyſicam publicos intra & privatos parietes docuerint, numerumque Studioſorum optimorum doctiſſimorumque in hac Salana invidendum auxerint, ſervaverint, atque è ſuis acroateriis tot ac tam idoneos non modo aliarum Facultatum Cultores, ſed & tot ad eccleſiaſtica ac civilia munera, & ſumma cum laude & publici boni ineffabili incremento evectos Viros prodire fecerint. Teſtati hoc ſunt innumeri ipſorum diſcipuli & auditores; poſtea ſummi Doctores & in Academiis & in aliis locis, ut & in aliis dignitatibus maximis conſtituti & adhuc teſtantur, quoties mente gratiſſima Stahliana & Slevogtiana merita recolunt. Tantorum Virorum veſtigiis ut utiliter inſiſtere poſſem, effecit primum

Viri

Digitized by Google

Viri Clariſſimi, B. Valentini Berge-
geri, Rectoris Gymnaſii in Patria
mea æſtimatiſſima inſigniter meri-
ti, nunquam ſatis a me deprædican-
dus labor & dexteritas, tempore qui
poſt alia neceſſaria ſtudia per qua-
driennium B. Stahlii & B. Slevog-
tii (quorum per integros decem an-
nos & quod excurrit ſedulus in hac
Salana auditor fuerat) doctrinas &
tradendo, & examinando, & diſpu-
tando, & creberrime repetendo mi-
hi aliisq; ſic inſtillavit, ut ſtupidiſ-
ſimus etiam & proficere, & Stab-
lium ac Slevogtium in Stahlio ac
Slevogtio agnoſcere poſſet. cujus
de mea ſalute merita neſcio ſatis
deprædicare, & quod me indignum
in laudati Gymnaſii regimine ſeu
Rectoratu ſucceſſorem ſuum opta-
verit, votaque ſua lethaliter de-
cumbens paulo ante beatum obi-
tum denuo confirmaverit, quæ Pa-
tres Patriæ meæ ſumme deveneran-

ſices in Alma Salana noſtra, quanto applauſu quantoque fructu & laude Logicam & Metaphyſicam publicos intra & privatos parietes docuerint, numerumque Studioſorum optimorum doctiſſimorumque in hac Salana invidendum auxerint, ſervaverint, atque è ſuis acroateriis tot ac tam idoneos non modo aliarum Facultatum Cultores, ſed & tot ad eccleſiaſtica ac civilia munera, & ſumma cum laude & publici boni ineffabili incremento evectos Viros prodire fecerint. Teſtati hoc ſunt innumeri ipſorum diſcipuli & auditores; poſtea ſummi Doctores & in Academiis & in aliis locis, ut & in aliis dignitatibus maximis conſtituti & adhuc teſtantur, quoties mente gratiſſima Stahliana & Slevogtiana merita recolunt. Tantorum Virorum veſtigiis ut utiliter inſiſtere poſſem, effecit primum

Viri

Digitized by Google

Viri Clariſſimi, B. Valentini Berge-
geri, Rectoris Gymnaſii in Patria
mea æſtimatiſſima inſigniter meri-
ti, nunquam ſatis a me deprædican-
dus labor & dexteritas, utpote qui
poſt alia neceſſaria ſtudia per qua-
driennium B. Stablii & B. Slevog-
tii (quorum per integros decem an-
nos & quod excurrit ſedulus in hac
Salana auditor fuerat) doctrinas &
tradendo & examinando & diſpu-
tando, & creberrime repetendo mi-
hi aliisq; ſic inſtillavit, ut ſtupidiſ-
ſimus etiam & proficere & Stab-
lium ac Slevogtium in Stablio ac
Slevogtio agnoſcere poſſet, cujus
de mea ſalute merita neſcio ſatis
deprædicare, & quod me indignum
in laudati Gymnaſii regimine ſeu
Rectoratu ſucceſſorem ſuum opta-
verit, votaque ſua lethaliter de-
cumbens paulo ante beatum obi-
tum denuo confirmaverit, quæ Pa-
tres Patriæ meæ ſummè deveneran-



di

di noluerunt irrita eſſe, ceu ex plane divina tenuitatis meæ ad hocce munus vocatione ad pietatis & gratitudinis obſequia devotus animus meus abunde perſpexit. Cæterū pondus omne Bergerianæ informationi addidit Stahlii ac Slevogtii digniſſimus Succeſſor, Vir & de publico & mea tenuitate excellentiſſime meritus ac in ſingulas horas merens FRIDEM. BECHMANNUS, qui me tot publicis & teſtimoniis & commendatitiis inſtructum ac Salanas Muſas adeuntem, ut ſolet, benigniſſime admiſit, profectus exploravit, methodum tractandi ſtudia præſcripſit, Logicam & Metaphyſicam fideliſſime docuit, paternisq; monitis ac conſiliis ſuis in hunc usque diem beavit. Malo merita pio ſilentio venerari, quod ſciam inſignem modeſtiam venerandi Præceptoris laudes meas reſpuere. Taceo nunc ce-

les

leberrimorum Præceptorum, Stah-
lianasq́; doctrinas ſecutorum Sum-
morum Virorum, cum Theologorum
Joh. Muſæi, B. Chriſt. Chemnitii
hoſpitis mei, B. Joh. Erneſti Gerhar-
di Inſpectoris mei Parentis vicem
gerentis, Sebaſt. Niemanni iti-
dem hoſpitis mei, tum Philoſopho-
rum, B. Zeiſoldi Promotoris, Poſ-
neri, Goezii, quos Deus ſervet, pa-
terna beneficia, vi quorum ſimul
fructum Logicarum & Metaphyſi-
carum doctrinarum in Theologia,
Phyſica & Philoſophia practica in
mea ſtudia derivarunt. Hac ſcri-
bo, Benevole Lector, ut ſcias, qui-
bus vivis Doctoribus has, quas
ſcripſi, doctrinas debeam. Nec ve-
ro eſt, quod prolixitas harum inſti-
tutionum te deterreat: In Præceptis
enim fundamentalibus, ut vocan-
tur, tradendis ſic me geſſi, ut nec ſu-
perfluis nos abundaſſe, nec neceſſa-
riis defeciſſe confidam, quæ id pro-

 pter

*ptermajoribus typis exſcribi curavi, ut memoriæ mandari, repeti, explicari poſſent, & hæc ſane haud adeo magnam partem libri abſolvunt, ut meo merito nullius hic prolixitatis accuſari queam: Quæ vero ſub titulis notarum minori charactere expreſſi, hæc ea fini prolixius a me deducta ſunt, ut multi Dnn. Studioſi rectius, quam vulgo fieri ſolet, Metaphyſicas doctrinas earumque uſum in ſuperioribus, quas vocant, Facultatibus æſtimarent, maxime vero, ut haberent, quod poſt publicas vel privatas auſcultationes domi legerent, ruminarent, imitarentur, in ſuccum & ſanguinem, quod dicitur, ſtudiorum principalium vertere diſcerent ac ſucceſſu temporis magis verterent. Cæterum in laudes ſtudii Metaphyſici hic ire nolo, tentavi id peculiari libello, cui titulus:* Apparatus moralis, h.e. brevis dis-

quiſi-

Digitized by Google

quiſitio de idoneis ac neceſſariis mediis adminiculisve, quibus inſtructi ſtudioſi eſſe debeant, qui in academia velint fructum ſtudiorũ metaphyſicorum carpere; *ubi ſimul originem & progreſſum ſtudii Metaphyſici, & quænam ſcripta ad parandã eruditionem Metaphyſicam maxime ſint idonea, Clariſſimorumque Virorum merita in Philoſophiam primam docere ſategi: Multo vero minus nunc morabor Philoſophiæ hujus architectonicæ obtrectatores, vel corruptores, qui vel eam ex numero diſciplinarum tanquam inutilem, futilem, nocivam exeſſe jubent, vel etiam hujus & Analytices monumenta quarum ſæpe ne nomina quidẽ unquam recte didicere, Studioſis odioſa reddere & ſic paulatim penitus eripere, conatu plane temerario auſi fuerunt vel etiamnum audent, optimos tamen earum doctores ductoresque, verius*

*ſeductores, crediſſe ab omnibus cupiunt, & coli etiam tales impenſe deſiderant.* Peccatum hoc, cum hactenus in nullam diſciplinam, etiam ab ineptiſſimo quoque & inertiſſimo frequentius commiſſum fuiſſet, quam in primam Philoſophiam, quam Metaphyſicam vulgo vocant, quam nempe ii quoque nunc conviтiis allatrare didicerunt, qui de eadem non plus intelligunt, quam claudus ille noſter ſartor Ockershuſanus de Cabala, ſpes tamen nos fovebat, fore, ut manifeſta ejusdem, in controverſiis præſertim Theologicis, utilitate convicti illi, ut noctuæ, ad ſolis lucem cœcutientes vel calumniatores, vel corruptores, veritati tandem cederent, ſicque impoſterum ab omni culpa ſeducendæ corrumpendæque Juventutis Philoſophicæ revera eſſent alieni & immunes. Sed ſecus accidit: novæ quotidie fraudes innocentiæ hujus diſci-

ſciplinæ ſtruuntur, novæque veritati inſidiæ parantur, etiam ab iis qui tamen variis ſcriptis Theologicis liquido oſtendunt, ſe hujus diſciplinæ uſu & auxilio carere nullatenus potuiſſe. Et utinam eam, qua decebat, fide & integritate ſemper adhibuiſſent, forte longe minus nunc eſſet errorum, minusque contentionum, quam ſane, non ſine gemitu, experimur. *Verba ſunt celeberrimi Metaphyſici*, Caſp. Ebelii, in apologia pro veritate primæ Philoſophiæ ſeu Metaphyſicæ adverſus Guilielmum Ameſium Theol. Calvin. D. ejusque *acerbam & convitiis pleniſſimam* diſputationem, cui titulus: Diſputatio Theologica adverſus Metaphyſicam; primo *Lugduni excuſam*, poſtea Hanoviæ recuſam. *Sed hac de re in dicto apparatu Metaphyſico (qui brevi Deo propitio lucem aſpiciet) & quidem peculiaribus capitibus de damnis ac detrimentis Studii Metaphyſici, item de oſoribus & roſoribus Metaphyſices agere volui: Exempla interim hujus abuſus in Practica | Philoſophia paſſim in Inſtitutionibus ipſis occurrunt, ubi ſi quædam nimis acerbis verbis refutaſſe hisque coinquinare inſtitutiones haſce videar, facile ab omni culpa me æquitas & prudentia Tua, Lector æquiſſime & prudens, liberabunt, ſi cogitaveris, quod Deo & bona conſcientia mea teſtibus ſcribo, ipſaque* αὐτοψία *tua abunde teſtari poterit, hæc ipſa verba (quæ omnino acerba ſunt & videntur) non eſſe mea, ſed adverſarii adverſus ipſum a me ſalvis divinis humanisque juribus*

*bus retorta, utpote qui non eructaverat millies atrociora, quæ ſalva honeſtate a me repeti vix & ne vix quidem poterant, adverſus meam innocentiam evomere. Tria adhuc Benevole Lector, tua intereſt noſſe. Primo, Inſtitutiones has completas tibi exhibeo, ſi excipias doctrinam de Deo, angelis, & anima rationali ut poſitive ſeparabilis vel etiam ſeparata ſpectatur. Nam quia etiam hodie inter Doctores Metaphyſicos, nec pauci, nec ignobiles reperiuntur, qui de Deo, angelis & anima ſeparata peculiarem diſciplinam, quam Pnevmatologiam, vel Pnevmaticen vocant, nec ſine ratione aut ſufficienti aut valde plauſibili conſtituunt, (qua de re in apparatu Metaphyſico diſpeximus) quibus nihilominus tota diſciplina Metaphyſica ſalva & incolumis manet, etſi forte, dato caſu, ipſum Theologiæ naturalis nomen tam commode tueri & defendere, ut negato eo poſſet, nequeat. Hac aſſumta hypotheſi, nobis dicta prior pars erit ipſis tota Metaphyſica, in qua ſcilicet ea omnia tractavimus, quæ vulgo, excepta ſcilicet Pnevmatica, cum in generali, quam vocant, tum in altera parte, quam ſpecialem nuncupant, tractantur. Et quiſquis hæc conſiderate ſecum perpendit, non mirabitur, cur poſteriorem partem Inſtitutionum dimidio quaternioni incluſerimus: Interim brevi ſi Deus voluerit, PNEVMATICA peculiari libro incluſa, lucem aſpiciet. Deinde, quia Theologiæ Juris & Moralium Cultores potiſſimum Metaphyſices uſum ex axiomatibus eo ſpectantibus ſibi promittere poſſunt, ea methodo, qua axiomata*

mata capiti primo Inſtitutionum adjecta tradidimus, METAPHYSICA AXIOMATICA, ſi eam ita vocare liceat, in peculiari opere tractabitur. Interim benevole lector, ſi placet, bene utere his inſtitutionibus ad Dei gloriam inque tuum commodum unice ſcriptis, & ſi in his vel illis erravi, ignoſce. Non enim ſicut honeſtum & prudentem virum decet me monueris, promtius id feceris, quam ego monentem ſequar. Denique eſt operæpretium ſingularem diligentiam, benevolentiam honoratiſſimorum DNN. AUDITORUM, ardorem erga hæcce ſtudia recordari & publice prædicare, utpote qui honeſtiſſimis precibus a me impetrarunt, & ut has Inſtitutiones publicis typis mandarem, & ut privatos intra parietes una ipſis prælegerem. Ingratus forem niſi eos AUDITORUM BENEVOLORUM, FREQUENTIUM, ATTENTORUM, REIPSA ATQUE ANIMO GRATISSIMORUM titulo honoreque mactarem, qui grato animo nomen meum proſecuti ſunt, ipſumque didactrum mente manuque ſolverunt. Deus ipſis concedat ea omnia, quæ optimorum Auditorum Academicorum & Profeſſoris vota ſunt ac eſſe debent. Gratam hujus rei memoriam adhibiturus volui gratiſſima DNN. AUDITORUM, qui huic Collegio privato interfuerunt, nomina ſine omni vel dignitatis vel eruditionis vel præcedentiæ, quam vocant, vel ætatis annorum Academicorum præjudicio, prout ea dederunt, huc tranſcribere.

NO-

Digitized by Google

NOMINA DNN. AUDITORUM.

M. Johann. Georgius Röder/ Schleuſingenſis.
Georgius Jöns, Rensburgo-Holſatus.
Gabriel Schreiber/ Rensburgo-Holſatus.
Johannes Anniſius, Soltquella-Marchicus.
Joh. Heinricus Höffer/ Graizenſis Variscus.
Franciſcus Albertus Petræus, Stadenſis.
Martinus Weyh, Noribergenſis.
Johannes Hugo Heſſ, Haga Friſius.
Herm. Fridericus Weberling, Norda Friſius.
Joachimus Thomſen/ Flensburgo-Holſatus.
Sylveſter Erhard, Gvelpherbytanus.
Gottfried Pfeiffer/ Hondorffio-Thuringus.
Albertus Juſtus Roland.
Chriſtianus Ulricus Blume/ Hildeſienſis.
Johannes Joachimus Stida/ Ellebienſis.
Johannes Michael Egener/ Northuſanus.
Ehrenfried Beier, Jenenſis.
L. J. Limburg, Grœninga Saxo.
David Klothacke, Minda Weſtphalus.
Hermannus ab Hardt/ Osnabruga-Weſtph.
Michael Fiedeler/ Apolſtadenſis Thuringus.
Heinricus Hiob Semler/ Truglebienſis.
Joh. Paulus Hebenſtreit/ Neuſt. ad Orlam Var.
Georg Sebaſtian Göpel, Iſennacenſis.
Johannes Martinus Melle/ Northuſanus.
Johannes Otto Moſt/ Haga Schaumburgicus.
Andreas Burghardi, Mummendorff. Megap.
Martinus Knorre/ Hallenſis Saxo.
Juſtus Heinricus Leukefeld/ Harburgenſis.
Nicolaus Schröder/ Harburgenſis.
Auguſtus Hoffmann/ Hallenſis Saxo.

Johan-

Johannes Zanckhändel/ Altkircha-Miſnicus.
Juſtus Mummen/ Huxaria Weſtphalus.
Martinus Lamprecht/ Aſcanienſis Saxo.
Andreas Waſſerhuhn/ Burgenſis Saxo.
Andreas Francke/ Halberſtadenſis Saxo.
Gottfried Roſenhayn/ Burgkholtzhuſ. Thuring.
Joh. Balthaſar Breitſprach/ Aſcanienſis Saxo.
Julius Bernhard Roel.
Joh. Clamer Beneke, Bergkircha-Weſtphalus.
Philip. Georg. Hambach, Neukirch. Weſtph.
Auguſtus Chriſtianus Fromm/ Gramb. Meckl.
Joachimus Erneſt. Schmiter/ Oetting. Svevus.
Matthias Wilhel. Staffhorſt/ Biſſena Weſtph.
Heinrich Schlegel/ Halla-Ravensburgicus.
G. Heinricus Hoffmann/ Oldendorp. Weſtph.
Georgius Friedericus Fauſt/ Smigl. Polonus.
Johannes Elvers/ Calenberga-Hannover.
Caſparus Fridericus Martini, Weberſt. Thur.
Georgius Kliebhan, Feuchtwango-Francus.
Jacobus Schmid/ Burgenſis Saxo.
Joachimus Ulricus Lübeke/ Burgenſis Saxo.
Johannes Weſtermann/ Herford. Weſtphalus.
Daniel Höhle/ Waldeccus.
Chriſtophorus Vopelius.
Joh. Petrus Schleicher/ Sangerhuſa Thuring.
Erneſtus Dieter. Quittenbaum/ Ulza-Luneb.
Johannes Chriſtophorus Preit/ Eimbecenſis.
Johann Rudolph. Conerus, Eimbecenſis.
Michael Walther/ Molhuſinus.
David Wendler/ Moderwizio-Variscus.
Joh. Jacob Siegfried/ Remsfelda Thuringus.
Paulus Chriſtoph. Hagen/ Erffurtenſis.
Michael Schreiner/ Annaberg.

Johann

Johann.Georg.Coop, Hamburgenſis.
Petrus Krebs/ Bretſteda-Holſatus.
Joh. Chriſtoph Möller / Rhemdenſis.
Chriſtianus Erneſtus Olpius, Jenenſ. Thuring.
Caſparus Creuzing/ Hallenſis Saxo.
Bernhardus Henzen/ Eimbeccenſis.
Joh. Sebaſtianus Reinhardt/ Drackend. Thur.
Nicolaus Eberhardi, Eikendorff. Saxo.
Caſparus Merbitz / Lauchſtadienſis.
Joh. St. Schellhammer / Hamburgenſis.
Michael Ohm/ Coslin. Pomeranus.
Georgius Teubnerus, Schmiglenſis Polonus.
Eucharius Huffnagel/ Meinunga-Henneberg.
Joh. Fridericus Trefurdus, Saxo-Bennicon.
Conr. Caſpar Thilemann, Oldendorp. Weſtp.
Carolus Andreas Seifartus, Hallenſis Saxo.
Chriſtophorus Becker / Hemip. Saxo.
Joh. Chriſtian Lehr/ Limbacho-Variſcus.
Joh. Michael Raab/ Rotenb. Tuberano-Franc.
Joſephus Henr. Romigius, Svevo-Halenſis.
Chriſtophorus Alberti, Plavia-Variſcus.
Jeremias Balthaſar Gerſtenberger/ Erffurtenſis.
Jacobus Keſtner/ Planckenburg. Thuringus.
Joh. Chriſtian Borres, Welnizio-Jenenſis
Chriſtoph. Erneſtus Müller/ Luzenſis Miſnic.
Georgius Caſpar Wittich/ Ohrdruffio-Thur.
Joh. Georgius Werther / Jenenſis.
Joh. Daniel Schmalkalder/ Corbachio Waldec.
Auguſtus Frid. Jenſenius, Gruba Holſatus.
Volcmarus W. Stenger/ Erffurtenſis.
Conradus Julius Cleve, Beveranus.
Georg. Reichardus Emmenius, Greiſtorf. Miſ.

FORTU-

Digitized by Google

FORTUNANTE DEO!

# INSTITUTIONES METAPHYSICÆ

CONTINUIS EXEMPLIS, INPRIMIS THEOLOGICIS, JURIDICIS, MORALIBUS, POLITICIS, ILLUSTRATÆ,

*UT OMNIUM FACULTATUM AC DISCIPLINARUM STUDIOSIS EORUMQUE USIBUS APPRIME SERVIANT.*

## CAPUT PRÆLIMINARE

*De*

## Metaphyſices Natura, Conſtitutione ac Uſu.

I.

Metaphyſicum ſtudium in Academia cum fructu aggreſſuris, æque opus eſt pædia (παιδεία) Metaphyſices, atque iter arduum ſuſcepturis viatico & face.

2. Nuncupamus *pædiam* (παιδείαν) *Metaphyſicam* omnem illam doctrinam, qua quilibet, ut cum emolumento & ſine temporis veritatisque diſpendio optatam metam ſtudiorum Metaphyſicorum conſequatur, in-

ſtructus eſſe debet, non vero in mediis demum hujus doctrinæ exercitiis eam quærere. Rectiſſime *Ariſtoteles* ait: Δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον: *Oportet auditorem doctoremve pædia inſtructum eſſe, priusquam velit officio rite fungi.* Et iterum: Ἄτοπον ἐστιν ἅμα ζητεῖν τὴν ἐπιστήμην καὶ τρόπον τῆς ἐπιστήμης. *Perquam ineptum ac abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam & modum ſcientiæ* (doctrinam diſciplinamve & modum docendi diſcendive) *velle.*

3. Omnino autem illa ante omnia ſeſe inſtruant futuri Metaphyſices idonei auditores neceſſum eſt, utpote cum his proprium ſit judicare: num recte an ſecus Magiſter Metaphyſicam doceat? num ſe contineat intra limites ſuæ diſciplinæ, & in tractandis rebus verſetur Metaphyſice, hoc eſt, ita, ut promiſſis ſtet, rationibus utatur & notioribus Auditori & alii quoque certioribus, quæque vernaculis ſuæ ſcientiæ principiis decenter accommodatæ ſint?

4. Qui enim auditores tanto judicio non pollent, ut diſcernere poſſint, quænam vim habeant probandi & demonſtrandi, quæ non? quænam ſcientiam & accuratam cognitionem, quæ pro ſcientia ignorantiam, quæve tenuem cognitionem vel umbram tantum ſcientiæ pariant? in quibus Magiſter adhuc ad captum auditoris magis ſe accommo-

Digitized by Google

modare & rationibus communibus uti, inq; quibus naturæ rei congruenter & principiis propriis & domeſticis conformiter docere voluerit, quantū neceſſaria a contingentibus, vera a falſis, certa a dubiis, communia a propriis, peregrina a domeſticis & genuinis, ſolidæ rationes a quibuscunque declarationibus, docti Magiſtri a minus doctis differant? hi uti nullius alterius ſcientiæ, ita multo minus Metaphyſicæ, quæ omnium ſcientiarum naturalium præſtantiſſima, exactiſſima & difficillima eſt, erunt οἰκεῖοι ἀκροαταί, genuini & idonei auditores.

5. Cæterum hoc in præſenti tanquam aliunde cognitum ſuo loco relinquimus, *pædiam Metaphyſices*, æque ac cujusvis alius diſciplinæ, aliam eſſe *communiorem*, aliam *ſpecialiorem*: *Illa* plane eadem eſt cum Analytica doctrina, Ariſtotelicam intellige, non qualem hi vel illi Recentiores nunc fingunt: quippe Analytica doctrina ignorata, auditores & magiſtri Metaphyſices palpitabunt, nec quicquam ſentient felicium profectuum in ſolido ſolidæ doctrinæ Metaphyſicæ ſtudio: eam ergo pædiam communiorem nunc tradere eſſet reducere totam Analyticam doctrinam, id quod præſentis inſtituti ratio nec exigit nec permittit.

6. *Hæc* (nempe ſpecialior pædia) alibi, quam hic, meliori jure & commodiori ratio-

ne tradi haud poterit, unde eam, priusquam detur ad ipſas Inſtitutiones Metaphyſicas progredi, breviſſime attingemus, quia hoc cum ab aliis Viris Clariſſimis & Præceptoribus perpetua obſervantia colendis, (quorum laudatiſſimis veſtigiis ſemper inſiſtere, quantum fieri poterit per Dei gratiam & ingenii vires, ſancta lex eſto noſtri inſtituti!) tum ab ipſo *Ariſtotele*, monitum fuit & obſervatum.

7. Et quidem primo, *dari Metaphyſicam Scientiam*, admittit quilibet facile, qui in ſe deſiderium ſcientiæ naturale ſentit, cum Metaphyſica maxime ſit ſcientia, unde ab *Ariſtotele* & Veteribus abſolute ſcientia, ſcientia prima, honoratiſſima ſcientia, ſcientiarum princeps, cui cæteras ſcientias tanquam ancillas non contradicere deceat, appellatur.

8. *Significationem nominis Metaphyſicæ* ſi ſpectamus, nihil certe Metaphyſica proprie & ex uſu loquendi apud Philoſophos recepto denotat aliud, quam habitum, quo datur cognoſcere uſu communiſſimas notiones, uſu communiſſima axiomata, resque præſtantiſſimas. Hanc ſignificationem uſus, qui optimus loquendi Magiſter eſt, in Academiis approbat, quamvis metonymice hoc nomine ſæpenumero diſciplina, quæ ſubminiſtrat uſu communiſſimas notiones, uſu communiſſima axiomata, resque præſtantiſſimas, nuncupetur.

9. De-

9. Definitionem Metaphyſices in Scholis Doctorum Metaphyſicorum ad captum auditorum ſuorum ſemet accommodantium, hanc novimus obtinuiſſe, quæ ſic ſe habet: *Metaphyſica* eſt Scientia demonſtrativa (theoretica) entis & inferiorum entis, quatenus ſunt realiter abſtracta a materia ſenſibili, vel habent prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta.

10. *Conceptus communis* Metaphyſices, qui nempe generi reſpondet, exprimitur voce: *Scientia*. *Conceptus proprius*, qui totam differentiam eſſentialem exhaurit, reliquis definitionis verbis abſolvitur.

11. Ad illum conceptum recte perſpiciendum duplicis rei cognitione opus eſt: 1. Ut abunde conſtet Metaphyſicam eſſe vere & proprie ſic dictam ſcientiam. 2. Dari præter Metaphyſicam alias ſcientias vere & proprie ſic dictas. Utrumque facile eſt cognitu, & ex mox ſequentibus patebit.

12. Ad hujus conceptus explicationem facit noſſe, quod Metaphyſica ſit ſcientia 1. demonſtrativa. 2. theoretica. 3. de ente ejusque inferioribus, quatenus ſunt realiter abſtracta a materia ſenſibili, & quatenus habent prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta.

 13. Ex-

Digitized by Google

13. Exactiſſime probare velle, *Metaphyſicam eſſe ſcientiam*, & quidem *demonſtrativam*, eſſet omnes ac ſingulas demonſtrationes, quibus tota Scientia Metaphyſica acquiritur, tradere. Sufficiat unum alterumve exemplum demonſtrationum Metaphyſicarum obiter adduxiſſe. Certe ſicut ex Analytica conſtat, alias demonſtrationes dici demonſtrationes ὅτι, alias demonſtrationes διότι, alias demonſtrationes per impoſſibile: Ita certiſſimum eſt, omnes & ſingulos demonſtrationum modos locum habere in Metaphyſica.

14. Annon præſtantiſſima *demonſtratio* ὅτι eſt, qua Metaphyſicus hujus propoſitionis: DEUS EST, infallibilem veritatem demonſtrat hoc modo: Omne quod eſt, aut eſt a ſe ipſo, aut ab alio. Totum hoc univerſum eſt. E. aut eſt a ſe ipſo, aut ab alio. Sed non eſt a ſe ipſo, cum hæc corruptibilia ſui ipſius cauſa eſſe non poſſint, imo nihil ſit cauſa ſui ipſius. E. totum hoc univerſum eſt ab alio. Porro non datur progreſſus in infinitum. E. neceſſe eſt, ut in uno primo acquieſcamus, quod ſit cæterorum omnium cauſa, & a nullo alio dependeat: Id autem eſt ENS ENTIUM, hoc eſt, DEUS. Omnes namque audita voce *Dei* intelligunt illud infinitum, nobiliſſimum & omnium primum ens, quod a nullo dependet: Duo vero aut plura entia infinita poſſe

Digitized by Google

poſſe dari implicat manifeſtam contradi-ctionem. Hæc omnia in poſteriori *Inſtitu-tionum harum parte* accuratius ac dilucidius tractabuntur.

15. Pariter *demonſtrationes* διότι omnino locum inveniunt in Metaphyſicis. Annon enim e.gr. Metaphyſicus æternitatem de Deo demonſtrat per immutabilitatem, immutabilitatem per omnimodam ſimplicitatem, omnimodam ſimplicitatem per infinitatem, infinitatem per independentiam &c. Non enim ad demonſtrationes διότι ſemper requiritur, ut iſtud, quod demonſtratur, & cauſa per quam demonſtratur, realiter inter ſe differant, ſed ſufficit, ſi ratio adſit domeſtica ac ſimpliciter proxima, quæ ſolidum reſponſum quærenti ac πεπαιδευμένῳ auditori ex aſſe ſatisfaciat.

16. Etiam demonſtrationibus per impoſſibile ampliſſimus locus eſt in Metaphyſicis. Exempli gratia: ſi demonſtrare Metaphyſicus velit, quod Deus ſit ἀπαθής expers omnis potentiæ paſſivæ, hoc per abſurdum & impoſſibile ſic demonſtrat: Si in Deo eſſet aliqua paſſiva potentia, poſſet per eam aliquid in ſe recipere, & quidem vel perfectionem, vel aliquid, quod imperfectionem aliquam in Deo involvit. Neutrum poteſt dici. E. in Deo potentia paſſiva nulla datur. Nam quod per eam non poſſit Deus recipere ali-



Digitized by Google

aliquam perfectionem , ex eo facile patet, quia ſic non eſſet perfectus, ſed poſſet aliam adhuc recipere perfectionem, quod abſurdum & ab omni pietate alienum. Quod etiam Deus per potentiam illam paſſivam non poſſit recipere aliquid, quod involvat in Deo imperfectionem, facile liquet, quia ſic in Deo daretur imperfectio, quod etiam abſurdum & impium. Ita ſi quis neget veritatem hujus propoſitionis: Deus poteſt eſſe; is facile ad abſurdum deduci poteſt hoc modo: Quicquid non poteſt eſſe, illud impoſſibile eſt eſſe. Deus non poteſt eſſe. E. impoſſibile eſt Deum eſſe. Concluſio eſt abſurda & ſtolida: nam inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, inquit. Forma allati ſyllogiſmi eſt optima, unde quia in legitima forma ex præmiſſis veris nequit ſequi falſa concluſio, oportet vel utramque vel alterutram præmiſſarum eſſe falſam. De Majoris propoſitionis veritate nemo inter ſaniori judicio præditos dubitat, quia quod non poteſt eſſe, id non eſt poſſibile eſſe: quod vero non eſt poſſibile eſſe, id eſt impoſſibile eſſe, ceu vel cœcus videt. Ergo minor eſt falſa: Minor autem erat hæc: Deus non poteſt eſſe. Et quia hæc propoſitio minor contradictorie opponitur ante allatæ propoſitioni: Deus poteſt eſſe, nec vero duæ propoſitiones contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe falſæ, neceſſe

Digitized by Google

ceſſe eſt, quia hæc: Deus non poteſt eſſe; eſt falſa, priori loco adductam, nempe Deus poteſt eſſe, eſſe veram, cum quodlibet ſit vel non ſit, quia impoſſibile idem ſimul eſſe & non eſſe. Cæterum ut ex modo allatis ſponte ſua fluit, Metaphyſicam eſſe habitum vere demonſtrativum, hoc eſt, ſcientiam demonſtrativam, adeoque vere & proprie ſic dictam ſcientiam: Ita quia Phyſica, Matheſis, multique habitus practici & effectivi, itidem per demonſtrationes ſui generis acquiruntur, nullum dubium eſt, quin ſcientia de Metaphyſica & longe pluribus habitibus ſalva veritate prædicari poſſit ac revera prædicetur, ita ut ad rationem generis accedat proxime.

17. Equidem videri poterat, ac ſi Metaphyſica per ſcientiam, utpote ſui partem integralem, ceu vocant, definiri nequeat: Ex communi enim *Ariſtotelis* & omnium *Philoſophorum* conſenſu Metaphyſica eſt ſapientia: Sapientiæ vero recepta & in Vulgus nota definitio hæc eſt: Sapientia eſt habitus conſtans ex intelligentia & ſcientia rerum præſtantiſſimarum. Igitur tam ineptus videri potuerat, qui partem integralem Metaphyſices voluiſſet dicere genus Metaphyſicæ, atque is, qui caput diceret genus hominis. Enimvero totam hanc difficultatem peperit nimis jejuna explicatio Ariſtotelici aſſerti, quo ſapientiam *VI. ad Nicom.* c. 7. νοῦν καὶ

 [illegible]

ἐπιστήμην, *intelligentiam & ſcientiam* dixerat, atque iterum *eodem capite* expreſſis verbis ſic definiverat: ἡ σοφία ἐστὶ καὶ ἐπιστήμη καὶ νοῦς τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει, *ſapientia eſt & ſcientia & intelligentia rerum præſtantiſſimarum natura.* Quippe nec ex hiſce *Ariſtotelis* verbis, nec ex contextu colligi, nec unquam citra veritatis diſpendium admitti poteſt, quod ſapientia ſit vere ac realiter compoſita ex intelligentia & ſcientia, utut vulgus Philoſophantium hoc ſibi perſuaderi patiatur. Utique profecto adæquate diſtincti ſunt habitus: intelligentia & ſapientia, neutiquam vero ſe invicem ut pars integralis & totum integrale reſpiciunt. Intelligentia enim eſt habitus ἀναπόδεικτος, hoc eſt, per nullam demonſtrationem acquiri poteſt, ſeu quod eodem redit, nequit doceri ac diſci: Contra Sapientia eſt ἕξις ἀποδεικτική, habitus vere demonſtrativus, hoc eſt, doceri ac diſci poteſt. Hæc illam non includit, ſed præſupponit: *Illa* enim eſt habitus primorum principiorum, *hujus* vero eſt, prima principia mediante intelligentia certo ac facile cognita in gratiam dubitantium idonee confirmare, atque adverſus ſurdaſtros & præfractos contumacesque adverſarios per impoſſibile ac abſurdum demonſtrare. Studio dicitur: per impoſſibile ac abſurdum: nam per demonſtrationem διότι principia prima cognoſci ne-

nequeunt, quia talismodi demonſtratio neceſſario conſtat ex prioribus: At principia prima, quia prima ſunt, non agnoſcunt ſe ipſis priora, cum primo non detur prius.

18. Nec eſt, quod urgeatur, ad minimum relinqui, ſapientiam & ſcientiam abſolute ſic dictam ſeu theoreticam eſſe eſſentialiter diſtinctos habitus, ſub uno eodemque genere proximo, nempe habitu intellectuali theoretico, ſibique invicem contradiſtinctos: fieri vero nunquam poſſe, ut duæ ſpecies diſparatæ de uno eodemque inferiori, nempe Metaphyſica, in quid prædicentur, adeoque Metaphyſicam aut non eſſe ſcientiam, aut non eſſe ſapientiam. Aut enim ſcientia demonſtrativa ſumitur pro habitu quocunque demonſtrativo, ex principiis primis, non attendendo, num illa principia ſint ſimpliciter prima, an in certo genere talia? aut accipitur pro habitu demonſtrativo ex principiis in certo genere primis, quæ a nonnullis ſecundaria appellantur. Si ſcientia priori modo capiatur, aſſequi quilibet, qui a ſtudio partium liber eſt, facile poteſt, ſcientiam demonſtrativam ita ſumtam & ſapientiam non eſſe res diſparatas, ſed ſubordinatas, illamque omnino poſſe genus eſſe, vel ad minimum rationi generis reſpondere in ordine ad ſapientiam (hoc eſt, Metaphyſicam) Phyſicam pluresque alios habitus: Sunt namque

namque tam Metaphyſica, quam Phyſica, Matheſis &c. habitus ex principiis primis demonſtrativi, quicquid ſit de eo, quod his ſolummodo principia ſecundaria, illi principia quoque primaria, hoc eſt, ſimpliciter ac abſolute prima competant, cum hoc eſſentialem ſcientiæ ita ſumtæ conſtitutionem neutiquam ingrediatur: Si poſteriori modo ſcientia accipiatur, largimur facile; ſcientiam in tali rigore ſumtam nec genus Metaphyſices eſſe, nec generi Metaphyſices reſpondere, cum Metaphyſica non ſit habitus demonſtrativus, qui non niſi ſecundariis principiis utatur.

19. Conſtitit hactenus ex utraque & ſcientiæ & ſapientiæ definitione Metaphyſicam eſſe & ſcientiam & ſapientiam: imo nec obſcurum amplius eſſe poteſt, cur ſolummodo illa, non item hæc poſſit eſſe genus Metaphyſices? Scientia namque latius patet, quam Metaphyſica, ſapientia minime: omnis enim & ſola Metaphyſica eſt ſapientia, & vice verſa, omnis ac ſola ſapientia eſt Metaphyſica; Unde quia ad omne genus ſimpliciter & neceſſario requiritur, ut latius poſſit eſſe ſua ſpecie, hoc tamen nunquam de ſapientia in ordine ad Metaphyſicam ſalva veritate dici poterit, manifeſta adeſt ratio, cur ſapientia dici nequeat genus Metaphyſices.

20. Dicis; Sapientiam dividi poſſe in primam

mam ac ſecundam, ut adeo latius patere videatur ſapientia, quam Metaphyſica, quæ ſola ſit ſapientia prima, hujusque diviſionis patronum Ariſtotelem laudas. Verum verior ratio dictat, ſapientiam ſecundam accurate & proprie loquendo non eſſe ſapientiam: nam ſapientia rigoroſe ſic dicta verſatur circa principia prima, quia uti ſupra dictum eſt, ſapientiæ eſt explicare objecta ipſius intelligentiæ, hoc eſt exponere notiones, ex quibus prima principia conſtant, ipſa principia prima in gratiam dubitantium, confirmare, adverſus negantes per impoſſibile demonſtrare. Clarius: Intelligentia verſatur circa abſolute prima principia, ut ſunt prima ac per ſe nota: Sapientia tractat ea ut concluſiones. Intelligentia intellectui promtitudinem aſſentiendi primis principiis; Sapientia evidentiam conciliat. Imo, finge tandem aliam ſapientiam præter primam ſeu Metaphyſicam, ea aut verſabitur in minus primis, aut magis primis, aut æque primis. Non hoc, quia ſi Metaphyſica & tua, quam fingis, ſapientia circa æque prima principia verſarentur, ſic utriusque principia comprehenderentur ſub prioribus ac communioribus, ſicque neutra ſapientia eſſet prima, quod abſurdum. Non iſtud, hoc eſt, fieri nequit, ut circa magis prima verſetur fictitia illa ſapientia, quia iis, quæ in Meta-

physica

phyſica traduntur, nihil communius nihilque prius fingere potes, ſi vel maximè errare velis, ſique tandem fingas, ſic Metaphyſica contra tuum aſſertum non manebit prima. Non illud: Nam ſi ſapientia, quam fingis, verſaretur circa minus communia ac prima, Metaphyſica vero circa magis communia, ſic ſapientia fictitia ita eſſet demonſtrativa, ut in omnibus demonſtrationibus ſuis dependeret a Metaphyſica, quod ſapientiæ recte ſic dictæ prorſus repugnat. Res in vado eſt, niſi ludere velimus terminis, ita ut ſcientia & ſapientia pro iisdem ſumantur idemq; prorſus ſignificent: hic vero luſus cui uſui? Nec forte unquam ex *Ariſtotelis Philoſophia* quis deduxerit, eum Sapientiam, in oppoſitione ad ſcientiam, in primam & ſecundam divisiſſe. φιλοσοφία πρώτη καὶ δευτέρα ex *Philoſophi* mente ſunt ſcientia prima & ſecunda: Nunc enim σοφία idem notat, quod ſcientia, nunc quod ſapientia: quod nemo negat, niſi ſeptem Græciæ ſapientes voluerit ſeptem Græciæ Metaphyſicos dicere. Utraque ſignificatio eſt propria & uſu recepta. Idem eſto judicium de voce φιλοσοφία, ſi uſum dicendi ſpectes.

21. Non immerito *differentiam eſſentialem Metaphyſicæ* duplicem aſſignavimus, dum nempe eam diximus ſcientiam & *demonſtrativam*, quia etiam ſcientia ſine demonſtra-

tione

tione dari poteſt, qualis nempe ſcientia eſt intelligentia; & *theoreticam*, hoc eſt, talem, quæ nequit acquiri niſi per actus intellectus mere theoreticos, id eſt, nullius πράξεως aut ποιήσεως directivos, ut *Scholæ* loquuntur. Tales enim actus vocantur ii, quibus intellectus judicat, quod aut quomodo πρᾶξις vel ποίησις, actio ſtricte dicta vel effectio, committi aut omitti debeant. Idoneis enim Metaphyſices auditoribus cultoribusve apprime perſpectum eſſe debet, accuratiorem ſcientiæ demonſtrativæ diviſionem nec dari nec dari poſſe, quam ſi ea dividatur in θεωρητικὴν, πρακτικὴν καὶ ποιητικὴν, contemplativam, activam & effectivam.

22. Ultimo *differentia eſſentialis* Metaphyſices a *totali ſeu adæquato objecto* petebatur, quod ut in aliis ſcientiis, ita in Metaphyſica duplex vulgo ſtatui ſolet: *Materiale*, hoc eſt, res, circa quam ſcientia verſatur, & eſt hoc loco: *Ens cum inferioribus. Formale*, id eſt, ratio, ſub qua ſcientia verſatur circa rem (quæ nempe materiale ipſius objectum dicebatur) & eſt quantum ad præſens attinet, *realis abſtractio a materia ſenſibili.*

23. Erit igitur *totale & adæquatum objectum Metaphyſicæ* Ens & inferiora entis, quatenus realiter ſunt abſtracta a materia ſenſibili, & habent prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta.

24. A.

24. Aliud interim (ſi accuratius) philoſophari velimus) eſt *objectum*, aliud *ratio formalis objectiva*, ut *Scholæ* loquuntur. Fieri poteſt, imo in omnibus ſcientiis ac diſciplinis reapſe evenit, ut plura dentur objecta unius ejusdemque ſcientiæ aut diſciplinæ, ut tamen una eademque ratio prima cognoſcendi maneat, & in quam omnes aliæ cognitiones omnium & ſingulorum objectorum tandem abeant, atque eo tendant: e. gr. multa dantur objecta phyſicæ ſcientiæ, ut lapis, leo, homo, arbor, cœlum, terra, aqua &c. Sed hæc & longe plura alia unam habent rationem formalem, ſub qua in Phyſicis cognoſcuntur, dum nempe cognoſcuntur, quatenus ſunt naturalia. Sic ſi ſumamus exempli loco potentiam, ut viſum: Ibi iterum multa dantur objecta, ut: lignum, lapis, leo, homo, roſa, ceraſus &c. Sed hæc objecta & innumera plura habent unam rationem ſub qua cognoſcuntur, & unde hoc habent, quod ſint objecta viſus, nempe rationem colorati: non enim ſunt viſibilia, niſi quatenus ſunt colorata.

25. Et hoc cauſæ eſt, cur *Scholæ Doctores* rationem formalem objectivam diſtinguant ab ipſis objectis: nam ſicut alias quicquid eſt, per ſuam formam eſt, &, forma dat eſſe rei, ipſaque res ſuam denominationem ſuumque eſſe a forma accipere dicitur: Ita plures

res

res hoc, quod ſint unius ſcientiæ aut diſciplinæ objecta, habent ab una ratione cognoſcendi, quæ id propter ratio formalis objectiva dicebatur a *Scholaſticis*. Niſi enim una eſſet genuina ac formalis ratio, unde plura hoc habeant, quod ſint unius ſcientiæ aut diſciplinæ objecta, una ſcientia aut diſciplina non eſſet una, quod contradictionem implicat.

26. Sicut igitur unum objectum formale viſus eſſe dicitur, quia omnia viſibilia unam eandemque rationem, nempe rationem colorati dicunt, ut modo notatum fuit: Ita negari nequit, quod innumera objecta Metaphyſicæ ſcientiæ dentur, quia Metaphyſica non modo circa ens, ſed etiam inferiora entis verſatur, interim conveniunt omnia objecta in una eademque ratione formali, quæ eſt & dicitur realis abſtractio a materia ſenſibili.

27. Hic dicendum venit, quid vocetur abſtractio, quid abſtractio realis a materia ſenſibili, quid materia ſenſibilis? *Notio abſtractionis in communi* definiri nequit, ſed ſtatim diſtinctione opus eſt inter abſtractionem rationis & abſtractionem realem. Ab illa aliquid *ratione abſtractum*, ab hac *realiter abſtractum* denominatur; Duo igitur ad quamvis abſtractionem requiruntur: Unum, quod abſtrahitur. Alterum, a quo abſtrahitur.

28. *Ratione abſtractum* dicitur, *quod ſine altero per intellectum ſeu mediante intellectu cognoſcitur*, ſive cum eo conveniat ſive disconveniat, ſive cum ipſo realiter unum idemque ſit, ſive minime. Wenn man an eins gedencket / und an das andere nicht / das iſt man gedencket an eins ohne das andere. e. gr. quando intellectu meo cognoſco aut cogito, hominem eſſe animal, nec tamen ſimul intellectu meo cognoſco aut cogito, quod ſit rationis particeps, ſic ratione mea abſtraho animalitatem hominis a rationalitate, quia cognoſco animalitatem hominis, nec ſimul diſtincte cognoſco hominis rationalitatem. Inde cognoſcitur facile, quid ſit abſtractio rationis.

29. *Scholaſtici abſtractionem rationis duplicem ſtatuunt*: Unam *negativam*, alteram *præciſivam*. *Illam* dicunt *abſtractionem rationis, qua ratio ſeu intellectus unum ab altero dividit, cui diviſioni negatio reſpondet*: e. gr. quando intellectus meus cognoſcit, hominem non eſſe lapidem, aut cogitat, hominem non eſſe rationalem, hancce cogitationem Scholaſtici appellant abſtractionem negativam, item diviſivam, quia intellectus hominem a lapide, item a rationali dividit, cui actui hæ propoſitiones negativæ: homo non eſt lapis, homo non eſt rationalis, reſpondent. *Præciſiva abſtractio* eſt *abſtractio*

*ratio-*

*rationis, qua unum cognoſcitur ſine altero, tamen abſque interventu diviſionis aut negationis*: e. gr. quando cognoſco, quid ſit animal? quod ſcilicet ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens, nec tamen ſimul cognoſco, quod ſit homo, nec vero animal ab homine divido, ſeu quod eodem redit, hominem de animali nego, hujusmodi cognitio nuncupatur abſtractio rationis præciſiva. Nobis, quoties de abſtractione rationis in Metaphyſicis loquimur, ſermo eſt de abſtractione præciſiva, quæ etiam *præciſio*, item abſtractio rationis *κατ' ἐξοχὴν* nuncupatur.

30. Et de hac (nempe de abſtractione rationis præciſiva) illud πολυθρύλλητον: *Solus eſt Philoſophus, qui bene abſtrahit*, intelligendum venit, ut huncce ſenſum habeat: Iſte accuratus Philoſophus eſt, qui non confuſe, ſed decenter ac diſtincte quælibet ſcientiæ ſuæ objecta novit cognoſcere & exponere. Cui plane convenit commune effatum: *Qui bene diſtinguit, bene docet.* De abſtractione præciſiva accipimus quoque aliud effatum ſic ſeſe habens: *Abſtrahentium non eſt mendacium.* Nam qui unum cognoſcit, non ſimul cognito altero, is propterea non ſtatim unum de eo affirmat, alterum negat, ſicque non poteſt mendacii argui: Secus vero ſe res habet cum abſtractione

 nega-

Digitized by Google

negativa, qua qui utuntur, ſæpe mentiuntur. Hæc de abſtractione rationis.

31. *Realiter abſtractum* nuncupatur, *quod nemine cogitante ſine altero eſſe poteſt*, Wenn wahrhafftig ein Ding ohne das andere ſeyn kan/ wenn auch gleich niemand dran dencken ſolte/ daß es ohne das andere ſeyn könne: Exempli gratia, nemine cogitante animal poteſt eſſe ſine bruto, quia licet nullum brutum daretur, adhuc tamen animal dari poſſet nemine cogitante, cum adhuc homo dari poſſet, unde animal dicitur realiter abſtractum a bruto. Ita Spiritus nemine cogitante poteſt eſſe ſine materia, imo eſt ſine materia, quia ad ſpiritus eſſentiam immaterialitas ſpectat, hoc eſt, ex eſſentia ſua ſeu vi eſſentiæ ſuæ ſpiritus eſt immaterialis, hinc ſpiritus a materia realiter abſtractus denominatur.

32. Cæterum realiter abſtractum aliquid dici poteſt ab altero, ſive ſit in altero aut ei competat, ſive minime, modo nemine cogitante ſine eo eſſe poſſit: Quippe non requiritur ad realiter abſtractum, ut ſemper ſit ſine eo, a quo realiter abſtractum eſt. Et hoc omnino notandum venit, ne confundamus, ut a multis fieri ſolet, *realem abſtractionem* cum *reali ſeparatione*, ſeu *realiter abſtractum* cum *realiter ſeparato*. Etenim de realiter ſeparato certum eſt, quod ſit ſine eo, a quo realiter ſeparatum eſt: non tamen omne

Digitized by Google

omne realiter abſtractum eſt quoque realiter ſeparatum: e. gr. animal eſt realiter abſtractum ab homine & bruto, non tamen eſt realiter ſeparatum ab homine & bruto. Sic recte dicunt Philoſophi, Genus eſſe realiter abſtractum a ſpeciebus ſuis, interim fieri nunquam poteſt, ut genus a ſpeciebus omnibꝰ realiter ſeparatum ſit. *Separatio* enim *realis* eſt duplex: Una *poſitiva*, vi cujus id, quod realiter ſeparatum dicitur, poſt factam ſeparationem ſeorſim exiſtit: e. gr. talis ſeparatio realis poſitiva eſt ſeparatio clavi a pariete, quia poſt eam clavus ſeorſim exiſtit, forte in manu tua, paries extra eam. Altera *privativa*, vi cujus id, quod realiter ſeparatum nominatur, poſt factam ſeparationem nequit amplius exiſtere: ut quando albedo a pariete ſeparatur, quia facta ſeparatione reali albedinis a pariete, paries remanet, albedo neceſſario perit, nec remanere potuit. Jam ſi animal eſſet realiter ſeparatum ab homine & bruto ſeparatione poſitiva, tunc fieri poſſet, ut animal daretur, quod nec homo eſſet nec brutum, vel etiam ut homo aut brutum daretur, nec tamen eſſet animal, quod abſurdum. Et ſi animal realiter ſeparatum aut ſeparabile eſſet ab homine & bruto ſeparatione privativa, tunc evenire iterum poſſet, ut animal non eſſet, tamen homo aut brutum eſſet,

 ſic

ſicque ſine illo eſſe poſſet, quod rurſus magnam abſurditatem ſpirat.

33. *Realis abſtractio* iterum eſt duplex: Una dicitur a Scholaſticis *abſoluta*, item *abſtractio ſecundum eſſentiam*, item *abſtractio ſecundum excellentiam*: Altera vocatur *abſtractio permiſſiva*, item *abſtractio ſecundum indifferentiam*. *Illa* eſt *abſtractio realis, qua unum* (quod ſcilicet realiter abſtractum ab altero nuncupatur) *nequit non eſſe ſine altero*, hoc eſt, non poteſt eſſe in aut cum illo vel ipſum illud: e. gr. Deus dicitur ſecundum eſſentiam ac abſolute a materia ſenſibili realiter abſtractus, quia nec materia ſenſibilis, nec materialis eſſe poteſt. *Hæc* eſt *abſtractio realis*, *qua unum* (quod nempe realiter abſtractum ab altero cenſetur) *etiam poteſt eſſe in illo, aut cum illo, aut ipſum illud*: e.gr. ens eſt ſecundum indifferentiam ſeu permiſſive a materia ſenſibili realiter abſtractum, quia datur ens ſine omni materia, datur quoque ens, quod eſt materia, quia materia eſt ens, datur ens materiale, quale eſt omne illud, quod in eſſe ſuo a materia pendet.

34. *Materia ſenſibilis* appellatur materia phyſica, ut ſub ſenſus externos cadere ſeu ſenſibus cognoſci poteſt. Ita ſemen, ſanguis menſtruus &c. ſunt materiæ ſenſibiles, quia poſſunt guſtari, poſſunt tangi &c. Sic æs, lignum, ſunt materiæ ſenſibiles, quia videri, tangi poſſunt.

35.Sic-

Digitized by Google

35. Sicut ergo quisque nunc facili negotio aſſequitur, quid ſit dicere: Ens & inferiora entis ſunt realiter abſtracta a materia ſenſibili; nempe idem eſt, ac ſi diceres: Ens & inferiora entis ita ſe habent, ut nemine cogitante poſſint eſſe ſine materia ſenſibili: Ita facile quoque perceptu eſt, quod realiter abſtracta a materia ſenſibili ſint duplicis generis: Primo dantur abſtracta abſtractione reali abſoluta ſeu ſecundum eſſentiam, hoc eſt, ita ut non poſſint eſſe ipſa materia ſenſibilis, in aut cum materia ſenſibili: Ita e. gr. a materia ſenſibili realiter abſtracta ſunt abſtractione ſecundum eſſentiam ſeu abſoluta hæc inferiora entis: Spiritus, Deus, angelus, anima poſitive ſeparata. Deinde dantur abſtracta abſtractione reali permiſſiva ſeu ſecundum indifferentiam, hoc eſt, ita ut etiam poſſint eſſe ipſa materia ſenſibilis, in aut cum materia ſenſibili: Hoc modo realiter abſtracta ſunt e. gr. hæc inferiora entis: Subſtantia, accidens.

36. *Partes Metaphyſices duæ* ſunto: *Prior*, quæ agit de ente & iis inferioribus entis, quæ ſunt realiter abſtracta a materia ſenſibili ſecundum indifferentiam ſeu abſtractione ~~abſoluta~~ [permiſſiva]: *Poſterior*,



Digitized by Google

quæ agit de iis interioribus entis, quæ ſunt realiter abſtracta a materia ſenſibili ſecundum excellentiam ſeu abſtractione abſoluta.

37. Vulgo Metaphyſices diviſio ſic inſtituitur, ut *una pars* dicatur *communis & quaſi generalis*, quæ ſcilicet de ente in communi agit & communisſimis entis affectionibus: *Altera quaſi ſpecialis & propria*, quæ de inferioribus entis agit, quatenus realiter ſunt abſtracta a materia ſenſibili, aut habent prædicata minus communia a materia ſenſibili realiter abſtracta: (In quantum enim inferiora entis habent communisſima prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta, in tantum ad communem partem referri ſolent) interim melioris ordinis gratia magisque accommodate ad noſtrum ſcopum aliter placuit, ſalvo meliori judicio ac bona quorumvis pace, Metaphyſices diviſionem tradere. Abſit interea, ut communem ac receptam diviſionem rejiciamus. Nec tamen eſt, cur quis mirari velit, ſi pro diviſionis diverſitate ad eandem quæſtionem diverſimode reſpondeamus: e. gr. ſi quæratur, ad quamnam Metaphyſices partem ſpectet corpus naturale, ſi nempe præciſe ſpectetur, ut habet præ-

prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta? Rectiſſime reſpondetur, ſi vulgo receptam Metaphyſices diviſionem in partem communem & propriam aſſumas, ad utramque partem ſpectare, ad communem quidem, quatenus corpus naturale habet prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta, quæ tamen corpori naturali cum aliis inferioribus maxime communia ſunt: ad propriam vero, ſi attendantur corporis naturalis prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta, quæ ſcilicet non omnibus entis inferioribus ſunt communia: e. gr. dum conſideratur corpus naturale ut ens, ut unum, ut verum ens &c. ſic communiſſima prædicata conſiderantur, quorum tractatio ad partem communem omnino pertinet. Si autem corpus naturale ſpectetur, ut ſubſtantia, ſubſtantia ſecunda, &c. ea attenduntur, quorũ conſideratio ad ſpecialem partem referri ſolet. Interim ſi noſtram diviſionem ſequamur, tota conſideratio prædicatorum realiter abſtractorum a materia ſenſibili, quæ nempe & quatenus corpori naturali conveniunt, ad unam eandemque partem jure meritoque referuntur, cum ſane omnia & ſingula illa prædicata ſint realiter abſtracta a materia ſenſibili, non abſtractione abſoluta, ſed permiſſiva.

38. Illud vero maxime notamus circa

allatam noſtram diviſionem, ad Metaphyſicam pertinere etiam inferiora entis, quatenus realiter non ſunt abſtracta a materia ſenſibili, habent tamen prædicata a materia ſenſibili realiter abſtracta: e. gr. corpus naturale, cœlum, arbor, lapis, animal, &c. ſunt entis inferiora, nec realiter ſunt abſtracta a materia ſenſibili, cum non poſſint eſſe ſine materia, ipſaque materia pars eorundem eſſentialis ſit, adhuc tamen habent prædicata a materia ſenſibili abſtracta, quia ſunt entia, ſubſtantiæ &c.

39. *Uſus Metaphyſices* nihil eſt aliud quam commoda ſatisque decens ac genuina doctrinarum Metaphyſicarum applicatio ad alias diſciplinas ac facultates.

40. Eſt vero *uſus Metaphyſices duplex: Generalis & Specialis. Ille* ad omnes diſciplinas ac facultates extenditur. *Hic* ad unam præciſe diſciplinam refertur: e. gr. Theologiam, Jurisprudentiam forenſem, Philoſophiam Moralem &c.

41. Et

41. Et quidem *generalem Metaphyſices uſum*, quem ſcilicet ipſa omnium omnino Facultatum ac diſciplinarum cultoribus doctoribusque præſtat potius, quam promittit, nemo negaverit, qui modo *officium Profeſſoris ac Magiſtri Metaphyſices* recte attendit, utpote quod hiſce duobus abſolvitur: 1. ut tradat notiones communiſſimas omnibusque diſciplinarum ac facultatum generibus apprime familiares, ut nulla certe diſciplina ſe excuſare poſſit, imo omnium Facultatū ac diſciplinarum cultores ac doctores plane eximium harum notionum uſum, velint nolint, fateri neceſſum habeant. Talismodi ſunt e. gr. notiones rationis formalis, eſſentiæ, conceptus adæquati & inadæquati, primarii & ſecundarii, principii, cauſæ, rationis cauſandi, cauſalitatis, neceſſariarum conditionum, ordinis, effectus formalis, formæ, ſubjecti, objecti, finis, efficientis, cauſæ impulſivæ, ideæ, fundamenti, ſigni, normæ, actus primi, actus ſecundi, actus ſignati, actus exerciti, cauſæ completæ, cauſarum ſubordinatarum, cauſarum coordinatarum &c. Quo ſpectant etiam ſumma omnium rerum genera. Nulla certe diſciplina ſatis feliciter & accurate diſci aut doceri poteſt, niſi uſus harum notionum admittatur. 2. ut aperiat communiſſimos ac primos ſciendi fontes; h. e. exhibeat communiſſima effata ac axiomata,

mata, quibus omnes omnino doctrinæ ac diſciplinæ nituntur, in quæ omnis tandem reliqua Philoſophia abit ac reſolvitur, quæque Theologiæ ac Jurisprudentiæ, ut & ſcientiæ de arte medica, communiſſima ſunt.

42. Studio dicitur: axiomata ac prima principia Theologiæ & Jurisprudentiæ eſſe communiſſima. Nam quod vulgo dicitur: *Philoſophiam niti rationibus*, hoc eſt, principiis rationis, *Theologiam vero & Jurisprudentiam mera autoritate*; veriſſime quidem pronunciatur, neutiquam vero in aſſertionis noſtræ præjudicium. Veriſſime pronunciatur, quia magnum utique diſcrimen intercedit inter argumentationes Theologicas & Juridicas ex una parte, & inter Philoſophicas ex parte altera. In his quando principium cognoſcendi eſt ſimul cauſa, tunc connectitur vel immediate cum extremis concluſionis, vel mediate: Si illud, tunc eſt principium primum & per ſe notum, nec opus eſt ut aliunde probetur: Si hoc, opus eſt ut probetur ex alio aliquo priori principio, illud tamen ipſum principium, ex quo nexus iſte demonſtrandus eſt, petitur ex ipſa natura. Verum in Theologia & Jurisprudentia forenſi res aliter ſeſe habet. Quamvis enim Theologia in rebus credendis doceat, unum eſſe alterius cauſam e. gr. fidem eſſe cauſam juſtificationis, juſtificationem autem eſſe cau-

ſam

ſam gratiæ apud Deum, tranquillæ ac bonæ conſcientiæ, ſpei vitæ æternæ: tamen quia hoc nobis non innoteſcit niſi ex Scriptura Sacra & revelatione divina, ideo ultimo hîc recurrendum eſt ad revelationem divinam, ut ultimum principium ſit: *Quicquid Scriptura Sacra Canonica docet, illud infallibiliter verum eſt:* utpote cujus certitudo neminem latere, nec in dubium a quopiam vocari poteſt, qui quidem Scripturæ Sacræ naturam & eſſentiam apprime habet perſpectam. Pariter utut Jurisprudentia forenſis res per cauſas ſuas tradat, ſicuti e. g. ſi quis velit plene probare teſtamentum habens effectum plenum juris civilis, eum oportet probare, omnes ac ſingulas cauſas omniaque ac ſingula ad teſtamenti factionem, ut loqvuntur, ex parte cauſarum neceſſario requiſita adfuiſſe v. gr. ex parte cauſæ efficientis, quod teſtator, h. e. is cujus teſtamentum plene probandum venit, ſit pater familias, ſit ſanæ mentis, non ſit minor &c. Ex parte materiæ ſeu objecti, quod habeat liberam bonorum adminiſtrationem, item, ſi teſtator eſt filius familias, quod ſolummodo teſtatus ſit de peculio caſtrenſi vel quaſi &c. Ex parte formæ ſeu modi, quod adhibuerit & ſpecialiter vocaverit teſtes: item, quod quia cœcus erat, præter ſeptem teſtes adhibuerit & tabularium, aut octavum teſtem &c. Ex parte finis; quod nec propter

de-

delictum, nec ex alia cauſa publica ipſe teſtamenti factione privatus fuerit &c. Interim quia de his nemini liquere poteſt niſi ex Jure Civili & legislatoris decretis, ultimo confugiendum eſt ad Jus Civile, eſtque ſic dictum Corpus Juris Civilis ipſa ſedes & quaſi domicilium principiorum Juris, ad quod JCto æque recurrendum eſt, & probationes inde petendæ, atque Theologus confugere tenetur ad Scripturam Sacram, ſi dogma aliquod fidei inter Chriſtianos in dubium vocetur, & ſolidis argumentis confirmandum ſit: Manet igitur principium primum, in quod omnes probationes Juridicæ ultimo reſolvuntur, autoritas Juris Civilis, adeo ut *quicquid Jus civile ſtatuit*, *ſancit*, *approbat*, *illud civiliter juſtum ſit*, hoc eſt, effectum juris civilis habeat.

43. Recte igitur intelligendum eſt, quod communiter docent Theologi & JCti, dum dicunt de ſeipſis: *Nos tantum argumentamur ab autoritate, Philoſophi vero tantum ex ratione argumentantur.* Scilicet non debent confundi: principium primum Theologiæ aut Jurisprudentiæ *proprium*, & principia prima Theologiæ & Jurisprudentiæ, æque ac aliis quibusvis diſciplinis, *uſu communia*. (Singulari ſtudio dicitur: uſu communia, quia eadem partim Metaphyſicæ, partim Analyticæ, conſideratione propria manent.) Veris-

riſsimum quidem hoc eſt de principio proximo Theologiæ aut Jurisprudentiæ civili proprio, in quod uti diximus, abeunt ac ultimo reſolvuntur omnes probationes Theologicæ aut Juridicæ; Quicquid enim Theologis ac JureConſultis probandum incumbit, hoc illi non aliunde niſi ex Scriptura Sacra, hi ex Jure Civili probant: ſed falluntur certe Theologiæ ac Jurisprudentiæ Civilis ſtudioſi, quotquot ideo Metaphyſices Logiceſque ſtudiis ſeſe carere poſſe ſibi fruſtra perſuaſum habent, falluntque ipſos, quotquot oſores ſoſoresve horum ſtudiorum exiſtunt: Quippe Theologi & JCti, æque ac Philoſophi argumentantur a cauſa, a fine, ab efficiente, ab objecto, a forma, a ſubjecto, ab effectu, a proprietate &c. Et ut breviter dicamus, omnes modi argumentandi, qui in Logicis præſcribuntur, locum quoque habent in Theologia & Jurisprudentia, ſi ſcilicet ſermo ſit de principiis proximis, ex quibus concluſiones Theologicæ & Juridicæ proxime deducuntur. Hæc cum vera ſint, & ab omnibus, qui judicio ſano ſunt præditi, facile ſine alia demonſtratione aſſenſum impetrent, ecquis quæſo, modo a præconceptis opinionibus liber fuerit, de uſu manifeſtiſſimo Metaphyſici ſtudii in Theologia ac Jurisprudentia, æque ac in aliis diſciplinis, dubitaret?

44. Nec

44. Nec enim fieri poteſt, ut quis Theologiæ aut Jurisprudentiæ Cultor locis argumentationum recte utatur, niſi præcognitam ac intimius perſpectam habeat Metaphyſicam doctrinam, utpote cum nulla ſit argumentatio ex Logico Loco, quæ non poſſit ac debeat ad certum caput doctrinæ Metaphyſicæ referri: e. gr. quomodo ad quæſtiones Theologicas aut Juriditas de cauſis rerum & negotiorum ſpiritualium ac Theologicorum, aut forenſium, reſpondebitur, niſi doctrinam Metaphyſicam de cauſis probe tenueris? Omnes vero quæſtiones, ſi quæſtionem: an ſit? excipiamus, ut in aliis diſciplinis, ita etiam in Theologia & Jurisprudentia, (niſi in his ad illas quoque, ubi de dicti Scripturæ Sacræ aut legis civilis ſenſu diſquiritur, reſpectus habeatur) ſunt de una vel aliquibus, pluribus vel omnibus cauſis: Etiam in Theologia & Jurisprudentia forenſi nimirum tum demum vere aliquid ſcitur, quando rei cujusque Theologicæ aut forenſis cauſa plene cognoſcitur.

45. Exempla ſupra §. 42. allata repetamus: Utut non niſi ex Scriptura Sacra liqueat hominem fide juſtificari, fide juſtificatum habere Deum propitium ſeu gratiam apud Deum, tranquillitatem conſcientiæ ſeu lætam ac tranquillam conſcientiam, ſpem

Digitized by Google

ſpemque vitæ æternæ, id propter tamen negari nequit, quod in hac argumentatione Theologica: Quicunque eſt juſtificatus, is habet pacem conſcientiæ, gratiam apud Deum, ſpem vitæ æternæ. Atqui quicunque in Chriſtum credit, eſt juſtificatus. E. (cujus ſcilicet argumentationis Major ex Rom. V. 1. 2. Minor ex Rom. III. 28. probatur) juſtificatio *ut cauſa*, pax vero conſcientiæ, gratia apud Deum, ſpes vitæ æternæ, *ut effectus* juſtificationis ſe habeant, quodque tota hæc argumentatio ſit ex loco cauſæ, nitaturque hoc duplici axiomate: *Poſita cauſa ponitur effectus*, &, *cauſa cauſæ* (fides eſt cauſa juſtificationis, ipſaque juſtificatio eſt cauſa pacis conſcientiæ, gratiæ apud Deum, ſpei vitæ æternæ) *eſt cauſa cauſati*, (ſicque fides eſt cauſa pacis conſcientiæ, gratiæ apud Deum, ſpei vitæ æternæ.) Non enim pugnant inter ſe hæc duo: Præmiſſæ in hac argumentatione Theologica continent principium eſſendi ſeu cauſam, cur prædicatum ſubjecto competat, &, præmiſſæ hæ tandem reſolvuntur in principium cognoſcendi, quod non ſimul eſt principium eſſendi. Utrumque veriſſimum manet. Nam quia utraque præmiſſarum nequit probari niſi ex Scriptura Sacra, utique tota argumentatio reſolvitur tandem in hoc commune principium: Quicquid Scriptura

Sacra dicit, infallibiliter verum eſt: quod principium non eſt eſſendi, ſed tantum cognoſcendi. En uſum Metaphyſices in Scriptura Sacra!

46. Idem eſto judicium de altero ibidem allato exemplo: Nam licet non niſi ex *lege civili* nobis conſtet de eo, quod teſtandi facultas ſolis patribusfamil. Lege civili ſit conceſſa: PATERFAMILIAS UTI LEGASSIT, quodque Filiifamil. teſtamentum facere non poſſint, *princip. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. l. 6. Dig. h. t. l. penult. C. eod.* & olim quidem vel ideo non potuerint, quia nihil ſuum habuerunt *Ulp. tit. 20. §. 9.* Hodie non poſſint, quia ne nunc quidem quicquam pleno jure tanquam Patresfamil. habent, excepto peculio caſtrenſi & quaſi, *princip. Inſtit. d. t.* Item, quod nequeant facere teſtamentum, qui mente carent, *§. 1. Inſtit. d. t. l. 2. l. 13. in fin. de inoff. teſt.* Item quod ne quidem valeat teſtamentum minorum, licet tempore peſtis, vel cum autoritate tutorum, aut piis cauſis quid reliquerint *Carpz. p. 3. C. 6. D. 8.* Item quod cœcus non poſſit facere teſtamentum, niſi per obſervationem, quam lex D. Juſtini (nempe *l. 8. C. Quibus non eſt perm. f. Teſt.*) introduxit, qua cautum, ut cœcus hæredem nuncupaturus præter ſeptem teſtes adhibeat & tabularium, qui voluntatem nuncupantis ſcri-

ſcriptura excipiat: aut ſi tabularii copia non ſit, octavum teſtem: omneſque ſubſcribant & ſignent. Licet inquam hæc & longe plura, quæ nunc ſicco pede præterimus, ex ſolo Jure Civili cuipiam innoteſcant, adhuc tamen veriſſimum manet, quod hæc talia vel cauſas vel alia ex parte cauſarum neceſſario requiſita arguant, quæ ſatis feliciter ac accurate intelligi nequeant ab eo, qui quæ & quot cauſæ in forenſibus, adeoque etiam in teſtamentis locum obtineant? aut plane non, aut non ſatis cognitum habet. Nam ſi uti diximus, plena forenſis cujuslibet rei ſcientia in omnium illius cauſarum idonea cognitione eſt conſtituta; quomodo doctrina Metaphyſica & Analytica (quarũ præcipua ac præſtantiſſima pars eſt, quæ de cauſis agit) deſtitutus veram plenamque forenſis cujuslibet rei ſcientiam a proletaria aut rudi aut imperfecta quavis illius notitia poterit diſcernere? Gaudeo maximi Judicii viros pleniſſime in eo conſentire.

47. Cæterum nec hoc penitus prætereundum ducimus, quod ipſum primum principium Theologiæ proprium ac abſolute ſic dictum *reſolvi* poſſit in aliud primum principium Theologiæ cum aliis ſcientiis commune. Nam principium abſolute primum Theologiæ erat hoc: *Quicquid Scriptura Sacra Canonica docet, illud infallibiliter verum*

*eſt*; Jam vero nullum dubium eſt, quin reſolvi poſſit in illud axioma conſideratione proprium Metaphyſicæ, uſu commune omnibus diſciplinis ac facultatibus: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; & quidem hoc modo: Niſi quod Scriptura Sacra Canonica docet, infallibiliter verum eſſet, certe Deus ſimul eſſet ipſa immutabilis veritas, & non eſſet: Eſſet, ceu ex Scriptura Sacra non modo liquet, ſed etiam in Metaphyſicis ſolide demonſtratur, cum ex infinita DEI ſcientia, nam omniſcius non poteſt falli: tum ex infinita Dei bonitate, qui enim infinitæ bonitatis eſt, nec fallere vult, nec poteſt, nec poteſt velle fallere. Non eſſet, quia verbo ſuo falleret aut fallere poſſet: Eſt enim Scriptura Sacra verbum Dei: Quomodo autem Deus, qui ipſa immutabilis veritas eſt, veritas immutabilis maneret, niſi verbum ejus infallibiliter verum eſſet. Totus diſcurſus, ut quisque advertit facile, nititur hoc axiomate: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Aliud namque eſt quærere: num Scriptura Sacra ſit Canonica & divinæ autoritatis? Aliud, num quod Scriptura Sacra docet, infallibiliter ſit verum? Poſterioris quæſtionis deciſio a prioris quæſtionis deciſione pendens tandem in axioma illud abit & ultimo reſolvitur. Et quid verbis opus eſt? annon autor Scriptu-

ræ Sacræ, hoc eſt, Deus ipſe, talem analyſin inſtituit, idemque prorſus aſſerit. Aſpiciamus verba *epiſtolæ ad* Romanos cap. XI. 5. 6. *Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt. Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus, quandoquidem gratia jam non eſt gratia: Sin ex operibus, jam non eſt gratia, quandoquidem opus jam non eſt opus.* Annon Spiritus Sanctus veritatem ſui aſſerti: *Si per gratiam, non ex operibus? Si ex operibus, non ex gratia?* reſolvit in hoc axioma: *Abſurdiſſimum ac ſimpliciter impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe:* e. gr. eſſe gratiam & non eſſe gratiam, eſſe opus & non eſſe opus. Non igitur hæc duo inter ſe pugnant: Eſſe principium abſolute primum Theologiæ, &, poſſe reſolvi in aliud principium: Illud enim vocatur tantum *abſolute* alicujus diſciplinæ principium, quod eſt ejus diſciplinæ principium proprium, adeoque manet ſola Scriptura Sacra principium Theologiæ, non vero Philoſophia, quia principia, quæ Philoſophia ſubminiſtrat, ſunt communia: At vero quæ Scriptura Sacra præbet, ſunt propria & ſtricte ſic dicta Theologiæ principia.

47. Idem prorſus, mutatis ſcilicet mutandis, dicendum erit de ſimpliciter primo principio Jurisprudentiæ forenſis. Relinquitur extra dubitationem, Jurisprudentiam

am forenſem tantum argumentari ab autoritate, ſi nempe hoc accipiatur de abſolute primo Jurisprudentiæ civilis principio, quod ſimul alio ſenſu ſimpliciter ultimum principium rectisſime vocatur: Eo interim non obſtante, jure meritoque reſolvitur hoc ultimum principium in notiſſimum axioma: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Annon enim contradictoria ſunt; eſſe jure civili ſancitum & approbatum, nec tamen habere effectum juris civilis? Idem eſt ac eſſe ſimul jure civili ſancitum ac approbatum, & non eſſe.

48. Judicent ergo, qui judicare volunt & poſſunt, num iſte vel ab affectata craſſaque ignorantia, vel a malitia liber ſalva veritate pronunciari queat, qui non erubuit ſcribere, *omnem doctrinam Metaphyſicam, omnesque diſtinctiones & terminos Metaphyſicos, inque primis omnes illas diſtinctiones ac terminos, prout a Stahlio traduntur ac explicantur, plane ignoraſſe, Moralium Profeſſori non magis rubori eſſe, quam aulico cuipiam, quod hircum non oleat.* Item, *in tota ſcientia Metaphyſica illud præcipuum eſſe, quod is, qui iſtam ſolam ſcit, nihil ſciat.* Nam quod prius attinet, omnes propoſitiones Metaphyſicæ, quæ de omni ente aliquid enunciant, ſi reſtringantur ad perſonas, actiones & res morales, item ad perſonas, actiones & res, quæ ſunt

Digitized by Google

ſunt civilis ſocietatis, quaſi propriæ fiunt & manent Philoſophiæ morali & civili, Juris naturalis & gentium diſciplinæ, cum hac ratione Ethices & Politices, Juris naturalis & gentium Profeſſor utatur (ſique recte officio fungi velit, uti neceſſum habeat) τοῖς κοινοῖς ἰδίως, ceu loqui *Ariſtoteles* ſolet. Imo omnia ea, quæ modo de uſu Metaphyſices in Theologia & Jurisprudentia diſſeruimus, pari, ſi non potiori jure ad Ethicam ac Politicam, Juris Naturalis ac Gentium doctrinam trahenda veniunt; Longe namque facilius Studioſis Philoſophiæ uſus Metaphyſici ſtudii in Moralibus & Politicis (maxime vero in Moralibus, quia hæc eſt doctrina juris abſolute immutabilis) quam Theologiæ & Jurisprudentiæ Cultoribus uſus Metaphyſices in Theologia & Jurisprudentia, perſuadebitur. Quod poſteriori loco aſſerebatur *illud præcipuum eſſe in tota ſcientia Metaphyſica, quod is, qui iſtam ſolam ſcit, nihil ſciat*: videant alii, num imprudentia, an impudentia magis hic accuſari debeat. *Primo* enim turpiter confunditur officium Doctoris Metaphyſices *§. 41. pag. 27. & ſeq.* indicatum, quodque ei incumbit, ut eſt ſapiens, (Nam quo ſenſu Metaphyſica, eaque ſola, eſt ſapientia, ceu ex *§. 19. & ſeq. p. 12. & ſeqq.* liquet: hoc etiam ſenſu Metaphyſicus, isque ſolus eſt ſapiens) cum officio, quo

fungitur, ſi præciſe ſpectetur, prout non minus, quam aliarum diſciplinarum Theoreticarum Doctores, eſt ſciens; Metaphyſicam enim & ſapientiam & ſcientiam eſſe diximus. Vi poſterioris officii Doctorem Metaphyſices oportet demonſtrare: quod etiam nobis eſt, rerum propoſitarum certitudinem neceſſariam a certis principiis tanquam ſuis cauſis indubitato cognoſcendam ſyllogiſtice deducere. Quales autem oporteat eſſe illas propoſitiones, per quas demonſtrationes Metaphyſicæ fiunt, ex *Analytica* conſtare poteſt ac debet. Sane id quod per demonſtrationes quæritur, eſt cognitio certa, liquida & ab erroris metu immunis: Unde ſi idoneo Metaphyſices Doctori ſuppetunt propoſitiones *veræ* reapſe, non ex ſola conceſſione aut ex hypotheſi; *primæ*, idque ut vel ulteriori probatione non indigeant, ſed ipſa ſui evidentia fidem mereantur; vel ut demum ultimo ad aliquam primam veritatem reduci queant, ſi ſcilicet a propoſitione demonſtranda argumentationes Metaphyſicus eouſque continuet, donec ad primum aliquod principium devenire detur; *immediatæ*, id eſt, citra interruptionem aut hiatum ex ſe continuo fluentes; *cauſæ* denique concluſionis, quod rationem contineant, quare in propoſitione demonſtrabili prædicatum ſubjecto neceſſario

ſario competat: Si, inquam, plurimæ talismodi propoſitiones *veræ*, *primæ*, *immediatæ*, & *quæ ſunt cauſæ concluſionis*, Metaphyſices Doctori ſuppetunt, per quas ſuo primum, poſtea aliorum animis ingenerare valuerit, & adhuc valeat, cognitionem Metaphyſicam certam, liquidam & ab erroris metu immunem, quo colore quove prætextu dici poterit, eum, qui Metaphyſicam ſcit, in quantum eam ſciat, nihil prorſus ſcire? *Deinde* omnium doctiſſimorum Philoſophorum conſenſu quicquid eſt ſcientiarum ac diſciplinarum Theoreticarum id habent commune, ut ſui gratia atque adeo propter ipſum ſcire expetendæ veniant, quidni igitur idem dicendum eſſet de Metaphyſica ſcientia ac diſciplina? *Tertio* tantum abeſt, ut Metaphyſica ſcientia ſui gratia atque propter ipſum ſcire non ſit expetenda, ut potius certiſſimum maneat, quod quivis Clariſſimi Philoſophi de ea ſola pronunciarunt, quodque *Ariſtotelis* judicio unum ex accuratiſſimis Sapientiæ ſeu Philoſophiæ primæ, quam hodie Metaphyſicam vocant, κυριώτατος eſt, nempe *eam ſui gratia atque adeo propter ipſum ſcire maxime expetendam*. Hanc genuinam Metaphyſices conditionem prolixius explicat ac demonſtrat *Ariſtoteles L. 1. Metaph. c. 2.* (quod totum caput una cum præcedenti meretur ſedulam

 inſpe-

inſpectionem) Verba *Philoſophi* hæc ſunt: *Cognoſcere autem ac ſcire ipſius cognitionis ac ſcientiæ cauſa, in ea ſcientia maxime cernitur, quæ verſatur in re maxime ſcibili. Qui enim ſcientiam ſciendi cauſa eligit, is eam amplectitur maxime, quæ eſt Scientiæ nomine digniſſima: hujusmodi vero eſt, quæ in ea re verſatur, quæ eſt aptiſſima, ut ſciatur. Sunt autem aptiſſima, ut ſciantur, ea, quæ prima ſunt & cauſæ, cum propter hæc atque ex his cætera cognoſcantur* &c. Veriſſime hæc dicuntur: Annon enim Metaphyſica ex profeſſo ſibi vindicat totam Pnevmaticam, ut vulgo vocatur, hoc eſt, doctrinam de Spiritu, Deo, angelis & animabus, quæ ſpiritualis eſſentiæ ſunt, maxime ut hæ in ſtatu ſeparato ſpectantur: quænam vero nobiliora aut æque nobilia objecta, quorum ſcientia æque aut magis ſui gratia expetenda ſit, tradi aut excogitari poterant? *Quarto* ſi vel maxime (quod tamen non ſolummodo contra *Ariſtotelis* Philoſophiam, ſed etiam adverſus ipſam veritatem aſſeri credimus) Pnevmatica directe & per ſe non ſpectaret ad Metaphyſicam, tamen multa alia imo pluſima occurrunt in Metaphyſica diſciplina recte tractata, quæ ex certis principiis ita derivari poſſunt, ut dubitationi locus non amplius ſuperſit, totaque Metaphyſica ſcientia, licet nobiliſſimam ac præſtantiſſimam ejus

Digitized by Google

ejus partem, quæ nempe de Spiritu, Deo, angelis & anima ſeparata agit, ſepoſueris, omnino ejusmodi fundamentis adhuc nititur, ut exinde genuinæ demonſtrationes, quæ ſolidam ſcientiam parere ſint aptæ, deduci queant. Quod ſi igitur præcipuum in Metaphyſica ſcientia eſſet, quod qui iſtam ſolam ſcit, nihil ſciat, iſtud æque, ac fortasſis multo magis, de omnibus aliis ſcientiis theoreticis, Phyſica nempe & Scientiis Mathematicis, dicendum eſſet: Eſt namque Metaphyſica omnium ſcientiarum naturalium exactisſima & accuratisſima, quia eſt maxime primorum. Recte *Ariſtoteles* (ut hoc demonſtret de Metaphyſica) *cit. loc. Scientiarum eæ ſunt accuratiſſimæ, quæ in iis, quæ prima ſunt, maxime verſantur. Quæ enim ex paucioribus rem conficiunt, accuratiores ſunt iis, quæ ex additione appellantur, ut tam Arithmetica, quam Geometria. Sed &* (Metaphyſica) *aptior eſt ad docendum, quæ magis in cauſarum conſideratione verſatur. Ii enim docent, qui cauſam cujusque rei adferunt. Denique* ita procedimus: Aut Metaphyſica tota unice uniceque eſt propter alias ſcientias & diſciplinas, aut minime: Si hoc, ſponte ſua relinquitur, eum etiam, qui iſtam ſolam ſcit, aliquid ſcire: Si illud, per ſummam inſcitiam, ſi non malitiam, id propter Metaphyſica ludibriis ignorantium exponeretur.

Digitized by Google

tur. Nam alias eadem fata manerent Analyticam, qua de ſufficientisſime conſtat, quod ea ſublatis omnibus ſcientiis ac diſciplinis nihil ſit, nec quicquam eſſe poſſet, ſi nullis ſcientiis ac diſciplinis locus eſſet. Numne vero id propter recto, quod dicitur, pede ad ipſas ſcientias & diſciplinas accedendum erat absque ope & beneficio Analytices, quia ſublatis ſcientiis ac diſciplinis eam ſolam ſcire velle, (id quod omnino concedimus) eſt nihil ſcire velle? Diſcere debemus Analyticam, & quia eſt pædia communis, (ceu §. 5. *pag.* 3. monuimus) ſine qua eſt impoſſibile aut certe difficillimum ſcientias adipiſci, & quia aptos nos reddit ad agendum cum auditoribus, ut nimirum id, quod ipſi ſolide, liquido atque absque omni erroris metu cognovimus, poſſimus (liceat ita loqui) ſcientifice etiam in auditorem transfundere, revocando omnia ad regulas Analyticas. Idem foret judicium de Metaphyſica, cujus bonam & ampliſſimam partem, ſi diceremus, æque ac Analyticam, toties tranſire in aliam ſcientiam aut diſciplinam, quoties ei idonee, ſcite & decenter applicatur, nihil forte peccaviſſemus: Hanc enim ſententiam *Græci* acerrime propugnarunt, eandemque, utpote veritati ipſi & *Ariſtotelis* menti maxime congruam, amplexus quoque eſt accuratisſimus Philoſophus in

Aca-

Academia Altorfina *Philippus Scherbius*, & qui ordine ei ſucceſſerunt, magni nominis Philoſophi, *Erneſtus Sonerus*, *Michael Piccartus* & *Johannes Kobius*. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ dicta ſunto; rem ipſam potius aggredimur, quia hujus ipſius diſciplinæ fundamenta jamjam bono cum Deo tradere inſtituimus; cui tractationi feliciter peractæ adjicere decrevimus *Apparatum Metaphyſicum*, hoc eſt, brevem diſquiſitionem de idoneis ac neceſſariis mediis adminiculisve, quibus inſtructi ſtudioſi eſſe debeant, qui in Academia velint ſtudiorum Metaphyſicorum fructum carpere, ubi ſimul occaſio diſpiciendi dabitur, quoſnam Commendatores, quoſve Momos & obtrectatores Sapientia, hoc eſt, Metaphyſica habuerit habeatque. Relinquimus interea hominem illum, qui tam abjecte ſentit de ſapientia, inſanienti ſuæ ſapientiæ.

49. Tantum dixiſſe ſufficiat de uſu Metaphyſices generali. Uſum ſpecialem in ipſo progreſſu hujus noſtri laboris oſtendere parati ſumus. Unicum in anteceſſum adhuc notare libet: Nempe largimur facile, partem poſteriorem Metaphyſices, prout eam *§. 36. p. 23.* definivimus, non adeo magnum uſum promittere reliquarum diſciplinarum Cultoribus, magni tamen momenti uſus eſt, quem in Theologia revela-

ta &

ta & Moralibus præſtat: Nam ad debita pietatis univerſique cultus divini recte percipienda ac demonſtranda multum facit Theologia naturalis, quæ præſtantiſſima ſane ac nobiliſſima pars eſt, in quam una cum aliis pars poſterior ſubdividenda venit. Quomodo enim in Moralibus ſufficientiſſime doceri ac diſci poſſet, Deum ſuper omnia eſſe colendum, niſi ſolidiſſime conſtaret ex Metaphyſica, Deum eſſe ens entium, ens ſupremum & perfectiſſimum, quod a nullo alio ente ſit, ipſum vero aliorum entium cauſa? Quomodo in Moralibus demonſtrari poſſet ſolum Deum eſſe ſuper omnia colendum, niſi Metaphyſica ratione certiſſime demonſtrari poſſet, Deum eſſe unum in eſſentia? Quomodo ex ſolido principio Morali inferri poſſet, Deum ſpirituali cultu eſſe proſequendum, optimumque animum eſſe pulcherrimũ Dei cultum, niſi ex Metaphyſica liqueret Deum eſſe ſpiritum? Quomodo ex genuinis rationibus Moralibus deduceretur Deum ſemper & ubique eſſe colendum, niſi ex Metaphyſicis æternitas & omnipræſentia Dei demonſtrari potuiſſent &c. Nam duplex omnino eſt naturalis Theologia: Una theoretica, quæ eſt pars Philoſophiæ primæ ſeu Metaphyſices: Altera practica, quæ eſt pars Philoſophiæ Moralis. Qua de re agetur ex profeſſo ſuo loco, in poſteriori ſcilicet harum

In-

Digitized by Google

Inſtitutionum parte. Interim quisque facile poteſt aſſequi, quem ſpecialem uſum poſterior pars in revelata Theologia præſtet, ſi velimus vitioſum ſaltum de genere ad gegenus evitare adeoque cavere, ne Theologiam naturalem cum revelata confundamus, quæ confuſio cum officio boni cultoris Magiſtrive Metaphyſices omnino pugnát.

50. Hæc igitur de Metaphyſices natura, conſtitutione & uſu dicta ſunto. Plura quæ de hiſce dici poterant, item quænam ſcripta edita ad parandam Metaphyſicam eruditionem maxime ſint idonea? promiſſus APPARATUS METAPHYSICUS in calce harum Inſtitutionum, & forte tum demum cum meliori fructu indicabit.

# INSTITUTIONUM META-PHYSICARUM
## *PARS PRIOR,*
quæ agit
*De*
## REALITER ABSTRACTIS
a materia ſenſibili
SECUNDUM INDIFFERENTIAM.

## CAPUT PRIMUM
*De*
## ENTE ET NON ENTE,
variisque utriusque
diſtinctionibus.
*Item De*
## ENTE PER ACCIDENS.

§. I.

ENS dicitur *id, quod vere exiſtit*. Solet etiam ſic delineari: quod nemine cogitante exiſtit, h. e. quod exiſtit, licet nemo cogitet, quod exiſtat.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

I. Definitionem entis fruſtra quæris, cum ens ob maximam ſuam communitatem definiri nequeat: Interim, quæ jamjam dicebantur, delineationis loco ſufficere poſſunt.

II. Quando dicebatur *nemine cogitante*: hoc de cogitatione intellectus creati intelligendum erit: Alias enim negari nequit, nihil exiſtere, niſi Deus cognoſcat, illud exiſtere: noſtro tamen modo cognoſcendi prius eſt aliquid, e. gr. Deum, cœlum, terram &c. exiſtere, poſterius autem, a Deo cognoſci quod exiſtat.

III. Si ita ſumatur ens, ut modo delineabatur, tunc eſt commune ad unum, imo communisſimum ad unum, quod nempe ad primam claſſem, hoc eſt, eorum quæ propius accedunt ad univoca, referri debet: interim nullum dubium eſt, quin alio ſenſu ens etiam ad ſecundam claſſem, eorum ſcilicet, quæ ad æquivoca propius accedunt, ſalva veritate referri poſſit ac debeat: Utrumque certe cum *Ariſtotelis* doctrinis convenit.

§. 2. *Entis oppoſitum* eſt NON ENS: Dicitur vero *non ens* omne illud, *quod vere non exiſtit.*

NOTÆ.

I. Si illud eſt ens, quod vere exiſtit, vi-

oppoſitionis omnino illud erit non ens, quod revera non exiſtit.

II. Immediata & omnium maxima oppoſitio datur inter ens & non ens.

III. Non pauci ens rationis oppoſitum entis vocant, ſed notandum eſt, (1) quod ens rationis enti non opponatur immediate, ſed mediate, mediante ſcilicet non ente, quia ens rationis continetur ſub non-ente tanquam anguſtius ſub latiori. (2) quod multa nec ſint entia realia, nec entia rationis: e. g. roſa in hyeme non eſt ens, quia revera non exiſtit, nec tamen eſt ens rationis, cum (ut in ſequentibus monebitur) ens rationis ſit impoſſibile quid, quod de roſa in hyeme dici nequit, cum in numero poſſibilium contineatur, eſt namque ens potentia, at omne ens potentia eſt ens poſſibile.

§. 3. Sine omni mora progredimur ad præcipuas entis & non entis diſtinctiones. Diſtinguitur in Scholis Metaphyſicorum inter ENS POSSIBILE & inter ENS ACTUALE: Illud a Scholaſticis *ens Nominale*, hoc *Participiale* dici conſuevit. *Ens poſſibile* vocatur *id, quod poteſt exiſtere*: *Ens actuale* dici-

Digitized by Google

dicitur, *quod exiſtit*. Verum notetur bene, quod hæc diſtinctio non poſſit ab accurato Philoſopho haberi pro vera entis diviſione: Ratio eſt, quia ens poſſibile qua tale, non eſt verum ens.

## NOTÆ.

I. Studio dicitur: Ens poſſibile qua tale, non eſt verum ens: hoc enim non negamus, quod ens poſſibile poſſit eſſe verum ens, ſed non qua tale. Nam omne verum ens eſt ens poſſibile, ſed non omne ens poſſibile eſt verum ens; per hoc namque aliquid eſt verum ens, quod exiſtit: non autem omne quod poteſt exiſtere, ſtatim exiſtit.

II. Sic ſi quis ita argumentetur: Cœlum eſt verum ens. Cœlum eſt ens poſſibile *E*. Quoddam ens poſſibile eſt verum ens. Concedimus totum argumentum, ſi concluſio in ſenſu materiali ſeu diviſo ſumatur: quod ſi intelligatur in ſenſu formali ſeu compoſito, ſic concluſio evadit falſiſſima. Paucis: committitur fallacia compoſitionis.

III. Non ergo confundi debet modo allata diſtinctio cum mox ſequenti diſtinctione,



Digitized by Google

ne, ut ex ſtatim adferendis rationibus patebit.

§. 4. Diſtingui (2) vulgo ſolet inter ENS ACTU & ENS POTENTIA: ſed quisque accuratioris Philoſophiæ æſtimator nunquam ſatis mirabitur, cur tam multi hanc diſtinctionem pro vera diviſione venditent: nam *ens potentia* vocatur, *quod actu non eſt ens, eſſe tamen poteſt*, ut: roſa in hyeme: *ens actu* appellatur, *quod revera exiſtit*, ſeu quod actu eſt.

### NOTÆ.

I. Actu eſſe idem notat quod exiſtere.

II. Differunt ergò ens potentia & ens poſſibile: nam (1.) ens potentia non tam late patet quam ens poſſibile, ſiquidem omne ens potentia eſt ens poſſibile, ſed non omne ens poſſibile eſt ens potentia: e.gr. roſa in hyeme, quia eſt ens potentia, dicitur etiam ens poſſibile: ſed roſa in vere eſt ens poſſibile, ſi enim actu eſt, eſſe poteſt, non tamen roſa in vere quando eſt, eſt ens potētia. (2.) in ſenſu diviſo hæc propoſitio poteſt eſſe vera: ens poſſibile eſt verum ens, at hæc propoſitio: ens poten-

tia

Digitized by Google

tia eſt verum ens, nunquam poteſt eſſe vera, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diviſo; quamdiu enim aliquid eſt ens potentia, tamdiu nequaquam eſt verum ens. (3) Ut animal ſe habet ad hominem & brutum, ſic ſuo modo ens poſſibile ſe habet ad ens actu & ens potentia: nam ſicut animal qua tale, non dicit hominem nec brutum: Sic ens poſſibile qua tale nec notat ens actu, nec arguit ens potentia, ſed ab utroque abſtractum eſt.

III. Sunt ergo hæc duo diſtinctiſſima: eſſe potentia & eſſe poſſe: nam eſſe potentia nequit ſtare cum τῷ eſſe actu, hoc eſt, quod eſt potentia, non eſt actu: E contrario eſſe poſſe & actu eſſe ſimul ſtare queunt, id eſt, poteſt aliquid eſſe, ut tamen ſit actu, imo profecto omne quod eſt actu, poteſt eſſe. Niſi enim poſſet eſſe, impoſſibile eſſet, & ſi impoſſibile eſſet, quomodo eſſet?

§. 5. Utut vero allatæ diſtinctiones entis pro veris diviſionibus haberi nequeant, nullum tamen dubium eſt, quin veris quoque diviſionibus entis locus ſit. Et ut obiter hoc in præſenti moneamus, uti communiſſima eſt, ita et-



Digitized by Google

iam pro *prima* ac *immediata* a nobis habetur *diviſio entis in ſubſtantiam & accidens*: ſunt interim *alia* & longe plures entis *diviſiones*, & quodlibet certe attributum entis disjunctum, ut vocatur, nihil aliud eſt accuratiorum Metaphyſicorum judicio, quam vera entis diviſio. Sed de his ſolide & quantum ad inſtituti rationem requiritur, ſuo tractabitur loco.

§. 6. Ad rem noſtram non parum facit, ſi NON ENTIS diviſionem eruamus: Commodiſſima autem diviſio non entis eſt, ſi dicatur, quod NON ENS ſit vel POSSIBILE, vel IMPOSSIBILE: *Non ens poſſibile* dicimus, *quod actu non eſt* ſeu *quod non exiſtit*, eſſe *tamen* ſive *exiſtere poteſt*: v. g. roſa in hyeme, mons aureus (cur enim per abſolutam Dei potentiam mons

aureus non poſſet exiſtere?) *Non ens impoſſibile* appellatur, *quod actu non eſt*, ſeu *non exiſtit*, *ita ut nec eſſe* ſeu *exiſtere poſſit*; e. gr. cœcitas, (nec enim exiſtit cœcitas, nec poteſt exiſtere) circulus quadratus.

### NOTÆ.

I. Quandoque non-ens poſſibile ſolet abſolute dici *non ens*: non ens verò impoſſibile, etiam *impoſſibile in eſſendo* dicitur.

II. Non ens poſſibile accuratioribus Philoſophis idem eſt ac *ens potentia*. Nam hi ens potentia non habent pro vero ente: Si non eſt ens. Ergo eſt non ens, cum a propoſitione finita negativa ſemper valeat conſequentia ad infinitam affirmativam ex parte prædicati, ſi nempe prædicatum conſtet unica voce.

§. 7. Ad non entia ſpectant ENTIA POTENTIA, NEGATIONES (& puræ & privationes) IMPOSSIBILIA, ENTIA RATIONIS: Poſſunt etiam quodammodo ENTIA PER ACCIDENS eo referri, ac ſano ſenſu ad ea ab ac-

curatioribus Metaphyſicis referuntur.

## NOTÆ.

I. Decet Philoſophiæ primæ cultorem hæcce talia omnino noſſe, ne in limine Metaphyſicæ eruditionis ſtatim impingat. Et ſane qui hunc paragraphum recte attendit, ſine ulteriori manuductione aſſequitur facile, quod entis diſtinctio in ens reale & ens rationis neutiquam dici poſſit immediata: Multa namque dantur media inter ens reale & ens rationis, nempe omnia illa non entia, quæ præter entia rationis hoc ipſo §. enumerabantur.

II. Imperitioribus quandoque fucum fecit hoc ipſum, quod vulgo dicitur: Ens reale exiſtit citra mentis operationem, ſeu citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Ens rationis non exiſtit citra mentis operationem, ſeu citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Verum hæ propoſitiones, ſi prout termini jacent, intelligantur, nondum certe ſufficiunt ad recte intelligendum diſcrimen entis rationis ab ente reali: nam de omni certe non-ente dicendum venit, quod non exiſtat citra mentis operationem.

§. 8. Quod ENTIA POTENTIA *ſint non entia*, patet inde, quia *actu*

*non*

Digitized by Google

*non ſunt entia.* Recte & ſcite *Ariſtoteles: Ea*, inquit, *quæ potentia ſunt, non ſunt, quia actu non ſunt.* Huc nempe tendit mens *Ariſtotelis*, quod actu eſſe idem ſit quod exiſtere, quodque nihil ſit verum ens niſi exiſtens: e. gr. non entia ſunt roſa in hyeme, nix in æſtate, quia non exiſtunt. Ut enim ſum idem ſignificat quod exiſto, non vero idem quod poſſum: ita ens idem eſt ac exiſtens.

## *NOTÆ.*

I. Res facillime hoc modo poteſt percipi: Sicuti qui poteſt eſſe doctus, non ſtatim eſt doctus, & qui poteſt habere uxorem, non id propter ſtatim habet: Ita quod poteſt eſſe ens, non ſtatim eſt ens. Utrobique par eſt ratio, ut quiſque videt, qui adhuc liber eſt a præconcepta, vel vulgari opinione.

II. Hoc quidem non diffitemur, quod paſſim *Ariſtoteles* ens potentia vocet verum ens: Sed ibi non agit de ente potentia ſimpliciter tali, hoc eſt, de eo, quod plane non eſt, ut tamen eſſe poſſit, ſed de ente potentia ſecundum quid, hoc eſt, de eo, quod abſolute

lcquendo eſt ens, certo tamen modo eſt non ens, quia non eſt tale ens, quale ex eo fieri poteſt: E.gr. Ariſtoteles ens potentia dicit æs, non hoc titulo, quod æs plane non ſit, ſed ob hanc rationem, quia eſt ſtatua potentia, cum ex ære ſtatua poſſit fieri.

III. Potuiſſemus etiam de poſſibili qua tali dicere, quod non ſit ens; Ratio ex præcedentibus facile diſcitur, quia poſſibile qua tale non eſt exiſtens, ſed quatenus ſimul actu eſt. Interim quia poſſibile poteſt eſſe verum ens, licet non ut tale, ideo relinquimus poſſibile realiter abſtractum ab ente & non ente.

§.9. *De* NEGATIONIBUS *quod ſint non entia*, nemo ſaniori judicio præditus dubitaverit, ut adeo nulla opus ſit probatione: Nam pura puta negatio nullam dicit veram exiſtentiam: *Idem de* PRIVATIONIBUS *judicium eſto*, ſi formaliter, hoc eſt, ex parte ejus quod in caſu recto ſignificant, ſpectentur: e. gr. quando quæritur, an cæcitas detur in illo homine, qui ſalva veritate cæcus appellatur? Reſponderi

omni-

omnino debet, cæcitatem non exiſtere, ut interim citra veritatis diſpendium dicatur, cæcitatem dari in illo homine, & quidem per hoc, quod oppoſitum ejus, cujus nempe abſentia vocatur cæcitas, non ſit in homine. Sive enim dicas viſum non eſſe in homine, ſive viſum eſſe non ens in homine, ſive cæcitatem dari in homine, idem prorſus pronuncias. Sic per hoc dantur tenebræ in aëre, quod lumen non exiſtit in aëre. Idem de omnibus privationibus judicandum erit.

*NOTÆ.*

I. Recte philoſophantur, qui dicunt privatione ens non notari, tamen connotari: e. gr. cæcitate non ens, abſentia viſus notatur, connotatur vero ens, ſcil. animal, ex quo quando viſus abeſt, hujuſmodi abſentiam vocamus cæcitatem. Interim notetur, quod cæcitas maneat non ens, utut connotet ens.

II. Non tamen debent inter ſe confundi: *privatio* & *privativum.* Nam ſicut albedo

non

non eſt alba, ſed differt albedo ab albo ut abſtractum a concreto: ſic privatio non eſt privativum quid, unde licet privativum ſit verum ens, non tamen eſt verum ens, ſi ſpectetur ut dicit privationem; ſed ſi conſideres ſubjectum, cui privatio tribuitur, e. g. hominem, cui cœcitas ſalva veritate attribuitur.

III. *Scholaſtici* ne confunderent privationem cum vero ente, nullam privationem dicere voluerunt inhærentem ſubjecto, ſed adhærentem: Inde factum eſt, ut inhæſio tribueretur reali enti, nempe accidenti prædicamentali, adhæſio vero privationi.

IV. Privationes nec ſunt entia realia, nec entia rationis, ſi in ſe & præciſe ſpectentur, quo de videbitur in ſequentibus.

§. 10. *Quod* IMPOSSIBILE *non ſit ens*, liquet ex eo, *quia non poteſt eſſe*: quod autem non poteſt eſſe, hoc non poteſt eſſe ens, & ſic eſt non ens. Sane omne verum ens eſt ens poſſibile: Ergo impoſſibile non eſt verum ens, adeoque non ens.

§. 11. ENS RATIONIS *eſt non ens, quia* ex uſu loquendi apud accuratio-

res

res Metaphyſicos recepto, *nihil dicitur ens rationis, niſi ſit impoſſibile quid,* ut tamen habeatur pro poſſibili.

## NOTÆ.

I. *Differunt ens rationis & impoſſibile* ut anguſtius & latius: nam omne ens rationis eſt impoſſibile, ſed non omne impoſſibile eſt ens rationis. Impoſſibile enim requirit ſaltim duo: 1. negationem veræ ac realis exiſtentiæ. 2. negationem exiſtentiæ poſſibilis. Clarius: Duo requiruntur ad impoſſibile (uti hoc loco ſumitur) (1) ut non ſit. (2) ut non poſſit eſſe: Sed hæc duo non ſufficiunt ad ens rationis. Ibi namque amplius requiritur, ut id (quod ſc. nec eſt nec eſſe poteſt) habeatur ex errore pro vero ente, aut ad minimum pro ente poſſibili.

II. Ut hoc melius percipiatur, diſtingui poteſt inter *entis rationis quaſi materiale* & inter entis rationis *quaſi formale*: *Materiale* eſt τὸ *impoſſibile,* quia omne ens rationis eſt impoſſibile. *Formale* abſolvitur his verbis: *quod habetur pro vero ente poſſibili:* ita e.g. quando quis conſiderat cæcitatem nunquam exiſtere in animali, nec exiſtere poſſe in animali, is ſane nullum ens rationis format: Faciamus autem quempiam hærere in tam ridiculo errore, ut exiſtimet cæcitatem eſſe



Digitized by Google

vermiculum quempiam revera exiſtentem in oculo uxoris ſuæ ruſticæ, ac ideo a circumforaneo petat medicamentum, quo vermiculus iſte ſuffocetur, hic demum fingit ens rationis.

III. Ex dictis ſimul colligere datur, quod privationes tum demum pro entibus rationis habendæ ſint, quando pro veris entibus poſſibilibus habentur: hoc autem accidit privationibus. Nam ut recte concipias privationem, non eſt, cur eam habeas pro vero ente, imo dum habes pro vero ente, falſo concipis privationem, fingis interim ens rationis.

§. 12. DE ENTE PER ACCIDENS nunc dicere reſtat, quia illud etiam quodammodo non ens dici poſſe cenſuimus, ſecuti optimos Metaphyſices Doctores: Scilicet non-ens quadantenus vocatur, in quantum plus dicit exiſtentiæ, quam ad ens abſolute tale requirebatur, e.gr. hoc album, ſi parietem album digitis monſtrem, vocatur ens per accidens, cum ſane præter ſubſtantiam, cui albedo inhæret, dicat

ipſam

Digitized by Google

ipſam exiſtentiam albedinis, albedo autem per ſe non requirebatur ad parietis ſubſtantiam, & poterat paries eſſe ſine omni albedine: Ita homo Phyſicus, h.e. Phyſica ſcientia gaudens, dicitur ens per accidens, cum homo in ſe ac per ſe completum ens maneat, licet intellectui ejus nulla ſcientia Phyſica inſit. Hoc ergo ſenſu *ens per accidens dicitur non-ens*, in quantum plus dicit quam ens, nempe dicit entia, quorum unum nec ad alterius, nec ipſa ad tertii entis conſtitutionem tanquam entis per ſe ordinabantur ex ſua natura.

*NOTÆ.*

I. Ens per accidens qua tale dicit entia: Ut autem ſingularis non eſt pluralis, nec pluralis eſt ſingularis, ſic differunt etiam ens & entia ſicque entia non ſunt ens, cum non ſint unum, ſed plura. Si non ſunt ens E. ſano ſenſu ſunt non ens, utut multa entia maneant.

II. Dicis: Homo dicit duo entia, corpus &

& animam E. quodammodo eſt non ens, quod tamen abſurdum. Reſpondetur facillime: Corpus & anima ſunt duo entia realiter diſtincta in homine, ſed ordinantur per ſe & ex natura ſua ad hoc, ut unum ens, nempe hominem, conſtituant. Regeris: Paries & albedo etiam conſtituunt unum ens, nempe unum album. Reſpondetur, paries poteſt eſſe ſine albedine, nec albedo ordinatur per ſe ad hoc, ut conſtituat ens: contra anima & corpus per ſe ordinantur ad ſe invicem, quod de pariete & albedine dici nequit, quia non per ſe ad ſe invicem ordinantur.

§. 13. *Entium per accidens* TRES ſunt quaſi CLASSES: Nam datur (1) ens per accidens, *quando ſcilicet plura entia ſine omni ordine ac unione ens per accidens dicuntur ob meram aggregationem*: e. gr. plures lapides ſine ordine ac unione ita jacentes, vocantur unus acervus: ſic plura tritici grana ſunt unus cumulus: ita plane inordinata hominum multitudo appellatur unus cœtus. Vocantur hæc en-

entia per accidens *entium per aggregationem* nomine, quādo nihil ſpectatur, niſi aggregatio. (2) Plura entia dicuntur ens per accidens, *quando inter ſe unita ſunt mediante unione accidentali*, ut paries & albedo, ſi ſpectentur cum unione, dicuntur unum album, ſicque ens per accidens: Ita ens per accidens vocatur credens in Chriſtum, ob unionem, quæ inter hominem, qui credit in Chriſtum, ipſamque fidem inrercedit. (3) Plura entia dicuntur ens per accidens *propter certum, quem inter ſe ſervant, ordinem*: e. gr. plures homines certum ordinem inter ſe ſervantes in certo ſtatu, dicuntur una ſocietas: ita entia per accidens ſunt civitas, Eccleſia.

*NOTÆ.*

1. Primæ claſſis entia per accidens h. e. entia per meram aggregationem, non merentur prolixiorem conſiderationem.

II. De entibus per accidens ſecundæ claſſis in doctrina de uno ac unione ex profeſſo agetur.

III. De entibus per accidens tertiæ claſſis tractationem itidem ſuo loco, nempe ubi de ordine acturi ſumus, inſtituemus.

## §. 14. SYNONYMA ENTIS vulgo dicuntur: *Reale* & *Poſitivum*.

### NOTÆ.

I. Veriſſimum credimus, *Reale* & *Poſitivum* in rigoroſo ſignificatu idem plane ſignificare quod ens, quo tamen non obſtante quandoque reale & poſitivum laxiorem ſignificationem admittunt, ut idem ſignificent ac non dependens a mera cogitatione, utut non exiſtat: e.gr. Poſſibile ens dicitur reale quid, utut non ſit ens, hoc nempe ſenſu: Sicut e.g. angelus qui actu eſt ſeu exiſtit, hoc quod actu ſit ſive exiſtat, non habet ab operatione intellectus noſtri: nam exiſtit angelus, etſi nemo cogitet, quod exiſtat: ita etiam talis angelus, qui nondum exiſtit, poſſibilis dicitur citra intellectus noſtri operationem: nemo enim dixerit, quod angelus nondum productus, hoc quod ſit poſſibilis, hoc quod poſſit produci, habeat a mera cogitatione noſtra: inde fit, ut angelus nondum productus, quia nemine cogitante a Deo produci poteſt, realiter poſſibilis, item

item reale poſſibile in *Scholis* vocetur. Sic roſa in hyeme poteſt ſano ſenſu vocari realē & poſitivum quid, ut tamen non ſit ens reale: Sicut enim a nullo intellectu creato primo dependet, quod roſa ſit actu, ita etiam inde non dependet, quod poſſit eſſe roſa, aut quod ſit potentia. Ita dicimus: hic homo realiter eſt cæcus, & ſic cæcitatem vocamus reale quid, non tamen hoc ſenſu, quaſi cæcitas ſit ens reale, aut quaſi dicat realem eſſentiam, vel partem realis eſſentiæ. Senſus igitur hic eſt: nemine cogitante quod hic homo cæcus ſit, i. e. quod viſu careat, tamen cæcus eſt, i. e. viſu caret, cujus capax fuiſſet, niſi naturæ ejus aliquid fuiſſet obſtaculo. Sic multas relationes accuratiores Philoſophi vocant reales, nec tamen id propter ſunt realia entia dicenda ea, quæ relationum realium nomine veniunt: e. gr. inter duos homines cæcos datur realis relatio, realis ſimilitudo, i. e. ſunt ſibi ſimiles nemine cogitante, quia nemine cogitante uterque eſt cæcus, illa autem realis ſimilitudo pro fundamento non habet reale ens, ſed merum non ens, nempe cæcitatem. Pariter dicimus, quod multa dentur attributa entis, & ſingula attributa entis vocamus attributa realia, item attributa poſitiva, non tamen ea ſunt multa entia realia ac poſitiva. Idem de attributis Dei judicium eſto.

II. Innumeris aliis exemplis hoc poſſet declarari: Ita qui facultates animæ inter ſe realiter diſtinctas eſſe negant, vocant illas facultates reales, non tamen realia entia e. g. intellectus & voluntas ſunt reales animæ rationalis facultates, hoc tamen ſtante, quod nec inter ſe, nec ab anima rationali realiter differant, hoc etiam ſtante, quod anima rationalis ſit unum per ſe ens, intellectus & voluntas erunt unum per ſe ens. Caveat igitur quiſque, ne patiatur ſibi hiſce ambiguitatibus imponi. Hoc certum eſt, *reale* & *poſitivum*, ſi abſolute & in rigore accipiantur, haberi poſſe, imo habenda eſſe pro ſynonymis entis.

# AXIOMATA.

## AXIOMA I.

## *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

### SENSUS AXIOMATIS.

Axioma hunc habet ſenſum: *Inter vera contradictoria datur perpetua & immutabilis repugnantia:* e. gr. non poteſt aliquid ſimul eſſe animal & non eſſe animal, ſimul tale animal & non tale animal.

### CONFIRMATIO.

Sane *abſurdiſſimum* & *primum Impoſſibile* illud eſt, quod allato axiomate exprimitur, quia

quia nullum impoſſibile, quod majorem abſurditatem arguat, fingi aut excogitari a quopiam poteſt, ſi vel maxime errare velit, unde nulla opus erit hujus effati confirmatione. Interim confirmationis loco notiones, quibus datum axioma abſolvitur, expendendæ veniunt, quarum explicatione percepta fieri non poterit, ut veritas ejus quempiam dubiũ teneat: *Impoſſibile* dicitur, quod non poteſt ita ſe habere: *Idem* hoc loco vocatur omne non diviſum, ſive exiſtentiam habeat, ſicq; indiviſum ſit, illudq; iterum vel indiviſibile, vel diviſibile; ſive nullam habeat exiſtentiam, hocque iterum vel exiſtentiam habere poſſit, vel nequeat. Notione *ſimul* reſpicitur ad tempus aut qualemcunque durationem, opponiturque ei, quod non eſt uno eodemque tempore, ſeu quod unitatem temporis aut durationis qualiscunq; convenientiam negat. *Eſſe* nunc idem eſt quod exiſtere, *non eſſe* idem quod non exiſtere: nunc *eſſe* idem ſignificat, quod ſe ita habere, *non eſſe* idem quod ita ſe non habere.

## DEMONSTRATIO PER ABSURDUM.

Continetur hoc axiomate *abſurdum abſurdorum abſurdiſſimum*, hoc eſt, primum & maximum abſurdum, maximum impoſſibile, adeo ut verbis demonſtrari per abſurdum haud poſſit, cum magis abſurda propo-

ſitio dari nequeat, quam ea, quæ contradictorie propoſito axiomati opponitur, ſic ſeſe habens: *Non eſt impoſſibile idem ſimul eſſe & non eſſe.* Et hoc forſan movit *Petrum Hurtadum de Mendoza*, ut *a verbis ad verbera* procedendum eſſe *Diſp. Metaph. III. ſect. 3. §. 21. p. m. 328.* cenſeret, *Si quis*, inquiens, *hoc principium negaverit vel diſtinxerit, fuſte potius, quam ratione erit erudiendus. Quod ſi conqueratur ſe percuti; reſpondebis non quodlibet eſſe vel non eſſe, atque ita dum ipſe percutitur, eum non percuti, quia in ejus ſententia idem poteſt ſimul eſſe & non eſſe.* Alii longe rigidiores cenſores, & forte carnifice deteſtabiliores, ita pronunciant: Quia ei, qui miſerrime vapulat, nondum conſtat de certitudine dati axiomatis, ergo imponatur rogo, donec fateatur ſe ſentire dolores & flammas, atque impoſſibile eſſe, ut ipſe ſimul incaleſcat & non incaleſcat, utque dum comburitur, non comburatur. Quod ſi hoc ſurdaſter conceſſerit, conceſſit univerſalem veritatem datæ propoſitionis: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Si enim regerat, in datis caſibus, non in aliis quibuſcunque, veritatem axiomatis obtinere, facile erit eidem ob oculos ponere, quod omnium contradictoriorum ſit una plane eademque ratio, quæ conſiſtit in repugnantia, ut quemadmodum vapulare & non vapulare, incaleſce-

Digitized by Google

leſcere & non incaleſcere, comburi & non comburi, ſibi invicem repugnant, ſic quoque quæcunque ſunt contradictoria, ſibi invicem repugnent: Si poſſet idem ſimul eſſe & non eſſe. Ergo ſimul ſunt res & ejus privatio. Ergo homo ſimul moritur, & vivit, & ſimul generatur, & non generatur, & nos dum hic ſumus, non ſumus hic, & hoc antequam hodie typis exprimeretur aut legeretur, jam erat typis expreſſum vel lectum, & dum aliquid ignoramus, illud ſcimus, & cum dormimus, vigilamus, & dum laboramus, otiamur. Verum hæc talia prorſus, indigna ſunt Philoſopho, qui veritatem aliis non verberibus, ſed verbis, non rogo, ſed ratione quoad licet, perſuadere, & ex propriis contradicentes redarguere ſatagit, etiam eos, qui per proterviam negant, quæ alias evidentiſſima ſunt: Quanquam id de omnibus, qui prima principia negant, non ſit præſumendum. *Ariſtoteles* ſane *IV. Metaph. c. 4.* tria facit hominum genera, qui præſens axioma, quod principiorum omnium primum eſt, negarint. Quoſdam, ait, feciſſe id ex Sophiſtica malitia, quoſdam deluſos fallaci aliqua ratione, quoſdam per ἀπαιδευσίαν ſeu ignorantiam Analytices, quod demonſtrare illud præſumſerint, ſed demonſtrationem invenire non potuerint, neſcientes quorum oporteret quærere demonſtrationem, quorum



Digitized by Google

rum non item. Numquid hi omnes verberibus coercendi aut rogo imponendi? Non ita viſum *Ariſtoteli*, qui egregium nobis principium illud ſimpliciſſime primum probandi modum ſuppeditavit, quo uti poſſimus, ſi nempe ex eo ipſo, quod contradicens aſſerit, argumento ducto eundem redarguamus. Videatur *Ariſtoteles* ipſe, ſi placet, loco citato. Nonnulli hancce redargutionem ſic fieri poſſe cenſent: *Quicunque mecum diſputat, aut aliquid admittit, aut nihil. Si nihil, fruſtra cum eo diſputatur. Si aliquid, Ergo ex illo conceſſo argumentabor.* Alii ſic potius ſtatuunt: *Sive aliquid admittat, ſive nihil; adhuc adverſus illum diſputari poteſt. Quia cum nihil admittat, admittet τὸ nihil non eſſe aliquid; (aliter aliquid admitteret) & ſic habebit redarguens, quod adverſus contradicentem redargutione evincere voluerat.* Iterum aliis iſte modus procedendi placet: *Aut dum contradicens mecum diſputat, meum principium negat, aut non negat. Si dixerit poſterius, habeo intentum. Si prius, ideo negat, quia ei falſum eſt hoc principium. Ergo, quod dicit eſſe falſum, negat eſſe verum. Ergo ipſe admittit falſum non eſſe verum. Quæ eſt præſentis principii expoſitio. Quod ſi dicat, poſſe eſſe falſum hoc principium, idem erit. Dum enim dicit, poſſe eſſe falſum, ideo dicit, quia non ſemper eſſet verum. Ergo poſſe eſſe falſum eſſet, non ſemper eſſe verum.*

*rum. Ergo diſſentiret rurſus a me, qui dicebam non poſſe eſſe falſum. Et cum ejus poſſe eſſe falſum, non ſit meum non poſſe eſſe falſum, obſervabit, idem non ſimul eſſe, & non eſſe.* Aliis alia methodus redarguendi arridet. Hoc veriſſimum credimus, niſi hoc axioma eſſet perpetuæ, infallibilis ac immutabilis veritatis, fruſtra *Theologi* & *JCti* in inveſtigando *Scripturæ Sacræ* & *legum civilium* ſenſu, item in textibus conciliandis deſudarent, fruſtra omnis diſputatio inſtitueretur, cum diſputantiũ, ceu vulgo dicitur, ſit verſari in terminis contradictoriis, & præſupponere immutabilem dati axiomatis veritatem: fruſtra quisque diſceret, quicquid diſceret, fruſtra doceret, quicquid doceret: Admittendæ eſſent ſine diſcrimine quælibet hæreſes, quælibet abſurditates, quælibet nugæ, ſtoliditates, ſomnia ac deliria.

## USUS PRACTICUS.

Ampliſſimus hujus axiomatis uſus eſt in omnibus omnino diſciplinis ac facultatibus, ſingulisque earum partibus. Nam, ut modo dictum fuit, omnis ſolida doctrina in hoc axioma reſolvi tandem poteſt, & poſſe debet. Omnia quoque axiomata hujus veritate nituntur. Duo illuſtria exempla attulimus in ipſo *Capite prælimınari* §. 47. & *ſeq.* a *pag.* 35. uſque ad *pag.* 39. quæ huc denuo tranſcribere nolumus, facile tamen

erit ex eorum inſpectione præſentisſimum uſum colligere. Neminem credimus tam ſine oculis, tam ſine mente vivere, qui *locum Scripturæ Sacræ pag.* præced. *37.* citatum intuens & intelligens non aperte videat & abunde cognoſcat, quod ipſe *Spiritus Sanctus* aſſerta ſua hocce noſtro axiomate: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; fundare voluerit ac reapſe fundaverit. Nec eſt, quod quempiam moveat illa dubitatio, ac ſi ſtante noſtra aſſertione Theologia revelata non ſit habitus ſupernaturalis, ſi ejus principium primum, in quod omnis doctrina Theologica tandem reſolvi poſſit, dicere liceat principiũ naturale, nempe hoc noſtrum: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: Quippe unica diſtinctio ſupra allata & hic repetenda omnem difficultatem facillime tollit. Nempe diſtinguendum eſt inter principium primum Theologiæ proprium & principium primum Theologiæ cum aliis ſcientiis & diſciplinis commune. Idem de Jurisprudentia, omnibusque, inprimis practicis, diſciplinis aſſeruimus. Repetantur, quæ cap. prælimin. a §. 41. uſque ad finem notata fuerunt.

## ABUSUS PRACTICUS.

Hic inprimis notandi ſunt hodierni Fanatici, qui neminem cenſent ſibi de ſolida ſcientia ullius rei gratulari poſſe, *niſi prius*

de

Digitized by Google

*de omnibus omnino, quæ ſub ſcientiam cadere poſſunt, dubitet, eaque omnia, quæ per tot annos vitæ Academicæ didicit, oblivioni tradere ſatagat, propterea quod quilibet infans natus eſt, & varia de rebus ſenſibilibus judicia prius tulit, quam integrum ſuæ rationis uſum haberet, ut quamdiu animus a tot tantisque præjudiciis, quibus a veri cognitione avertitur, non liberetur, deſperandum ſit de ſolida eruditione, cum tamen ab iisdem liber evadere nequeat, niſi ſemel in vita de omnibus dubitetur, illa etiam de quibus dubitat, habeat pro falſis, ut tanto clarius, quidnam certiſſimum & cognitu facillimum ſit, inveniat.* Iidem homines *dubitare de iis etiam principiis jubent, quæ hactenus pro natura primis certiſſimisque habita ſunt ab omnibus, quæque hactenus putavimus eſſe per ſe nota, quorum primum eſt hoc effatum:* Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, *tum quia viderimus aliquando nonnullos erraſſe in talibus & quædam pro certiſſimis ac per ſe notis admiſiſſe, quæ nobis falſa videbantur: tum maxime quia audiverimus, eſſe Deum, qui poſſit omnia, & a quo ſimus creati, cum tamen ignoremus, an forte nos Deus tales creare voluerit, ut ſemper fallamur etiam in iis, quæ nobis quam notiſſima apparent; quia non minus hoc videatur fieri potuiſſe, quam ut interdum fallamur: Tantoque magis, ſi non a Deo potentiſſimo, ſed vel a nobis ipſis vel a quovis alio nos eſſe fingamus,*

*mus e terra natos inſtar fungorum, aut undecunque demum in hunc mundum delapſos.* Et ſane Sceptica hæc dubitandi ratio non ſubſtitit in Philoſophia Theoretica, ſed eam quoque ad Philoſophiam Moralem, & quod maxime dolendum, ad ipſam Theologiam tranſtulerunt tot ac tantarum nugarum Patroni, quibus alias omnia vetera ſordent, quique non erubeſcunt publica ſcriptaque voce conſilia ſtudioſis dare, ne ulla doctorum virorum ſcripta hactenus pro probatis habita legant, nec talia commendantes aut explicantes audiant, ſed certisſimi vivant, *eos qui quam minimum diſcunt illorum omnium, quæ hactenus* (hoc eſt, antequam novi hi Philoſophi prodiiſſent ſuamque ſapientiam Orbi literario communicaſſent) *nomine Philoſophiæ inſigniri ſolent, ad veram percipiendam quam maxime eſſe idoneos, maxime ſi Ariſtotelis Philoſophiam pro tali habeant, quam veriſimile ſit ne quidem ipſam Ariſtotelem pro vera habuiſſe, ejusque principia ut vera ac recta obtruſiſſe, quamvis ipſe nunquam ea pro talibus habuiſſet, Scholaſticas vero diſputationes tales cenſeant, quarum ope nunquam veritas aliqua antea ignota in lucem fuerit protracta.* Sane ἀπαιδευσίας aliqui ſunt gradus, ut ſit hæc illa nocentior, peſtilentiorem tamen aliam non reperiri hac nova ἀπαιδευσίᾳ perverſaque docendi diſcendiq; me-

methodo, omnes ii, quibus curæ cordique ſunt ſtudia ac emolumenta Juventutis, certiſſime credunt: Diſcẽtes enim, qui nondum vel ingenio vel eruditione valent, cum *vocatis in dubium principiis communibus*, ſuis indulgent cogitationibus ſibique virgulam cenſoriam ſumunt in Virorum doctiſſimorum receptas ſententias & communem docendi rationem ac conſuetudinem, non poſſunt non in ſtolida & abſurda dogmata prolabi, & novas nulliſque fundamentis nixas opiniones in orbem literatum invehere, dumq; eas extendunt etiam ad ipſam Theologiam, nequit non hæc nova methodus non tantum ad varia commenta, ſed etiam ad ipſum Chriſtianiſmum, quem vocant, evertendum fores aperire bipatentes. Si enim ſemel fuerit teneris hominum mentibus perſuaſum, *incertum eſſe, num quæ pro communiſſimis & certiſſimis principiis hactenus ab omnibus ſaniori judicio præditis habita ſunt, ſint vera? incertum eſſe, an Deus ſit? & ſi ſit, annon nos fecerit, ut his, quæ certiſſima credidimus, ſemper falleremur?* nihil gratius cuipiam ſolidæ eruditionis æſtimatori magisque ſalutare a Deo obtingere poſſe, quam ut ea omnia, quæ per viginti & plures annos ſecundum receptam ac communem methodum didicit docuitque, oblivioni tradat: ſic ſane alias ſua natura in nullum non malum propenſi, quic-

quicquid in buccas venit,defendi poſſe exiſtimabunt, inanibusque ſuis ſpeculationibus ac futilibus novitatibus non tam immorantes quam immorientes, næ intelligendo facient,ut nihil intelligant. Nec enim ipſi intelligent alios, nec ab aliis intelligentur. Et tantum de abuſu axiomatis hujus practico in communi dixiſſe ſufficiat. Occaſionem hujus rei nobis ſubminiſtravit inſpectio plurium Metaphyſicorum, qui hujus axiomatis confirmatione nullatenus opus eſſe cenſent, nixi ea perſuaſione, ac ſi nullus inveniri poſſit,qui de hujus axiomatis veritate unquam dubitaverit aut dubitaturus ſit. Ita *Mendoza* ſub finem cit. *diſp.* 3. ſcribit: *Ariſtoteles libro quarto Metaphyſicorum hoc principium ex inſtituto probat, quod tamen arbitror a nullo unquam homine fuiſſe negatum: Sed Ariſtotelem ſuo more id alicui ex ſuo cerebro impoſuiſſe, ut inde occaſionem arriperet illius confirmandi.* Verum facile eſſet demonſtrare ex hiſtoria Philoſophica,quod & Ariſtotelis temporibus & ante ea Sceptici extiterint, e quorum nugamentis tanquam cineribꝰ dicti hodierni novatores ſuas novitates reſuſcitant. Cæterũ turpis abuſus hujus axiomatis reos quoque ſe faciunt iſti diſputatores, qui aliis contradictiones affingunt, ubi nullæ ſunt, quales inprimis ſunt, qui ſententias communes ac receptas pronunciant

ciant tales, quibus nihil ſtolidius fingi poterat, & ex quibus horribilia abſurda ſequuntur, ut tamen poſtea neceſſum habeant illis ipſis ſententiis ſubſcribere, quas tot elogiis ornaverant. Quod ne illi, quibus aut facultas aut tempus legendi ac dijudicandi ſcripta iſtorum ſedulo ac cum attentione inſpecta deeſt, animadverterent, vana in terminorum acceptionibus refugia quærentes incautis lectoribus vel ipſius ſtatus controverſiæ ignaris admiratoribus ſui fucum faciunt. Sumamus hujus rei unum alterumve exemplum: Ita communis ac non modo apud Philoſophos omnis ævi, (ſi Scepticos excipiamus) ſed etiam Theologos & JCtos unanimi conſenſu recepta ſententia eſt, actus dari voluntarios, qui citra reſpectum ad legem (prout quidem lex notat decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat) ſpectari poſſint ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes? Hanc ipſam ſententiam quispiam, qui ſe ſolum ſapere credit, impugnare volens utitur ſequenti argumento: Quicquid non eſt moraliter indifferens, hoc dicit reſpectum ad legem. Atqui quidam motus phyſicus in actione humana absque omni reſpectu ad legem conſideratus non eſt moraliter indifferens. E. Quidam motus phyſicus in actione hu-

mà-

Digitized by Google

mana absque omni reſpectu ad legem conſideratus dicit reſpectum ad legem. Concluſio manifeſto pugnat cum allato noſtro axiomate : *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Nam manifeſtiſſimam contradictionem implicat, quando dicitur : Motus phyſicus in actione humana absque omni reſpectu ad legem conſideratus dicit reſpectum ad legem. *Implicat* enim *absque reſpectu ad legem congruere ad legem vel non congruere.* Poteſtne aliquid absque reſpectu ad legem congruere ad legem ? Unde quia forma allati ſyllogiſmi bona eſt, oportet ad minimum alterutram ex præmiſſis eſſe falſam : Jam vero major videtur eſſe manifeſta & extra omnem dubitationem poſita : *Honeſtas enim & turpitudo ſunt affectiones aut qualitates morales actionum humanarum ortæ ex convenientia aut diſconvenientia cum lege. Hanc theſin ſi quis impugnaverit, haruſpices prodigium nunciabunt bovem eſſe locutum.* Igitur moralitas nihil dicet aliud, quam reſpectum ad legem. *Quamdiu vero genus humanum fuit, ſolus motus phyſicus non fuit actio humana & moralis, ſed ejuſdem duntaxat materiale: Ad actionem autem moralem præter motum phyſicum requiritur etiam aptitudo ad imputandum & reſpectus ad legem. Ergo minor erit falſa, quæ ita ſe habebat : Quidam motus phyſicus in actione huma-*

Digitized by Google

*humana abſque omni reſpectu ad legem conſideratus non eſt moraliter indifferens, ſicque theſis huic propoſitioni minori contradictorie oppoſita erit vera, adeoque veriſſima manebit hæc propoſitio: Omnis motus phyſicus in actione humana abſque omni reſpectu ad legem conſideratus eſt moraliter indifferens:* Hac vero propoſitione ſtante cadit ſententia de actibus voluntariis, qui citra reſpectum ad legem, (prout quidem lex notat decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat) ſpectari poſſint ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes. Cæterum ut omnibus ſaniori judicio præditis pateat, tantum abeſſe, ut hoc argumento ſententia recepta ad primum ac maximum abſurdum ſit deducta, ut potius abſurditas maxima allatæ argumentationis inde eluceſcat, tria reſponſi loco notabimus: *Unum* eſt, quod ii, qui docent actus dari voluntarios, qui citra reſpectum ad legem, ſpectari poſſint ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes, non ſolummodo loquantur de actibus voluntariis honeſtis vel turpibus creaturæ rationali, ſed etiam de actibus voluntariis honeſtis vel turpibus Deo. Clarius, hi qui hanc theſin abſolute poſitam: Dantur actus voluntarii, qui citra reſpectum ad legem (prout quidem lex notat decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum ob-

ligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat) ſpectari poſſunt ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes, nulla facta mentione Dei aut creaturæ rationalis; defendunt, hi abſtrahunt actiones a divinis ac humanis, ipſamque moralitatem a divina & humana. Jam quisque ab affectibus liber, imo vel cœcus videt, quod actus voluntarii, ſimulque honeſti vel turpes, ut Deo cum creaturis rationalibus communes ſunt, item ut Deo proprii ſunt, ſpectari poſſint ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes, citra reſpectum ad legem, prout quidem *lex* nihil aliud notat, quam *decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat:* Ita vero legem in genere (NB. in genere) patronus contrariæ ſententiæ definit, nec commodius eam definiri poſſe pronunciat. Cadit ergo major propoſitio adductæ argumentationis, quæ ſic ſeſe habebat: *Quicquid non eſt moraliter indifferens, hoc dicit reſpectum ad legem.* Maxime quia ipſe patronus adverſæ partis dicit: *Admittimus dari per & in ſe & ſua natura honeſta aut turpia, ſi addatur mentio ſubjecti, cui ea in ſe & ſua natura honeſta dicantur: v. gr. dantur actus, qui per ſe Deo non conveniunt, id eſt, qui ſalva ipſius perfectione & citra contradictionem in eum cadere non poſſunt.* Nam quomodo actus, qui per ſe Deo conveniunt aut disconveni-

venirent, hocque ſenſu juſti vel injuſti, uno verbo, morales dicuntur, nequaquam vero moraliter indifferentes dici poſſunt, reſpectum dicere poterunt ad decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad illius præſcriptum actiones ſuas componat.? Numne Deus habebit ſe ſuperiorem, ad cujus præſcriptum actiones ſuas Deus ut ſubditus componere neceſſum habeat? Aut numne Deus ſeipſo dicendus erit ſuperior, aut ſibi ipſi ſubjectus? Abſurda, abſurdiſſima abſurda. Idem judicium eſto de actibus, qui per ſe agenti rationali (non attendendo, num illud increatum ſit, hoc eſt, Deus, an creatum) conveniunt aut disconveniunt, qui ſane moraliter indifferentes cenſeri nequeunt, nec tamen qua tales ſpectati & ut ab actionibus Dei ac hominum abſtrahuntur, realem reſpectum ad decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, dicere poſſunt, niſi quempiam Deo æque ac hominibus ſuperiorem velis fingere. Et ſane ad hanc reſponſionem refellendam non ſufficit, ſi contradicens dicat 1. *Qui ſic philoſophatur, actiones Dei & hominum eadem claſſe vult cenſere, adeoque in Majeſtatem divinam injurius eſt.* Mirum, ni injurii in Majeſtatem divinam dicantur, qui inter ens independens & dependens, ſubſtantiam immaterialem & materialem, ſpiritum increatum

& creatum, ſapientiam divinam & humanam diſtingvunt. Et cur inter *perfectionem Dei & hominum, juſtitiam Dei & hominum, actus Deo per ſe & ſua natura convenientes ac disconvenientes & inter actus homini per ſe & ſua natura convenientes ac disconvenientes, diſtinguebatur?* 2. Actiones Deo per ſe & ſua natura convenientes *illis ſapientiæ Atlantibus definiendas relinquo, qui caput inter nubila condunt.* Sed hoc eſt convitiis proſcindere Theologiam naturalem, cum theoreticam, tum maxime practicam. Cæterum monendum, quod actiones cuivis agenti rationali per ſe & ſua natura convenientes, juſtæ, honeſtæ, item ſapientia, juſtitia, Deo cum hominibus communes rectiſſime ſtatuantur ac defendantur, modo quis ea, quæ ad conceptus materiales earundem pertinent, ab ipſis conceptibus formalibus ſciat diſtingvere: E. gr. ſapientiam in homine non agnoſcimus, niſi ſit accidens realiter ab homine diſtinctum; Inter homines ſapientem ſolemus vocare, cui tanquam ſubjecto realiter inhæret ſapientia. Ad iſthunc modum licet nemo ſalva veritate concipiat Dei ſapientiam, exinde tamen nondum ſequitur, quod Deo ſapientia proprie dicta nullo modo communis ſit, ſi conceptus ipſius formalis, qui eſt præſtantiſſimarum rerum ſcientia, adeoque ſapientia, ut eſt abſtracta a divi-



Digitized by Google

na & creata, ſpectetur. Idem, mutatis mutandis, de aliis, quæ modo Deo cum hominibus communia cenſebantur, judicetur. Regeritur: *Quantum velint diſtinguant inter conceptum formalem & materialem, ac ſapientiam, juſtitiam, actiones cum natura rationali per ſe convenientes, jus Dei atque hominum, quoad illum communia, quoad hunc diverſa aſſerant. Nam licet iſta vera eſſe ponas, ratio tamen mihi conſtat, quare jus naturale iſthac via inveſtigare non placuerit.* Si vel maxime ratio tibi conſtitiſſet alia via inveſtigandi jus naturale; num tamen ideo tam inaceto more inſultari par erat omnibus fere Theologis, JureConſultis, Philoſophis, quibus oblatraſſe, eos ſtultos vocaſſe, receptamque ac communem ſententiam eam cenſuiſſe, qua nihil ſtolidius fingitur, & ex qua horribilia abſurda ſeqvuntur, unicam tibi viam ad aſſenſum eorum, qui eruditi malunt videri quam eſſe, aucupandum ſufficere judicaveras. Alterum, quod monemus, hoc eſt: Etſi iis, a quorum partibus ſtamus, ſaltem ſermo eſſet de actibus homini per ſe & ſua natura honeſtis aut turpibus, ſyllogiſmus tamen, quo contradicens impugnabat ſententiam de actibus humanis, quaſi citra reſpectum ad legem ſpectari poſſint ut morales, hoc eſt, honeſti vel turpes, erit in forma vitioſus. Syllogiſmus in forma erat talis:

Quicquid non eſt moraliter indifferens, hoc dicit reſpectum ad legem.

Atqui quidam motus phyſicus in actione humana absque omni reſpectu ad legem conſideratus non eſt moraliter indifferens E.

Quidam motus phyſicus in actione humana absque omni reſpectu ad legem conſideratus dicit reſpectum ad legem.

Formabimus ſimilis formæ ſyllogiſmum:

Quicquid non eſt indocile, hoc dicit reſpectum ad actum docendi.

Atqui quidam homo absque omni reſpectu ad actum docendi conſideratus non eſt indocilis E.

Quidam homo absque omni reſpectu ad actum docendi conſideratus dicit reſpectum ad actum docendi.

Non poteſt ovum ovo eſſe ſimilius, atque poſterior ſyllogiſmus priori. Modus diverſus conſiderandi non tollit rem ipſam: e. gr. dum conſideramus hominem absque omni reſpectu ad actum docendi, ad actum ridendi, præciſe ut eſt rationalis, interim homo non deſinit eſſe docilis, riſibilis. Igitur minor poſterioris ſyllogiſmi eſt veriſſima; nec vero quisquam, cui ſanum ſinciput, de majoris veritate dubitaverit: Concluſio tamen manet falſiſſima, ſi ſic intelligatur: Quidam homo absque omni reſpectu ad actum docendi

con-

conſideratus, in quantum ita conſideratur, conſideratur ut dicit reſpectum ad actum docendi. Ergo forma ſyllogiſmi eſt vitioſa. Quod ſi vero hic fuerit ſenſus concluſionis: Quidam homo utut non conſideretur, in quantum dicit reſpectum ad actum docendi, realem tamen reſpectum adhuc dicit ad actum docendi; ſic concluſio veriſſima eſt, nec minus veriſſima manet prioris argumenti concluſio: Quidam motus phyſicus in actione humana abſque omni reſpectu ad legem conſideratus dicit reſpectum ad legem, hoc eſt, licet nemo noſtrum cogitet, quod motus phyſicus in actione humana dicat reſpectum ad legem, adhuc tamen quidam motus phyſicus in actione humana abſque reſpectu ad legem conſideratus dicit verum & realem reſpectum ad legem. Nam qui communem ac receptam ſententiam defendunt, facillime largiuntur, nec unquam inficias iverunt, quod quisque actus humanus, quem per ſe ac ſua natura honeſtum aut turpem vocant, ſit lege, etiam prout lex nihil aliud quam decretum ſuperioris notat, præceptus aut prohibitus: Imo lubentiſſime negant ac pernegant actum humanum per ſe ac ſua natura honeſtum vel turpem dari poſſe, qui non ſit ex decreto ſuperioris committendus ab homine vel omittendus, hoc eſt, lege pro ſuperioris decreto ſumta præce-

ptus vel prohibitus. Omnium igitur, contra quos tam acerbe ac impudenter diſputatur, conſenſu quisque actus humanus ſua natura honeſtus vel turpis perpetuam dicit eamque realem habitudinem ad legem, prout decretum ſuperioris arguit. Hoc quisquis negaret, negaret ſe eſſe hominem, hoc eſt, animal, quod naturam rationalem & ſocialem ex aſſignatione & dono creatoris ſortitum eſt, quia ſapientiæ & bonitati ſupremi Numinis ita viſum fuit. Et qui hoc negarent, ſibimet ipſis aperte contradicerent. Sed quinam ſunt illi, qui negarunt? Aliis per injuriam affingere errorem, quem traducere per ora hominum poſſis, non eſt ingenui diſputatoris. Aſſeritur *non Grotium ſolum, ſed pleroſque ex noſtratibus Theologis & JCtis hanc abſurditatem defendiſſe*: Interim quisque veritatis amans novit ipſis manifeſtam injuriam fieri. Hoc ut evidentius conſtet, tertium obſervamus, legem naturæ ab omnibus accuratoribus Philoſophis, Theologis & JCtis frequentiſſime ſumi pro judicio intellectus practico de actibus naturæ rationali per ſe & ſua natura convenientibꝰ aut diſconvenientibus: quod judicium accipi poteſt quadruplici modo: 1. ut abſtrahitur a judicio intellectus increati & creati, divini & humani. 2. ut Deo cum homine commune eſt. 3. ut Deo 4. ut homini proprium eſt. Quocunque

que tandem modo capiatur, hoc tamen certiſſimum relinquitur, & quod judicium illud noſtro concipiendi modo, qui tamen in ipſa rei veritate ſolide fundatur, prius ſit voluntatis (ſive a divina & creata abſtrahatur, ſive ut eſt Dei, ſive ut eſt hominis, ſpectetur) decreto, & quod judicium illud non ſit mere arbitrarium, ſed pendens a natura ſuorum objectorum: e. gr. de Deo nec ſalva veritate creatura rationalis, nec Deus ipſe aliter judicare poteſt, quam quod ſuper omnia ſit amandus & a ſeipſo & a quaſlibet creatura rationali, quia eſt ſumme ac infinite bonus: Et hoc judicium practicum intellectus, quo & Deus judicat & nos judicamus, Deum ſuper omnia eſſe amandum, vocatur lex Deo cum hominibus communis: Rurſus de promiſſo nec ſalva veritate creatura rationalis, nec Deus ipſe aliter judicare poteſt, quam quod promiſſum, ſive a Deo, ſive a creatura rationali fiat, ſit ſervandum, quia quisquis promittit, ſive ſit Deus, ſive creatura, (nulla vero creatura, niſi ſit intelligens, promittere poteſt) is renunciat juri mutandi voluntatem ſuam circa id, quod promiſit: Et hoc judicium practicum intellectus, quo & Deus judicat & nos judicamus, promiſſum eſſe ſervandum, nuncupatur lex Deo cum hominibus communis. Pariter de homine, h. e. animali rationali ac ſociali, nec ſalva ve-

ritate homo, nec Deus aliter judicare poteſt, quam quod nec homo ſalva perfectione naturæ ſuæ rationalis poſſit velle concumbere cum aliena uxore, quam alienam uxorem eſſe novit, nec Deus voluntatem hominis ad concubitum cum ea movere: Et hoc judicium practicum intellectus iterum dicitur lex Deo cum hominibus communis. Si igitur nullum ens intelligens aliter poteſt judicare, imo nec aliter poteſt velle judicare, omniumque ſaniorum conſenſu veritas judicii pendet a veritate objecti, adeo ut hæc illa natura prior, illa hac natura poſterior ſit, quis quæſo rem animo non convitiandi, ſed veritatem cognoſcendi, attendens ſententiam receptam ac communem ſtoliditatis aut horribilium abſurditatum arguere poterit, ſi ſic explicetur: Dantur judicia practica intellectus humani, intellectus divini, intellectui increato & creato communia, de actibus naturæ rationali per ſe & ſua natura convenientibus aut disconvenientibus, quæ ſalva veritate nec Deus nec homo aliter formare poteſt, ipſisque contraria judicia neceſſario ſunt falſiſſima & iniquiſſima. Ergo quo ſenſu veritas objecti, omnium ſuffragiis, qui philoſophiæ roſores & obtrectatores eſſe nolunt ac ſimul judicio præditi ſunt, natura prior dicitur, & ſemper a ſanioribus dicta fuit natura prior veritate propoſitionis ac judi-

Digitized by Google

judicii, hoc ſenſu quidam actus voluntarius, ejuſque moralitas, hoc eſt, neceſſaria convenientia aut disconvenientia cum natura rationali, ſpectari poteſt ut objective prior ipſo judicio practico, quia eſt id, quo veritas judicii practici, (quod lex Deo cum hominibus communis, lex æterna prout Deo tribuitur & ab æterno judicium intellectus divini fuit, participatio legis æternæ, ut in homine eſt, dicitur) unice uniceq; fundatur: Omne autem fundamentum natura prius eſt fundato. Et hoc certe, non alio ſenſu *Grotius, Theologi, JCti, Philoſophi,* etiam quendam motum phyſicum in actione humana, e. gr. voluntarium concubitum cum aliena uxore citra reſpectum ad legem, hoc eſt, judicium practicum intellectus, moralem, non autem moraliter indifferentem pronunciant, quia nempe neceſſaria convenientia voluntarii concubitus cum aliena uxore per ſe fundat veritatem cujusvis judicii practici, quo nempe judicatur, nec adulterium committendum ab homine, nec voluntatem hominis ad concubitum cum aliena uxore movendam eſſe. Excipis: *Oblitus eſt noſter, ſermonem eſſe de voluntate ejus, cujus nullum objectum extra ipſum extaret, ni ipſe voluiſſet: & quod voluntas divina objecta extra ſe determinet, non quod objecta determinent voluntatem divinam.* Ita

dis-

diſputare ſolent, qui terminos, quos ne quidem incipientes vix ſine pudore ignorare poſſunt, aut plane non intelligunt ob affectatam ignorantiam, aut malitioſe pervertunt. Annon omnes Philoſophi & Theologi docent, id quod, qui in præſenti materia contra eos diſputare vult, noſſe debet, quod ſcientia Dei alia ſit ſimplicis intelligentiæ, alia viſionis, item alia naturalis, alia libera: Certe objecta ſcientiæ divinæ ſimplicis intelligentiæ & naturalis, uti quidem talis ſcientiæ objecta ſunt, plane non pendent a voluntate Dei: at vero neceſſaria diſconvenientia quorundam actuum cum natura rationali, ſi ſpectetur ut poſſibilis, ſi ſpectetur, ut aliter ſe habere nequit, cadit ſub ſcientiam Divinam ſimplicis intelligentiæ & naturalem. Imo qua veritate aſſeritur, voluntatem Dei non poſſe ferri in incognitum, ipſumque actum voluntatis Dei prærequirere ſcientiam Dei, eadem veritate defenditur, objecta juris naturalis pro judicio intellectus practico ſumti, ipſumque judicium de neceſſaria actuum quorundam voluntariorum convenientia, aut diſconvenientia cum natura rationali, noſtro concipiendi modo antecedenter ſe habere ad voluntatem Dei ipſumque jus naturæ, ſi nempe hoc pro ſuperioris decreto accipiatur. Non igitur honeſtas & turpitudo, hoc eſt, neceſſaria convenientia aut diſcon-

veni-

Digitized by Google

venientia cum natura rationali, in quantum objecta ſunt ſcientiæ divinæ, quam ſimplicis intelligentiæ & naturalem omnes Philoſophi ac Theologi appellant, legem, prout decretum ſuperioris dicit, ſeqvuntur: Nam ſi Deus nunquam hominem conditurus fuiſſet, ab æterno tamen neceſſario judicaſſet, non poſſe a ſe creari ens, cujus voluntatem ipſe movere poſſit ad hoc, ut promiſſo cadat, non poſſe a ſe creari animal intellectu & voluntate præditum, cujus voluntatem movere poſſit ad concubitum cum aliena uxore, hæc judicia omnino antecederent omne decretũ Dei, quæ tamẽ dicta fuerunt & adhuc dicuntur lex Dei æterna. Regeris: *Hæc eſſe mera commenta & otioſa ſomnia Scholaſticorum, quibus regnum tenebrarum foveant juxta ac ſtabiliant.* In eo prodis iterum aut craſſam ignorantiam, aut malitiam: O lepidam ſimplicitatem! Ergo *Juſtinus*, *Lactantius*, *Auguſtinus*, qui ex profeſſo hanc ſententiam defenderunt, Scholaſtici fuerunt, qui regnum tenebrarum ſtabiliverunt ac propagarunt. Ergo Pontificii facti ſunt Cicero & Plato: ille forte, quia Romæ vixit: hic, quia ex ipſius ſcriptis eandem prorſus ſententiam de æternitate legis pro judicio practico ſumtæ Deoque cum hominibus communis Cicero hauſit, Platonique debet: Eum namque in libb. Platonis & Ciceronis de LL. lectione oportet

tet

tet eſſe hoſpitem, quem latet eos eandem ſententiam defendiſſe, quæ Grotii eſt, ac Theologorum noſtratiũ, JCtorum & Philoſophorum, & modo a fruſtra intentata ei contradictione ac abſurditate iterum fuit vindicata. Interim incipientibus omnino dici poteſt, quod moralitas dicat realem habitudinem ad legem, hoc eſt, decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, quodque actio honeſta ſit actio lege præcepta, actio turpis vero actio lege naturæ prohibita, quia hæc ſalva veritate & ad captum mere incipientium bene dicuntur, utpote quibus nondum datum eſt genuina doctrinæ moralis fundamenta rationemque moralitatis a priori aſſequi.

Sed hoc adhuc relinquitur, quod qui ullius actus humani *moralitatem antecedenter ad Deum ſic ſe habere aſſerit, in Deum creatorem ſit injurius.* Deus enim & eſt liberrimæ voluntatis, & eſt æternus: Jam ſi *daretur aliquid honeſtum & turpe in ſe antecedenter ad Dei voluntatem, vel admittendum eſſet fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus; vel dari aliquod principium Deo prius aut coæternum formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui ne Deus quidem contravenire debeat aut poſſit.* Utrumque implicat manifeſtam contradictionem: Nam ſi admitteretur fatum Stoicum, cui ipſe Deus ſit alligatus, ſic Deus ſimul eſſet liberrimæ voluntatis, quia id fatentur

omnes

Digitized by Google

omnes Philoſophi ac Theologi; nec tamen eſſet, quia fato Stoico alligatus eſſet. Omnimoda libertas & omnis impedimenti aut defectus neſcia in Deum O. M. caderet, nec tamen caderet: Si vero daretur principium Deo prius aut coæternum, formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui ne Deus quidem contravenire debeat aut poſſit, ſic Deus eſſet ens primum, quod omnes audita voce: Deus, concipiunt, nec tamen eſſet ens primum, ſi daretur aliquod principium Deo prius: Deus ſolus eſſet æternus, quia æternitas eſt attributum Dei, nec tamen ſolus Deus eſſet æternus, ſi daretur principium ei coæternum. Sed ad hoc ſecundi exempli loco breviter reſpondiſſe juvabit. Duobus modis intelligi poteſt, honeſtatem quorundam actuum humanorum antecedenter ſe habere ad Dei voluntatem: 1. hoc ſenſu: Non erat ſitum in libero arbitrio Dei, utrum vellet naturam rationalem ac ſocialem dare homini, nec ne? hoc eſt, utrum vellet condere hominem, nec ne? ſeu, utrum vellet condere animal rationale ac ſociale, nec ne? ſed abſoluta neceſſitate hominem, id eſt, animal rationale ac ſociale condidit, & quia cum animalis rationalis ac ſocialis natura rationali ac ſociali neceſſario conveniunt quidam actus ab ejus voluntate pendentes, quidam neceſſario diſconveniunt, ideo honeſtas ac turpi-

pitudo actuum habet ſe antecedenter ad voluntatem Dei. 2. Senſus talis eſſe poteſt: Situm quidem erat in libero Dei arbitrio, utrum vellet naturam rationalem ac ſocialem dare homini, nec ne? hoc eſt, utrum vellet condere hominem, nec ne? ſeu, utrum condere vellet animal rationale ac ſociale, nec ne? adeoque non ex ulla neceſſitate, ſed liberrima voluntate, animal rationale ac ſociale creavit, quod hominem recte & proprie vocamus, cujus tamen animalis rationalis ac ſocialis naturæ rationali ac ſociali, poſtquam ex liberrimo voluntatis divinæ beneplacito exiſtere cœpit, quidam actus ab eo ſciente & volente procedentes neceſſario conveniunt aut diſconveniunt, hoc eſt, honeſti aut turpes ſunt, nec fieri unquam poteſt per Dei liberam voluntatem, ut illi ipſi actus, poſtquam iſtud animal rationale ac ſociale productum eſt, ſuaque voluntate talium actuum cauſa exiſtit, non ſint convenientes aut diſconvenientes cum natura rationali ac ſociali. In priori ſenſu ſi ſumatur hæc propoſitio: Quorundam actuum humanorum honeſtas ac turpitudo habet ſe antecedenter ad voluntatem Dei; impia eſt ac abſurdiſſima, utpote qua ſtante omnino admittendum eſſet fatum Stoicum, cui ipſe Deus ſit alligatus, prout vulgo fatum Stoicum definiri ſolet. Verum nec Grotius, nec Theologi noſtra-

Digitized by Google

noſtrates, nec JCti & Philoſophi in illo priori ſenſu unquam aſſeruerunt honeſtatem ac turpitudinem moralem antecedenter ſe habere ad voluntatem Dei. Poſteriori vero ſenſu ſi intelligatur allata phraſis, utique & Grotii, & noſtratium Theologorum, & JCtorum ac Philoſophorum ſententia eſt, honeſtatem ac turpitudinem quorundam actuum humanorum habere ſe antecedenter ad voluntatem DEI. Iterum dicis: hac aſſertione admiſſa, *vel admittendum eſſe fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus: vel principium Deo prius aut coæternum formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui ne Deus quidem contravenire debeat aut poſſit.* Hoc eſt non ſequelas, ſed ſutelas facere, id eſt, contexere fraudes & deceptiones, quas incauta Juventus non tam facile advertat, quibusve recepta ſolidæ doctrinæ moralis fundamenta eidem exoſa reddantur. Et certe hominibus imperitis rerum omnium rudibus, iis præſertim, qui falſo ſibi perſuadent ſe eſſe vere doctos, imo vere doctis commilitonibus dicam an Magiſtris ſæpenumero ſeſe præferendos cenſent, ſequens modus probandi apprime placet: *Sicuti ſæpe contingit, ut quis theſin aliquam aſſerat, cujus abſurdam conſequentiam non prævidet; ſæpe ut hanc inde fluere neget, ceteri aſſerant: Ita poſtquam ab uno & altero Scholaſticorum, quo-*

pitudo actuum habet ſe antecedenter ad voluntatem Dei. 2. Senſus talis eſſe poteſt: Situm quidem erat in libero Dei arbitrio, utrum vellet naturam rationalem ac ſocialem dare homini, nec ne? hoc eſt, utrum vellet condere hominem, nec ne? ſeu, utrum condere vellet animal rationale ac ſociale, nec ne? adeoque non ex ulla neceſſitate, ſed liberrima voluntate, animal rationale ac ſociale creavit, quod hominem recte & proprie vocamus, cujus tamen animalis rationalis ac ſocialis naturæ rationali ac ſociali, poſtquam ex liberrimo voluntatis divinæ beneplacito exiſtere cœpit, quidam actus ab eo ſciente & volente procedentes neceſſario conveniunt aut diſconveniunt, hoc eſt, honeſti aut turpes ſunt, nec fieri unquam poteſt per Dei liberam voluntatem, ut illi ipſi actus, poſtquam iſtud animal rationale ac ſociale productum eſt, ſuaque voluntate talium actuum cauſa exiſtit, non ſint convenientes aut diſconvenientes cum natura rationali ac ſociali. In priori ſenſu ſi ſumatur hæc propoſitio: Quorundam actuum humanorum honeſtas ac turpitudo habet ſe antecedenter ad voluntatem Dei; impia eſt ac abſurdiſſima, utpote qua ſtante omnino admittendum eſſet fatum Stoicum, cui ipſe Deus ſit alligatus, prout vulgo fatum Stoicum definiri ſolet. Verum nec Grotius, nec Theologi noſtra-

Digitized by Google

noſtrates, nec JCti & Philoſophi in illo priori ſenſu unquam aſſeruerunt honeſtatem ac turpitudinem moralem antecedenter ſe habere ad voluntatem Dei. Poſteriori vero ſenſu ſi intelligatur allata phraſis, utique & Grotii, & noſtratium Theologorum, & JCtorum ac Philoſophorum ſententia eſt, honeſtatem ac turpitudinem quorundam actuum humanorum habere ſe antecedenter ad voluntatem DEI. Iterum dicis: hac aſſertione admiſſa, *vel admittendum eſſe fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus: vel principium Deo prius aut coæternum formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui nec Deus quidem contravenire debeat aut poſſit.* Hoc eſt non ſequelas, ſed ſutelas facere, id eſt, contexere fraudes & deceptiones, quas incauta Juventus non tam facile advertat, quibusve recepta ſolidæ doctrinæ moralis fundamenta eidem exoſa reddantur. Et certe hominibus imperitis rerum omnium rudibus, iis præſertim, qui falſo ſibi perſuadent ſe eſſe vere doctos, imo vere doctis commilitonibus dicam an Magiſtris ſæpenumero ſeſe præferendos cenſent, ſequens modus probandi apprime placet: *Sicuti ſæpe contingit, ut quis theſin aliquam aſſerat, cujus abſurdam conſequentiam non prævidet; ſæpe ut bene inde fluere neget, ceteri aſſerant: Ita poſtquam ab uno & altero Scholaſticorum, quo-*

*rum unum ſi noveris, omnes noveris, ita omni*
*magno conatu magnas nugas agunt, pronuncia-*
*tum in tralatitium dogma invaluit, Grotius, ple-*
*rique ex noſtratibus Theologis, celeberrimi JCti*
*& Philoſophi tantopere cæcutiunt aut lippiunt,*
*nec videre poſſunt, ex ea ſententia conſequi*
*ſtolidiſſima abſurda ſimulque maxime impia &*
*blaſphema commenta. At modica tantum perſpi-*
*cacia opus eſt, ut quis hanc conſequentiam ca-*
*piat: Si moralitas actionum humanarum, ea-*
*rumque habitudo & convenientia cum natura &*
*conditione humana non eſt a divina impoſitio-*
*ne, cum eadem non poſſit eſſe a ſeipſa, neceſſum*
*eſſe, ut ſit a principio aliquo extra Deum: Sic*
*vero Deus abnegatur omnium rerum creator,*
*ſic munere creatoris dimovetur, & res etiam*
*quoad eſſentiam a Deo dependere negantur,*
*cum tamen omnes creaturæ non exiſtentiam*
*tantum ſuam, ſed & eſſentiam Deo tanquam cau-*
*ſæ in acceptis ferre debeant. Res igitur veſtri*
*judicii eſto, o mei, velitisne admittere princi-*
*pium Deo extrinſecum ac coæternum, ni mali-*
*tis dicere, quaslibet res habere naturas ſuas a*
*ſemetipſis, quod non minus abſurdum eſt; an*
*potius perſuaſiſſimum vobis ſit, nec quisquam*
*veſtrum hanc ſibi perſuaſionem unquam eripi*
*paſſurus ſit, ſe Deo debere & quod ſit, & quod*
*homo ſit, & quod creatura ſit legis capax, &*
*quod quidam motus ſui voluntarii eam habeant*
*indolem, ut omnino adaptandi ſint ad normam*

quam

quam Deus in creatione ſibi injunxit, & quod ctus ſuus, ſi ad eam normam quadret, honeſtus & bonus, ubi ab ea diſcrepet, malus & turpis ſit; & denique quod aliquid horum antecedenter ad Deum ſe habere qui aſſerat, in Deum creatorem ſit injurius. *Non quidem dixi, Grotium totque Theologos, JCtos, Philoſophos, imo fere omnes, expreſſe tam ſtolidam ac impiam ſententiam defendere: ſed hoc dico,* (ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ) *id conſequi ex eorum ſententia, ſiquidem τὸ per ſe & ua natura diſpoſitioni & determinationi divinæ opponant.* Sed quid tandem eſt cum ſuis arvis pugnare & fumum pro igne vendere, i hoc non eſt? Allati ratiocinii vanitas planior fiet, ſi idem preſſius ad præſentem quæſtionem: *Num moralitas in puncto rationis antecedenter ſe ad voluntatem Dei habeat?* formaveris hoc modo: Si Deus ab æterno non potuit aliter judicare de ſeipſo, quam quod uper omnia ſit amandus & a ſeipſo, & ob andem rationem a qualibet creatura rationali, ſi quam ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito conditurus eſſet: item, quod quodis promiſſum ſit ſervandum & a ſeipſo & b eandem rationem a creatura rationali, ſi nam ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplaito conditurus eſſet, ſequitur, quod Deo on debeam, & quod ſim, & quod homo ſim, quod creatura ſim legis capax, & quod uidam motus mei voluntarii eam habeant

indolem, ut omnino adaptandi ſint ad normam, quam Deus in creatione mihi injunxit, & quod actus meus, ſi ad eam normam quadret, honeſtus & bonus, ubi ab ea diſcrepet, malus & turpis ſit, quodque adeo Deus non ſit omnium rerum creator, imo nec opus habeam, ut DEO gratias agam, ad colendum eum me obſtringam; nec vero orationem dominicam petere ſciam: fiat voluntas tua. Sive enim dicas in preſſius formato ratiocinio: Prius eſt verum; Sive dicas cum receptæ ſententiæ defenſoribus: Moralitas in puncto rationis antecedenter ad voluntatem Dei ſe habet, idem dicis. Nam hoc & nihil aliud volunt, quotquot receptam ſententiam tuentur. Capiant jam hanc conſequentiam, eamque adorent ut oraculum ex Apollinis tripode profectum, quotquot voluerint, nunquam certe efficient, ut ſani judicii homines vim ejus capere queant. Eadem fata manent hanc conſequentiam: Si ex libertima voluntate Deus poteſt condere creaturam & non condere, condere talem creaturam, v. gr. rationalem, & non condere talem creaturam, a libera tamen Dei voluntate non pendet, utrum velit creaturam condere, quæ ex conditione naturæ ſuæ obligetur ad Deum amandum, an eam quæ ex conditione naturæ ſuæ obligetur ad Deum odio proſequendum; utrum

ve-

velit animal rationale condere, cujus voluntatem ex libertate voluntatis ſuæ moveat ad amorem ſimilis animalis, an tale animal, cujus voluntatem moveat ad odium ſimilis animalis: ad concubitum cum propria, an ad concubitum cum aliena uxore, ſequitur, quod Deus nos non creaverit, & quod nobis nequaquam dederit corpus & animam, oculos & aures, *rationem* & omnes ſenſus. Credo nullum ruſticum in tota Thuringia tam ſtupidum eſſe, quin negare norit has conſequentias, ſimulque rationem negationis perſpectam habeat. Quid igitur accuſandum erit, numne contradicentis dira calumniandi rabies, an miſera & jejuna ſophiſticatio? Illa, ſi amplius habeat pro irrevocabili aſſerto: *Miror non Grotium ſolum, ſed pleroſque Theologos, JCtos & Philoſophos eam ſententiam defendiſſe, qua nihil ſtolidius fingi poterat, ex qua horribilia, impia, blaſphema abſurda ſequuntur.* Item, *Ego nuſpiam dixi*, eos *expreſſe Deum abnegare omnium rerum creatorem*, eos *munere creatoris Deum dimovere*, eos *negare catecheſin puerilem & explicationem articuli primi in ſymbolo Apoſtolico, ubi profitemur, quod Deus nos creaverit, & quod nobis dederit corpus & animam, oculos & aures, rationem & omnes ſenſus*, eos *negare, quod homo habeat Dei voluntate, ut quidem ipſius motus ſeu actiones omnino cum le-*

*ge naturali conveniant*, eos *exiſtimare, quod nequaquam opus ſit, ut Deo gratias agant, quod ipſos creaturas rationales effinxerit, eoque nomine ad colendum iſtum ſeſe adſtrictos profiteantur*, eos *non noſſe petitionem tertiam orationis dominicæ petere: FIAT VOLUNTAS TU-* Iisque *forte placere hanc clauſulam ſubſtitutam: FIANT QUÆ PER SE ET SUA NATURA SUNT NECESSARIA: ſed HOC DICO, id conſequi ex ſententia eorum, ſiquidem τὸ PER SE ET SUA NATURA diſpoſitioni & determinationi divinæ opponant*. Hæc, ſi idem ſentiat cum ipſis, quos refutat. Nam ad illam demonſtrandam ſufficit, ſi dicatur: Grotio cæterisque receptæ ſententiæ defenſoribus per atrocem calumniam affingi, quod τὸ *per ſe & ſua natura*, dum actus ſtatuerunt homini per ſe & ſua natura honeſtos vel turpes, diſpoſitioni & determinationi divinæ oppoſuerint: Ad hanc oſtendendam ſatis eſt reſpondiſſe ad ſequentia: *Atqui hoc ipſum jam maxime quæritur, unde ſit illa natura actuum, cui determinatio divina attemperare ſe debuerit? Ego dico, hanc naturam actuum ibidem eſſe a determinatione Dei, utpote qui hominis naturam ita formavit, ut & legis eſſet capax, & quæ naturalis vocatur lex omnino cum ejus conditione quadraret. Nam nemo atque præter Deum homini dedit, ut talem haberet naturam, ut talis actuum ab ipſo exercendorum*

eſſet

*eſſet indoles. Cum autem Deus hominem crearet, cum talem ipſi ejusque actibus naturam daret, quam maxime voluntarie agebat: Igitur moralitas illa actuum humanorum ad voluntatem DEI antecedenter ſe habere falſo dicitur.* I. Natura actuum, quos abſoluta ac intrinſeca neceſſitate homini bonos vel malos dicimus, ſi ſpectetur præciſe ut poſſibilis, nec producta eſt a ſeipſa, nec a Deo, nec ab alio principio extra Deum, quia productionis terminus ſemper eſt exiſtentia, natura vero ſic ſpectata nullam dicit realem ſui exiſtentiam. Jam quemadmodum negari nequit, quod ab æterno Deus cognoverit & naturam horum actuum humanorum poſſibilem, & quod ſic & non aliter poſſibilis eſſet: Ita omnibus in Theologia cum naturali tum revelata vel mediocriter verſatis conſtare poteſt ac debet, quod illa natura actuum poſſibilis, (ut ab æterno a Deo fuit cognita ut poſſibilis, item ut ſic poſſibilis & non aliter poſſibilis) recte dicatur in puncto rationis, hoc eſt, noſtro concipiendi modo, ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere. Nam ſcientia Dei, qua ipſe cognoſcit hanc naturam poſſibilem cum nullo decreto Dei circa res producendas eſt conjuncta, ſed nude & ſimpliciter Deus hanc naturam ut poſſibilem contemplatur. Ideo dicitur a *Theologis & Philoſophis* hæc ſcientia

Dei circa iſtam naturam poſſibilem, ſic & non aliter poſſibilem, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognoſcit omnia poſſibilia, in quantum poſſibilia, non cognoſcendo eorum actuales exiſtentias. Vocatur etiam ſcientia naturalis, prout naturale idem hoc loco eſt ac neceſſarium: Sicut enim illa natura actuum neceſſario eſt poſſibilis, ſic & non aliter poſſibilis, ita per ſcientiam Dei neceſſario cognoſcitur, adeoque ſcientia hæc, quæ circa illam naturam actuum neceſſario poſſibilem & non aliter poſſibilem verſatur, eſt neceſſaria ſeu naturalis. Argumentamur hunc in modum: Quicquid Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit, illud ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere vere dicitur. Atqui illam naturam poſſibilem, ſicque non aliter poſſibilem, actuum humanorum, quos ſua natura ac per ſe honeſtos vel turpes homini vocamus, Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit ut vere poſſibilem, naturam illam, ſicque & non aliter poſſibilem. E. Illa actuum natura poſſibilis, ſicque non aliter poſſibilis, ſeu quod eodem redit, moralitas illorum actuum ſpectata ut poſſibilis, ut ſic & non aliter poſſibilis, ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere vere dicitur. Majorem propoſitionem nemo ſaniori judicio

præ-

Digitized by Google

præditus, modo terminorum probe gnarus ſit, in dubium vocabit. Minor probatur, quia 1. poſſibilis natura eſt & dicitur, quæ non involvit repugnantiam: fieri autem non poteſt, ut quod repugnantiam non involvit, aliter ſe habeat, hoc eſt, repugnantiam involvat, ob contradictionem. In quantum igitur iſta natura actuum poſſibilis eſt, neceſſaria eſt, & ſcientiæ naturalis, hoc eſt, ejus quæ libero decreto prior eſt, objectum conſtituit. 2. Uti poſſibilis natura eſt & dicitur, quæ non involvit repugnantiam; non poſſibilis, quæ involvit repugnantiam: Ita ſic & non aliter poſſibilis ſic non involvit repugnantiam, aliter involvit repugnantiam. Et hæc conſtans fuit, eſt & erit, Philoſophorum ac Theologorum ſententia. Credas jam contradicentem ſapere velle, dum dicit: *Moralitas actionum objective in intellectu divino ab æterno fuit.* Sed mox iterum ſtuporem ſimulat, ut calumniandi occaſione deſit. *Ex his nihil poteſt exſculpi adverſus me, qui nihil aliud ago, quam ut aſſeram; Dei voluntatem ab aſſignandis rerum formis non eſſe excludendam, & ad eam nihil antecedenter ſe habere. Sane enim non minus naturæ actionum, quæ objectum legis naturalis conſtituunt, quam aliæ quævis res ab æterno fuerunt in Dei intellectu ſecundum eſſe cognitum, hoc eſt, Deus ab æterno prævidit, qualis quæque res deinceps*

*creanda futura eſſet: ſed ſimul etiam cognovit eas, tanquam ſuo tempore libere, adeoque concurrente utique ſua voluntate creandas, & tali natura dotandas. Eoque licet moralitas actionum objective in intellectu divino ab æterno fuerit, non tamen ſequitur, eam ut actu exiſteret, non habere a diſpoſitione & voluntate Dei. Cum inter ea, quæ objective ab æterno in intellectu divino eſſe dicuntur, hoc primo omnium loco ponendum ſit, quod quasdam res ipſe creare vellet.* Si nihil aliud agis, quam ut aſſeras, *Dei voluntatem ab aſſignandis rerum formis non eſſe excludendam, & ad eam nihil antecedenter ſe habere*, hoc eſt, Deum ex libera voluntate hominem creaſſe, Deum ex libera voluntate homini dediſſe rationem, quia ſi voluiſſet, potuiſſet efficere, ut homo plane non exiſteret, adeoque nec rationem haberet, multoque minus agere quicquam naturæ rationali ac ſociali conveniens aut disconveniens poſſet, ſi nullam plane naturam ſortitus fuiſſet; qui ſi naturam feram ac horridam ſortitus fuiſſet, non fuiſſet homo, ſed ſpecies feri & horridi animantis; item *ad Dei voluntatem nihil antecedenter habere*, hoc eſt, nec hominem fieri tale animal, ſcilicet rationale ac ſociale, niſi Deus velit, ut fiat, nec actum talis vel talis naturæ ab homine fieri poſſe, ſi Deus ſimpliciter nolit, ut fiat: Poteſt enim hominem, ne agat, pro libertate

ſuæ

ſuæ voluntatis iterum perdere. Si inquam nihil aliud agis, quam ut hæcce talia aſſeras, qua fronte Grotium, fere omnes Theologos, JCtos, Philoſophos ſummæ ſtoliditatis ac βλασφημίας reos arguis, qui hæc omnia ſponte ſua largiuntur, nec de eo unquam dubitarunt, aut cuiquam litem moverunt. Sed profecto aliud adhuc agis: Nam falſo aſſeris, quod cum illa natura actionum, quæ objectum legis naturalis conſtituunt, æque comparatum ſit ac cum aliis quibusvis rebus, utpote quæ eadem ratione ab æterno fuerint in DEI intellectu ſecundum eſſe cognitum: Falſiſſimum hoc eſt. Nam illam naturam actionum, quæ nempe objectum legis naturalis conſtituunt, Deus cognovit, ut ex ea fluit poſſibilis convenientia aut disconvenientia cum natura rationali, & quidem convenientia aut diſconvenientia, quæ non modo ſit neceſſario poſſibilis, ſed etiam neceſſario hoc modo, non alio modo poſſibilis: quis vero tam abſurdus fuerit, ut dicat ſub ratione talis convenientiæ aut disconvenientiæ etiam alias quasvis res ab æterno fuiſſe in Dei intellectu ſecundum eſſe poſſibile cognitum. Hic nihil habes, quod ſolide excipere poſſis. Nam quod excipis: *Sed num id prohibet, quo minus affectiones morales actionis a convenientia aut diſconvenientia cum norma oriantur?* Ad hoc reſpondemus: normam iſtam eſſe na-

turam

curam rationalem. Nam ſi ipſe agnoſcis ab æterno cognitam a Deo convenientiam aut repugnantiam actuum cum natura rationali, ſic & non aliter poſſibilem, quid prohibet naturam rationalem normam dicere? Et hoc volunt Theologi ac Philoſophi, dum bene monent: peccatum morale ſpectari poſſe duplici modo: Uno, ut nempe eſt malum morale: Altero, ut eſt averſio a Deo & offenſa Dei. Unde ob duplicem hunc modum conſiderandi regulam quoque, cujus ſcilicet intuitu peccati rationem habet, duplicem ſtatuunt: Unam, quæ eſt regula peccati, in quantum malum morale eſt. Alteram, quæ eſt regula ejus, in quantum averſio a Deo & offenſa Dei eſt. Prior regula peccati moralis, prout ſcilicet eſt malum morale, eſt natura rationalis ut rationalis eſt: poſterior vero regula peccati, ut nempe eſt averſio a Deo & offenſa Dei, omnium conſenſu lex Dei eſt. Equidem omnes agnoſcunt, quoad rem non differre peccatum hominis, ut morale malum, & peccatum hominis ut averſio a Deo & offenſa Dei eſt; nec quisquam inter illos negat, omne peccatum morale hominis eſſe etiam quandam averſionem a Deo & offenſam Dei, hoc tamen urgent, modos conſiderandi actum moralem omnino diverſos eſſe, huncque illo poſteriorem: Quo facit, quod prior ad Philoſophiam tantum ſpectet,

ctet, poſterior vero ad Theologiam: Et hoc poſteriori demum modo ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, hoc eſt, peccatum dicit diſconvenientiam cum lege. Regeris: *Illa tamen convenientia ac repugnantia actuum humanorum cum natura rationali abs Deo libere formata pendet a libera voluntate Dei, utpote qui ejuſmodi creaturam libere conſtituit. Unde falſum eſt, quod in puncto rationis turpitudo actus prior ſit definitione a Deo facta. Sed primo omnium concipitur homo tanquam creatura rationalis a Deo libere producenda. Inde concipitur habitudo ipſorum actuum, ad normam dirigi aptorum. Poſt hanc lex, tanquam norma, ad quam actus iſti neceſſario referendi & dirigendi ſunt. Ac demum concipitur honeſtas & turpitudo tanquam affectiones actuum ad normam relatorum. Aliud punctum rationis heic comminiſci, aut ordinem hunc intervertere, contra rationem eſt. Quicunque igitur naturam illorum actuum, de quibus ſermo eſt, ad autorem Deum referunt, ab ipſo in creatione hominis ita adornatam, illi mecum conſentiunt: Qui autem actus illos habitudinem & indolem ſuam non a divina definitione, determinatione & voluntate habere contendunt, illi viderint, quem ſibi creatorem velint adoptare.* Heic ut appareat omnem contradicentis conatum fruſtra in aerem effundi, hoc unicum obſervetur, quando de moralitate ad voluntatem Dei antecedenter ſe habenben-

bente ſermo hactenus fuit, verba facta eſſe de convenientia poſſibili, ſicque & non aliter poſſibili, actuum cum natura rationali præciſe ſpectata ut poſſibili: Credo neminem tam ſtupidum eſſe, qui hoc obſervato non videat, fruſtra hic mentionem fieri decreti divini, quo ipſe ejuſmodi creaturam libere creare conſtituit; naturæ rationalis a Deo libere producendæ, habitudinis & indolis, quam actus a divina definitione, determinatione & voluntate habeant. Nam hæc omnia & ſingula nequaquam in præſentem diſquiſitionem veniunt, ubi agitur de natura actuum humanorum per ſe ac ſua natura honeſtorum ac turpium, unice ut ab æterno fuit objectum ſcientiæ Dei, & quidem illius, quam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & naturalem Theologi & Philoſophi vocant. Apage igitur nugas & improbas ſophiſticationes tuas: *a fundamento velut exiſtendi legis naturalis voluntas Dei excluditur.* Nullus namque hic ſermo eſt de exiſtentia legis naturalis pro decreto Dei, quo hominem in tempore conditum ſibique ſubjectum in tempore obligavit, ſumtæ: ſed præciſe diſpicimus de natura actuum, quos per ſe & ſua natura turpes aut honeſtos homini vocamus, ut ab æterno fuit in Dei intellectu ſecundum eſſe poſſibile cognitum. Quod ſi cavillari velis, *ab æterno Deum cognoviſſe,*

*quod*

*quod quasdam res ipſe creare vellet, adeoque ad decretum Dei liberum de natura hominis libere formanda, quia ab æterno fuit, nihil antecedenter ſe habere, cum æterno nihil detur prius:* In caſſum cavillaris tui ipſius oblitus: Quippe expreſſis verbis impugnabas ac negabas, *in puncto rationis* (NB. in puncto rationis) *turpitudinem actus priorem dici poſſe definitione ac determinatione a libera Dei voluntate facta.* Sane Deus cognovit ab æterno omnia uno ſimpliciſſimo actu, quæ ejus cognitio vulgo Dei ſcientia dicitur; Voluit quoque Deus ab æterno omnia futura, quæ voluit, uno ſimpliciſſimo actu, quæ æterna volitio futurorum communiter æternum Dei decretum appellatur: Quamvis vero ſcientia Dei & voluntas Dei ex parte Dei ſint una ſimpliciſſima entitas, ut Philoſophi loquuntur, qua uno ſimpliciſſimo actu ab æterno cognovit & voluit, quicquid rationem cognoſcibilis & a Deo voliti habet, ex parte objectorum tamen, in quæ alio atque alio modo tendunt, diſtingui intellectio & voluntas ab invicem ſolent, ipſa quoque intellectio, item volitio Dei, varias admittit diſtinctiones. Stupidiſſimum eſſe oportet, ſi quis neſciat diſtinguere inter id, quod ab æterno Deus cognovit ut poſſibile, & quod cognovit ut futurum: Licet enim omne futurum a Deo ab æterno ſit cognitum ut fu-

futurum, ordine tamen rationis aliquid prius eſt in ratione poſſibilis, quam in ratione futuri: prius enim rem concipimus, ut ex ſe poſſibilem, ſcilicet quia ex ſe non implicat contradictionem, poſtea vero ut futuram, quia poſſibilitas rei (ut Philoſophi loquuntur) præſupponit tantum Deum quoad eſſe & poſſe, ſed rei futuritio, ſi hac dictione uti liceat, non tantum Deum præſupponit quoad eſſe & poſſe, ſed ut volentem producere vel tanquam cauſam producturam. Veriſſimum igitur manet, quod in puncto rationis turpitudo actus ad voluntatem Dei antecedenter ſe habeat, nec primo omnium concipitur homo tanquam creatura rationalis a Deo libere producenda: Qui autem ſcientiam Dei naturalem ac ſimplicis intelligentiæ noſtro concipiendi modo antecedenter ſe habere ad Dei voluntatem aſſerunt, idpropter nequaquam Deum omnium rerum creatorem abnegant. Nondum ergo contradicens jejunis ſuis ſophiſticationibus effecit, quo minus ut hactenus, ita impoſterum moralitas actuum humanorum, prout objectum ſcientiæ Dei ſimplicis intelligentiæ & naturalis ab æterno fuit, ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere dicatur. II. Moralitas actuum, quos homini per ſe & ſua natura honeſtos vel turpes vocamus, etiamſi ſpectetur, ut acta datur, ſuo modo ad voluntatem

Dei

Dei antecedenter ſe habere, recte dicitur.

Ratio noſtra eſt, quia neceſſitas illa, quæ quibusdam actionibus ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, eſt abſoluta: id vero quod abſolutæ neceſſitatis eſt, in quantum eſt abſolutæ neceſſitatis, non pendet a libera voluntatis divinæ determinatione. Omnium enim ſaniorum conſenſu libera voluntas Dei dicitur, qua ita aliquid vult, ut id poſſit non velle vel oppoſitum velle: quod vero abſolutæ neceſſitatis eſt, in quantum abſolutæ neceſſitatis eſt, Deus ita vult, ut non poſſit non velle, (quia alias non eſſet abſolutæ neceſſitatis) adeoque non cadit ſub voluntatem Dei liberam, ſed neceſſariam.

Hæc vero aſſertio atrociſſimam ſubiit oppugnationem. Videamus ipſam rationem, qua homo tantopere ſe jactat, illamque breviter expendamus, ſi forte ei pudor incuti poſſit. *Neceſſitas illa, quæ actionibus ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, non eſt abſoluta, ſed hypothetica, quia ſupponitur a Deo animal rationale liberrima voluntate creatum. Poſito enim Deum libere voluiſſe, creare animal rationale, non potuit non circa certos illius actus lege diſponere: quia alias voluntas Dei ſibiipſi repugnare fingeretur. Adeoque non abſolute neceſſarium fuit a Deo legem naturalem ferri; ſed ea neceſſitas orta fuit ex ſuppoſitione actus, abs Deo liberrima voluntate ſuſcepti, nempe ea crea-*

*creatione hominis. Quæ autem neceſſario conſequuntur actum libere & contingenter ſuſceptum, illa utique ex neceſſitate non abſoluta, ſed hypothetica fieri dicuntur. Si currit movetur, eſt exemplum neceſſitatis hypotheticæ. Antequam quis curſum libere ſuſciperet, neque currere, neque moveri neceſſarium ipſi erat; poſito autem curſu libere ſuſcepto, non poteſt non ſimul exiſtere motus. Sic antequam Deus crearet hominem, neque creare hominem, neque legem naturæ ferre Deo neceſſarium erat. Sed poſito, creationem hominis ab eo libere ſuſceptam, non potuit non lex naturæ ſimul ferri.* Redigamus allatam rationem in formam ſyllogiſticam, ut ſi forte unus vel alter idiotarum, *ad quorum omnium captum* contradicens *hæc pleniſſime deduxiſſe* gloriatur, exterritus hæſit, nihil illico comparente, quod reſponderetur: nunc fucum eo facilius ac nugas advertere poſſit. Argumentum erit tale: Quæcunq; neceſſitas ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat, illa neceſſitas non eſt abſoluta, ſed hypothetica. Atqui neceſſitas illa, quæ actionibus (quas Grotius, Theologi, JCti & Philoſophi, per ſe, ſua natura & abſoluta neceſſitate homini honeſtas aut turpes cenſent) ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat. E.

nece-

neceſſitas illa non eſt abſoluta, ſed hypothetica. Major propoſitio videtur ſatis manifeſta: Quippe omnium Metaphyſicorum unanimi conſenſu neceſſitas hypothetica, non vero abſoluta, ſtat cum contingentia: Ubi vero actus liberrimæ voluntatis datur, ibi contingentia locum invenit: Ubi contingentiæ locus eſt, ibi neceſſitas abſoluta, utpote quæ omnem contingentiam excludit, exulat. Minor nulla indiget probatione: quia neceſſitas illa, quæ actionibus ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, ſupponit creationem animantis rationalis, quam nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat: Repetantur ea omnia, quæ in proxime antecedentibus allata ſunt, priusquam hocce argumentum formaretur. Antequam reſpondeatur ad hoc argumentum, præſupponimus ſuo loco in his ipſis inſtitutionibus perſpicue tradendam & explicandam diſtinctionem neceſſitatis abſolutæ in neceſſitatem exiſtentiæ, exercitii ſive contradictionis & neceſſitatem eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis, ut vocant; Omnes idiotæ etiam intelligunt hanc diſtinctionem, qui modo norunt diſtinguere inter libertatem exercitii ſive contradictionis & libertatem quoad ſpeciem actus ſive contrarietatis, quæ diſtinctio in omnibus libris philoſophicis & compendiis extat. Igitur iis merito annu-

merandus venis, quibus ſponte ſua te apparmeras, dum tam craſſum ſtuporem ſimulas, an idiotis ſycophantias tuas forte facilius poſſis obtrudere. Adhuc ſemel repetamus argumentum, quia tibi immane quantum placet: *Quæcunque neceſſitas ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat, illa non eſt neceſſitas abſoluta, ſed hypothetica.* Limitamus hanc majorem hoc modo: Quæcunque neceſſitas ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat, illa non eſt neceſſitas abſoluta exiſtentiæ, exercitii ſive contradictionis. Sic a nobis conceſſa majore, quam omnino cõcedimus, nec de veritate ipſius quiſpiam eorum, adverſus quos diſputas, unquam dubitavit, ſubſume: *Atqui neceſſitas illa, quæ quibusdam actionibus humanis* (quæ nempe a Grotio & ex communi ac recepta ſententia actiones per ſe & ſua natura homini honeſtæ vel turpes vocantur) *ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat, nimirum creationem animantis rationalis.* Conclude: *Ergo neceſſitas illa, quæ quibusdam actionibus humanis* (illis ſcilicet, quæ a Grotio & ex communi ac recepta ſententia per ſe & ſua natura homini honeſtæ vel turpes vocantur) *ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, non eſt neceſſitas abſo-*

*luta*

*luta exiſtentia, exercitii ſeu contradictionis.* Concedimus totum argumentum. Injuriam tibi non facio, ſi dubitem, num non modo *rationis vox & ſenſus*, ſed & probitatis quid ac frontis tibi adſit, quouſque liquido oſtenderis, ubinam locorum in Grotii, noſtratium Theologorum, JCtorum & Philoſophorum ſcriptis hæc aſſertio occurrat: Abſoluta neceſſitate exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, neceſſarium eſt, ut quædam actiones humanæ ſint honeſtæ aut turpes. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſent: Abſolute neceſſarium eſt, ut actus humanus exiſtat, qui ſit turpis, & quia actus humanus nequit exiſtere, niſi exiſtat homo, abſolute neceſſarium eſt, ut homo exiſtat: quod eodem redit, ac ſi dixiſſent: Aut Deus abſoluta neceſſitate hominem creavit, hoc eſt, non potuit non creare hominem, aut homo a ſeipſo abſoluta neceſſitate exiſtit, aut alium creatorem ſibi adoptavit, quia abſolute neceſſarium erat, ut exiſteret. Nec vero hic valet tuum *DICO: Hoc dico, hanc aſſertionem conſequi ex ſententia eorum.* Ubi eſt frons tua, Diſputator! Sed prodeat iterum argumentum hoc modo: *Quæcunque neceſſitas ſupponit talem actum, quem nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat, ea non eſt neceſſitas abſoluta eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis, ſed hypotheſeos.* Atqui neceſſitas, quæ quibuſdam actio-

actionibus humanis ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur &c. E. Sic Major propoſitio evadit falſiſſima. Nam licet nullo actu humano exiſtente, nullus quoque actus humanus exiſtat honeſtus vel turpis, atque ideo ad hoc ut actus humanus exiſtat honeſtus vel turpis, omnino prærequiratur, ut exiſtat homo, qui tamen hoc, quod exſtit, liberrimæ Dei voluntati debet: Interim quia poſtquam homo exiſtit, hoc eſt, poſtquam animal rationale exiſtit, atque ſciens & volens multa agit, quædam actiones ab homine, h.e. animali rationali, ſciente & volente factæ non poſſunt non convenire aut diſconvenire cum exiſtente natura rationali exiſtentis hominis, hoc eſt, animalis rationalis exiſtentis, rurſus aliæ nec cum ea conveniunt nec diſconveniunt, hoc eſt, naturæ rationalis ut eſt talis nec perfectiones ſunt, nec imperfectiones, ideo illis actionibus neceſſitas abſoluta eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis ad honeſtatem aut turpitudinem tribuitur, his vero minime. Exemplo rem illuſtrabimus, ſi forte quis ingenio ſit ita ſtupido, ut hæc, quæ diximus, capere nequeat. Neceſſitas, quæ igni tribuitur ad calorem, eſt neceſſitas non hypothetica, ſed abſoluta: Nemo enim dixerit eadem neceſſitate ignem eſſe calidum, & aquam eſſe calidam. Sed qualis quæſo eſt neceſſitas abſo-

luta

tuta, quæ igni tribuitur ad calorem? Numne abſoluta neceſſitas exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis? Minime. Nam abſolute neceſſarium non eſt ignem exiſtere, æque ac abſolute neceſſarium non eſt hominem exiſtere: Deus enim æque liberrima voluntate ſua condidit ignem, atque creatio hominis a liberrima voluntate Dei profecta eſt: Jam vero ſi ignis plane non exiſteret, nec exiſteret ignis calidus, nec exiſteret ignis frigidus, quia rei non exiſtentis nulla ſunt prædicata, quæ exiſtentiam ſupponunt. Ut ignis exiſtat calidus, oportet ignem exiſtere; Igitur abſoluta neceſſitate exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis non eſt neceſſarium ignem eſſe calidum, quia ignis poteſt non exiſtere, & ſi non exiſtit, nec calidus exiſtit: potentia creandi ignem, ſi Deo ita placuiſſet, eadem libertate potuiſſet ſe non exerere, qua nempe libertate ſe exeruit: nec implicat contradictionem, ignem non exiſtere, ſicque nec implicat contradictionem, non exiſtere ignem calidum. Adhuc tamen eſt neceſſitas abſoluta eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis, unde abſolute neceſſarium eſt & dicitur, ignem eſſe calidum: Non enim Deus libera voluntate ſua efficere poteſt, ut ignis recte & proprie ſic dictus exiſtat, nec tamen actu ſit calidus, ſed frigidus: quia ſi actu non eſſet calidus, non exi-

exiſtere ignis, ſed ens alius eſſentiæ ac ſpeciei. Si ergo Deus efficere poteſt libera ſua voluntate, ut ignis non exiſtat, nec tamen efficere poteſt, ut ignis exiſtat, nec tamen actu ſit calidus, neceſſarium non eſt, ignem exiſtere calidum, eſt tamen neceſſarium exiſtentem ignem exiſtere calidum, cum e contrario nec neceſſarium ſit aquam exiſtere calidam, nec neceſſarium aquam exiſtentem exiſtere calidam, quia aqua exiſtit, utut non ſit calida, quamvis ex neceſſitate hypothetica ſit calida, ſi ignis ollam aqua repletam, cui undique circumfunditur, calefaciat. Regeris: *Temet aſſertionem tuam oppoſuiſſe verbis Grotii l. 1. c. 1. §. 10. dicentis, quod actus circa quos lex naturalis verſatur, a Deo neceſſario præcepti aut vetiti intelliguntur.* Primo, ſic habent verba tua: *Ab uno vel altero Scholaſticorum pronunciatum in tralatitium dogma invaluit, ut quæ lege naturæ præcipiuntur aut vetantur, in ſe & ſua natura honeſta aut turpia eſſe dicerentur: Ex quo horribile abſurdum conſequitur &c. quo cum nihil ſtolidius fingi poſſe videatur, ſæpe miratus ſum NON GROTIUM SOLUM, SED ET PLEROSQUE EX NOSTRATIBUS THEOLOGIS iſtam aſſertionem citra ullam dubitationem paſſim aſſumere. Contra id mihi fixum ſedet diſcrimen honeſti & turpis ubique a Deo, ejusque definitione & determinatione eſſe petendum, nec idem ab alio, quam*

*ipſum*

ipſum principio dependens fingendum eſſe. *Quo poſito conſequitur, neceſſitatem illam quæ actionibus ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, non eſſe abſolutam, ſed hypotheticam, ſupponentem nimirum creationem animantis rationalis, quam nemo eſt, quin liberrime Dei voluntati adſcribat.* Ergo non ſolum Gretio, ſed & omnibus fere eruditis Viris bellum indicis. Deinde videamus, quid ad hanc diſceptationem vel ingenii & eruditionis, vel quemnam ſaltem candorem viro honeſto dignum attuleris. *Quæſtio igitur eſt*, ais, *qualis heic neceſſitas ſit in ordine ad Deum, ſeu quale genus neceſſitatis Deum ſubegerit*, (ſi alius quiſpiam Deum genere neceſſitatis ſubactum pronunciaret, iratas calumnias tuas vix effugere poſſet. Nam dum Vir graviſſimus dixerat, ideo velle, ideo præcipere ea, quæ ſua natura homini honeſta ſunt, Deus debuit, quoniam homini facienda ſunt: Ture ſtatim exclamabas: *Mirum ni iſta ſecta novum quempiam Deum comminiſcatur, antea ignotum, qui Deo creatori humani generis injungeret, quid ipſe velle & præcipere deberet?* Cur vero non ſcribis: qui Deum creatorem humani generis ſubigeret, nempe hæc erat Prætoris dictio) ut circa actus iſtos legem ſtatueret? *Ego reſpondeo eam eſſe non abſolutam, ſed hypotheticam, quia ſupponitur a Deo animal rationale liberrima voluntate creatum. Poſito enim Deum li-*

*bere voluiſſe creare animal rationale, non potuit non circa illos actus lege diſponere: quia alias voluntas Dei ſibi ipſi repugnare fingeretur. Adeoque non abſolute neceſſarium fuit a Deo legem naturalem ferri; ſed ea neceſſitas orta fuit ex ſuppoſitione actus, abs Deo liberrima voluntate ſuſcepti, nempe ex creatione hominis.* Hæc dicis opponi verbis Grotii: Ubinam vero Grotius vel expreſſe negavit, vel talem ſententiam poſuit, ex qua conſequatur, exiſtentiam ac exercitium quorundam actuum humanorum, eorum nempe, quos Grotius loco citato debitos aut illicitos per ſe, atque ideo homini a Deo neceſſario præceptos aut vetitos vocat, nequaquam ſupponere creationem animantis rationalis: *Id eſt*, hæc enim tua verba ſunt, *quod quidam actus, quos homo exercet, dicantur neceſſario honeſti aut turpes homini, hoc* ex Grotii ſententia *non eſſe intelligendum cum relatione ad naturam hominis tanquam animalis rationalis & ſocialis, nec conſequenter cum relatione ad voluntatem Dei liberrimam, qua uti omnia, ita & hominem creavit.* Quod idem eſt, ac ſi non erubeſceres ita cavillari: Volui hæc opponere Grotio aſſerenti, hominem quempiam actiones per ſe debitas aut illicitas exercere, ipſumque Deum eas actiones neceſſario ipſi præcipere aut vetare, utut non exiſtat iſte homo, nec unquam a Deo creatus ſit. Si micam boni viri

ſi habes, oſtende ubinam locorum in Grotii vel Theologorum noſtratium ſcriptis ea aſſertio vel expreſſe extet, vel inde conſequatur. Tertio, non ſufficit dicere: *Ego reſpondeo, eam eſſe non abſolutam, ſed hypotheticam neceſſitatem:* Nam quia neceſſitas abſoluta iterum duplex eſt: una exiſtentiæ, exercitii ac contradictionis: Altera neceſſitas eſſentiæ, ſpeciei ac contrarietatis, aut illam, aut hanc intelligis. Si illam, frivole verba tua opponis Grotio & receptæ ſententiæ defenſoribus, qui eandem ſententiam defendunt: Nec te juvat, ſi tandem ad incitas redactus ſcribas: *Quid illi ſentiant, aut non ſentiant, mea nihil refert.* Si tua nihil refert, cur ſententiam illorum eam dixiſti, qua nihil ſtolidius fingi poterat, ex qua horribilia abſurda & blaſphema dogmata ſequntur, adeo ut vel judice tibi notiſſimo conjunctiſſimoq; amico, quem vehementer laudas, pro plauſu ſibilum ſis meritus, ac reprehenſionem incurreris. Si hanc, nempe neceſſitatem abſolutam eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis negas, proprio temet jugulas gladio. Ita enim habent verba tua: *Cui ignotum eſt, omnes actiones humanas reſpectu exercitii aut exiſtentiæ eſſe contingentes? Verum hæc contingentia non obſtat, quo minus illis certæ affectiones neceſſario competant. Sicuti incendium intelligi non poteſt, niſi poſito igne, & materia combu-*

*ſtibi-*

*ſtibili a Deo libere creata.* Nec intelligi poteſt ignem actu eſſe ſeu exiſtere calidum, niſi exiſtente igne & a Deo libere creato. *Ex quibus tamen non niſi triobolaris Sophiſta inferret :* (NB. verba tua ſunt) *Ergo ignis contingenter eſt calidus. Neque etiam contingentia actuum humanorũ reſpectu exercitii aut exiſtentiæ obſtat,* (hæc & quæ ſeqvuntur verba peculiari typo expreſſa iterum tua ſunt) *quo minus v. gr. adulterium homini neceſſario, i. e. ex neceſſitate obligationis ſit omittendum, & quod adulterium neceſſario turpe ſit, i. e. lege naturali, non poſitiva, non obſtat, quod illud intelligi nequeat, niſi poſito animali rationali & ſociali a Deo libere creato. Ex quibus non niſi triobolaris Sophiſta inferret : Ergo adulterium contingenter eſt turpe.* Eo abſurditatis demum devolvuntur, qui circa calumnias aliis intentandas tantopere laborant, ut ſibimet ipſis ſententiã ferant, tamq; egregio elogio ſeſe ornent. Quarto, notas, *quod alia quæſtio ſubſtituta fuerit in vindiciis famæ Grotii, Theologorum noſtratium, JCtorum & Philoſophorum, cui iſte terminus neceſſitatis hypotheticæ proprie & ex uſu omnium Metaphyſicorum a te adhibitus non quadraret, culpam nullam penes te eſſe.* Hoc ita probas: *De ſpecie neceſſitatis circa actiones morales verſatæ, quatenus nempe ad Deum refertur, unice mihi ſermo fuit : Aſt ſi alio modo formetur quæſtio, ali-*

am

*eam quoque emergere oportet reſponſionem. Si enim eam ad hominem referam hoc modo : quæ neceſſitas homini inſit ad actus iſtos obſervandos aut omittendos? Reſpondetur, eam eſſe necneceſſitatem quam vocant obligationis : Sin præciſe quæram de cohærentia affectionis moralis cum certa actione humana v. gr. honeſtatis cum honore parentum, turpitudinis cum adulterio : ſeu quænam ſit illa neceſſitas, qua parentes honorare honeſtum, mœchari turpe ſit? Reſpondetur, eſſe neceſſitatem abſolutam in genere morum, quæ contradiſtinguitur neceſſitati abſolutæ in genere naturæ, qua affectiones phyſicæ cum rebus naturalibus v. gr. vis comburendi cum igne, conjunguntur. Quæ duo genera neceſſitatis in hoc differunt, quod hæc nil aliud præſupponat, quam actum creationis, quo rebus ejusmodi natura eſt a creatore inſignita : illa autem præterea ſuperioris impoſitionem & legem prærequirat.* Adhuc veriſſimum relinquitur, neceſſitatem circa actiones morales verſantem, quatenus nempe ad Deum illa refertur, eſſe neceſſitatem abſolutam eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis, manetque miſerrima hæc ſophiſticatio : quisque homo habet actualem ſuam eſſentiam a Deo, quam niſi a Deo haberet, non exiſteret, adeoque nec agere poſſet, ſicque nulla actio exiſteret humana, multoque minus exiſteret ulla actio humana honeſta vel turpis E. neceſſi-

ceſſitas circa actiones morales verſatis, quate-nus nempe ad Deum illa refertur, non eſt ne-ceſſitas abſoluta eſſentiæ ſeu ſpeciei, ſed hy-pothetica. Falſum vero eſt, quod hæc duo genera neceſſitatis illius, unde ignis neceſ-ſario denominatur calidus, & hujus, unde quidam actus humani neceſſario denomi-nantur honeſti vel turpes, in hoc primo dif-ferant, quod hæc nihil aliud præſupponat, quam actum creationis, quo rebus ejusmodi natura eſt a creatore inſignita: illa autem præterea ſuperioris impoſitionem & legem prærequirat. Ipſa namq; quorundam actu-um humanorum abſolute neceſſaria con-venientia aut diſconvenientia cum natura rationali ut eſt rationalis, natura prior eſt ſu-perioris impoſitione & lege, hujusque impo-ſitionis & legis fundamentum. Hic nihil amplius habes, quod excipias, niſi quod aſſe-ris, *illam abſolute neceſſariam convenientiam aut diſconvenientiam cum natura rationali qua tali non poſſe dici honeſtatem ac turpitudinem.* Cur non? ſcilicet quia alias neceſſum habebas pa-linodiam canere. Certe ubi convenientia actionis humanæ cum natura rationali qua tali, ibi bonitas, ibi perfectio naturæ ratio-nalis: Et quia ea moralis conſiderationis eſt. Ergo eſt moralis bonitas, ſeu quod eodem re-dit, honeſtas. Scias tantæ dignationis te non eſſe, ut quia fere omnes clariſſimos do-

ctis-

Clariſſimosque Viros ſtultos, ſtolidiſſimos vocaſti, id propter terminos morales, quos continuus uſus probat, e Scholis Philoſophi, Theologi, JCti exceſſe jubeant, ne maledictis tuis novis exponantur. Quinto, miſerrimum & vere deplorandum Sophiſtam agis, dum exemplo neceſſitatis hypotheticæ: *Si currit, movetur*, in Vulgus noto ad palliandas tuas nugas uti audes: quaſi vero palliari tam aperta res poſſet. *Si currit, movetur*, garris, *eſt exemplum neceſſitatis hypotheticæ. Antequam quis curſum libere ſuſciperet, neque currere, neque moveri neceſſarium ipſi erat; poſito autem curſu libere ſuſcepto, non poteſt non ſimul exiſtere motus: Sic antequam Deus crearet hominem, neque creare hominem, neque legem naturæ ferre Deo neceſſarium erat. Sed poſito, creationem hominis ab eo libere ſuſceptam, non potuit non lex naturæ ſimul ferri.*

(1) Non debent confundi hæc duo: Aliud eſt ſi dicas: Si homo currit, movetur; Aliud, ſi ita efferas: Curſus eſt motus. Prius eſt exemplum neceſſitatis mere hypotheticæ: nam nec abſoluta neceſſitate exercitii, exiſtentiæ ſeu contradictionis neceſſarius eſt hominis vel curſus vel quicunque alius motus localis: nec vero neceſſitate eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis neceſſarium eſt hominem currere, hominem de loco ad locum moveri: quia licet homo non currat, licet homo

homo non moveatur de loco ad locum, id propter non amittit eſſentiam ſuam, qualem ante habuit, h. e. non deſinit eſſe animal rationale: Poſterius eſt exemplum neceſſitatis abſolutæ, non quidem neceſſitatis abſolutæ, quam exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis vocant: quia non eſt abſolute neceſſarium curſum exiſtere, ſed curſus libere ſuſcipitur, adeoque nec eſt neceſſarium, ut curſus exiſtat motus, nam quando curſus plane non eſt actu, nec ipſe actu eſt motus; tamen neceſſitatis abſolutæ, quã eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis nuncupant: non enim fieri poteſt, ut exiſtat curſus, niſi actu ſit motus localis: quia niſi curſus eſſet motus localis, non eſſet curſus, ſed aliud rei genus. Pariter diſtinctiſſima ſunt hæc duo exempla neceſſitatis: Si homo volens concumbit cum aliena uxore, turpiter facit; Et, voluntarius concubitus cum aliena uxore eſt turpe factum. Prius eſt exemplum neceſſitatis mere hypotheticæ, quia nec exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, nec eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis neceſſitate abſolute neceſſarium eſt hominem ex voluntate concumbere cum aliena uxore, hominem turpiter facere: poſterius vero eſt exemplum neceſſitatis abſolutæ eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis: quia fieri nequit, ut exiſtat voluntarius concubitus cum aliena

uxo-

uxore, nec tamen actu ſit factum turpe, h. e. cum natura rationali ut tali nemine cogitante diſconveniens. (2) Diſtinctiſſima ſunt hæc duo exempla neceſſitatis: Si homo currit, movetur: Et, Si Deus creavit hominem, ipſi legem naturæ tulit, e. gr. prohibuit ei concubitum voluntarium cum aliena uxore. Nam (α) curſus eſt ipſe quidam motus: At creatio hominis non eſt ipſa quædam legislatio. (β) Poteſt homo moveri, utut non currat: At homini non poteſt lex naturæ a Deo eſſe lata, niſi homo ſit a Deo creatus. (γ) Non eſt impoſſibile, hominem dari, qui nec currit, nec movetur: Impoſſibile eſt hominem dari, ita ut nec a Deo ſit creatus, nec lex naturæ ei a Deo lata. (δ) Hominem moveri nullam prærequirit abſolute neceſſariam convenientiam aut diſconvenientiam cum natura rationali hominis ut eſt rationalis, quam tanquam fundamentum reſpiciat: At legem naturæ homini a Deo ferri nititur actuum humanorum, (de quibus ſcilicet lex naturæ diſponit) neceſſaria convenientia aut diſconvenientia cum natura rationali hominis, ut eſt talis, quæ ſane relatio antecedenter ad voluntatem ſuperioris ſpectari poteſt. (3) Grotius non aſſerit: Deum homini abſoluta neceſſitate præcepiſſe aut prohibuiſſe quoſdam actus, antequam exiſteret homo, cui præcipi aut prohiberi poſſent:

quis enim ſine ſumma ſtoliditate hanc ſtolidiſſimam ſententiam Grotio affingeret? ſed unice innuit, Deum homini, qui actu eſt ſeu exiſtit, abſoluta neceſſitate præcepiſſe aut prohibuiſſe quoſdam actus: e. gr. Deus ſalva ſua juſtitia homini potuit non prohibere voluntarium concubitum cum aliena uxore, ſi nempe non creaſſet hominem, quippe homo ſalva divina juſtitia potuit non creari, unde ſi Deus nullum animal rationale creaſſet, tunc nec extitiſſet, cui voluntarium concubitum cum aliena uxore prohibere potuiſſet: At homini exiſtenti ſalva ſua juſtitia non poteſt non prohibere voluntarium concubitum cum aliena uxore. Ad illius veritatem contingentia reſpectu exercitii aut exiſtentiæ aut contradictionis ſufficit: Hujus veritatem fundat veritas eſſentiæ aut contrarietatis, cum qua contingentia reſpectu exercitii aut exiſtentiæ aut contradictionis omnino ſtare poteſt. Excipis: *Conſpirat hoc cum floſculo illo Grotiano parum a blaſphemia abeunte; quaſi jus naturale obligaturum eſſet gentes, etiamſi daremus, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana. Ergo huic univerſo integritas & ordo conſtare poſſet, ſi vel maxime Deus hoc univerſum non creaſſet, aut ſi idem plane extra mundum relegetur.* Bone Deus, in quot ſeſe formas vertere non novit dira calumnian-

di

Digitized by Google

di rabies! Inſpiciat quis locum Grotii, qui in prolegomenis, in tres libros de jure belli & pacis num. 11. extat, eumque conferat, cum præcedentibus, videbit facile, quam atrox injuria Grotio fiat. 1. Grotio ne per ſomnium quidem in mentem venit, quaſi jus naturale pro ſuperioris decreto ſumtum obligaturum eſſet homines, etiamſi daremus non eſſe Deum, adeoque nullum dari ſuperiorem: Idem enim eſſet, ac ſi dixiſſet Grotius: Si daremus nullum eſſe ſuperiorem, omnino ſuperiorem dari aſſereremus. 2. Sed hoc Grotius voluit: Lex naturæ ſumta pro judicio rationali de actibus abſoluta ſpeciei, aut eſſentiæ aut contrarietatis neceſſitate, homini honeſtis aut turpibus, h. e. cum natura hominis rationali, ut eſt talis, convenientibus aut diſconvenientibus, *adhuc locum habitura eſſet, etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana:* v. gr. ſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, hunc hominem non habere naturam ſuam rationalem a Deo, adhuc tamen ſi daremus eum eſſe hominem, iſte homo judicare poſſet, ſervare promiſſum neceſſario convenire cum natura ſua rationali qua tali, cadere promiſſo neceſſario diſconvenire cum natura ſua rationali qua tali, æque ac Deus, qui neminem ſe ſuperiorem habet, nec naturam ſuam

 ratio-

rationalem habet ab ullo alio, tamen judicare poteſt & ab æterno judicavit, illum actum cum natura ſua rationali neceſſario (ſcilicet neceſſitate ſpeciei aut eſſentiæ aut contrarietatis abſoluta) convenire, hunc diſconvenire. 3. Grotius ſcribit: *Si daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, utpote cujus contrarium nobis ratio inſevit, nempe ipſi Deo ut opifici nos & nosmet ipſos & noſtraque debere omnia*, cur hæc verba: *ſummo ſcelere* &c. omiſiſti? Scilicet ut tuis allegatis aliquam fidem habenti aſſertum Grotianum magis magisque exoſum redderes. An non per impoſſibile aut abſurdum, annon per impium ac peſtilentisſimum abſurdum licet aliquando diſputatori hoc illudve ponere? 4. Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum. Judicet, quæſo, cordatus Vir, ſi hic floſculus parum a blaſphemia abit: Judicium de hujus vel illius actus humani abſolute neceſſaria convenientia aut diſconvenientia cum natura rationali ut eſt talis, locum aliquem haberet, etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, & cujus contrarium nobis ratio inſevit, hominem qui exiſtit & hoc judicio utitur, non habere naturam ſuam rationalem a Deo; quo titulo ſeqq. digna ſint: *Si ſoli duntaxat ſibi homo eſſet natus, fatemur conveniens fore, ut in abſoluto ipſius arbitrio relinqueretur, quid de ſe ipſe*

*ſta-*

*ſtatueret, utrum ſeipſum amare, an odiſſe, conſervare ſe an perdere vellet? Sane enim, ſi conſiderentur moleſtiæ, quæ vitam humanam comitantur, longe ſuperantes exiguum illud & vile voluptatum eodem tenore, ſed languidius ſere & non citra faſtidium recurſans: ac quam multis vita producatur, ut plura excipere mala poſſint: quotusquisque non primo quoque tempore vitam abrumperet, ni inſtinctus tantopere eandem commendaret: aut quotusquisque inſtinctum iſtum, quo nempe homo fertur in conſervationem & amorem ſuiipſius, non vinceret, ni omnipotentis creatoris juſſa obſtarent?* Ergo te judice hic quoque licebit exclamare: *Sane quantam veſaniam hoc arguit, quod dicitur:* Si ſoli duntaxat ſibi homo eſſet natus, fatemur conveniens fore, ut in abſoluto ipſius arbitrio relinqueretur, quid de ſeipſo ſtatueret; *Ergo & tibi conveniens videbitur: huic univerſo integritatem & ordinem conſtare poſſe*, hominem ſui arbitrii exiſtere, arbitrium hominis dari, *ſi vel maxime Deus hoc univerſum non creaſſet*, nec hominem produxiſſet, *aut ſi Deus plane extra mundum relegetur.* Non dicimus, hoc abſurdum tibi conveniens videri, eodem tamen jure conſequetur ex tua ſententia, quo nempe ex Grotii ſententia iſtud conſequi fingis. Octavo, tandem propriam turpitudinem profiteris: *Si vel maxime ego terminum aliquem Scholaſti-*

*cum* (nempe terminum neceſſitatis hypotheticæ) *aliter accepiſſem, quam genuina ac divinitus apud Jenenſes ſancita Metaphyſica, aut tabulis Stablianis, velut æterna Parcarum lege ſancitum eſt, num tamen ideo tam inaceto more inſultari par erat VIRO? An tantus ideo tumultus excitandus, ac ſi de Eccleſiæ & Reip. ſalute ageretur?* Cur igitur feciſti tantum tumultum? cur non Grotium ſolum, ſed plerosque Theologos, JCtos, Philoſophos tales vocaſti, qui *nil niſi meras nugas, ſtolidiſſima & abſurdiſſima commenta, blaſphemas opiniones pro genuinis fundamentis Juris naturalis omnisque ſcientiæ juſti atque injuſti vendiderint hactenus, ſuaque futilia ac ſtolida principia ut vera & recta Academicæ Juventuti obtruſerint.* Idem fructus alterius tuæ cavillationis eſt: *Data creatura rationali, neceſſarium ipſi eſt Deum colere. Quod genus neceſſitatis ut mihi tantisper hypotheticum vocare liceat, ſi qui ſint terminorum Scholaſt. dictatores ἀνυπεύθυνοι, ſupplex veniam rogo.* Cæterum Lectorem æqvum oro, ut ne putet, me has inſtitutiones conviciis, turpi fœtu impotentis animi, inquinare voluiſſe, ſciatque me nunquam meis, ſed Antagoniſtæ propriis verbis uſum fuiſſe, ita tamen ut delectu adhibito, ſaltem ea, quæ minimum acerbitatis habere videbantur, retunderem, reliquam vero horrendorum conviciorum & injuriarum turpiſſima-

marum egeriem, ac nomina criminoſa quovis honeſto viro indigniſſima, ac in neminem magis quam autorem ſuum quadrantia, neminem etiam præter autorem ſuum inquinantia, ei ſoli relinquerem, ut iis tanquam proprio ac quotidiano furfure ſe ſaginet. Nec vero hic loci hanc ſententiam moralem in paulo prolixiorem diſquiſitionem vocaſſem, utpote quam in *Juriſprudentia morali*, quæ brevi lucem publicam Deo volente aſpiciet, ex inſtituto explicui ac demonſtravi, niſi mederi placuiſſet dolori, quem opinione majorem nonneminem ex eo cepiſſe audio, quod fuerint & adhuc ſint in hac alma Salana, qui hanc Grotii ſententiam absque diſpendio veritatis & quod majus eſt, ſalva pietate ac ſine Academicæ Juventutis ſcandalo defendi poſſe cenſeant, quem vix conſolabilem dolorem verbis ſatis explicare neſciat eoque angi conflictarique neceſſum habeat; Melius vero remedium huic malo vix credo adhiberi poſſe, quam ſi intra circulos ſuos maneat, ſimulque cogitet artem ſemper gaudendi cum talismodi dolore neutiquam ſtare poſſe. Nam quod 1. dicitur: voluntate Dei, cum ſit æterna ac quoad rem ipſe Deus æternus, nihil dari prius noſtro concipiendi modo, aniles Sophiſticationes jure optimo maximo vocaveris. Si hæc collectio valeret, haberent Calvi-

niani, quod in ſinu ſibi gratularentur, dum nempe eodem ac forte majori jure dicere, poſſent, quia præſcientia Dei, qua ab æterno cognovit futura Adami noſtraque peccata, æterna fuit, æternoque nihil datur prius, nullam aliam cauſam dari poſſe, cur ab æterno verum fuerit, Adamum omnesque homines in tempore fore peccatores, quam æternam præſcientiam, quia quod Deus ab æterno præſcivit, voluntas Adami neceſſario in tempore egit, ſique aliud ageret voluntas, quam quod Deus ab æterno præſciviſſet, Deus non recte præſciviſſet, & præſcientia divina non eſſet infallibilis. Et vellem ſcire, quid hic reſpondere contrariæ ſententiæ patroni ac commendatores poſſent. Si enim ipſi reſponderent, hoc argumento Calvinianorum nihil probari, quam neceſſitatem hypotheticam, qua neceſſario futura fuerint, peccata Adami omniumque hominum ab æterno a Deo præviſa ut futura: neceſſitate vero hypothetica nequaquam tolli libertatem, utpote quæ ſimul cum illa conſiſtere poſſit: Hæc certe reſponſio nulla futura eſſet, niſi aliquid in puncto rationis prius conciperetur æterna Dei præſcientia, (quod tamen hi ipſi homines mordicus negant,) nempe (quæ Reformatorum dictio eſt) ipſa futuritio peccati prior eſt, adeo ut noſtro concipiendi modo prius fuerit, hominis volun-

luntatem in tempore ſe pro ſua libertate determinaturam eſſe ad peccatum, quam a Deo eam fuiſſe cognitam, ut tamen ab æterno ſit cognita: Non enim Deus ab æterno futurum cognoviſſet, niſi futurum fuiſſet, ſicque æterna præſcientia tanquam poſterior futura determinatione voluntatis humanæ non potuit neceſſitatem afferre voluntati. Quod deinde ad quartam petitionem orationis Dominicæ provocatur: Fiat voluntas tua; Omnino oramus hanc petitionem: Fiat voluntas tua, o juſtiſſime Deus, in iis, quæ per ſe & ſua natura nobis ſunt honeſta, hoc eſt, cum natura noſtra rationali qua tali, quam tuæ bonitati debemus & a tua liberrima voluntate accepimus, abſoluta ſpeciei neceſſitate neceſſario convenientia, idque propter a Te, o juſtiſſime Deus, neceſſario præcepta, fiat voluntas tua, cui humillimum debemus obſequium, fiat, ut talia eligamus, ac data occaſione agamus, ſicque recte erga Te, o fons omnis juſti & honeſti, qui es ipſa immutabilis juſtitia, recte nos geramus, recte nos geramus erga nos ipſos, recte erga proximum, ſicque pie, ſobrie & juſte vivamus: Fiat voluntas tua, o juſtiſſime Deus, in iis, quæ per ſe & ſua natura nobis ſunt turpia, hoc eſt, naturæ noſtræ rationali qua tali, quam tuæ liberrimæ voluntati & bonitati unice acceptam ferimus, abſoluta ſpeciei ne-

ceſſitate neceſſario repugnantia, idque propter a Te, o juſtiſſime Deus, neceſſario prohibita, fiat voluntas tua, cui humillimum debemus obſequium, fiat, ut talia fugiamus ac ſemper omittamus: Fiat voluntas tua, o juſtiſſime Deus, in iis, quæ per ſe & ſua natura nobis nec ſunt honeſta, nec turpia, ut ſi alia lege honeſta vel mandato nobis ſint præcepta aut prohibita, ea eligamus aut fugiamus, committamus aut omittamus, ſicque ſuperioris voluntati obſequium debitum præſtemus, ſi vero ſint meri liberrimi arbitrii noſtri, ut omnia ac ſingula, quæ eligimus averſamurve, committimus omittimusve, unice eligamus averſemurve, committamus omittamusve in ſanctiſſimi nominis Tui gloriam! Qui vero hujus ſenſus preces ad Deum fundunt, illi has cenſuras ſubire coguntur: *Apparet eos de voluntate Dei non optime ſibi polliceri. Inde tam anxie vincula eidem injicere aut moderamine rerum dimovere ipſam laborant, ne forte in licentiam degeneret, & abſurdas leges hominibus promulget. Quales opiniones iſta animalia de Deo habere credamus? quæ ne tertiam quidem petitionem orationis Dominicæ norunt.* Item, *ſi a libertate voluntatis divinæ mali quid mortalibus immineret, non juſſiſſet nos Salvator orare: FIAT VOLUNTAS TUA. Niſi forte iis pro illa clauſula ſubſtituere placet: FIANT*

ANT

Digitized by Google

*ANT QVÆ PER SE ET SUA NATURA SUNT NECESSARIA.* Item, *Adparet eos non meliora ſibi de voluntate Dei polliceri, quam de libidine Caligulæ aut Neronis cujusdam.* Ergo quo magis de his declamant, eo magis ſtultitiam propriam flagellant. Mirum, ni petere velint: fiat voluntas tua, hoc eſt, fac o Deus libera tua voluntate, ne forte te colamus, priusquam ſimus; fac o Deus libera tua voluntate, ne naſum, oculos & aures, membraque alia citius perdamus iisque abutamur, quam a Tua libera voluntate ea acceperimus. Imo ſi quis omnino abſurdam hanc ac in Veterum Philoſophorum Scholis dudum rejectam & exploſam hypotheſin, quod ſingulis momentis recens gignamur, ſupponere vellet, annon adhuc orare poſſet, *pareatur tuo ductui morali in iis, quæ in ſe ſua natura honeſta ſunt homini, ſeu quia natura hominis ita eſt comparata, ut iſta non poſſint non eidem congruere.* Sed hisce nugis refellendis non amplius immorabimur, quandoquidem vix ullam reſponſionem iſtæ næniæ merentur. Genuinam ſedem hujus diſquiſitionis Jurisprudentiæ Cultores in *§. ſed naturalia 11. Inſtit. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* & *l. probrum 42. D. de verb. ſignif.* Theologiæ vero Studioſi in *epiſt. ad Ebr. c. VI. v. 18.* inveniunt: Cæterum commune omnium hominum judicium in re-

tam

tam evidenti qui inſuper habet aut cavillatur,

naviget ad nigri regna Melampodii,
Anticyraſque bibat totas - -

Unicum exemplum in gratiam Theologiæ Cultorum adhuc adferre libet, ut rectius judicare poſſint de hujus axiomatis ſalutari uſu & noxio abuſu. Siſtit vero illud *Danielis Zwickeri*, notiſſimi cujuſdam Sociniani, COMPELLE INTRARE ſeu TRACTATUS TRACTATUUM DE CONTRADICTIONE. Abſolvitur iſte totus Zwickeri ſic inſcriptus tractatus tractatuum, quem ſi nudum titulum nominari audias, crederes vaſtiſſimæ molis opus, unico quaternione, cujus folium primum exhibet merum titulum, reliquis vero tribus foliis totus tractatus tractatuum continetur. Et quidem totus titulus hic eſt: *Compelle intrare ſeu Tractatus Tractatuum de contradictione, qua fere ſola probe cognita pleræque hodiernæ Eccleſiæ, miſere proh dolor! collapſæ, nominatim vero Romana, Græca, Lutherana & Calviniana, ſi velint, inſtaurari, & ad pacem mutuo colendam adduci facillimo negocio poſſunt. Ita Divina miſeratione Chriſtianos devios in viam veritatis Revocante Daniele Zwickero.* Summam totius tractatus tractatuum reliquis tribus foliis com-

comprehenſi Autor ipſe ſub finem quaternionis exprimit, hac nota præpoſita:

*Syllogiſmus, in quem omnia in hoc ſcripto breviter reſolvuntur, hic eſt:*

*Quicunque in vera contradictione ad idololatriam & æternam damnationem uſque hærent, ii ſi ſalvi eſſe velint, contradictoriam & ſimul noxiam hanc ſuam ſententiam protinus abjicere, cumque veriori & magis ſalutifera commutare debent. (Id quod per ſe evidens eſt, nec probatione indiget)*

*Atqui pleræque Eccleſiæ, nominatim vero Romana, Græca, Lutherana, & Calviniana, in vera contradictione ad idololatriam & æternam damnationem uſque hærent.*

*(Prout per totum hoc ſcriptum nunc evidenter oſtenſum eſt.)*

*Ergo pleræque hæ Eccleſiæ, nominatim expreſſæ, ſi ſalvæ eſſe velint, contradictoriam & ſumme noxiam hanc ſuam ſententiam protinus abjicere cumque veriori & magis ſalutifera commutare debent.*

Quantum vero ſibi ſuoque tractatuum tractatui tribuat *Zwickerus*, patet ex verbis huic ſyllogiſmo proxime adjectis: *Hunc igitur ſyllogiſmum ex unanimi & perpetuo Doctorum conſenſu, manifeſtaque & infallibili, imo ab omnibus, etiamſi ſumme contradicentibus hominibus, vel per hanc ipſam contradictionem ſuam, ceu quam veram, & non falſam ſimul eſſe volunt, rece-*

*recepta & approbata, adeoque æterna veritate, concinnatum, & proinde etiam omnium Conciliorum, Patrum, Paparum, & Doctorum, a tam firmata, prorſusque divina veritate imprudenter abeuntium, deciſionibus & decretis longe præferendum; Eccleſiæ commemoratæ nunc velint perpendere.* In calce tractatus hæc leguntur: *Monitum. Divulgabitur hoc ſcriptum in regnis, regionibus, urbibus, oppidis, Academiis, Conventibus, & Conſeſſibus Theologorum, per Europam aliasque Orbis partes, ut velut in generali aliquo Orbis Concilio de eo ſermo haberi, certique aliquid ad Eccleſiarum reformationem conſtitui poſſit.* Quo interim jure quave occaſione hæcce talia in præſenti allata ſint & mox uberius adferenda, facile colligere datur ex verbis *Zwickeri*, quæ *folii primi*, cujus prior pagina titulo inſignita conſpiciebatur, verſa *pagina poſterior* exprimit: *Habetis judicem controverſiarum in Eccleſia, eumque non ſuſpectum, ſed qui erranti ſententiam ferat, quo nemo ei ſit charior, videlicet ipſe ſibi. Si enim diſputando eo redigatur, ut in manifeſtiſſima contradictione deprehendatur, fateri neceſſum habet, ſe peccaſſe, adeo ut non tantum ſibi judex tum ſit, ſed etiam talis judex, a quo clare condemnetur,* CUM DUÆ CONTRADICTORIÆ NUNQUAM POSSINT SIMUL ESSE VERÆ, IDQUE PROPTEREA, QUOD ALTERA SEMPER ALTERAM MENDACII ARGUAT. *Arguit igitur contradicens*

cens ſibi ſe ipſum mendacii, adeoque ſibi judex eſt infallibilis. *Ita Cornelius Martini in Analyſi Logica pag. m. 177. præfationis loco hic allegatus, idque propterea, ut in ipſo quaſi hujus ſcripti veſtibulo mox appareat, eum qui contradictionem urget, omnibus etiam Conciliis eorumque ratiocinationibus, ceu per quas Concilia, teſte Bellarmino lib. de Concil. cap. 12. concluſiones aut decreta ſua ex Scripturis duxere, longiſſime præferendum eſſe; cum contradictione oſtenſa adverſarius quilibet ſeipſum mendacii & falſitatis arguat; at per ratiocinationem Conciliorum, præſertim, ſi hæc etiam contradictione laboret, an quæſo, omnes mox adverſarii ſeipſos mendacii & falſitatis arguunt? an eadem protinus convinci poſſunt, an convinci ſolent? imo, an non tunc ipſa potius ratiocinatio falſitatis convincetur? cum ne ratiocinatio quidem dici poſſit, quæ contradictionem involvit, ſed irrationalis prorſus oratio aut ſententia, ſeipſam tantum conficiens & deſtruens, maneat.* Sed videamus nunc ipſum argumentum, quo *Zwickerus* probat, id quod in ſe probandum ſuſceperat, nempe myſterium SS. Trinitatis quod vocamus, implicare manifeſtiſſimam contradictionem. Ita enim nugatur *fol.* 2. fere ab initio: *Eſt vero animus, probare, Eccleſias commemoratas in re capitali & graviſſimi momenti, puta, ſententia de Trinitate, adeo ſeſe contradictionis reas feciſſe, ut, niſi protinus ma-*

Digitized by Google

*maculam hanc eluant, non videam, quomodo Deum ſibi habere poſſint propitium faventemq́.* Huc vero redit totum argumentum, ſi preſſius formemus inque hanc formam Syllogiſmi illud redigamus:

Quicquid veriſſimam & manifeſtiſſimam contradictionem implicat, illud non cadit ſub ſalvificam fidem, hoc eſt, ſalvifica fide credi nequit, & quisquis credit iſtud ſalvifica fide a ſe credi, ejus fides non eſt ſalvifica, ſed ſtolida & impia fides.

Atqui ſic dictum Myſterium SS. Trinitatis veriſſimam & manifeſtiſſimam contradictionem implicat E.

Sic dictum Myſterium SS. Trinitatis non cadit ſub ſalvificam fidem, hoc eſt, ſalvifica fide credi nequit, & quisquis credit iſtud ſalvifica fide a ſe credi, ejus fides non eſt ſalvifica, ſed ſtolida & impia fides.

Majorem propoſitionem *Zwickerus* probare volens probationis loco urget *UNANIMEM, CONSTANTEM ET PERPETUUM DOCTORUM* (*rei ipſius naturam, Deique, falli & mentiri neſcii, immutabilem ſanctitatem, quæ omnium contradicentium hominum, aut etiam Conciliorum; ceu non etiam de rerum naturis, ſed de incertis aut falſis ſuis traditionibus urgendis potiſſimum ſollicitorum, & hinc ſæpe etiam errantium, aque ſeipſis diffidentium; autoritate ſemper potior & firmior ſit, penitius introſpicientium*)

Digitized by Google

*tium*) CONSENSUM; *unice proinde (quicquid de varia & minus candida ejuſdem applicatione vel apud eoſdem nonnunquam autores alioquin ſit) hic etiam attendendum & ſumme obſervandum; Id ſcilicet, quod vere contradictionem implicat, neque per divinam potentiam fieri poſſe, ſed prorſus impoſſibile & falſum, adeoque purum putum mendacium manere; & hinc, neque in Divinis, Scripturave Sacra ſtatui aut admitti ulla ratione debere.* Pag. 3. Et ſane non erat, cur ipſe tantũ temporis probationi rei per ſe omnibus notæ ac manifeſtiſſimæ impenderet, tamque anxie Doctorum Eccleſiæ conſenſum conquireret. Minoris propoſitionis veritatem credit facillimam perceptu: *Non amplius*, ait pag. 4. *opus eſt oſtendi, quantopere omnes a me commemoratæ Eccleſiæ ad contradictionem implicatæ hæreant, eo quod 1. in hoc iterum omnium Theologorum ſit conſenſus, eſſe Deum naturam aliquam ſeu eſſentiam, eamque ſumme intelligentem; quod ſcire hoc loco ſufficit. 2. Perſonam divinam, quæcunque ea etiam eſſe dicatur, quia intelligens eſt, neceſſario eſſe eſſentiam, quod iterum ſufficit. 3. Unum neceſſario eſſe, quod in ſe & ſua eſſentia indiviſum eſt, & diviſum a quovis alio. Et quia*, pergit *eadem pagina* Zvvickerus, *hæc tria adeo neceſſario partim de Deo, perſonaque divina, partim vero de unitate, cogitari & credi debent, ut ſi id non fiat, Deus, perſona, & unitas,*

*tas, prorſus tollantur & negentur, hinc deſcriptiones Dei, perſonæ, & unitatis, quidditates iſtas continentes tam ſunt veræ, eſſentiales & neceſſariæ, quam ſi hominem animal eſſe dicas: & præterea, quicquid iisdem opponitur, protinus veram contradictionem neceſſario implicat. Verbi gratia, ſi perſona ſtatuatur ſine propria eſſentia, (prout neceſſario fit, ſi tres perſonæ una numero eſſentia eſſe dicantur,) tum ſimul erit & non erit perſona: quod contradictorium eſt. Item, ſi ſingularis ſeu una numero eſſentia, communis dicatur tribus perſonis, tum ſimul erit ſingularis ſeu una numero, & non erit: quod iterum manifeſte ſibi contradicit.* Et hoc eſt argumentum Zwickeri, quo ſeſe mirifice jactat, & cujus concluſionem ſæpiuscule repetit: Ita enim *pag. 7. Manet immotum, nimirum omnes commemoratas Eccleſias in ſententia ſua de Trinitate ad contradictionem implicatas hærere, adeoque impoſſibilia, falſiſſima & nugaciſſima, imo, (cum verbi gratia, præter unum Deum Patrem, etiam ſecundam Trinitatis perſonam, quæ tamen prout hactenus monſtratum eſt, in rerum natura, Deique una numero eſſentia, nunquam fuit, nec eſſe potuit, nec eſt, adeoque merum idolum manet, pro uno illo Deo coluerint; idque non ſine depreſſione & gravi contumelia tum ipſius Dei, cujus gloriam imminuunt, tum unice poſt Deum colendi & adorandi hominis & Domini Jeſu Chriſti) impia & ido-*

*idololatrica perpetuoque anathemate damnanda & rejicienda hactenus de Deo credidiſſe & credere, alioſque eadem impietate ad talia credendum impuliſſe & coegiſſe, ſecumque perdidiſſe.* Eadem pagina: *Idololatras eoſque damnatos, facere articulum de Trinitate.* Pagina octava: *Manifeſtum eſt dictas Eccleſias apertæ, periculoſæ & damnabilis hæreſis, idque in primario ſuo fidei articulo nunc convictas eſſe.* Ibidem: *Abrumpo, cum prævideam, me jam hac ratione non ſolum Lutheranos & Calvinianos ſeu Reformatos ad moderationem Chriſtianam adduxiſſe, ſed & Papam Romanum de throno & ſolio ſuo dejeciſſe. Nam qui hactenus creditus eſt, errare non poſſe, nunc in primario ſuo fidei articulo craſſiſſime erraſſe, erra req; deprehenditur: idque per hoc COMPELLE INTRARE, quod non hominis, ſed Dei.* Certe ſi quiſpiam in Controverſiis Theologicis nondum adeo verſatus aut parum exercitatus Philoſophiæ ac Theologiæ cultor ipſum Zwickeri argumentum aſpiceret, primo intuitu ei videri poſſet, ac ſi facillimum eſſet ad iſtud reſpondere negando propoſitionem minorem, hoc eſt, pernegando, quod ſic dictum Myſterium SS. Trinitatis veriſſimam & maniſeſtiſſimam contradictionem implicet; cum ad veram contradictionem requiratur, ut idem dicatur eſſe & non eſſe, ſicque idem affirmetur & negetur de eodem & eodem mo-



Digitized by Google

modo, & ſecundum idem, & ad idem, & eodem tempore, quæ ſecunda ex quatuor iſtis perpetuis conditionibus veræ contradictionis a Zwickero hic nequaquam fuerit obſervata, utpote qui tum demum probaſſet, *Eccleſias in re capitali* ( verba ipſius erant ) *& graviſſimi momenti, puta ſententia de Trinitate, adeo ſeſe contradictionis reas feciſſe, ut niſi protinus maculam hanc eluant, non appareat, quomodo Deum ſibi habere poſſint propitium faventemque*, ſi nempe Eccleſiæ dixiſſent Deum ſecundum idem unum & trinum, hoc eſt, ſi aſſeruiſſent Deum unum in eſſentia & ſimul trinum in eſſentiis, trinum in perſonis & ſimul unum in perſona, adeoque ſimul confeſſæ fuiſſent unum Deum & tres Deos, tres perſonas Divinitatis & unicam perſonam Divinitatis: At omnes & ſingulæ Eccleſiæ Deum in eſſentia unum, non trinum eſſentiis, trinum in perſonis, non unum, adeoque non ſecundum idem unum & trinum pronunciant. Enimvero accuratioris eruditionis amans, re intimius ac accuratius ponderata videbit facile, nondum omnem difficultatem eſſe ſublatam, ac adhuc habere Zwickerum, quod excipiat adverſus hocce reſponſum. Nempe eſſentiam & perſonam in divinis eſſe idem, ut adeo dum Deus in eſſentia unus, non trinus, in perſonis trinus, non unus, creditur, ſecundum idem Deus unus

&

& non unus, trinus & no trinus dicatur, cum ipſimet Theologi fateantur, in divinis perſonas realiter differre inter ſe, non autẽ ab eſſentia divina. Cauſam Theologi reddunt, quod perſonæ inter ſe opponuntur relative, quæ oppoſitio ſemper infert realem diſtinctionem, ſed inter perſonam & eſſentiam talis oppoſitio nulla intercedit, inde eſt illud Theologorum: Ubi non eſt relativa oppoſitio, ibi nec eſt realis diſtinctio. Illud ipſum advertentes Theologi Scholaſtici, ut huic difficultati obviam irent, dixerunt, eſſentiam & perſonam in divinis non quidem diſtingui realiter, tamen virtualiter diſtingui, hocque cauſæ eſſe, cur non ſecundum idem fiat contradictio, adeoque vera contradictio non ſit, Deum eſſe unum in eſſentia, trinum in perſonis: Quam reſponſionem etiam ex noſtris Philoſophis ac Theologis noſtratibus nonnulli non improbant, qua de diſtinctione agendi occaſio ſuo loco dabitur. Interim gaudeo ab haud vulgaris eruditionis viris magnique judicii Theologis probari modum reſpondendi ad Zwickeri argumentum per inverſionem, ceu Logici vocant, qui etiam captui ἀκρίβειαν non tam impenſe ſectantium apprime ſerviat, & quo uſus noſtri axiomatis inſigniter illuſtratur, abuſusque tollitur. Nempe major ſimpliciter convertitur, atque ita ſimplicis conver-

ſionis beneficio invertitur totum argumentum hoc modo: Quicquid cadit ſub ſalvificam fidem, hoc eſt, ſalvifica fide credi poteſt & debet, illud non implicat veriſſimam & manifeſtiſſimam contradictionem. Atqui Myſterium SS. Trinitatis cadit ſub ſalvificam fidem, hoc eſt, ſalvifica fide credi poteſt & debet Deum eſſe in eſſentia unum, in perſonis trinum. E. Myſterium SS. Trinitatis, hoc eſt, Deum eſſe in eſſentia unum, in perſonis trinum, non implicat veriſſimam & manifeſtiſſimam contradictionem. Majorem propoſitionem Zwickerus inficias ire nequit, quia à veritate convertendæ ſimpliciter ad ſimpliciter convertentis veritatem ſemper valet conſequentia: Erat autem major propoſitio in Zwickeri argumento propoſitio univerſalis negans, ſicque ſimpliciter convertenda, nunc vero ſimpliciter converſa. Faciliime quoque hæc propoſitio Major alias probari poteſt; nam ſi aliquid caderet ſub ſalvificam fidem, illud tamen ſimul veriſſimam & manifeſtiſſimam contradictionem implicaret, ſic illud ſimul eſſet poſſibile, quia ſub fidem caderet, nec tamen eſſet poſſibile, ſed ſimpliciter & abſolute impoſſibile, quia manifeſtiſſimam & veriſſimam implicaret contradictionem: quicquid vero manifeſtiſſimam & veriſſimam contradictionem implicat, hoc eſt abſolute impoſſibile. Ergo

via

Digitized by Google

via tutiſſima eſt, ut ratione ſub obſequium Chriſti captivata, inſiſtamus divinæ revelationi ſimpliciter, & quæ Deus de ſemetipſo revelavit ſicque ut crederentur voluit, credamus, utut quomodo ſimul ſtare poſſint, ratio noſtra aſſequi non poſſit. Inſtet Zwickerus, *pugnare tamen hæc inter ſe, & contradictorie ſibi invicem repugnare, quæ ratio noſtra aſſequi nequeat.* Reſpondetur, minime hæc pugnare & ſibi invicem contradictorie repugnare, quæ Deus revelavit, cum duo contradictorie pugnantia non poſſint ſimul eſſe vera, & propterea ſimul revelari a Deo nequeant: Deus namque, quia ipſa immutabilis veritas eſt, ceu ſuo loco demonſtrabitur, nequit ſibi contradicere, adeoque quæ Deus ſimul revelavit, non poſſunt eſſe contradictoria. Excipiat iterum Zwickerus: *Inutilem prorſus eſſe provocationem ad Scripturas Sacras, ſi rationis principium certum jam a quopiam ſit allatum; imo dementiſſimum haberi, quisquis tali rationi contradixerit, & ſenſu communi relicto ad Scripturas ſeſe conferre voluerit.* His enim verbis ipſe Zwickerus utitur pagina ſexta, ſimulque abutitur effato Auguſtini ſic diſſerentis: *Si manifeſtiſſimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur autoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum*

*potius objicit veritati: nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo, velut pro eis invenit, opponit. Neque enim, ut videamus, quam ſit hoc verum, Scripturarum auctoritas neceſſaria eſt, ac non ſenſus ipſe communis ita verum eſſe perſpicua ratione proclamat, ut quisquis contradixerit, dementiſſimus habeatur.* Inde exclamat Zwickerus eadem & ſequenti pagina: *Ergo cum contra agentes, teſte Auguſtino, non intelligunt, ubi id faciunt, imo dementiſſimi habeantur, ſequitur 1. omnes in univerſum Trinitarios, ne ipſo quidem Auguſtino excepto, non intelligere quod faciunt, neque ſatis prudentes eſſe; etiamſi quoque ſententiam ſuam myſterium divinum appellent, adeoque ad Scripturam provocent. Nam ſi Calvinianorum ſententiam contradictionis convictam Pontificii rectiſſime exſibilant, licet & hi eandem myſterium appellaverint & ad Scripturā provocaverint: quod ipſum etiā Calviniani cum Pontificiis, Ubiquitariis Lutheranis; & hi rurſus cum Calvinianis, Transſubſtantiatoribus Pontificiis, ceu relicto ſenſu communi ſimiliter mera tantum myſteria crepantibus, merito itidem faciunt, myſteria illa contradictoria, adeoque impoſſibilia exſibilando & explodendo; unde 2. etiam apparet, quantopere omnes hæ commemoratæ Sectæ ad contradictionem implicatæ hæreant, quidni omnes ad unum Trinitarii, exſibilatione & exploſione digni ſint, eaque vere contradictoria ſunt apud ſenſum com-*

mu-

*munem, myſteria adhuc divina, inque ſcripturis tradita appellando nominandoque.* Sane ſi evidentiſſime poſſit probari vera contradictio, tum in Scripturæ Sacræ interpretatione utique talis eſt quærenda conciliatio, quo contradictio evitetur, cum duo contradictoria nequeant eſſe ſimul vera, divina autem revelatio eſt infallibiliter vera: At ea, quæ Deus revelavit, nequeunt implicare evidentem & veram contradictionem, ceu modo oſtenſum eſt, quia ſi duo evidenter ſibi contradicentia ſimul eſſent revelata, tum admittendum eſſet aliquid falſum eſſe divinitus revelatum, & infallibilis veritas divinæ revelationis caderet, quod impium dictu & abſurdiſſimum. Interea non eſt, quod Zwickerus urgeat, *unam partem contradicentem contradictionis convictam ab altera parte contradicente rectiſſime exſibilari & explodi*: aut enim pars illa vere fuit convicta contradictionis, aut minime: Si hoc, nullo jure poterit explodi: Si illud, non poterit illa ſententia, ſi veræ contradictionis convincatur, eſſe a Deo revelata. Sæpenumero fit, ut Reformati, Pontificii, Sociniani, aliique hæretici, ſententiam veriſſimam ac à Deo ipſo revelatam ex errore graviſſimo habeant pro convicta contradictionis, qui tamen exſibilando & explodendo orthodoxam ſententiam ſeipſos proſtituunt, ac nil niſi ſibilos

merentur, quo de noſtrum non eſt hic loci diſpicere. Pariter ſponte ſua nunc concidit alterum Zwickeri aſſertum, quando non erubuerat ex priori colligere, *dogma de myſterio SS. Trinitatis, ideo quod contradictionis ab ipſo arguatur, non poſſe haberi pro dogmate divinitus revelato.* Quis quæſo rem accuratiſſime ſecum perpendens non advertit, Zwickerum totum in eo eſſe, ut orthodoxæ ſententiæ defenſores abducat a divina revelatione, qua in ſolidum nititur myſterium SS. Trinitatis, & qua conſtringendus ac convincendus venit Zwickerus cum ſociis ſuis. Hoc enim iſtis hominibus ſolenne & proprium eſt, principium cognoſcendi ultimum in ratione conſtituere, & tum demum, quæ Scriptura Sacra continet, admittere, ſi nempe rationi (Socinianorum) conſentanea ſint, ſi vero rationi non videantur conſentanea, ea rejicere, nec pro talibus, quæ in Scriptura Sacra continentur, habere. Igitur ex accuratiſſimorum Theologorum ſententia maxima cura adhibenda venit, ac ſedulo diſpiciendum, ne ſi revelatio divina ſit perſpicua ſibique per omnia Scripturæ loca bene conſtans, patiamur nos abduci, noſtrum tunc erit ſtricte ac rigoroſiſſime inſiſtere revelationi & verborum proprietati, nec unquam in hiſce talibus rationis judicium de contradictione ex principiis deſum-

Digitized by Google

ſumtis a rebus creatis deductum tanquam regulam bonæ interpretationis admittere, cum ſane res fidei ſint rationi occultæ & ſupra ejus captum, idque propter myſteriorum nomine veniant, Chriſtus quoque & Apoſtoli in Novo, & Prophetæ in Veteri Teſtamento remiſerunt nos ad Scripturam tanquam ad unicum & adæquatum principium credendorum, nunqnam vero ad rationem humanam. De cætero verba Auguſtini veros defenſores orthodoxæ ſententiæ de myſterio SS. Trinitatis nec tangunt, nec angunt. Non enim manifeſtiſſima certaq; ratio dici poteſt, cui Scriptura Sacra adverſatur, ac contrarium evidenter docet. Imo quæcunque Zwickerus aliique Sociniani afferunt principia ad contradictionem in myſterio SS. Trinitatis evincendam, omnia ac ſingula unice uniceque deſumta ſunt a rebus creatis & finitis, a quibus ad Dei eſſentiam infinitam concludere plane non licet, multoque minus per ea aliquid evidenter probari poteſt de his, quæ Deus de ſemet ipſo & ſua infinita eſſentia iisque, quæ in infinita ejus eſſentia dantur, patefecit. Ad minorem ſyllogiſmi Zwickeriani feliciter inverſi nunc progredi ratio noſtri inſtituti nequaquam permittit, ſaltem hoc unicum liceat venerandorum Theologorum pace obiter tangere, quod in Minoris probatione

acu-

Digitized by Google

acutiſſimi Theologi ſic procedere ſoleant, ut in anteceſſum probent, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, eſſe veras perſonas, ac eſſe tres realiter inter ſe diſtinctas perſonas, ac poſtmodum tale argumentum forment: *Verus Deus eſt in eſſentia unus Deus.* Quæ propoſitio & ex naturæ lumine & ex Scriptura Sacra ſufficientiſſime ac evidentiſſime probari poteſt. *Tres realiter inter ſe diſtinctæ perſonæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſunt verus Deus.* Singulas has propoſitiones: Pater eſt verus Deus, Filius eſt verus Deus, Spiritus Sanctus eſt verus Deus; Theologi ex Scriptura Sacra firmiſſime ac ſolidiſſime probant. *Ergo tres realiter inter ſe diſtinctæ perſonæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſunt in eſſentia unus Deus.* Hoc unicum in Zwickeri tractatu tractatuum ſupereſt, quando pag. 4. mirum in modum, exagitat Lutheranos quosdam, & inprimis Meiſnerum, *qui ultro & palam faſſi fuerint, Trinitatem Perſonarum in una eſſentia divina implicare contradictionem in omni Philoſophia, nec tamen advertere potuerint hoc ipſo hanc ſententiam prorſus impugnari ac rejici:* Sed hac de re infra in *Apparatu noſtro Metaphyſico* occaſio diſpiciendi ſimulque *B. Meiſnerum* (ad cujus *Philoſophiam Sobriam part. 1. ſect. 4. quæſt. 3. Metaphyſ.* Zwickerus provocat) vindicandi dabitur. Satis eſto in præ-



Digitized by Google

ſenti monuiſſe ſequentia : 1. Et Scripturæ Sacræ, & ratio recta quæ ex ſuis genuinis principiis convenienter docet, Deum autorem habent, a quo non niſi verum provenire poteſt: Sicut igitur verum vero nequit contradictorie opponi, ita nec fieri poteſt, ut quod Scriptura Sacra aſſerit, recta ratio neget, idq; in ea contradictionem implicet. 2. Quoties evenit, ut aliqua ex Philoſophia deſumta aſſertio alicui myſterio fidei repugnet, toties certum eſt eam vel non eſſe ex vera Philoſophia, ſed Philoſophi a recta ratione aberrantis aſſertionem, vel eſſe aſſertionem rationis rectæ atque veræ Philoſophiæ male intellectam aut inconvenienter applicatam. 3. Philoſophia nunc ſumitur abſtracte & ratione eſſentiæ, nunc ratione exiſtentiæ & concretive. Si priori modo ſumatur, facile erit oſtendere, *B. Meiſnerum* nunquam in ea fuiſſe opinione, ac ſi Myſterium SS. Trinitatis contradictionem implicet in Philoſophia. Nam ipſe *B. Meiſnerus in eadem quæſtione 3. Metaph. p. 524. & 525.* expreſſe ſcribit: *Quod ſemel vere verum eſt, id nullo loco, & tempore nullo, & in diſciplina nulla* (NB. ſi in nulla diſciplina ex mente B. Meiſneri poteſt eſſe falſum, multo minus ex ejus mente falſum erit in omni Philoſophia) *poteſt eſſe falſum, ſed & ubique, & ſemper, & apud omnes verum eſt, manetque conſtantiſſime.*

Et

Et poſtquam hoc ipſum tum à natura veritatis, tum a cauſa efficiente Deo probaverat, concludit tandem his verbis: *Illud ergo principium Philoſophicum: ignis naturaliter urit, ſi contrarium eſt huic effato Theologico: ignis naturaliter non urit, Deus contraria ſtatuet. Quomodo igitur veritas Dei, quomodo immutabilitas Dei ſalva manebit & illæſa? Veraxne eſt, qui contradicentia profert? An etiam contradicentium utraque pars erit vera?* Si poſteriori modo accipiatur Philoſophia, hoc eſt, concretive ſeu ratione ſubjecti, in quo exiſtit, amplius notandum eſt, quod cum *Meiſnerus*, tum multi alii Theologi orthodoxi, (inter quos inprimis etiam ſunt: *B. Martinus Chemnitius, B. Johannes Gerhardus*) per Philoſophiam hoc poſteriori modo ſumtam communiter intelligant Philoſophiam, prout ea adhibetur tanquam principium & fundamentum dogmatum fidei normaque controverſiarum Theologicarum, adeo ut nihil pro vero habeatur, niſi quod ad concluſiones quadrat Philoſophicas: Et ſane in omni Philoſophia (ita accepta Philoſophiæ voce) myſterium SS. Trinitatis contradictionem implicat. Id quod Zwickeri Philoſophia ſatis luculento exemplo confirmat. E. gr. hæc principia: *Quot ſunt perſonæ, tot ſunt eſſentiæ; Unitas perſonæ prærequirit unitatem eſſentiæ; Si perſona ſtatuatur ſine eſſen-*

*tia*

*tia ſingulari incommunicabili*, *tum ſimul erit & non erit perſona, quod contradictorium eſt; Si ſingularis ſeu una numero eſſentia communis dicatur tribus perſonis, tum ſimul erit ſingularis ſeu una numero & non erit, quod manifeſte ſibi contradicit*; ſi Philoſophia abſtracte & ratione eſſentiæ ſumatur, in Philoſophia ſunt veriſſima, quia Philoſophia abſolute & ſimpliciter ſic dicta veritatem horum principiorum nunquam aſſerit, nuſpiam docet, niſi ea præciſe accipiantur ac intelligantur de rebus rationi humanæ ſibi relictæ ſubjectis, nempe de creatis & finitis perſonis & eſſentiis: an vero in una eſſentia divina, utpote quæ infinita eſt, plures poſſint eſſe perſonæ? an ad pluralitatem perſonarum in divinis unitas eſſentiæ divinæ, quia hæc infinita eſt, ſufficiat? An perſonæ divinæ eſſentia una numero ac ſingularis maneat, utut vere ſit in pluribus ſuppoſitis, adeoque pluribus perſonis communis, abſque omni veræ contradictionis nota? An ſi ſingularis ſeu una numero eſſentia divina dicatur communis tribus perſonis divinitatis, adhuc abſque omni vera contradictione una numero ac ſingularis maneat? harum quæſtionum deciſionem Philoſophia abſtracte & ratione eſſentiæ ſpectata prorſus ignorat, Theologia vero revelata omnium & ſingularum harum quæſtionum affirmativam ex verbo Dei probat ac tue-

tuetur ſolidiſſime, quod ſolum eſt norma, principium ac fundamentum harum quæſtionum affirmative decidendarum, ex quo ſupplenda & perficienda venit ratio recta in homine ſibi relicta. Pari ratione ſi a Beatis Doctoribus :. *Meiſnero* & *Gerhardo*, (qui præter meritum vapulant) præciſe ut Philoſophis, reſponſiones ad eaſdem quæſtiones *Zwickerus* exegiſſet, certiſſimi ſumus, utrumlibet eorum nihil reſponſurum, ſed reſponſi loco unicum verbum ingeminaturum fuiſſe: *NESCIO*. Et hæc eſt ad ejuſmodi quæſtiones & Philoſophiæ ſimpliciter & abſtracte ſpectatæ & Philoſophorum noſtrorum (qua talium) reſponſio: At ſi ex Zwickero quæras: Quid ad modo propoſitas quæſtiones reſpondeat? ipſe reſpondebit: *SCIO* negativam cujuslibet quæſtionis eſſe veriſſimam, nec verebitur eos aſophos ac rudes in omni Philoſophia, dementiſſimos ac ſtupidiſſimos nuncupare, qui ad talia quæſita ut Philoſophi reſpondeant: *neſcio*. Et idem profecto reſpondebunt omnes Sociniani, nempe quod illud: *NESCIO*, non ſit Philoſophorum, ſed *ubiquitariorum Lutheranorum*, (quæ cavillatio Zwickeri eſt) *inque primis Meiſneri Lutherani in Philoſophia Sobria, a Gieſſenſibus aliisque Lutheranis Theologis publice approbata & commendata* (Verba Zwickeri ſunt) *reſponſio*. Rebus ſic ſtantibus non

non miror, cur B. *Meiſnerus* aliique orthodoxi Theologi, dum adverſus ejusmodi homines iisque ſimiles diſputarunt, ſolam eorum rationem philoſophandi dixerint Philoſophiam, quia nempe hi nihil pro vero in Theologia revelata habent, niſi quod ad iſtius ita dictæ Philoſophiæ concluſiones quadrat, nec aliam Philoſophiam agnoſcunt, adeo ut ipſis non fiat injuria, ſi dicas, ex eorũ mente hancce ſolam corruptam doctrinam, quam B. *Meiſnerus* Philoſophiam, item abuſive *omnem Philoſophiam* vocat, eſſe Philoſophiam. Vides, Lector benevole, quo titulo B. *Meiſnerus* excuſari poſſit, quando *in Philoſophia ſua ſobria part. 1. ſect. 4. quæſt. 3. Metaphyſ. pag.* 530. expreſſe ſcripſit: *Deum eſſe trinum perſonis & unum numero; atque ita quidem unum, ut tamen natura realiter identificetur cum ſingulis perſonis, quæ realiter diſtingvuntur, contradictionem in omni Philoſophia implicat.* Et *pag. 609.* probationem ſuam concluſurus hæc addit: *Sed nolo plura ejusmodi ſpinoſa rationis argumenta coacervare, cum ex his abunde ſatis pateat, quam incomprehenſibile & OMNI RATIONI SUB OBSEQVIUM FIDEI NON CAPTIVATÆ* (NB. hic videt Zwickerus, quid per omnem Philoſophiam B. Meiſnerus intellexerit) *contrarium ſit SS. Trinitatis myſterium: ideoque ſi urgetur principium Calviniſticum,* (NB. Eodem ac forte

potiori jure dixiſſet: ſi urgetur principium Socinianum, e.gr. Zwickerianum) *Deum non proponere incomprehenſibilia, & nihil eſſe credendum, quod ſit contra rationem, ego* (addit Zwickerus NB.) *certe non video, quomodo quis inde ſeſe expedire, & adverſariis (AntiTrinitariis) ſatisfacere poſſit.* Sed nihil cauſæ erat, cur Zwickerus NB. adjiceret, quia fruſtra ſequentia profert: *Hic Meiſnerus idipſum clare dicit, quod a me oſtendendum erat, nimirum dictum Trinitatis Myſterium omni rationi contrariari; ſimulque præſentit, neminem Trinitariorum inque contradictione tali hærentium, propterea ſeſe inde eſſe expediturum, & adverſariis Antitrinitariis ſeu illis, qui contradictionem illam averſantur, mendacii & impoſſibilitatis arguunt, unquam ſatisfacturum.* Nam nullibi *B. Meiſnerus* dixit, omni rationi contrarium eſſe SS. Trinitatis myſterium, ſed *omni rationi ſub obſequium fidei non captivatæ,* qualis maxime eſt Zwickeri omniumque Socinianorum. Paucis: hoc vult *B. Meiſnerus,* ſi relicta revelatione divina, deſcendamus cum Socinianis aliiſque AntiTrinitariis ad ipſorum argumenta philoſophica, ſicq; delabamur ad controverſias mere philoſophicas, ſemper habebunt adverſarii, quod regerant & obloquantur. Hæc eſt mens B. Viri, quam etiam ſatis aperte indicant præcedentia verba, quando expreſſe aſſeruerat, *quod ſe-*

*mel*

Digitized by Google

*mel vere verum eſt, id nullo loco, & tempore nullo, ET IN DISCIPLINA NULLA, poſſe eſſe falſum.* Agnoſcit hæc verba Zwickerus, *& rectius hic ſcripſiſſe Meiſnerum* affirmat, *ſibimet ipſi tamen contradixiſſe.* Sed nulla profecto eſt contradictio, quia dum in omni Philoſophia myſterium SS. Trinitatis contradictionem implicare aſſerit, loquitur de Philoſophia, prout ea opus eſt rationis perverſæ, & a Socinianis norma ponitur myſteriorum fidei: quando vero myſterium Trinitatis negat in ulla Philoſophia falſum eſſe, ſermonem facit de Philoſophia abſtracte & ratione eſſentiæ ſpectata, ut & eorum Philoſophia, qui agnoſcunt, incognitum eſſe rationi ſibi relictæ, nec habere ipſam ex ſuis principiis, unde certi aliquid de ſubſiſtentiis ſeu perſonis divinis determinari poſſit, compleri tamen hunc defectum ex revelatione, ita ut ratio ſub obſequium fidei captivata pro certo habeat, myſterio Trinitatis nullam ſubeſſe contradictionem, cum alias a Deo ſumme veraci toties & tam perſpicue revelari non potuiſſet. Nec vero amplius mirari ſubit, cur Sociniani illud Thraſonicum: SCIO, ipſamque Philoſophiam urgeant: Scilicet habent ipſi hæc principia rectæ rationis, quæ de eſſentiis ac perſonis finitis & creatis intellecta ſemper vera ſunt, de eſſentia vero infinita ac perſonis increatis nequi-

quam procedunt, pro univerſaliſſimis principiis, quæ in divinis æque ac in finitis valeant, ſintque regula, fundamentum ac norma credendorum. Quamdiu ergo hunc errorem peſtilentiſſimum Zwickerus cum ipſis fovet, non poteſt non myſterium Trinitatis huic homini animali eſſe ſtultitia, utpote qui ſpiritualiter iſtud dijudicare neſcit; quod ſi facultatem judicandi de iis quæ Spiritus ſunt, rationi ſuæ ſubtrahere diſceret, videret facile ſuum COMPELLE INTRARE eſſe vocem Spiritus tenebrarum hominumque, qui ſe patiuntur abduci a tramite cœleſtis veritatis, qui quum ſe ſolos crederent eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt & fruſtrati per dialogiſmos ſuos, non autem eſſe vocem Dei, qui nos conſervet in veritate ſua, illosque, ſi deſinant gratiæ veritatis cœleſtis obicem ponere, convertat. Tantum de abuſu hujus Axiomatis, totoque hoc Axiomate.

## AXIOMA II.

## *Quodlibet eſt vel non eſt.*

### SENSUS AXIOMATIS.

Inter vera contradictoria nullum datur medium. Seu quod eodem redit: Immutabilis & perpetua repugnantia, quæ inter vera contradictoria datur, eſt immediata: e. gr. non datur medium inter ens & non ens, inter

ter animal & non animal, videns & non videns, album & non album, Patrem & non Patrem.

## CONFIRMATIO.

Hoc axioma præcedenti adeo cognatum eſt, ut invenias Metaphyſicos, qui utrumq; pro uno plane eodemque maluerint venditare. Interim non difficile eſt hujus ab illo diſcrimen ſolidis rationibus oſtendere. Et quidem notandum habemus, quod quemadmodum alias duplex rei conceptus primus partialis ſeu inadæquatus ſtatuitur: Unus communis e. gr. conceptus primus homini cum bruto communis eſt animal: Alter proprius, uti rationale vulgo conceptus primus homini proprius dicitur; ita verorum contradictoriorum duo quoque dentur conceptus: Unus communis ac generi reſpondens, qui videlicet in eo conſiſtit, quod contradictoria ſint repugnantia: Alter proprius, quod ſint immediata. Inde datur argumentari: Quodcunque axioma exprimit conceptum primum proprium verorum contradictoriorum, quique differentiæ ſpecificæ reſpondet, illud omnino differt ab eo axiomate, quod tantum conceptum primum communem, quique generi reſpondet, verorum contradictoriorum arguit, & differt ab eo, ut poſterius a priori. Atqui hoc axioma: Quodlibet eſt vel non eſt, exprimit

net primum conceptum proprium verorum contradictoriorum quique differentiæ ſpecificæ reſpondet, illud vero: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, tantum conceptum primum communem verorum contradictoriorum quique generi reſpondet, arguit. E. Hoc axioma: Quodlibet eſt vel non eſt, omnino differt ab illo axiomate: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; & differt ab eo, ut poſterius a priori. Major patet, quia conceptus primus communis & conceptus primus proprius ſunt diſtincti conceptus: Commune enim differt a proprio, eſtque prius proprio. Minor facilis eſt perceptu, modo utriusque axiomatis ſenſum ad animum revocemus. 2. Hæc quoque ratio adeſt: Si per impoſſibile ponamus, hoc axioma: Quodlibet eſt vel non eſt; falſum eſſe, adhuc tamen prius axioma: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; veriſſimum maneret. Hinc rurſus ſic colligere licet: Quodcunque axioma adhuc maneret verum, ſi per impoſſibile præſens axioma eſſet falſum, ab illo præſens axioma utique differt. Atqui hoc axioma: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; adhuc maneret verum, ſi vel maxime per abſurdum ac impoſſibile ponatur, præſens axioma: Quodlibet eſt vel non eſt; eſſe falſum. Ergo ab illo præſens axioma utique differt.

Ma-

Major nulla indiget probatione, quia impoſſibile eſt idem axioma ſimul eſſe verum & falſum. Minor ita confirmatur: Si per impoſſibile vera contradictoria darentur, quæ tamen non eſſent immediata, ſed mediata, ſic quidem falſa foret hæc propoſitio: Quodlibet eſt vel non eſt, adhuc tamen vera maneret illa propoſitio: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Non enim a negatione medii valet conſequentia ad negationem repugnantiæ: Omnia namque reliqua verorum oppoſitorum genera agnoſcunt medium, de quo utrumque oppoſitorum negari poſſit, quod vulgo medium negationis vocatur, ſolaq; contradictoria ſunt plane immediata: e. gr. privative oppoſita ſunt videns & cœcum, contrarie oppoſita album & nigrum, relative oppoſita pater & filius, & quia ſunt oppoſita mediata, falſum eſt, ſi dicas: Quodlibet eſt videns vel cœcum, album vel nigrum, pater vel filius, quia verbi gratia paries ruber nec eſt videns, nec cœcus, nec albus, nec niger, nec pater, nec filius; veriſſimum tamen manet hoc effatum: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe videns & cœcum, album & nigrum, patrem & filium, ſcilicet ſecundum idem, ad idem, eodem modo & eodem tempore: Cur vero priori exiſtente falſo, poſterius aſſertum veriſſimum exiſtat, ratio eſt, quia, uti dictum eſt, reliqua oppoſita

utut non careant medio, dicunt tamen repugnantiam. 3. Axioma omnium primum: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, nequit collocari in demonſtratione ipſa, etiamſi ad certam materiam reſtringatur, ſed ſolum in ipſa concluſione, & quidem hoc modo: Animal eſt ſubſtantia, & non eſt non ſubſtantia. Homo eſt animal. Ergo homo eſt ſubſtantia, & non eſt non ſubſtantia: (Hic axioma reſtrictum ad certum ſubjectum ingreditur concluſionem, ipſaq; contradictio majori extremo additur). Præſens autem axioma: Quodlibet eſt vel non eſt; etiam poteſt ingredi ipſam demonſtrationem, ſi nempe ad certam materiam accommodetur: e. gr. Diameter aut eſt commenſurabilis coſtæ, aut incommenſurabilis. Sed non eſt commenſurabilis. Coſta enim reſpondet numero pari, diameter impari. Inde ſi diameter eſſet commenſurabilis coſtæ, numerus par eſſet commenſurabilis impari, quod eſt abſurdum. Ergo incommenſurabilis. Oſtenſo jam diſcrimine præſentis axiomatis a priori, ipſum axioma ita confirmamus: Quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, ideo quodlibet eſt vel non eſt. Nam ſi aliquid ita ſe haberet, ut non *vel* eſſet *vel* non eſſet, ſed ut eſſet & non eſſet, (ſive ſermo ſit de eſſe & non eſſe ſimpliciter, ſive de tali eſſe vel non eſſe: e. gr. ſi paries ruber

non

non eſſet videns *vel* non videns, albus *vel* non albus, pater *vel* non pater) tunc non eſſet impoſſibile idem ſimul eſſe & non eſſe. Poteſt etiam confirmatio fieri hoc modo: Quicquid ſimul eſſe & non eſſe nequit, illud eſt vel non eſt. Atqui quodlibet nequit ſimul eſſe & non eſſe, hoc eſt, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Ergo Quodlibet eſt vel non eſt.

## DEMONSTRATIO PER ABSURDUM ET IMPOSSIBILE.

Negans infallibilem ac immutabilem hujus axiomatis veritatem ad abſurdum deduci poteſt hoc ſyllogiſmo: Quicquid ita eſt, ut non ſit, illud poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Quoddam ita eſt, ut non ſit. E. Quoddam poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Hæc concluſio eſt abſurdiſſima ac ſimpliciter impoſſibilis, quia ſimpliciter impoſſibile & abſurdiſſimum eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Unde quia forma ſyllogiſmi fuit optima, aut major erit falſa, aut minor: Non major, utpote cujus veritas cuivis, cui ſanum eſt ſinciput, ex terminis liquet. Ergo minor eſt ſimpliciter impoſſibilis ac abſurdiſſima. Poteſt etiam ſyllogiſmus ducens ad abſurdum & impoſſibile ita formari: Quodcunque impoſſibile eſt ſimul eſſe & non eſſe, hoc eſt vel non eſt. Atqui quoddam nec eſt nec non eſt. Ergo non eſt impoſſibile quoddam ſimul

eſſe & non eſſe. • Concluſio eſt abſurdiſſima ac ſimpliciter impoſſibilis, forma eſt optima, major manifeſtiſſima. Ergo minor erit abſurdiſſima.

## USUS PRACTICUS.

Ampliſſimus hujus axiomatis uſus eſt quem uno alterove exemplo e diſciplinis practicis & Facultatibus ſuperioribus, ceu vulgo vocantur, petito illuſtrare liceat: Ita e. gr. hanc ſententiam Moralem, quod actus voluntarii dentur ſua natura ac per ſe juſti, h. e. antecedenter ad legem, prout ea *decretum* notat *ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat*, probamus inter alia ſequenti argumento: Aut Deus eſt ex ſua natura juſtus, aut non eſt ex ſua natura juſtus: Si non eſt ex ſua natura juſtus, non eſt Deus, quia omnia, quæ in Deo ſunt, ſunt ipſe Deus, & nemo, niſi atheus, negaverit, Deum eſſe proprie & per excellentiam juſtum, perpetuo & immutabiliter, adeoque abſoluta ac intrinſeca neceſſitate juſtum: Qualis enim eſſet Deus, ſi proprie loquendo, non eſſet juſtus ſcelerum vindex & recte factorum æquiſſimus remunerator? Si eſt ex ſua natura juſtus. Ergo dabitur ex ſua natura juſtum, actio ex ſua natura, per ſe & intrinſece, adeoque abſoluta neceſſitate juſta. Juſtus quippe Deus eſt in actionibus ſuis. Ergo dabitur actus juſtus

citra

Digitized by Google

citra reſpectum ad legem, ſi lex ſumatur pro decreto ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat. Regeris: *Atqui ego non puto hæc conſequi: Si ſummus legislator natura juſtus eſt, igitur actus creaturæ rationalis, ut motus phyſicus ſpectati, ſunt honeſti & turpes ante omnem reſpectum ad legem a creatore profectam. Nobis quippe propoſitum fuit inquirere in originem juſtitiæ humanæ, a qua divina multis modis differt.* Nec vero hæc noſtra fuit collectio, quam tu vel ex inſcitia vel ex malitia nobis affingis. Noſtrum argumentum huc redit: Si Deus eſt ex ſua natura juſtus, ſequitur, quod actus dentur per ſe, ſua natura ac abſoluta neceſſitate juſti citra reſpectum ad decretum a ſuperiori profectum, quo ſibi ſubjectum obligaverat, ſicque veriſſimum manebit, actus juſtos dari Deo cum hominibus communes, qui in quantum Deo cum hominibus communes ſunt, nõ poſſunt dicere reſpectũ ad decretum ſuperioris, quia Deus neminẽ habet ſe ſuperiorem. Equidem videri cuipiam potuerat, ac ſi iſtum, qui expreſſe proteſtatur, ſe non diſputare de actionibus Dei, ſed de iis ſolummodo, quæ inter officia animalis rationalis & ſocialis referuntur, ratio modo allata non feriat, utpote quam aculeo privet hæc hypotheſis: *Nobis propoſitum fuit inquirere in originem juſtitiæ*

*huma-*

*humanæ, a qua divina multis modis differt*: Verum qui ſibi primum, deinde aliis hoc perſuaſit, is ſibi primum (ita enim credo) deinde aliis impoſuit. Hoc ut Benevolus Lector advertat, velim ſibi in memoriam revocet primam hujus controverſiæ occaſionem: Defenderat *Grotius* in inſigni ſuo *opere de Jure belli & pacis*, actus dari ſua natura, per ſe & abſoluta neceſſitate juſtos, quorum juſtitia antecedenter ſe habeat ad legem ſumptam pro decreto ſuperioris, quo ſubditum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat: In id communi opinione conſenſum erat, hæcque ſententia *Philoſophis*, *JCtis*, *Theologis* probabatur: Oppoſuit ſeſe Grotio mortuo acerbus adverſarius, nec Grotium ſolum, ſed pleroſque etiam ex noſtratibus Theologis, omneſque JCtos & Philoſophos qui hanc ſententiam ſeqvuntur, maximæ ſtoliditatis, horribilium abſurditatum, βλασφημίας etiam a ſe convictos fuiſſe gloriatus eſt. Ego ut oſtenderem, Grotio totque ac tantis Viris injuriam ſat manifeſtam & atrocem fieri, inter alia pro Grotii ſententia hanc adeſſe volui rationem: Si Deus ex ſua natura juſtus eſt, ſequitur, quod actus dentur per ſe ac ſua natura juſti, quorum ſcilicet juſtitia antecedenter ſe habet ad decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat. Nam quicunque actus juſti dividi poſ-

poſſunt in actus Dei & actus creaturæ rationalis, illi actus juſti qua tales non dicunt reſpectum ad legem a creatore profectam, hoc eſt, ad decretum, quo ipſe ut ſuperior ſibi ſubjectos obligare voluit; quia alias Deus haberet ſe ſuperiorem, dareturq; decretum ſuperioris Deo cum hominibus commune, quod utrumque impium & abſurdiſſimum. Jam judicet quisque, qui a præconceptis opinionibus liber ſaniorique judicio præditus eſt, an hanc rationem aculeo privet hypotheſis adverſarii dicentis ſibi propoſitum fuiſſe inquirere in originem juſtitiæ humanæ, a qua divina multis modis differat? Sane Grotio non erat propoſitum præciſe inquirere in originem juſtitiæ humanæ, ſed ipſe inquirebat in genuinum ac ſolidum fundamentum actuum per ſe & ſua natura ac abſoluta neceſſitate juſtorum, ſive procedant a Deo, ſive a creatura rationali, ceu inſpicienti *prolegomena in Grotii opus* & inprimis §. 11. & 12. magis vero ipſius *operis librum primum caput primum* §. 10. n. 6. & *libri ſecundi caput undecimum* §. 4. abunde liquet. Puto non nimis acri opus eſſe ingenio, ut intelligatur, quam frigida ac calva ſit exceptio adverſarii ita ſe habens: Quia mihi propoſitum fuiſſe dico agere de actionibus humanis, ideo jure optimo maximo vocavi Grotium ſtolidiſſimum, ejusque ſententiam ſtolidiſſimam,

bla-

blaſphemam, impiam, cum quando *lib. 2. c. 11. §. 4.* defendit, (poſtquam ſcilicet provocaverat ad divina oracula, quæ docent Deum ipſum, qui nulla conſtituta lege obſtringi poteſt, contra naturam ſuam facturum, niſi promiſſa præſtaret, eumque in finem dicta Sacri Codicis Veteris Novique Teſtamenti coacervaverat) ut promiſſa præſtentur, venire ex natura immutabilis juſtitiæ, quæ Deo cum hominibus communis eſt; tum quia *lib. 1. c. 11.* mentionem fecit normæ, quæ quibusdam actibus Dei cum quibusdam actibus creaturæ rationalis ſit communis, ita quidem ut convenientia quorundam actuum cum Dei tum creaturæ rationalis cum tali norma ſit proprie juſtitia, ipſeque Deus ſecundum hanc normam ideo multis in locis Scripturæ Sacræ (a Grotio ibidem allegatis) de ſe judicari patiatur. Lubet rem craſſo exemplo, quia tantum ſtuporem adverſarius ſimulat, declarare: Dicat aliquis, naturam animalis, ſeu ſi ita vocare liceat, animalitatem, antecedenter ſe habere ad hominem: alter hanc ſententiam vocet ſtolidiſſimam. Ille urget hanc rationem: Si animal eſt genus hominis tanquam ſpeciei, ſequitur, quod antecedenter ſe habeat ad hominem, quia genus & natura prius eſt ſua ſpecie, & realiter abſtractum eſt a ſpecie ſua, & dividi poteſt in hanc aliamque ſpeciem. Hic ne ſtolide dicatur ad-

adverſarium arguiſſe ſtultitiæ, excipit: Mihi propoſitum fuit agere de animali, quod & quatenus eſt homo. Dabimus aliud exemplum: Doceat quispiam ſubſtantiam habere ſe antecedenter ad Deum & ſubſtantiam creatam: alius hanc ſententiam vocet ſtolidiſſimam. Ille probat ſuam ſententiam hac ratione: Si conceptus ſubſtantiæ recte & proprie ſic dictæ eſt Deo communis cum ſubſtantia creata, e. gr. angelo, animali &c. ſequitur, quod ſubſtantia habeat ſe antecedenter ad ſubſtantiam increatam ſeu Deum & ſubſtantiam creatam, quia commune eſt natura prius iis, quibus eſt commune: Alter ne teneatur confiteri propriam ſtultitiam, garrit ſibi propoſitum fuiſſe agere de ſubſtantia creata. Non nimis acuto opus erit judicio, ut intelligatur, utriusque partis diſputatorem ſtulte cum propria umbra luctari, (verba mea non ſunt) & qui animal dividit in hominem & brutum, (ſubſtantiam in increatam & creatam) negat tamen animal antecedenter ſe habere ad hominem & brutum, (ſubſtantiam antecedenter ſe habere ad increatam & creatam) & qui agnoſcere tenetur, actiones juſtas proprie ſic dictas recte dividi in Dei ſeu increatas & creaturæ rationalis ſeu creatas, agnoſcere etiam cogitur, actiones in & per ſe ac ſua natura juſtas dari, quæ Deo cum hominibus ſunt commu-

munes, Idem agnoſcit nullam legem, niſi ea ſit decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat, nec poteſt non agnoſcere, decretum ſuperioris, quo Deus ut ſubditus obligetur, dari non poſſe, tamen negat, juſtitiam quorundam actuum Deo cum hominibus communium, ſi ea juſtitia communis Deo cum hominibus in ſe ſpectetur, poſſe ſpectari ante omnem reſpectum ad decretum ſuperioris, quo ſubditum obligat. Cæterum qui ſpectat Deum ut ſua natura juſtũ, non ſtatim ſpectat eum ut ſummum legislatorẽ natura juſtum: e. gr. quando Deus ſpectatur ut ſervans promiſſum, ſpectatur ut ſua natura juſtus, non autem ut ſummus legislator: nam a Deo ſervari promiſſum, non eſt a Deo legem ferri, aut Deum alia ratione fungi officio legislatoris: Latius quoque patet actus per ſe agenti rationali juſtus, quã actus per ſe juſtꝰ creaturæ rationali, ceu Grotius monuit: nec vero negari ab homine ſanioris judicii poteſt, quod ſervare promiſſum, prout abstrahitur a promiſſo divino & humano, juſtum ſit ante omnem reſpectum ad ſuperiorem ejuſque decretum. Dum igitur adverſarius illam rationem: *Si Deus ſua natura juſtus eſt, ſequitur, quod actus dentur per ſe juſti;* ſimilem pronunciat huic: *Si ſummus legislator natura juſtus eſt, igitur actus creaturæ rationalis, ut motus phyſicus ſpectati, ſunt honeſti*

aut

*aut turpes ante omnem reſpectum ad legem a creatore profectam;* optionem ei relinquo, ſtuporem ſuum, an aculeos contumeliarum notari malit. Pariter, nemo unquam negavit multis modis juſtitiam divinam a juſtitia humana differre, adhuc tamen conceptus formalis juſtitiæ proprie talis manet, juſtitiæ divinæ & juſtitiæ humanæ communis, æque ac conceptus animalis homini & aſino, conceptus ſubſtantiæ Deo & ſubſtantiæ creatæ communis eſt, licet homo ab aſino, Deus a ſubſtantia creata multis modis differat. Eandem cenſuram ſubit editio ſecunda, quam adverſarius ipſe cramben bis adpoſitam vocat, ubi hæc leguntur verba: *Ita Velthemius ratiocinatur: Si Deus ſua natura eſt juſtus, ſequitur, quod actus dentur per ſe honeſti ſuaque natura debiti. Verum ego nullam heic puto conſequentiam eſſe a Deo ad hominem. Nam ex diverſo plane principio eſt, quod Deus quædam non poſſe, aut non poſſe non facere dicitur; quam ex quo homini alia agenda, alia omittenda ſunt. In Deo enim id provenit ex perfectione ipſius eſſentiæ; in homine ex imperio ſuperioris. Quo ipſo corruunt machinæ, quas Idem contra ſententiam meam ex Ebr. VI. 18. inſtruere ſatagit. In Deo enim promiſſum & juramentum fallere impoſſibile eſt propter divinæ eſſentiæ imperfectionem. Inter homines autem ἀμετάθετα πράγματα ſunt fides*

*& jusjurandum propter legem naturalem, & quia citra borum ſanctimoniam ſocietas inter homines ſalva eſſe nequit.* Ego nullam duxi conſequentiam à Deo ad hominem, ſed cum Grotio & qui ejus ſententiam tuentur, argumentatus fui ab actibus agenti rationali qua tali per ſe & ſua natura ac abſoluta neceſſitate convenientibus, ad actus juſtos Deo cum hominibus communes ſpectatos antecedenter ad decretum ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat. Nam quia actus Dei cum actibus creaturæ rationalis conveniunt, ſi hi præciſe ſpectentur ex parte ejus, in quo actus, qui æque a Deo ac creatura rationali immediate procedere poſſunt, conveniunt, non poſſunt dicere reſpectum ad decretum ſuperioris, quod Deo ſit cum hominibus commune. Capiamus rude exemplum in gratiam ejus, qui ruditatem affectat: Ita ſi quis ita argumentaretur, Si homo quatenus eſt animal eſt ſentiens, eſt appetens, ſequitur, quod animal per ſe ſit ſentiens, per ſe ſit appetens, & ante omnem reſpectum ad rationalitatem, quodque τὸ ſentiens natura prius ſit rationali & irrationali, homine & bruto, atque ideo brutum æque ſit ſentiens ac homo, utut illud nullum dicat reſpectum ad τὸ rationale. Prius eſt verum E. & poſterius. Numne homo ſanæ mentis heic putaret conſequentiam eſſe ab homine ad brutum?

Digitized by Google

tum? Non enim ita argumentatio inſtituitur: Si homo eſt ſentiens, brutum eſt ſentiens. Certe quemadmodum animal qua tale eſt ſentiens, eſt appetens, ita actus voluntarii dantur qui qua tales ſunt naturæ rationali, agenti rationali qua tali convenientes: Uti prius eſt animal eſſe ſentiens, quam animal eſſe rationale aut irrationale: Ita prius eſt actum convenire cum natura rationali, quam actum eſſe cum natura divina aut rationali creata convenientē, cum utraq; natura rationalis ſit. Promiſſum ſervare Deo convenit propter divinæ eſſentiæ perfectionem, NB. prout ea perfectio moralis conſiderationis eſt, & per ſe ad Moralem tractationem ſpectat, qua de re infra in ea parte Inſtitutionum noſtrarum, quam Theologiam naturalem vocabimus, agetur. Et ſicuti non ſequitur: homo eſt animal rationale, docile E. homo non poteſt ſpectari ut animal ante omnem reſpectum ad rationalitatem, docilitatem: Ita nulla eſt conſequentia: Multos actus homo non poteſt omittere ob imperium ſuperioris, multi actus, poſtquam Deus libere aſſignavit homini naturam rationalem, non poſſunt non convenire cum natura rationali hominis a Deo libere eidem aſſignata. E. ut tales actus ab homine committantur, e. gr. ut promiſſa præſtentur, nequaquam venit ex natura immutabilis juſtitiæ,

quæ Deo & omnibus his qui ratione utuntur, ſuo modo communis eſt. E. juſtitia illa nequit ſpectari ante omnem reſpectum ad ſuperioris decretum. Sed hanc rem adverſæque partis nugas preſſius excutere, cum tædio eſt conjunctum. Ego blaſphemum dico eum, qui hoc ſenſu ullum actum in & per ſe ac ſua natura aut abſoluta neceſſitate homini honeſtum aut juſtum dicit, ut ſimul neget ad illum actum obligari hominem ex imperio ſuperioris, eum vero, qui Grotium, pleroſque ex noſtratibus Theologis, JCtos Philoſophoſque noſtros ita dicit aut docuiſſe, aut docere, aut ex ſententia ipſorum (dum docuerunt quandam juſtitiam, item juſtitiam, prout a divina & humana abſtrahit, item prout quibusdam actibus cum Dei tum creaturarum rationalium communis eſt, antecedenter ſe habere ad decretum ſuperioris, imo etiam antecedenter ad judicium rectum Dei) conſequi aut fatum Stoicum, aut alium præter Deum qui formas rerum produxerit, vel inſigniter indoctum eſſe ajo, imo ſtolidum, vel certe improbum. Si quem turbant hæc verba: juſtitia antecedenter ad decretum ſuperioris ſpectata, eradat per me licet. Nam ne fallatur aut cavilletur, homini adeo imperito aut improbo ut hunc aut ſimilem terminum capere nequeat aut nolit, nihil equi-

Digitized by Google

equidem ſcripſi. Tantum de Morali exemplo.

Exemplum Politicum obiter tangemus. Eſto quæſtio: Num in ſtatu legali Ariſtocratico aut Democratico major pars jus habeat integri, ſi major & minor pars ſint a ſe diſſentientes? Seu, quod eodem redit, num in Ariſtocratiis & Democratiis, quæ dantur, ſit aliquod jus in ſocietate majoris partis, majoriſque partis vota prævaleant? Ita procedo: Aut ibi ratio aliqua eſt expediendi negotia, aut non eſt. Non hoc, quia omnino ea credenda eſt fuiſſe voluntas in ſocietatem coeuntium, ut ratio aliqua eſſet expediendi negotia, cum alias fruſtra inita fuiſſet ſocietas: Non illud, quia ſi ratio eſt expediendi negotia, aut nullum erit imperium ſociorum in ſe mutuo in iis, ubi diſſenſionibus & contradictionibus locus eſt, aut aliquod jus erit partis in partem. Prius repugnat naturæ ſocietatis: Nihil enim humanæ ſocietati pernicioſius eſt anarchia, quæ diu conſiſtere nequit, ubi unuſquiſque omnia ſuo arbitrio agit, aut perpetrare ſuſtinet: contradictoria vero ſimul fieri nequeunt. Poſteriori ergo ſtante, aut erit jus parti minori in majorem, non majori in minorem, aut non erit jus parti minori in majorem, ſed majori in minorem: eſt autem manifeſte iniquum, ut pars major ſequatur mino-



Digitized by Google

rem: inde enim colligeretur, interiores poſſe ſuperioribus naturaliter imperare, quod omnino eſt abſurdum: Id etiam ratum eſt atque plus valet, quod plurimi approbare videntur, teſte *Ariſtotele l. 6. Polit. c. 2.* Quare naturaliter, ſecluſis pactis ac legibus quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri. Summi Viri: *Hugo Grotius de jure belli & pacis L. 2. c. 5. §. 17.* & *Hermannus Conringius accuratiſſima Diſſertatione politica de ſubjectione & imperio.*

Exempla Theologica adeſſe volumus: Controvertitur inter *noſtrates Theologos* & *Pontificios* de Scripturæ Sacræ perſpicuitate in iis, quæ cognitu neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, & quidem duplex quæſtio in controverſiam venit: Una juris, an Scripturam Sacram in iis, quæ cognitu neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, oporteat eſſe perſpicuam? Altera facti, an Scriptura Sacra in iis, quæ cognitu neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, actu ſit perſpicua? Prioris quæſtionis affirmativam inter alias rationes orthodoxi Theologi ita probant: Aut Scriptura Sacra debet eſſe infallibilis, aut non debet eſſe infallibilis. Si hoc, non eſt Scriptura Sacra, quia Scriptura Sacra eſt verbum Dei, verbum Dei autem debet eſſe infallibile: Nam ſi non deberet eſſe infallibile, poſſet eſſe fallax, ſicque aut Deus falli potuiſſet, quod pugnat cum

Digitized by Google

cum Dei infinita ſcientia, aut fallere potuiſſet, quod repugnat infinitæ Dei bonitati. Si illud, debet quoque eſſe perſpicua, quandoquidem per Scripturam obſcuram facile in errorem induci potuiſſemus. Affirmativa poſterioris quæſtionis (quæ nempe erat quæſtio facti, cujusque potiorem rationem habendam eſſe noſtrates Theologi cenſent) ab iis adverſus Pontificios inter plura alia argumenta ſequenti probatur ratiocinio: Aut Deus per Scripturam Sacram voluit nos perſpicue docere, quæ creditu neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, aut non voluit: Si hoc, ergo fallit Scriptura Sacra: Ita enim habent verba Scripturæ Sacræ: *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quod Jeſus ſit Chriſtus ille filius Dei, & ut credentes vitam habeatis æternam* *Joh. XX. 31.* Item, *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtificantur de me. Joh. V. 39.* Ut taceamus alia Scripturæ dicta, quæ Deum ſalutem hominum ſerio expetere, velleque perſpicue nos docere viam perveniendi ad æternam ſalutem, luculentiſſime teſtantur. Quod vero Scriptura Sacra expreſſe teſtatur, non poteſt non eſſe infallibilis veritatis. Si illud, hoc eſt, ſi voluit Deus perſpicue per Scripturam Sacram docere ea, quæ creditu neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, aut Deus potuit ea, quæ creditu ne-

ceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, perſpicue tradere in Scriptura Sacra, aut non potuit: Si non potuit, non eſt verus Deus, quod impium. Hinc bene *Hilarius l. 8. de Trinitate*: *Num qui virtus eſt, in ea fuit infirmitate, ne poſſet eloqui, quæ vellet intelligi?* Cui ſimilis eſt locus *Lactantii l. 6. c. 12.* Si potuit, ſique ſimul, ut oſtenſum eſt, voluit nos per verbum ſuum perſpicue docere viam perveniendi ad æternam ſalutem, ſane Scriptura Sacra omnino in iis, quæ ad æternam ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, erit perſpicua. Nam qui vult nos perſpicue docére viam perveniendi ad ſalutem æternam, & quoque tam perfectus dicendi magiſter eſt, ut perſpicue docere poſſit, is eam viam nos perſpicue docuit. Alii ſic quoque procedunt: Aut affirmant Pontificii monſtrari poſſe dogma ad ſalutem cognitu neceſſarium, quod nullo perſpicuo Scripturæ Sacræ teſtimonio confirmari poſſit, aut negant. Si hoc, relinquitur Scripturam Sacram in iis, quæ cognitu ad ſalutem æternam ſunt neceſſaria, eſſe perſpicuam: Si illud, Pontificiis probandi onus incumbit: Sed experiendo diſcent, imo dudum didicerunt, quam ſit difficile, hoc eſt, prorſus impoſſibile, monſtrare dogma ad æternam ſalutem neceſſarium, quod nullo perſpicuo Sc. teſtimonio poſſit confirmari. Et ſane ſingula dogmata credendorum & agen-

agendorum perſpicuis Scripturæ Sacræ teſtimoniis confirmare noſtrates Theologi parati ſunt. Neq; tamen conſequentias prorſus amotas & excluſas volunt. Quod enim ex propoſitione perſpicuis verbis revelata per neceſſariam & evidentem conſequentiam deducitur, hoc æque cum illa eſt perſpicuum, æque cum illa certum.

Nec deſint prorſus exempla Juridica: Fortaſſis perſpicuum ac facile exemplum ſubminiſtrat *l. Si inter me & te 15. D. de exceptione rei judicatæ*. Verba legis ita habent: *Si inter me & te controverſia de hæreditate ſit: & quasdam res ex eadem tu poſſides, quasdam ego: nihil vetat & me a te, & invicem te a me hæreditatem petere. Quod ſi poſt rem judicatam a me petere cœperis, intereſt, utrum meam eſſe hæreditatem pronuntiatum ſit, an contra: Si meam eſſe, nocebit tibi rei judicatæ exceptio: QVIA EO IPSO, QVO MEAM ESSE PRONUNTIATUM EST, EX DIVERSO PRONUNTIATUM VIDETUR TUAM NON ESSE: ſi vero meam non eſſe, nihil de tuo jure judicatum intelligitur: QVIA POTEST NEC MEA HÆREDITAS ESSE, NEC TUA.* Add. *l. Pomponius 40. §. ſed & 152. D. de procuratoribus*, ubi inter alia hæc verba leguntur: *Cum judicatur rem meam eſſe, ſimul judicatur illius non eſſe.* Explicant mentem legis, ſimulque uſum propoſiti

axiomatis monſtrant præſtantiſſimi nominis JCti hunc in modum: Aut res eſt mea, quam poſt rem judicatam a me petere cœpiſti, aut non eſt mea. Si non eſt mea, cur per ſententiam fuit pronuntiatum, quod res ſit mea? Si eſt mea, aut ſimul eſt tua, aut non eſt tua. Si eſt tua, qui poſſet eſſe mea, quia duo non poſſunt eſſe domini ejuſdem rei in ſolidum: nec duo poſſunt eandem rem in ſolidum poſſidere *l. ſi certo loco 5. §. ſi duobus 25. D. Commodati*, & *l. poſſideri 3. §. ex contrario 5. D. de acquirenda poſſeſſione*; Si non eſt tua, nullo jure eam petere potes. Aliud exemplum quotidianum Cicero & Boëtius in Topicis ſuggerunt: Vir legavit uxori uſumfructum bonorum ſuorum, is habebat vinum, oleum, & alia quæ uſu conſumuntur: quæritur: an illa debeantur uxori? Et ita decidunt. Aut in vino, oleo, iſtisque aliis, quæ uſu conſumuntur, conſiſtit proprie uſusfructus, aut non conſiſtit: Si conſiſtit, uſusfructus non erit uſusfructus, ſed potius abuſus: Si non conſiſtit. Ergo ea non debentur uxori in præſenti caſu. Add. *§. conſtituitur 2. Inſtit. de uſufructu*. Rurſus ſi frequentiſſima alias occaſio Juris Civilis Doctoribus ac Interpretibus ſuppetit probandi commendandique uſum hujus axiomatis, pulchram, ni me omnia fallant, ſubminiſtrat *l. hæc verba ille aut ille, 124. D. de ver-*

*verborum ſignificatione: Hæc verba, ILLE AUT ILLE, non ſolum disjunctivæ, ſed etiam ſubdisjunctivæ orationis ſunt. Disjunctivum eſt, veluti cum dicimus, AUT DIES AUT NOX EST, quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum: item ſublato altero, poni alterum: Ita ſimili figuratione verbum poteſt eſſe ſubdisjunctivum. Subdisjuncti autem genera ſunt duo: Unum, cum ex propoſitis finibus ita non poteſt uterque eſſe, ut poſſit neuter eſſe: veluti cum dicimus, AUT SEDET AUT AMBULAT: nam ut nemo poteſt utrumque ſimul facere: ita aliquis poteſt neutrum, velut is, qui accumbit. Alterius generis eſt, cum ex propoſitis finibus ita non poteſt neuter eſſe, ut poſſit utrumque eſſe, veluti cum dicimus, OMNE ANIMAL AUT FACIT AUT PATITUR: nullum eſt enim, quod nec faciat, nec patiatur: at poteſt ſimul & facere, & pati.*

## ABUSUS PRACTICUS.

Triplex inprimis abuſus hujus axiomatis datur: Primus isque præ cæteris animadverſione dignus eſt, quando plurimi pro oppoſitis immediatis habent ea, quæ oppoſita immediata non ſunt: Fieri enim aliter nequit, quam ut hi in erroribus hæreant, quamdiu animi ſententiam mutare nequeunt aut nolunt, tantoque magis ſeſe proſtituunt, quo acerbius aut impudentius urgent oppoſitionem immediatam, ubi eam eſſe credunt, nec tamen

tamen eſt. Videamus hujus rei unum vel alterum exemplum. In Moralibus quæritur: Num omnis ignorantia invincibilis actionem reddat involuntariam? Ita videri poterat incipientibus, qui quæſiti ſententiam ajentem communiter defendunt, ac ſibimet ipſis imponunt hac ratiocinatione: Omnis actio quæ procedit ab agente laborante ignorantia invincibili, aut eſt tali agenti voluntaria, aut involuntaria. Tertium dari nequit. Sed non eſt voluntaria ei. Nam quæcunque actio eſt voluntaria agenti, ea procedit ab agentis libero arbitrio ſeu voluntate: Id vero, quod non fuit, nec debuit eſſe cognitum agenti, ſeu quod eodem redit, cujus invincibili ignorantia agens laboravit, non potuit a voluntate agentis fieri, cum voluntas nunquam feratur in incognitum, juxta illud: Ignoti nulla cupido. Verum hæc dicantur incipientibus iisque qui ſunt ipſis ſimiles. Contrarium facile poteſt evinci unico caſu: Venator primo diluculo egreſſus in ſylvam occidit præ fera hominem, quem ibi latitaſſe nec ſciverat, nec ſcire debuerat, imo nec potuerat, ut adeo certum ſit occiſorem laboraſſe ignorantia invincibili, in diſquiſitionem venit, num hæc cædes occiſori involuntaria dici debeat? Dicimus, nihil ad hanc quæſtionem reſponderi poſſe quærenti, quia is reticet circumſtantiam, quæ ad hujus quæſtio-

ſtionis deciſionem maximopere facit, & abſque cujus notitia fruſtra deciſum expectatur. Scilicet prius noſſe oportet, utrum abſque ignorantia invincibili ſi fuiſſet, idem facturus fuiſſet venator, nec ne? Seu, ut terminis in foro Morali receptis utamur, utrum ignorantia iſta invincibilis fuerit antecedens, an concomitans? Aut, quantum ad præſentem caſum attinet, num ignorantia iſta invincibilis fuerit ἐπίλυπος, an ἄλυπος, quæ Græcorum diſtinctio eſt? Studio reticuimus hanc circumſtantiam, quam nunc determinamus: Nempe ignorantia iſta invincibilis in dato exemplo fuit concomitans & ἄλυπος: Quippe idem facturus fuiſſet venator, ſi ſciviſſet ibi latitare inimicum, cui dudum ultima minatus fuerat, cujusque cædem dum eveniſſe videt, ſibi gratulatur eventum non recenti conatui, tamen priſtino voto, exacte reſpondentem. Hac circumſtantia probe percepta, rudem in omni doctrina practica eſſe oportet, qui agnoſcere neſcit, hanc cædem venatori hic & nunc non fuiſſe involuntariam. Repetamus idem exemplum, quod primo intuitu hi illive ceu diverſum a priori tractaſſent, ita tamen repetamus, ut circumſtantia, quæ antea in ſtatu quæſtionis ſupprimebatur, nunc expreſſis verbis adjecta habeatur. Aut iſte venator in dato caſu egit ſecundum voluntatem, aut contra voluntatem.

tem. Tertium non datur. Sed non egit contra voluntatem, ceu patet ex modo deductis. E. ſecundum voluntatem egit. Igitur ignorantia invincibilis dabitur, quæ actionem relinquit voluntariam. Hanc deciſionem videtur confirmare praxis forenſis, dum ejusmodi occiſor captus & convictus punitur. Verum de uno extremo ſaltabatur ad alterum: Quaſi vero tertium dari non poſſet inter id, quod ab agente rationali fit ſecundum ipſius voluntatem, & contra ejusdem voluntatem. Quod contra voluntatem venator in tali caſu nequaquam egerit, veriſſimum eſt, nec ratio data amplius nos dubitare ſinit: Imo ut ignoti nulla cupido, ita ejusdem nulla averſatio ob eandem, quæ utrobique obtinet, rationem. Sed ſolida quoque illa erat ratio, qua in proxime præcedenti ratiocinatione evincebatur, actionem venatori inquiſito non fuiſſe voluntariam, hoc eſt, qua locutione idem ſignificatur, venatorem non egiſſe ſecundum voluntatem. Ergo venator in adducto caſu nec egit ſecundum voluntatem, nec egit contra voluntatem, ſed (quod medium eſt) præter voluntatem. Neque obſtat, quod ille venator captus & convictus plectitur. Neque enim punitur ut cauſa voluntariæ cædis, quia cædes ei nequaquam fuit voluntaria, ſed ob ex poſtfacto (ut loqvuntur) volitam cædem, ſeu accuratius lo-

quen-

Digitized by Google

quendo, ob cædis non voluntariæ approbationem voluntariam pœna afficitur. Latius igitur patet non voluntarium quam involuntarium: Inter voluntarium enim & involuntarium datur medium, ceu præſens caſus edocet: At inter voluntarium & non voluntarium non datur medium. Præſens caſus arguit exemplum facti nec voluntarii, nec involuntarii, tamen non voluntarii. Aliud iterum exemplum morale adferre placet, idque pauciſſimis: Quia in præcedentis axiomatis explicatione, ubi abuſum practicum exemplo morali indicavimus, oſtenſum eſt, quanta acerbitate ſententiæ, qua Moralitatem ſpectari poſſe, ut antecedenter ſe habet ad voluntatem Dei ut ſibi ſubjectum obligantis, ſtatuitur, contradicatur, videamus, annon adverſarii ratio, qua eam ſententiam impugnat, exemplum notabilis abuſus præſentis axiomatis præeat. Ratio hæc adfertur: Aut Moralitas ſpectata, ut antecedenter ſe habet ad voluntatem Dei ſibi ſubjectos obligantis, eſt producta a ſeipſa, aut non eſt producta a ſeipſa: Tertium non datur. Si eſt producta a ſeipſa E. erit cauſa ſuiipſius E. dabitur ens a ſeipſo ſeu independens præter Deum. Si non eſt producta a ſeipſa, aut erit producta a Deo, aut non erit producta a Deo: Si eſt producta a Deo, E. non poterit antecedenter ſe habere ad voluntatem Dei,

quia

quia nihil a Deo producitur, niſi decreverit iſtud producere: Si non eſt producta a Deo. E. datur alius, qui præter Deum eam produxit. Quis ergo alius præter Deum naturas rerum formavit? Reſpondetur primo, hic dari tertium: Nam quando moralitas ſpectatur, ut antecedenter ſe habet ad voluntatem, Dei ſibi ſubjectos obligantis, agitur de moralitate ut ſic, hoc eſt, de neceſſaria (actuum voluntariorum) habitudine (convenientia vel diſconvenientia) ad naturam rationalem qua talem (prout ea abſtrahitur ab increata & creata) nec vero ea ſpectatur ut producta aut producenda, ſed præciſe ut poſſibilis, ſicque & non aliter poſſibilis. Perinde ſeſe res habet, ac ſi is, qui tam jejuno ratiocinio utebatur, ita argumentari voluiſſet: Si animal ſpectari poteſt, ut ſe habet antecedenter ad hominem & brutum, ut ſe habet antecedenter ad omnem generationem, aut animal antecedenter ſe habens ad hominem & brutum, erit productum a ſeipſo, aut non erit productum a ſeipſo, ſed ab alio. Ridicula ac prorſus inepta futura fuiſſet hæc collectio: Dum enim animal in communi & ut ſic ſpectatur, fruſtra quæritur de ipſius productione, quia nulla quæſtio eſt de exiſtentia, utpote quæ eſt rei ſingularis: quicquid enim exiſtit, eo ipſo quod exiſtit, eſt ſingulare: Productionis vero terminus eſt exiſten-

ſtentia, non poſſibilitas, quo de in præcedenti axiomate prolixe actum fuit. Poſſibilitatem nec Deus nec alius formavit, nec ea ſeſe ipſam effinxit. Secundo, moralitas actuum Dei, hoc eſt, realis convenientia actuum Dei cum natura rationali qua tali, quæ quia moralis conſiderationis eſt, utique denominari moralitas poteſt; in quantum actu datur, non pendet a voluntate Dei ut ſibi ſubjectum obligantis. Tertio, moralitas actuum creaturæ rationalis, quæ actu datur, ſi præciſe ſpectetur; prout in eſſe moralitatis cum moralitate actuum Dei convenit, omnino habet ſe antecedenter ad voluntatem ſuperioris. Quarto, mirum, ni tandem omnis turpitudo a Deo producta ſtatuatur a contradicente. Plura hac de re videantur in præcedenti axiomate.

Exemplo Theologico abuſum hujus axiomatis monſtrabimus: Arriani & Photiniani productionem æternam ſecundæ & tertiæ perſonæ divinitatis, ſicque Filii & Spiritus Sancti divinitatem inter alia impugnare nituntur ſequenti argumento: Si Filius Dei & Spiritus Sanctus ab æterno producti fuerunt, aut producti fuerunt ex ſubjecto aliquo vel dependenter a ſubjecto, aut ex nihilo. Tertium non datur. Si illud, non ſunt verus Deus, quia verus Deus eſt immaterialis: At ex ſubjecto produci eſt ex mate-



Digitized by Google

ria produci, unde qui ex ſubjecto producitur, eum materialem eſſe oportet. Si hoc, ſic erunt creaturæ, quia ex nihilo produci eſt creari. Ita abutuntur noſtro axiomate AntiTrinitarii. Et ſane ita eſt, ſi quispiam ſibi pateretur perſuaderi, inter productionem ex ſubjecto aut pendentem a ſubjecto, & inter productionem ex nihilo, non dari tertiam productionem, facile poſſet iſte prolabi in peſtilentiſſimum AntiTrinitariorum errorem: Nam hoc certo certius eſt, quicquid alterutro hoc modo producitur, (hoc eſt, vel ex ſubjecto aliquo, vel ex nihilo) non eſſe verum & æternum Deum, ſed creaturam. At meliora & ſalutaria edocti Theologiæ ſtudioſi norunt tertium productionis modum, nempe productum eſſe de eadem numero ſubſtantia producentis: Quippe orthodoxi Theologi unanimi conſenſu docent & argumentis omni exceptione majoribus ex Scriptura Sacra demonſtrant, quod Deus Pater Filium ex ſubſtantia ſua ab æterno produxerit, quod Pater & Filius ex ſubſtantia ſua ab æterno produxerint Spiritum Sanctum, ut adeo uterque de ſubſtantia producentis ſit productus, Filius ſcilicet de ſubſtantia Patris, Spiritus Sanctus autem de ſubſtantia Patris & Filii: non quod ſubſtantia ſeu eſſentia divina ſit materiale principium, ex quo producti ſint Filius & Spiritus Sanctus:

ctus: ſed quia Pater per generationem Filio, & Pater ac Filius per generationem Spiritui Sancto ſubſtantiam ſeu eſſentiam ſuam communicaverunt, ita ut illa ipſa eſſentia, quæ eſt in Patre tanquam in perſona producente Filium, tota ſit in Filio: & quæ eſt in Patre & Filio tanquam in perſonis producentibus Spiritum Sanctum, tota ſit in Spiritu Sancto, ac ideo Filius de ſubſtantia Patris, Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filii dicatur productus. Unde quod hoc modo producti ſint Filius & Spiritus Sanctus, ita oſtendunt Theologi noſtrates: Quæcunque perſonæ producuntur, ex producuntur vel ex ſubjecto aliquo, vel ex nihilo, vel de ſubſtantia producentis. Sed Filius & Spiritus Sanctus neque ex ſubjecto aliquo neque de nihilo producti ſunt: alias enim non eſſent verus & æternus Deus, ſed creaturæ, cum quicquid alterutro hoc modo producitur, creatura ſit. Relinquitur ergo, quod uterque de ſubſtantia producentis ſit productus, Filius ſcilicet de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filii. Et quia ſubſtantia ſeu eſſentia divina una ſimpliciſſima & plane indiviſibilis eſt, neceſſario ſequitur, quod ita Filius de ſubſtantia Patris & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filii ſit productus, ut ille eandem, quæ in Patre, & hic eandem, quæ in

Patre & Filio, eſſentiam eamque totam & indiviſam acceperit. Si quis ulterius hic inſtet; quomodo Pater totam ſuam eſſentiam potuerit communicare Filio, ut tamen tota eſſentia Patris manſerit, & ſimul etiam eſſentia Filii ſit? id ſane ſe nec cogitatione aſſequi, nec ſatis explicare poſſe Theologi noſtrates arbitrantur.

Exempla Ethico-Politico-Juridica adjungimus. Repetamus caſum ante *p. 185.* propoſitum, ſed ſub aliis circumſtantiis: Inter Accium & Mævium controverſia eſt de hæreditate, & quasdam res ex eadem Accius poſſidet, quasdam Mævius: Accius petit a Mævio, & Mævius petit ab Accio hæreditatem. Pronuntiatum eſt hæreditatem non eſſe Accii, inde Mævius poſt rem judicatam petere hæreditatem ab Accio cœpit, nixus hac ratione: Judicatum eſt rem non eſſe Accii, ergo eſt mea, quia ſi judicatum fuiſſet rem eſſe Accii, tunc non fuiſſet mea. Enimvero abutitur Mævius noſtro axiomate, habetque pro oppoſitis immediatis, quæ admittunt medium. Nam ſi pronuntiatum eſt rem Accii non eſſe, nihil de Mævii jure judicatum intelligitur, quia datur tertium inter meum & tuum; poteſt nec mea hæreditas eſſe nec tua, ſed tertii. Cur ſi judicatum fuiſſet rem eſſe Accii, ſic recte colligatur: E. non eſt Mævii, ratio eſt: quia oppoſita immedia-

diata nequeunt ſimul affirmari de eodem: At quod non valeat: Res tua non eſt E. eſt mea, liquet inde, quia poteſt eſſe tertii, nec repugnat oppoſita mediata ſimul negari de eodem. Vid. *l. Si inter me & te 15. D. de exceptione rei judicatæ.* Eſto alia quæſtio: Judex quispiam argumentando ita proceſdit: Aut Titius voluit damnum, quod Sempronio intulit, infligere, aut noluit. Tertium non datur; quæritur, an hæc collectio a Judice facta recte ſe habeat? Negatur: Datur enim tertium inter τὸ *VOLUIT* & τὸ *NOLUIT*, nempe *NON VOLUIT*. Hocce medium ſeu tertium duobus illuſtrabimus exemplis: Aſſumamus unius exempli loco caſum ſupra *p. 189.* propoſitum de venatore, de quo, quando occiderat inimicum, dici nequit, quod NOLUERIT eum occidere, quia omnino eum occiſurus fuiſſet, ſi ſciviſſet eum ibi latitare: Nec defendi poteſt, quod eum occidere VOLUERIT, quia ejus, cujus invincibili ignorantia quis laborat, (quamdiu ita ignotum eſt, nempe ignotum cum in ſe, tum in cauſa ſua, ut Ethici loqvuntur) nulla datur volitio. E. dicendum eſt, quod iſte venator NON VOLUERIT. Dicis: Si non noluit E. voluit. Reſpondetur: nulla eſt conſequentia. Verum enim eſt utrumque: NON NOLUIT, NON VOLUIT. Nam ſi hæc falſa eſt: Venator NO

LUIT, illa vera eſt: Venator NON NOLUIT. Et ſi illa falſa eſt: Venator VOLUIT E. hæc eſt vera: Venator NON VOLUIT. E. inter VOLUIT & NOLUIT tertium eſt NON VOLUIT, ſicq; a NOLLE ad NON VELLE, non autem a NON VELLE ad NOLLE valet conſequentia. Alterum exemplum præbet *l. Hujus quoque edicti 1. in princ.* & *§. ſcientiam 3. D. de Tributoria Actione.* Ita enim *Ulpianus*: *Hujus quoque edicti non minima utilitas eſt, ut dominus, qui alioquin in ſervi contractibus privilegium habet, (quippe cum de peculio duntaxat teneatur: cujus peculii æſtimatio, deducto, quod domino debetur, fit) tamen, ſi SCIERIT ſervum peculiari merce negotiari, velut extraneus creditor, ex hoc edicto in tributum vocatur.* Verba *§. 3. ejusdem legis* jam ſeqvuntur: *SCIENTIAM hic eam accipimus, quæ habet & VOLUNTATEM, ſed (ut ego puto) NON VOLUNTATEM, ſed patientiam: NON enim VELLE debet Dominus, ſed NON NOLLE; ſi igitur ſcit & non proteſtatur, & contradicit: tenebitur actione tributoria.* Quodnam exemplum poterat eſſe clarius? Inde etiam *JCti* petunt fundamentum diſcriminis, quod inter actionem tributoriam & actionem exercitoriam intercedere docent, dum docent, quod in exercitoria ſervum voluntate Domini contrahere oporteat: hic (in tributoria) patien-

te tan-

Digitized by Google

te tantum. *l. utilitatem* 1. *§. licet* 20. & *l. ſi ſervus 6. D. de exercitoria actione.*

Alterum abuſum hujus axiomatis notabimus. Iſte vero obtingit, quando certæ diſciplinæ vel facultatis (quæcunque tandem illa ſit) Doctor vel Auditor juſto plus fidit huic effato: *Quæcunque important rationes contradictorias, inter ea non datur medium.* Quæ propoſitio tantum abeſt, ut poſſit dici perpetuæ veritatis, ut profecto ſæpius fallat, ſi vel maxime hunc in modum limitetur: *Quæcunque* reſpectu ejusdem *important rationes contradictorias, inter ea non datur medium.* E. gr. ens reale & ens rationis important rationes contradictorias, quia ens reale exiſtit citra mentis operationem ſeu citra hoc quod eſt objective in intellectu, ens rationis non exiſtit citra mentis operationem ſeu citra hoc quod eſt objective in intellectu: Exiſtere vero citra mentis operationem & non exiſtere citra mentis operationem ſunt contradictoria: Sed nullum dubium eſt, quin medium detur inter ens reale & ens rationis, ceu pluribus exemplis iſtud ſupra *§. 7. hujus capitis & notis ad eundem §. pag. 55. & ſeq.* oſtendimus. Ita univoca & æquivoca important rationes contradictorias reſpectu ejusdem, in quo nempe conveniunt: Nam conveniunt in eo, quod nomen etiam ſecundum omnia accidentia grammatica

 com-

commune habeant. At vero ſecundum idem nomen univoca habent eandem definitionem, æquivoca ſecundum idem nomen non habent eandem definitionem: Certe ſecundum idem nomen habere eandem definitionem & non habere ſunt rationes contradictoriæ reſpectu ejusdem. Interim nemo accuratioris adeoque Græcæ Philoſophiæ gnarus ignorabit media inter univoca & æquivoca. Sumamus exemplum Phyſico-Theologicum: Fuerunt, qui negarunt, cœlum & terram eſſe a Deo creata, primos homines a Deo eſſe creatos, utentes hoc ratiocinio: Quicquid producitur, aut producitur ex nihilo, & ſic creatur: aut ex aliquo, ſicque generatur. Jam vero cœlum & terra producta ſunt a Deo ex materia & forma, Adam e gleba terræ, Eva ex coſta Adami E. productio eorum non erit dicenda creatio, ſed generatio. Adeſto exemplum Ethico-Politicum: Sunt, qui mordicus tueri conantur, duas ſolummodo dari ſpecies mutationis legis ſeu duos præciſe modos, quibus lex mutatur: Abrogationem & Diſpenſationem, quos forte fefellit: hæc collectio: Dum tollitur obligatio legis, aut tollitur ab omni ſubjecto, hoc eſt, ab omni eo, qui ante obligabatur: Aut tollitur quidem obligatio legis a ſubjecto legis, non tamen ab omni, ſed manent qui adhuc obligantur æque ac alii ante ob-

Digitized by Google

te obligabantur, priusquam liberi ab obligatione facti fuiſſent. Si illud, eſt abrogatio: Si hoc, eſt diſpenſatio. E. non dabitur medium quoddam mutationis genus, quia in ordine ad mutationem legis, ſicque ejusdem reſpectu abrogatio & diſpenſatio important rationes contradictorias. Sunt enim rationes contradictoriæ, ita removeri obligationem, ut nullus maneat obligatus, &, removeri obligationem non tamen ita, ut nullus maneat obligatus. Eſto exemplum Politico-Juridicum: Quæritur, An præter Jus Naturale, quo omnes homines & ſic quoque omnes Gentes, quia ſunt homines, obligantur, detur peculiare Jus Gentium poſitivum ac voluntarium? Negativam multi ſic probare nituntur; Aut Jus Gentium vim obligandi accipit ex libera Superioris, ſubditos ſic obligare volentis, voluntate, aut non accipit vim obligandi ex libera Superioris, ſubditos ſic obligare volentis, voluntate. Tertium non datur. Si illud, vel erit iſte Superior Deus, adeoque erit Jus voluntarium divinum, quale toti humano generi latum non eſt, ſique latum eſſet, non tamen eſſet illud jus Gentium, de quo præſens quæſtio movetur; vel erit iſte Superior Rex aut ii qui Regibus par jus obtinent in civitate: ut Ariſtocrates in Ariſtocratia, populus in Politia. At Gentes ſimul ſumtæ in terris nemi-

nem habent ſe Superiorem. Si hoc, & tamen Jus Gentium eſt verum jus E. erit quoad rem ipſum Jus Naturale, quod ex accidenti dicitur Jus Gentium, poſtquam factum eſt, ut alii homines in hanc, alii in aliam coiverint Gentem. Verum hæc & innumera alia argumenta non tam facile fidem invenient, modo perſpectum ſibi reddant, qui iis fidunt, quousque ex rationibus contradictoriis firmiter colligi poſſit, quod quæ eas important, medium admittere nequeant. Hoc ut recte percipiatur, prænotandum eſt, duobus modis fieri poſſe, ut duo rationes contradictorias importent: 1. *immediate*: Ita e. gr. homo & brutum reſpectu animalis important rationes contradictorias, quia homo eſt animal rationale, brutum eſt animal non rationale: Sic ens reale & non ens ſimpliciter important rationes contradictorias, quia ens reale eſt quod revera exiſtit, non ens dicitur id, quod revera non exiſtit. 2. *mediate*: Ita e. gr. homo & canis reſpectu animalis important rationes contradictorias, quia homo eſt animal rationale, canis eſt animal non rationale. Sic ens reale & ens rationis ſimpliciter important rationes contradictorias; quia ens reale dicitur id, quod revera exiſtit: Ens rationis vero revera non exiſtit. Hoc prænotato duas ponimus obſervationes: I. Quando duo important rationes contra-

dicto-

dictorias immediate, videndum eſt, num eas ſimpliciter an reſpectu ejusdem tertii importent? Si illud, plane non admittunt medium: e. gr. ens & non ens plane non admittunt medium. Si hoc, reſpectu ejus, cujus ſcilicet reſpectu rationes contradictorias important, non admittunt medium, ſimpliciter tamen ſpectata medium ſemper admittunt: e. gr. homo & brutum admittunt medium, ut: lapidem, plantam, non tamen admittunt medium reſpectu animalis, quia nullum animal datur aut dari poteſt, quod non ſit homo vel brutum. II. Quando duo important rationes contradictorias mediate, tunc omnino admittunt medium: e. gr. ens reale & ens rationis important rationes contradictorias mediate, quia ens rationis mediante non-ente eſt id, quod revera non exiſtit: Latius namque patet non-ens quam ens rationis, adeoque non ens immediate ſignificat id quod non exiſtit, mediate ſignificat ens rationis, unde datur medium inter ens reale & ens rationis, e. gr. ens potentia, privatio. Sic homo & canis reſpectu animalis important rationes contradictorias mediate, quia canis eſt animal non rationale mediante bruto, patetque latius brutum quam canis, adeoque brutum immediate ſignificat animal non rationale, mediate ſignificat canem, unde datur medium inter homi-

mi-

minem & canem, e. gr. leo, bos, eqvus &c. Hæc ſi attendantur, tutius quiſpiam procedet, nec uti diximus tam facili ratione allata ac id genus alia argumenta habebit pro iis, quæ omni exceptione majora ſint vel hocce ſolo titulo, quod pro fundamento ſuo venditent hujus effati veritatem: *Quæcunque important rationes contradictorias inter ea non datur medium.* Ita univoca & æquivoca important rationes contradictorias, non tamen immediate, ſed mediate. Latius enim patent habentia ſecundum idem nomen eandem definitionem, quam univoca: Latius quoque patent habentia idem nomen, nec tamen eandem definitionem ſecundum idem nomen, quam æquivoca, quo de agetur ſequenti *capite quinto*. Sic licet reſpectu creaturæ produci ex nulla materia & produci ex aliqua materia importent rationes contradictorias, non tamen quod ex materia producitur, id propter ſtatim generari dicitur: Aut enim materia illa eſt habilis ad formam recipiendam, aut inhabilis, quæ non habet potentiam ad formam recipiendam niſi admodum remotam: Si prius, tunc dicitur generatio: Si poſterius, & forma non niſi per omnipotentiam Dei poſſit in eam introduci, tunc dicitur creatio, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid, item creatio mediata: Quod ſi autem aliquid immediate

pro-

Digitized by Google

producitur ex nihilo, tunc ſimpliciter dicitur creari. Pariter licet quando removetur obligatio legis, aut iſta removeatur ab omni ſubjecto, aut non removeatur ab omni ſubjecto: non tamen abrogatio & diſpenſatio has rationes contradictorias immediate important. Latius enim patet remotio obligationis ab omni ſubjecto, quam abrogatio, cum in eo conveniat abrogatio & derogatio, quod utraq; ſit remotio obligationis ab omni ſubjecto: Tollitur enim omnis obligatio legis ab omni ſubjecto, & quando lex abrogatur, & quando legi derogatur: Ibi, dum ex toto obligatio tollitur: Hic, dum ex parte removetur. Ita ſunt rationes contradictoriæ, vim obligandi accipere ex libera Superioris, ſibi ſubjectum obligare volentis, voluntate, non accipere vim obligandi ex libera Superioris, ſibi ſubjectum obligare volentis, voluntate: Interim de eo adhuc diſputatur, annon Jus non accipiens vim obligandi ex libera Superioris, ſibi ſubjectum obligare volentis, voluntate, adhuc latius patens cenſeri poſſit, quam Jus naturæ, ita ut Jus non accipiens vim obligandi ex libera Superioris, ſibi ſubjectum obligare volentis, voluntate, iterum vel oriatur ex natura rei, ſitque jus naturale, quod etiam dici poſſit Jus Gentium primarium: vel non oriatur ex natura rei, & ſi ex gentium voluntate nixa inevitabili neceſſitate



Digitized by Google

tate aut ineffabili utilitate originem trahat, nuncupari queat Jus Gentium abſolute, item Jus Gentium ſecundarium? Videatur, ſi placet, *Introductio ad Hugonis Grotii opus de Jure Belli & Pacis l. 1. c. 1. quæſt. 6. a pag. 311. usq; ad pag. 333.* ubi hanc materiam prolixius ventilare conatus fui, quam nunc exempli loco obiter adferre libuit. Sedulo igitur cavendum credo, ne quascunque rationes contradictorias pro definitionibus venditemus: Nam quisquis pro accuratis definitionibus habet quascunque rationes contradictorias, quæ ſæpe nihil minus ſunt, quam definitiones, is facile decipi poterit, ut mediata pro immediatis habeat. Ita falluntur & fallunt, qui pro veris definitionibus vel etiam idoneis deſcriptionibus habent ſequentes: Ens rationis dicitur, quod non exiſtit citra mentis operationem. Æquivoca dicuntur, quæ habent idem nomen & juxta illud nomen non eandem definitionem. Generatio eſt productio ex aliquo. Abrogatio legis eſt remotio obligationis ab omni ſubjecto. Lis adhuc ſub judice eſt, num Jus poſitivum recte deſcribatur per decretum, quo Superior ex mere libera voluntate ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat?

Tertium abuſum breviſſime indicabimus: Scilicet ut multi abutuntur hoc axiomate, dum

dum mediata habent pro immediatis: ita nec pauci ſibi aliisque imponunt, dum immediata habent pro mediatis. Chartæ anguſtia non patitur multis exemplis iſtud docere: Unum vel alterum ſolummodo obiter tangemus. Sunt Viri docti, qui quæſiti, qualismodi prædicationes ſint ſequentes: Deus eſt homo, homo eſt Deus, numne ſint eſſentiales an accidentales? nihil aliud reſpondent, nihil quoque aliud reſpondendum eſſe aut reſponderi poſſe pronuntiant, quam quod ſint prædicationes perſonales? Alii tamen haud indocti Viri putant ad quæſtionem, ut modo formabatur, ſi ſic reſpondeatur, non modo nihil reſponderi, ſed etiam dicam contradictionis ſcribi perpetuæ ac immutabili veritati hujus noſtri axiomatis: Quodlibet eſt vel non eſt. Ratio eorum hæc eſt: Dicunt non jam quæri: An hæ prædicationes: Deus eſt homo, homo eſt Deus, ſint prædicationes (quas Theologi vocant) perſonales, cum hoc ipſum non vocetur in ullam dubitationem, ſatisque manifeſtum ſit omnibus; ſed unice quæſtionem eſſe de eo, utrum in qualibet harum prædicationum verarum ac propriarum prædicatum ſpectet ad eſſentiam ſubjecti, nec ne? Hunc enim ſenſum volunt eſſe & nullum alium hujus quæſiti, qui alias probe obſervant, à plerique ita definiri prædicationes eſſentiales &

acci-

accidentales, ut haud mirum ſit talismodi formulas non niſi uſitatis prædicationibus, imo ne quidem his omnibus convenire, quod tamen fieri dicunt vitio negligentium aut oſcitanter tractantiũ Logicas & Metaphyſicas doctrinas. Urgent amplius, eum qui negat hanc propoſitionem: In omni prædicatione (propoſitione affirmativa finita) vera & propria aut prædicatum ſpectat ad eſſentiam ſubjecti, aut non ſpectat; ſimul negare hanc propoſitionem: Quodlibet eſt vel non eſt; cum ſint rationes immediate contradictoriæ reſpectu ſubjecti in prædicatione vera & propria, prædicatum in prædicatione vera & propria ſpectare ad eſſentiam ſubjecti, & prædicatum in prædicatione vera & propria non ſpectare ad eſſentiam ſubjecti. Unde quemadmodum ſi quæratur; utrum prædicationes hæ: Deus eſt homo, homo eſt Deus, ſint veræ, an falſæ, propriæ, an impropriæ? non ſufficit reſpondiſſe, ſunt perſonales. Ita nec ſufficere putant ad quæſtionem: Num ſint eſſentiales, an accidentales? ſi reſpondeatur; ſunt perſonales: Sed hæc ſuo loco relicta ſunto, nec quicquam de iis amplius dicemus. Suppetunt multa alia exempla, ubi medio tutiſſimi ire volentes extremas ſententias pro immediate contradictoriis habitas rejiciunt, quo ſpectant, qui cum Bodino in exercitio juſtitiæ particularis medi-

um

Digitized by Google

um proportionis genus inter proportionem geometricam & arithmeticam, nempe harmonicam inveniunt, qui inter occupationem (præter quam alia naturalis acquiſitio originaria non creditur dari) & acquiſitionem derivativam cenſent intercedere media acquiſitionis genera: diviſionem, conceſſionem ſervitutis, conſtitutionem pignoris, ſpecificationem. Sed ſæpe fit, ut quærantur mediæ ſententiæ, ubi inveniri nequeunt: Igitur ad diſcernendum abuſum ab uſu noſtri axiomatis maximum momentum adfert in Moralibus & Politicis, item in quovis Jure ut & Theologia, noſſe diſcrimen formaliter contradictoriorum a virtualiter, tamen immediate contradictoriis. Ita e. gr. rectiſſime ſic inferimus: Titius ſui juris eſt E. alieno juri non eſt ſubjectus. Titius eſt obligatus E. non eſt liberatus. Titius eſt liber E. non eſt ſervus. Eſt ſervus E. non eſt liber. Ita Apoſtolus *Rom. VI. 18. 20. Cæterum liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. Qvum enim ſervi eſſetis peccati, liberi eratis juſtitiæ.* Conf. *Johan. VIII. 34. 35. 36.* Hæc enim ſunt immediate (virtualiter) contradictoria. Colophonis loco & hoc notamus, uſum & abuſum hujus axiomatis optime cognoſcere eum poſſe, qui uſum & abuſum dilemmatum ſatis perſpectum tenet.

# AXIOMA III.

## *Non entis nulla ſunt prædicata.*

### SENSUS AXIOMATIS.

De eo, quod actu non exiſtit, poteſt tamen exiſtere, nulla accidentia quinti prædicabilis (hoc eſt, prædicata contingentia præſentis temporis) intrinſece & poſitive denominantia ſalva veritate affirmari poſſunt: E. gr. Roſa in hyeme eſt non ens: ponimus enim illam eo tempore in rerum natura non exiſtere, poſſe tamen exiſtere. Quoniam igitur roſa in hyeme non exiſtit, idcirco etiam nulla habet prædicata accidentalia, ſic dicta in oppoſitione ad accidens quarti prædicabilis: e. gr. non poteſt ſalva veritate de roſa non exiſtente affirmari, quod ſit rubra aut alba. Non igitur ſatis feliciter veritatem hujus effati intelligit, qui neſcit diſtingvere: 1. inter non-ens poſſibile & impoſſibile. 2. inter prædicata neceſſaria (in quorum numero ſunt etiam accidentia quarti prædicabilis: quadruplicis enim generis prædicata eſſentialia dantur, quia quatuor ſunt prædicabilia neceſſaria) & contingentia, quæ vulgo abſolute dicuntur accidentalia prædicata, æque ac accidens quinti prædicabilis, quia eſt prædicabile contingens, καθ' ἐξοχὴν accidens prædicabile dici ſolet. 3. inter prædicata nega-

Digitized by Google

negativa & poſitiva. 4. inter prædicata contingentia extrinſece denominantia & prædicata contingentia intrinſece denominantia. 5. inter prædicata temporis præſentis, præteriti & futuri.

## CONFIRMATIO.

Sane ex terminis liquet, quod non entis prædicata affirmativa contingentia intrinſeca & poſitiva præſentis temporis ſalva veritate dari nequeant, quia talium prædicatorum veritas prærequirit exiſtentiam ejus, de quo vere enunciantur: Ideo enim dicuntur præſentis temporis.

## DEMONSTRATIO PER ABSURDUM ET IMPOSSIBILE.

Si namque ejus, quod non exiſtit, prædicata darentur, quæ prærequirunt ipſius exiſtentiam, cujus ſunt prædicata, ſic idem ſimul exiſteret & non exiſteret, quod abſurdiſſimum eſt & impoſſibile.

## USUS PRACTICUS.

Exemplo uno vel altero uſum hujus axiomatis illuſtrabimus. Sic ſæpe occurrit quæſtio illa, nonmodo in Philoſophia Morali & Civili, ſed & in Theologia & Jurisprudentia uſum præſtans eximium & ſat notabilem: Num quis ſalva naturæ lege luere poſſit alienam pœnam? Qui affirmativam defendunt, *inprimis* utuntur his rationibus, & (1) quod ob crimen læſæ Majeſtatis poſteri puniantur

niantur, & (2) quod ex fidejuſſione quis occidi poſſit, & (3) quod ipſe Chriſtus alienam pœnam capitalem ſuſtinuerit. Verum ſi noſtro utamur axiomate, negativa facillime demonſtrabitur. Nam pœna eſt delicti, quia eſt malum paſſionis, quod ob malum actionis infligitur: Unde quia pœnæ omnino hoc ineſt, ut delicto reddatur, adeoque obligatio ad pœnam omnis ex merito oritur, meritum vero eſt perſonale, (quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil eſt magis nobis proprium, unde αὐτεξούσιον vocatur) jure puniri nequit, qui nihil mali eſt promeritus, ſeu, ut *Seneca l. 2. de ira cap. 4.* ſcribit: *Nihil erit iniquius, quam aliquem hæredem fieri odii paterni.* Quam ob cauſam & *Hierocles* pœnam definit *malitiæ medicatricem.* Et *Hierax* juſtitiam ex hac parte, ceu nobiliſſima, ait eſſe τιμωρίας ἀπαίτησιν παρὰ τῶν προαδικησάντων, *pœnæ exactionem ab iis, qui priores læſere.* Quibus conſentiunt & Imperatores Chriſtiani: *Arcadius* & *Honorius l. Sancimus 12. C. de pœnis*, dicentes: *Sancimus ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt.* Et paucis interjectis: *Peccata igitur ſuos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Hoc ſingulis quibusque judicibus intimetur.* Huc etiam ſpectant verba *Calliſtrati* JCti *l. crimen 26. D. de pœnis* ſic pronuntiantis: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere*

*re poteſt. Namque unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur: Idque Divi Fratres* (Antoninus Philoſophus & Verus) *Hierapolitanis reſcripſerunt.* Illudque Vulgatum: *Noxa caput ſequitur.* Idem innuit *Auguſtinus epiſt.* 105. *Deus*, inquiens, *ipſe foret injuſtus, ſi quemquam damnaret innoxium.* Et quid clarius eſſe poterat Scripturæ Sacræ teſtimonio, quod apud *Ezechielem c. XVIII.* extat: *Verſ. 4. En omnes animæ meæ ſunt, æque anima patris atque anima filii meæ ſunt; anima quæ peccat, ipſa morietur. Verſ. 5. & ſeqq. Nam quum quis erit juſtus &c. juſtus hic omnino vivet.* Et *verſ.* 20. *Anima, quæ peccat, ipſa morietur: Filius non feret propter iniquitatem Patris, & Pater non feret propter iniquitatem filii; juſtitia juſti cum ipſo erit, & improbitas improbi cum ipſo erit* &c. Hæc vero omnia & ſingula effata nituntur axiomatis noſtri veritate. Quod attinet rationes contrarias: (1) Parentis bonis ob crimen læſæ Majeſtatis confiſcatis ſentiunt quidem incommodum ac calamitatem liberi, ſed proprie ea pœna non eſt. *Non entis* enim *nulla ſunt prædicata*, unde quod quis non habet, ei eripi non poteſt: At bona iſta non erant liberorum, nec illorum futura, niſi a parente ad ultimum ſpiritum eſſent conſervata. Quod etiam ab *Alphino* JCto notatum eſt *l. eum, qui civitatem* 3. *D.*

*de interdictis & relegatis*, cum aſſerit patris pœnam *nihil aliud juris adimere liberis, niſi quod ab ipſo perventurum fuiſſet ad eos: quæ vero non a patre, ſed a rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia.* (2) Ex fidejuſſione merus homo occidi nequit, cum homo non ſit ſuiipſius, ſed Dei, qui ei corpus, membra corporis, vitam dedit, non ut perdat, ſed ut ſervet: Unde quia nemo jus habet in vitam, ut eam ſibi ipſe adimere poſſit: Ergo nec quiſquam poterit eam adimendam obligare. Quod enim quis ipſe non habet, alteri dare non poteſt, cum *non entis nulla* ſint *prædicata*. (3) Quod de Chriſto adferebatur, nihil facit ad præſens, ubi de mero homine erat quæſtio, qui vitæ ſuæ dominus non eſt: Chriſtus vero erat Dominus & Princeps omnis vitæ humanæ, qui ut verus Deus ſibi vitam humanam dederat, unde poterat eam adimendam obligare. *Entis* enim *ſunt prædicata*.

Aliud exemplum Politico-Juridicum annotabimus, quo ſane *Grotius* uſum hujus axiomatis expreſſis verbis ac abunde monſtrat: Ita enim iſte *lib. 2. de Jure belli & pacis c. 4. §. 10. Perdifficilis ſuboritur quæſtio: An nondum natis jus ſuum tacite tali derelictione poſſit decedere? Si non poſſe dicimus, nihil ad tranquillitatem imperiorum ac dominiorum profecit modo data definitio*, (quando ſcilicet

*Gro-*

*Grotius* præcedentib9 §§. aſſeruerat, jure uſucapiendi cõtroverſias de regnis regnorumq; finibus, deque meo & tuo extingui) *cum pleraque talia ſint, ut poſteris debeantur: Sin poſſe affirmamus, mirum videbitur, quomodo nocere ſilentium poſſit his qui loqui non potuerunt, quippe cum nec exiſterent, aut quomodo aliorum factum aliis damno eſſe poſſit.* Mox veram ſententiam ſolide demonſtraturus noſtrum axioma feliciſſime in ſubſidium vocat: *Ad hujus nodi*, ajens, *ſolutionem ſciendum eſt, ejus qui nondum natus eſt, nullum eſſe jus, ſicut NEC ILLA SUNT ACCIDENTIA REI NON EXISTENTIS. Quare ſi populus, a cujus voluntate jus regnandi proficiſcitur, voluntatem mutet, iis qui nondum nati ſunt, ut quibus jus quæſitum nondum eſt, nullam facit injuriam. Sicut autem populus expreſſe mutare voluntatem poteſt, ita & tacite credi mutaſſe.* (Conſenſus enim taciti & expreſſi eadem eſt regulariter virtus) *Mutata igitur populi voluntate, neque dum exiſtente eorum jure qui exſpectari poſſunt; parentibus autem e quibus naſci poſſunt, qui jus ſuo tempore eſſent habituri, id ipſum jus derelinquentibus; nihil eſt, quod obſtet, quo minus illud ut derelictum ab alio occupari poſſit.* Hæc *Grotius*, e quibus luculenter patet, quantum momenti ad decidendas Juris & Naturalis & Civilis controverſias genuinus noſtri Axiomatis uſus faciat. Addit *Grotius* cita-

to loco: *Agimus de Naturali Jure,nam Jure Civili ut aliæ fictiones ita & hæc introduci poteſt, ut eorum qui nondum ſunt perſonam lex interim ſuſtineat,atque ita impediat,ne quid adverſum eos occupari poſſit: quod tamen leges velle non temere cenſendæ ſunt,quia privata iſta utilitas publicæ valde repugnat.*

## ABUSUS PRACTICUS.

Exemplum Ethico-Theologicum abuſus practici ſuggerit *Socini* ejusque diſcipulorum doctrina, qua audacter negant dari peccatum originis, cum ad culpam requiratur propria voluntas,& pœna ſit conſequens culpæ: In homine autem dum naſcitur,propria voluntas ejus non detur, nec antea eſſe potuerit. Quis vero non videt,totam Socini ac Socinianorum opinionem niti noſtro axiomate: *Non entis nulla ſunt prædicata.* E contrario uti communi noſtrorum Theologorum conſenſu ex *Epiſt. ad Romanos cap. V. 12.* firmiſſime probari poteſt,dari peccatum originis: Ita ipſi in varias abeunt vias, aliisque hic, aliis iſte modus explicandi placet. Sunt, qui cenſuerunt, ob moralem voluntatis Adami & poſterorum ejus unionem, eo ipſo dum Adam legem a Deo in paradiſo latam de non comedendo arboris fructu tranſgreſſus eſt,ſimul in illo omnes poſteros eandem legem tranſgreſſos fuiſſe, Adamum quidem phyſice, h. e. actione reali,

li, poſteros vero moraliter, nempe per conſenſum interpretativum. Alii putarunt, non abſurdum eſſe, ut peccandi voluntas poſterorum a Deo prævia (qua ſi exſtitiſſent, & eadem peccandi materia fuiſſet objecta, æque peccaturi fuiſſent) poſteris ad culpam imputetur non minus, quam Adamo imputata fuit actualis voluntas. Rurſus alii exiſtimarunt, ſimplicius dici, peccatum primorum parentum nobis imputari & noſtrum eſſe, quod ejus effectus ad nos redundet, vel quod in cauſa ſit, cur ejus effectus nobis inſit, cum juſtitia originalis ſit perfectio moralis homini qua tali, hoc eſt, naturæ ejus rationali conveniens & ineſſe debita, cujus defectus propterea etiam ſit malum culpæ & peccatum. Cæterum quicquid ſit de variis ejusmodi explicationibus, quarum examen ad noſtras Scholas non ſpectat multoque minus hujus loci eſt, communiter Theologi orthodoxi nos informant, utut ab adverſariis peccatum in communi definiatur per voluntariam ſeu proæreticam legis transgreſſionem, nobis tamen pie & ſimpliciter acquieſcendum eſſe in definitione ab ipſo Spiritu Sancto tradita, quando ſcilicet *1. Joh. III. 4.* definitur per τὴν ἀνομίαν: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, *peccatum eſt carentia conformitatis cum lege:* qua definitione pie ac rite obſervata, omne id, quod non eſt

conforme legi, peccatum erit, ſive ſit peccatum illud voluntarium ſive connatum. Ex hactenus dictis colligitur facile, vim omnem omneque robur deeſſe Socini & Socinianorum argumento.

Exempli Politico-Juridici loco liceat tangere quæſtionem Politico-Juridicam: An terræ, & flumina, & ſi qua pars maris in proprietatem populi alicujus venit, patere debeat his, qui tranſitu poſtulato opus habent ad juſtas cauſas; puta, quia quod ſuum eſt juſto bello petunt, aut quia commercium expetunt cum gente ſepoſita? Qui negantem ſententiam tuentur, credunt tranſitum poſtulatum, & ex gravis periculi neutiquam vano metu denegatum per cauſam naturaliter juſtam negatum eſſe. Indignum enim libero quovis homine & minime ferendum eſt ab altero neceſſario periclitari & ad injurias nudari. Sed affirmativæ ſententiæ Patroni, & ex iis maxime *Hugo Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 2, §. 13.* urgent, *Jus meum metu tuo non tolli.* Interim rem altioris judicii eſſe volumus: Annon hoc ipſo *Grotius* & qui cum eo ſentiunt, *non entis prædicatū* ſtatuant? *Quale enim jus habes eundi per alienum ſuo Principe invito? quod nec habiturus ſis per privati alicujus Titii fundum iturus l. 13. §. ult. D. de injur. niſi ſervitute quæſita. Quis autem putet libertatem territorii, quæ univerſitas agrorum*

*eſt non minus inconſulto domino propriaque autoritate tranſeundo, cum minuatur agelli unius libertas hoc modo, itinere alii permiſſo. Imo ſi ſervitute itineris, actus, viæ, jure conſtituta libertas prædii minuitur; quid non minuatur facto tranſeuntis mero uſurpata? Sed fac, jus tibi eſſe, dicam, omnino conſtringi, ſi inde ſecuritati metuam. Eſt enim ſecuritas inter bona externa Reipublicæ, quæ invito nemini debet attrectari uſurpative: quippe repugnat conditioni hominis liberi, atque ſervile eſt, inevitabili neceſſitate cogi ab altero metuere.* Dn. *Strauchius*, JCtus, *diſſertatione de Imperio Maris cap.* 8. §. 2.

# AXIOMA IV.

Hujus loco ſequens effatum ponimus:

*A reali ad ens reale non valet conſequentia.*

## SENSUS AXIOMATIS.

Senſus eſt: Dici aliquid poteſt reale, ut tamen non ſit ens reale: e. gr. Mundum potuiſſe produci, antequam jam eſt productus, eſt reale, non autem eſt ens reale. Conf. *capitis* hujus *primi* §. 14. *cum notis p.* 66. & *ſeqq.*

## CONFIRMATIO.

Præter ea, quæ modo cit. *p.* 66. & *ſeqq.* attulimus, lubet rem confirmare ſeqventi exemplo: Potentia illa, quam vulgo potentiam

tiam objectivam vocant, in qua mundus fuiſſe dicitur, antequam a Deo produceretur, quæq; idem ſignificat, quod non repugnantia, ſecundum quam aliquid aptum eſt, ut ſit objectum potentiæ activæ divinæ, ut per eam fiat, non eſt aliquid reale exiſtens in rebus, quod facile inde perſpicitur, quia *ſtatuitur eſſe in rebus non exiſtentibus, antequam exiſtant: Quod enim eſt in re non exiſtente, non poteſt eſſe aliquod exiſtens*, verba ſunt *B. Stahlii Inſtit. Metaph. c. 5. §. 20. p. m. 52.* eſt tamen aliquid reale, quia non dependet ab operatione intellectus. Nam ab actu eſſe ad poſſe eſſe valet conſequentia. Ergo ab eſſe actu independenter ab intellectu ad poſſe eſſe vel potuiſſe eſſe independenter ab intellectu, etiam valet conſequentia: Illud autem poſſe vel potuiſſe eſſe independenter ab intellectu eſt realis potentia. Valet igitur conſequentia ab ente reali ad reale, non autem a reali ad ens reale.

## DEMONSTRATIO PER ABSURDUM ET IMPOSSIBILE.

Quia reale id tantum formaliter dicit, quod non dependet ab operatione intellectus, reale autem ens eſſe præter independentiam ab operatione intellectus etiam arguit veram & realem exiſtentiam: ſane ſi a reali ad ens reale valeret conſequentia, multa ſimul eſſent & non eſſent, quod abſurdiſſimum

Digitized by Google

ſimum & impoſſibile: e. gr. mundum potuiſſe produci antequam productus jam eſt, oſtendimus eſſe reale quid: Jam ſi reale idem eſt quod ens reale, mundus, antequam productus jam eſt, non extitiſſet & extitiſſet: nondum extitiſſet, quia nondum erat productus: tamen extitiſſet, ſi a reali valeret conſequentia ad ens reale.

## USUS PRACTICUS.

Exemplum Morale adferre libet: Quæri ſolet, an ipſa turpitudo moralis, (quam *Moraliſtæ* recte negant eſſe peccatum, & barbaro nomine peccaminoſitatem vocant) ſpectata præciſe, ut dicit ἀνομίαν, ſit ens reale? Affirmativam nonnulli probant ſequenti argumento: Quicquid qua tale dicit realem relationem, illud qua tale eſt reale ens. Atqui turpitudo moralis ſpectata præciſe, ut dicit ἀνομίαν, dicit realem relationem. E. turpitudo moralis, ſpectata præciſe, ut dicit ἀνομίαν, eſt reale ens. Majorem putant inde eſſe ſatis manifeſtam, quia omnis relatio realis eſt ens reale. Minorem ex eo abunde conſtare aſſerunt, quod ἀνομία, quam turpitudo formaliter arguit, ſit realis relatio ad legem, & quidem realis diſconvenientia cum lege. Ad hoc argumentum alii ut reſpondeant, rectiſſime in anteceſſum notant, quæſtionem jam non eſſe de peccato, multoque minus de peccato actuali aut originali, ſed

uni-

unice jam quæri de ipſa turpitudine morali ſpectata præciſe, ut dicit ἀνομίαν. Quantum enim differunt: homo cœcus & cœcitas, tantum differunt: factum ἄνομον & ἀνομία. Jam negant propoſitionem majorem allati argumenti. Rationem negationis quærunt in hocce effato: *A reali ad ens reale non valet conſequentia.* Igitur putant, aliquid poſſe eſſe relationem realem, ut tamen non ſit ens reale. Manifeſtum exemplum relationis realis, quæ non eſt ens reale, ſupra *pag. 67.* attulimus.

Adſint exempla Theologica: Quemvis Theologiæ ſtudioſum oportet noſſe, dari in divinis relationes reales, quas *Theologi* relationes Dei ad intra vocant, nempe paternitatem, filiationem, & proceſſionem Spiritus Sancti, easque docent fundari in realibus actionibus Dei ad intra, paternitatem quidem ac filiationem, quarum illa primæ, hæc ſecundæ perſonæ proprietas eſt, fundari in generatione: cum ad hoc, quod una perſona eſt gignens, altera genita, ſequatur, unam eſſe Patrem, alteram Filium: proceſſionem autem Spiritus Sancti fundari in actu ſpirationis, cujus terminus ſit Spiritus Sanctus a Patre & Filio per æternam ſpirationem procedens, cumæque dicatur Filii Spiritus, ſicuti dicitur Spiritus Patris *Gal. IV. 6.* Hinc inter perſonas divinas talem realem ordinem rea-

realemq; diſtinctionem *Theologi* monſtrant: Pater non eſt ab alio ente, nec ab alia perſona divinitatis, & eſt illa perſona divinitatis, a qua aliæ ſunt perſonæ divinitatis, Filius ſcilicet per generationem, Spiritus Sanctus per ſpirationem. Filius Dei non eſt ab alio ente, eſt tamen is, qui eſt ab alia perſona divinitatis, nempe a ſolo Deo Patre per generationem, & eſt is, a quo eſt alia perſona, nempe Spiritus Sanctus per ſpirationem. Spiritus Sanctus non eſt ab alio ente, eſt tamen is, qui eſt ab aliis perſonis divinitatis, nempe a Patre & Filio per ſpirationem. Quod generatio & ſpiratio (quæ eæque ſolæ a *Theologis* vocantur actus perſonales, quia alicujus vel aliquarum perſonarum divinarum proprii ſunt, dicuntur etiam actus notionales, quod divinæ perſonæ ex iis innoteſcant) ſint actiones Dei ad intra reales, probant *Theologi*, quia utriusque terminus realis eſt & realiter productus: Illius enim terminus eſt Filius realiter ab æterno genitus, qui eſt imago Patris *Col. I. 15. Ebr. 1. 3.* Hujus terminus eſt Spiritus Sanctus, qui nec Filius, nec Patris aut Filii imago, nec genitus dicitur, ſed procedit a Patre & Filio. Ex hac *Theologorum* doctrina, quam optima eorum pace recenſemus & veneramur, ſponte ſua liquet, dari reales actiones Dei ad intra, dari reales & realiter diſtinctas relationes Dei ad intra

in il-

in illis realibus actionibus fundatas: Quiſque ergo Theologiæ orthodoxæ idoneus cultor uſum noſtri axiomatis videt: nam utut illæ relationes ſint *reales* & *realiter diſtinctæ*, non tamen ſunt realia & realiter diſtincta entia, ſed manent unum idemq; numero ens ac quoad rem ipſe Deus, æque ac tres perſonæ divinitatis ſunt & manent unum numero ens, unus Deus in eſſentia. Ergo non licet argumentari a reali ad ens reale, a multiplicatione realium ad multiplicationem entium realium.

Exempla Politica & Juridica ſubjungimus: Nullum dubium eſt, quin ſtabilia & certa ſubjecta dentur, quæ a relationibus & qualitatibus, quæ in Philoſophia Morali & civili, omnique Jurisprudentia occurrunt, vere & realiter denominari poſſint, & quibus ejusmodi relationes & qualitates realiter & diſtincte queant attribui, nulla interim neceſſitas nos cogit, ut illas ipſas relationes ac qualitates, prout formaliter ac politice aut juridice conſiderantur, vocemus entia realia. Omnium enim Philoſophorum ac Virorum doctiſſimorum conſenſu notio entis eſt Metaphyſica, eaque nihil cenſetur, niſi quod vel eſt ſubſtantia, vel accidens. Jam vero nemo ſaniori judicio præditus dixerit, illas ipſas relationes ac qualitates, quæ & quatenus ſunt conſiderationis Moralis, Politicæ aut Juri-

Juridicæ, eſſe accidentia, quæ aliis tanquam ſubjectis ut vera ac realia entia inhæreant; multo vero minus quisquam eas pro ſubſtantiis habuerit. Diſtingvunt igitur Viri eruditiſſimi, non Philoſophi modo, ſed & Theologi & JCti, inter ſubjectum veræ ac realis denominationis, & inter ſubjectum veræ ac realis inhæſionis: Hoc non omnes relationes reales realesq; qualitates prærequirunt, cum non omnis realis relatio ſit reale ens: Illud utique. Sumamus exempla: Ita duo conſortes unius ejusdemq; delicti realem ad invicem relationē dicunt, quæ nullo eget ſubjecto, cui realiter inhæreat, ſi fundamentum petatur ex ipſa ἀταξίᾳ aut ἀνομίᾳ morali. Ita Majeſtas in abſtracto & formaliter ſpectata eſt ſumma poteſtas regendi civitatem, isque dicitur realiter habere eam, qui tales actus in Repub. valet committere ac omittere, ad quos committendos aut omittendos obligari a nemine Mortalium poterat, nec etiam ullo vel naturali vel poſitivo jure obligabatur, unde nec alterius juri ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. Ita ſervitutes vel prædium vel perſonam ſubjectum habent. Notat enim Servitus *JCtis* jus in re aliena conſtitutum: Jus dicit h. e. qualitatem moralem aut conditionem rei *l. 23. §. ſi fundus ſerviens 2. D. de ſervitutibus prædiorum ruſticorum.* Eſtque ea

facultas (moralis) activa & paſſiva: e. gr. iter eſt potentia (moralis) activa eundi, in prædio dominante, paſſiva, in fundo ſerviente. Poteſt igitur ſervitus rei tribui, quando e. gr. ſubjectum ſervitutis activæ prædium (dominans) ſubjectum ſervitutis paſſivæ fundus (ſerviens) dicitur: poteſt quoque alio ſenſu ſubjectum ſervitutis dici perſona, cui ſervitus activa quæſita eſt, ut qui habet jus eundi: Item ſubjectum ſervitutis paſſivæ perſona, quæ cogitur aliquid in ſuo pati aut non facere. Pariter uti res rei ſervit vel perſonæ, hac etiam ratione res aut perſona ſubjectum ſervitutis realis aut perſonalis denominari valet. Sed ex hisce omnibus nullatenus evincitur, non poſſe dari talismodi relationes, niſi certo ſubjecto inhæreant.

Elegans hic ſeſe offerret occaſio diſſerendi de communi fundamento FICTIONUM (quas vocant) JURIS, cum poſitivi, tum Naturalis: ſed hac de re egimus ex inſtituto *in noſtra Jurisprudentia Morali*, & infra *in Apparatu Metaphyſico* fortaſſis dicetur.

## ABUSUS PRACTICUS.

Inveniuntur his temporibus ii, qui publice deplorant Philoſophorum incuriam, quam in culpa eſſe pronunciant, quod *ENTIA MORALIA* (quæ utiq; fuerint, quamdiu genus humanum extitit) hactenus in ordinem non ſint digeſta, nec ipſorum indoles

doles curatius tradita, quæ tam præclara mundus adhuc erat ignoraturus, niſi ipſi nobis fuiſſent exorti. Nos vero illis maximam gratiam etiam haberemus, ſi in publicam utilitatem contuliſſent, quod ab omnibus, qui idonei *RERUM MORALIUM* Doctores Scriptoresve unanimi cordatiſſimorum Virorum conſenſu habiti fuerunt & adhuc habentur, eſſet prætermiſſum, aut emendaſſent, in quo omnes lapſi fuiſſent. Nunc talis eſt nova iſta de entibus moralibus Philoſophia, ut ſi detrahas novas locutiones, haud multum ejus ſuperfuturum ſit. Nam *primo*, quis in Analyticis *Ariſtotelis* & *Græcorum Interpretum* aliorumque noſtri ævi præclarorum Magiſtrorum (ex his ultimo loco nominatis pro multis laudaſſe ſatis jam eſto ex Hiſpanis *Joannem Nunneſium*, ex Gallis *Raconium*, ex Germanis *Philippum Scherbium*, *Michaelem Piccartum*, *Johannem Neldelium*, *Dn. Hermannum Conringium*, *Dn. Melchiorem Zeidlerum*, ex Italis *Cæſarem Cremoninum*, *Jacobum Mazonium* & *Felicem Accorombonum*) ſcriptis ejusdem argumenti vel mediocriter verſatus ignorabit eos omnes aſſeruiſſe, quamlibet diſciplinam eſſe *REALEM*, & tractare *SUAS RES*, Phyſicam *Phyſicas RES*, Ethicam *Ethicas RES*, Politicam *Politicas RES* &c. Iſti profecto ex profeſſo egerunt de eo, quantam diligentiam quamque

multum prudentiæ inquiſitio cujusvis *GENERIS RERUM* requirat, quantaque cautione opus ſit, ne *res morales phyſice* aut *mathematice*, ſed ut *res morales ethice*, *politicæ politice*, *juridicæ juridice* tractentur. *Deinde*, paſſim extant in *Ariſtotelis Philoſophia Morali & Civili* monita ſcitaque optima, quibus ipſe diſerte profitetur, *RES MORALES ac CIVILES vera ſcientia ac certa demonſtratione accipi, nec profecto mera opinione ſatis intelligi, ac proinde oportere hominem probe inſtitui pædia* cum generali (h. e. Analytica) tum ſpeciali, *quo intelligat RERUM MORALIUM ac CIVILIUM INDOLEM ac NATURAM, & intantum quærat id, quod eſt exquiſitum in RERUM MORALIUM ac CIVILIUM GENERE, in quantum NATURA EARUM RERUM permittit, & probe ſciat, quemadmodum unumquodque ſit accipiendum: Inprimis ei non debere eſſe obſcurum, QVIBUS IN REBUS ſubjecta ſpecie differunt, & eorum aliud eſt primum, aliud deinceps ſubſequens, EARUM RERUM aut nihil prorſus eſſe commune, qua ratione ſint tales, aut perquam tenuiter & anguſte: Illius, qui circa unamquamque doctrinam Moralem aut Civilem philoſophatur, & non reſpicit ſolum ad τὸ agere, proprium munus eſſe nihil prætervidere, neque quidquam omittere, ſed totam REI MORALIS aut CIVILIS indolem curatius tradere deque tota*

REI

REI *naturæ veritatem aperire. Vid. l. I. Nic. c. 1. II. Nicom. c. 2. I. Eudem. c. 6. III. Polit. c. 1. & 5.* Longe plura habentur, quibus *Ariſtoteles* culpat ἀπαιδευσίαν illorum, qui magni Doctores rerum moralium ac civilium videri volunt, nondum tamen didicerunt *RERUM MORALIUM VIM AC NATURAM SUO PRETIO ÆSTIMARE*: ſed illa huc transferre non patitur inſtitutum. *Tertio*, eadem ratione *Grotius* in ſuo *opere de Jure Belli & Pacis* paſſim de *REBUS MORALIBUS* mentionem movit, ut quando in *prolegomenis n. 10.* in Moralibus id attendere jubet, *quod actus cujusque & REI natura fert*, *n. 52. REM MORUM* nominat. In ipſo *Opere* eximius locus extat *l. 1. c. 1. §. 4.* iterumque alius invenitur in *ejusdem lib. c. 3. §. 11.* ubi de RERUM MORALIUM NATURA egregie ac ſcite diſſerit: Unde dignoſcenda veniat? *Rerum*, ajens, *Moralium natura* non ex duratione, cum quantitatis nulla ſit efficacia, ſed *ex operationibus cognoſcitur: quare quæ facultates eosdem effectus habent, eodem nomine nuncupandæ ſunt: Duratio autem naturam rei moralis non immutat.* Add. *ejusdem capitis §. 23. & 24. l. 2. c. 23. §. 1. & l. 3. c. 1. §. 2.* ut alia plura loca hic taceamus. *Quarto*, quam præclare Summus *Conringius* rerum moralium ac civilium (& harum quidem ex profeſſo) naturam atq; in-

dolem ex *Ariſtotelis* ſicque antiqua Philoſophia deduxerit, *in* inſigni *opere ſuo de Civili prudentia* inprimis ex *7. 8. 9. 10. 11. capp.* videre eſt. *Quinto*, idem philoſophandi modus placuit *JCtis*, ceu demonſtrari facile poſſet, niſi res eſſet in propatulo. Nobis igitur perinde erit, ſive in poſterum RES MORALES amplius hoc nomine ubivis & apud omnes doctos recepto cenſeri, ſive ENTIA MORALIA dici debeant. Per nos licet, ſive hoc poſterius ſaltem edicto prætorio ſanciatur, ſive etiam anathematis fulmine percellantur, qui entia moralia vocare noluerint: Quisque interim videt, entium appellatione Philoſophos & JCtos non tam facile uti, quod hæc notio Philoſophiæ Theoreticæ propria cenſeatur. Nec vero invidebimus ſuis autoribus, ſi entia moralia vocent *modos*, *ſeu* ſi ita malint *accidentia*, *quæ utique ſubjectum aliquod prærequirant, eorumq; quatuor claſſes: ſtatum moralem ſeu ordinem, moralem perſonam, quantitatem & qualitatem* ſtatuant, ita ut e.gr. moles entium moralium ſingularum claſſium impoſita & ſuperaddita dicatur homini phyſice jam perfecto, ſi Doctor creetur, eo ipſo quod in novo STATU MORALI ſeu ordine nunc ſit, in quo ante non erat: nova PERSONA MORALIS ipſi impoſita cenſeatur, dum Doctor factus eſt, qui antea non fuerat: Ex



Digitized by Google

claſſe QVANTITATUM MORALIUM nova exiſtimatio ſuperaddita ipſi putetur: Ex claſſe QVALITATUM MORALIUM novus titulus, ut Doctor audiat ſibique certam poteſtatem, immunitates ac privilegia collata ſciat: Sed licet hæc omnia lubentisſime largiamur, quæ omnino largimur, (Malumus enim in hanc peccare partem, ut vel minus hoc titulo meritos prædicemus, quam ut meritos vituperemus) numne eo ipſo res novas tradi crediderimus? Annon omni tempore Philoſophi Morales inter ſtatum phyſicum & moralem, inter perſonam phyſice agentis & agentis moralis, inter æſtimationem phyſicam & moralem, inter δύναμιν & ἐξουσίαν, potentiam phyſicam & potentiam moralem diſtinxerunt? Annon incipientibus quibusvis, multoque magis Moralium rerum Magiſtris nota eſſe potuit ac debuit doctrina de circumſtantiarum Morali æſtimatione cum ſimplici tum comparata, ubi inprimis de morali æſtimatione perſonæ, ejusque conditione ac ſtatu, item quantitate ac qualitate agitur, dum circumſtantiæ: QVIS, QVID, QVOMODO, æſtimantur? Annon in omnium Ethicorum libris circumſtantiæ vocantur accidentia actionis phyſice ſpectatæ, quæ ſint extra ſubſtantiam actus phyſice ſpectati, & tamen attingant aliquo modo actum, quæque

ſi moraliter æſtimentur, recte diſtingvantur in eſſentiales & accidentales? Cæterum fateor ingenue, quod ſentio, nempe nondum me adduci poſſe, ut credam, quenquam in ſolida doctrina practica aut nullatenus aut difficulter proficere poſſe, niſi *entia* ſua *moralia* non modo in *poſitiva & ſuppoſitiva, modosque* (formaliter autem entia moralia Autoribus hujus Nomenclaturæ ſunt modi) in *affectivos* & *æſtimativos, affectivos* in *formales* & *operativos, operativos* in *primos* & *ortos* &c. ſciat diſtingvere, ſimulque accurate noverit *moralitates* ſuas *longitudinarias, latitudinarias, craſſitudinarias, affectivas, æſtimativas, operativas*, ſuasque *imputativitates, determinativitates, radicalitates, terminalitates, intreitates, extreitates, ſitualitates, ſitualitatum tantitates, talitates, ubicativitates, quandicativitates*, item *ſtatus* ſuos *tantitativos, talitativos, quandicativos, ubicativos* (ſufficiant hæc ad guſtum doctrinæ de entibus moralibus per tot ſecula ad hæc usque tempora, in quibus αὐτοδίδακτοι regnant, neglectæ) æſtimare: Citius crederem his talibus doctrinas morales magis intricari, quam extricari. Add. *Horneji Phil. Moral. l. 3. c. 12. n. 3.* Interea tantum abeſt, ut ingentis laudis choragium, quod hoc inſtituto ingenioſo magis quam proficuo apud juniores illos, qui alias quavis novitatis decipula facile capiuntur

veln-

veluti ſorices, meruiſſe credunt, autoribus ſuis invideam, ut optima mea pace poſſint quilibet, qui modo velint, hanc de novis entibus moralibus (quæ ſemper quidem extiterint, nunc autem cum ſummo rei literariæ emolumento in huncce ſpectabilem ordinem digeſta fuerint) Philoſophiam compoſitam credere ex meris unionibus ac gemmis moralibus, ſeu potius ex quinta quadam eſſentia, modo non tam abjecte ſentiant de omni hactenus recepta Philoſophia, deſinantque eos acerbiſſimis odiis proſequi, quibus hæc nundinatio terminorum moralium, quouſque ea in injuſtum Veteris Philoſophiæ contemtum vergit, non arridet. Sed hac de re ex profeſſo agitur in Juriſprudentia Morali. Aliud exemplum, idque nefandum, abuſus hujus axiomatis breviſſime annectemus: Manichæi hac ratione inter alias moti, quod ex eo, quia nemine cogitante detur malitia ſeu turpitudo quorundam actuum habituumque, non poſſit non conſequi, eam malitiam aut turpitudinem eſſe realiter exiſtentem in actibus habitibusque ſeu reale ens, in hanc ſpurcam inciderunt hæreſin, ut duo omnium rerum principia prima ſtatuerent prima & independentia ac coæterna, ſed inter ſe diverſa: Unum bonum, a quo eſſent omnia entia realia bona: Alterum malum, a

quo eſſent omnia entia realia mala. Item, quod adhuc tranſcendentaliter bonũ in homine dici poſſit ac ſuperſit, eſſe a principio primo bono ſive a Deo bono: quod vero non ſit tranſcendentaliter bonum, ſed quantum quantum per ſe totaliter malum, & tamen adhuc ens reale ac poſitivum, eſſe ab altero malo principio primo, ſive a Deo malo. Vid. *Theodoretus de fab. hæreticis cap. ult. Auguſtinus in lib. de hæreſibus hæreſi 46. Epiphanius hæreſi 66.* Vulgo hæc hæreſis tribuitur Maneti (qui etiam ſeipſum appellavit in literis Manichæum, quarum hæc inſcriptio: Manichæus Apoſtolus Jeſu Chriſti, a quo etiam addicti ipſius hæreſi Manichæorum nomen ſortiti ſunt) velut primo illius autori, & hoc forte, quia magis ſub illo invaluit, ut plures deciperet. Nam alias multo vetuſtior eſt illius origo: Cerdon ſiquidem (ut *Auguſtinus in libro de hæreſibus c. 21.* teſtatur) eandem fovit opinionem. Ante Cerdonem docuerunt etiam hunc errorem ii hæretici, qui vocati ſunt Gnoſtici, teſte *Auguſtino hær. 6.* Ejusdem dogmatis autorem antiquiſſimum Zoroaſtrem fuiſſe, tradit *Plutarchus libro de Iſide & Oſiride.* Quæ autem, quæſo te, ſequela eſt: Nemine cogitante datur turpitudo ſeu malitia actuum. E. realiter exiſtit in actibus ſeu eſt reale ens. A reali enim ad ens reale non valet conſequentia. Sane etiam nemi-

nemine cogitante datur cœcitas in oculo, non tamen inde ſequitur, quod ſit reale ens, quia non datur cœcitas tanquam exiſtens quippiam, ſed nemine cogitante per hoc ineſſe dicitur oculo, quando oppoſitum ejus nempe viſus non ineſt.

# CAPUT SECUNDUM
## De
# EXISTENTIA ET ABSENTIA.

### §. I.

A*Bſtractum entis* eſt *eſſentia*: Sumitur autem hoc loco prout idem ſignificat, quod *vera & realis exiſtentia*.

### *NOTÆ.*

I. Habet ſe eſſentia ad ens ſicut albedo ad album, quantitas ad quantum: nam ens idem eſt ac habens eſſentiam; & quemadmodum non poſſum dicere: albedo eſt alba, quantitas eſt quanta, ſic nequeo aſſerere, quod eſſentia ſit ens.

II. Ex *Logicis* interim conſtare debet, quod uti non omne abſtractum realiter differt a ſuo concreto: ita nec in præſenti inter eſſentiam & ens reale diſcrimen interce-

dat:

dat: Ita e. gr. Deitas eſt abſtractum, Deus concretum, nec tamen Deus & Deitas realiter differunt: Sic quoque realiter non differunt eſſentia & ens, nam alias etiam Deitas & Deus, realiter differrent: Quid enim aliud eſt Deitas, quam eſſentia divina, & quid aliud eſt Deus, quam habens eſſentiam divinam? Omnia autem quæ in Deo ſunt, ipſe Deus ſunt, cum in DEUM non cadat realis compoſitio, utpote quæ importat imperfectionem, quo de pluribus ſuo loco agetur.

III. Vulgo deſcribitur exiſtentia, quod ſit *id quo aliquid eſt extra ſuas cauſas*: e. gr. roſa in vere, quando actu exiſtit, omnino eſt extra cauſas illas, unde provenerat. Verum multa deſiderari in hac formula deſcriptionis poſſunt: quod enim præcipuum eſt, non omne quod exiſtit, exiſtit extra ſuas cauſas; nam & Deus exiſtit, qui nullas ſui cauſas habere potuit, cum ſit ens primum a ſeipſo. Adde, quod accurate philoſophando per exiſtentiam res non ſit extra ſuas cauſas, ſed per productionem res fit res, & dum producitur, extra cauſam eſſe incipit.

IV. Nec mitiorem cenſuram illa deſcriptio meretur: exiſtentia eſt *id, per quod aliquid deſinit eſſe extra ſuas cauſas.*

V. Alii ſunt, qui dicunt eſſentiam eſſe *id, per quod, ſeu quo ens eſt ens*, eſt autem aliquid ens, quia revera eſt, revera eſſe, nihil aliud notat, quam vere exiſtere.

VI.

VI. Habet hæc doctrina uſum inſignem in *Theologia*; maxime in *locis præcipuis*, quibus de ſummis myſteriis agitur, nempe *de myſterio Sacroſanctæ Trinitatis*, & *de myſterio incarnationis Filii Dei.* Nam in SS. Trinitatis myſterio una datur eſſentia, h. e. unica, nempe eſſentia divina, adeoque etiam unica datur exiſtentia, ſcil. exiſtentia divina: contra in myſterio incarnationis dantur duæ realiter diſtinctæ eſſentiæ, adeoque etiam duæ realiter diſtinctæ exiſtentiæ: eſſentia divina & eſſentia humana, ſeu, ut Theologi accuratiores efferunt: exiſtentia divinæ naturæ propria & exiſtentia humanæ naturæ propria. Cavendum interim ſanctiſſime, ne confundantur eſſentia & exiſtentia cum ſubſiſtentia, de qua alibi, juſto ſcil. loco & ordine, agetur. Jam pace venerandorum *Theologorum* notaſſe ſufficiat, quod in myſterio Trinitatis tres dentur, non tria, tres ſcil. realiter diſtinctæ perſonæ, tres realiter diſtinctæ ſubſiſtentiæ, una numero eſſentia ſive exiſtentia, unum numero ens, nempe Deus, tribus realiter diſtinctis inter ſe ſubſiſtentiis ſubſiſtens: Contra in myſterio incarnationis ſunt duæ exiſtentiæ ſeu eſſentiæ realiter inter ſe diſtinctæ, ut tamen una numero ſit ſubſiſtentia, nempe ſubſiſtentia τοῦ λόγου, qua duæ in Chriſto naturæ, quarum quælibet propriam habet exiſtentiam, unitæ ſunt

ſunt & ſubſiſtunt, ita ut unum ſuppoſitum, unam perſonam τοῦ θεανθρώπου conſtituant.

VII. *Scholaſtici* exiſtentiam dixerunt barbaro nomine *actum entitativum*. Occaſio hujus appellationis fuit controverſia inter *Thomam* & *Scotum*: *Scotus* enim annis junior contra *Thomam* aſſeruerat, quod materia prima habeat propriam exiſtentiam, cumq; *Thomas* ſemper docuiſſet contrarium, quod nempe materia prima careat propria exiſtentia, & exiſtat exiſtentia formæ, urſerat hoc argumentum: Quicquid eſt pura puta potentia, illud non dicit actum; adeoque non habet propriam exiſtentiam, cum exiſtere ſit actu eſſe. Atqui materia prima, teſte *Ariſtotele*, eſt pura puta potentia. E. Reſpondit *Scotus* diſtingvendo inter actum, ut idem eſt quod forma, & inter actum, ut idem eſt quod exiſtentia: actum priori modo ſpectatum vocavit *actum formalem*, quia per formam materia *actu* eſt compoſitum; actum poſteriori modo conſideratum nuncupavit *actum entitativum*, quia per exiſtentiam, id quod habet exiſtentiam, *actu* eſſe dicitur.

§. 2. *Oppoſitum exiſtentiæ* uno nomine dicitur *abſentia*, qua nihil aliud ſignificatur, quam *negatio veræ ac realis exiſtentiæ*.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *Abſentia dupliciter* conſiderari poteſt (1.) *formaliter, prout ſc. expreſſe arguit negationem actualis exiſtentiæ*: Scholaſtici hanc negationem vocant *negationem formalem*, item *negationem incomplexam*, qualis eſt, e. gr. abſentia viſus ex lapide, abſentia viſus ex animali, abſentia juſtitiæ originalis ex homine. (2.) *ut in terminis poſitivis quaſi tacite latet, ſeu implicite continetur*: v. gr. quando dico: Deus ligneus, hic quaſi tacite ſignifico abſentiam Dei, inque notione Dei lignei latitat negatio veræ exiſtentiæ divinæ, quia ligneum eſſe dicit eſſe materiale, eſſe compoſitum, ſicque quaſi negat Deum, qui nequit eſſe materialis, nequit eſſe compoſitus. In Scholis negatio hoc poſteriori modo ſumta vocatur *negatio virtualis*, item *negatio virtualis* com-

*complexa*, item *contradictio in adjecto*.

§. 4. Ad negationem priori modo ſumtam referri ſolet *diſtinctio inter negationem puram & privationem: Negatio pura* nihil aliud eſt quam *abſentia vere ac realis exiſtentiæ ex ſubjecto incapaci*, e.g. pura abſentia ſive negatio pura eſt abſentia viſus ex lapide, abſentia accidentis ex Deo, abſentia materiæ ex Spiritu. *Privatio eſt abſentia vere ac realis exiſtentiæ e ſubjecto capaci*: ut abſentia viſus ex oculo quæ uno nomine dicitur cœcitas, abſentia luminis ex aere, quam tenebrarum nomine appellamus, abſentia juſtitiæ originalis ex homine, qui ea gauderet, niſi per lapſum fuiſſet amiſſa.

*NOTÆ.*

I. Cave ne confundas *privationem* cum pri-

*privativo:* nam privativum differt (1) a privatione ut *concretum ab abſtracto*, e.gr. maxime differunt inter ſe cœcitas & cœcus, cœcitas enim eſt privatio, cœcus eſt privativum quid.

II. Privatio differt a privativo (2) *ut incluſum ab includente:* nam privativum duo includit, id cui privatio adhæret, & ipſam privationem, e. g. cœcus includit (α) ens, ex quo viſus abeſt, ut tamen viſus capax fuiſſet, niſi natura fuiſſet impedita. (β) ipſam abſentiam viſus.

III. Differunt privatio & privativum (3) in eo, *quod privatio non ſit nec poſſit eſſe verum ens, cum privativum verum ens dici queat*, e. g. cœcitas nullam dicit veram exiſtentiam, nec vere exiſtit: cœcus vero eſt verum ens, licet hoc quod ſit verum ens, non habeat a cœcitate.

IV. Ideo *Moraliſtæ* hoc diſcrimen in doctrina de peccato exprimere volentes, diſtinxerunt inter *peccaminoſitatem* & *peccatum*.

V. *Negatio realiter abſtrahitur a pura negatione & privatione:* nam negatio in ſe ſpectata dicit abſentiam realis exiſtentiæ, ita ut non attendatur ad ullum ſubjectum, multoque minus diſpiciatur, numne ſi ſubjectum datur, illud ſit capax ejus, quod ex ipſo abeſſe dicitur, an ſit incapax? Tum igitur demum judicare poſſumus num illa negatio

*pura* dici debeat, an *privatio*? ſi ad certum ſubjectum reſpectus habeatur: Ita e. g. de Deo negatur diviſio, negatur etiam diviſio de Petro, ſed ex parte Dei eſt negatio pura, cum Deus non ſit capax diviſionis, quia omnia, quæ in Deo ſunt, ipſe Deus ſunt: ex parte hominis non eſt pura negatio, ſed privatio, quia uti homo realiter compoſitus eſt, ita nec diviſio ei repugnat. Dicitur, quod negatio diviſionis de homine facta ſit privatio, non autem ſermo eſt de diviſibilitate.

§. 5. *Negatio pura & privatio non differunt* a parte ejus, quod *in Recto* ſignificant, ſed ſolummodo a parte connotatorum, ſeu eorum, quæ ſignificant *in Obliquo*: nam negatio pura connotat ſubjectum incapax, privatio connotat ſubjectum capax.

§. 6. Doctrinæ loco notandum venit, quod non modo *realiter idem* ſint *exiſtentia & ens*, ſed etiam *exiſtentia & eſſentia*: *Exiſtentia & ens*, cujus exiſtentia dicitur, quia exiſtentia non eſt nihil, unde

unde ſi exiſtentia realiter differret ab ente, ens eam recepiſſet, quod abſurdum; Recepiſſet namq; eam, antequam extitiſſet, cum per exiſtentiam id exiſtat, quod exiſtit, & ſine exiſtentia nihil exiſtat. *Exiſtentia & eſſentia*, quia nihil actu eſt ens, niſi exiſtat, cum exiſtere ſit nihil aliud quam actu ens eſſe: quod vero actu non eſt ens, illud actu eſt non ens, ſicq; revera non eſt ens.

## NOTÆ.

I. Urgeri etiam pro poſteriori aſſerto hæc ratio ſolet: Quia qui contrariam ſententiam tuentur, expreſſe docent, *exiſtentiam eſſe poſteriorem eſſentia, ipſique eſſentiæ ſupervenire*, certe ſi exiſtentia realiter differret ab eſſentia, illam in hac oporteret eſſe realiter receptam, quod abſurdum: Quomodo enim aliquid realiter recipi potuit in eo, quod quando debuit recipere alterum, non extitit: ea quæ non exiſtunt, quomodo calefient aut frigeſient, quomodo is, qui non exiſtit, vapulabit.

II. Nonnullis etiam hic modus philoſo-

phandi placet: Exiſtentia realiter diſtincta ab ente nequit tribui Deo, nec Deo ſalva veritate tribui poteſt eſſentia realiter diſtincta ab exiſtentia E. nec enti quatenus ens eſt tribui poſſunt. Quicquid enim tribuitur enti quatenus ens eſt, id etiam competit Deo, quia Deus eſt ens.

III. Sententiam contrariam, quod ſcilicet exiſtentia & eſſentia realiter non differant, propugnant omnes illi, quotquot aſſerunt, ens potentia eſſe verum ac reale ens. Nam hi admittentes, ens potentia non habere veram exiſtentiam, cum nihil exiſtat, niſi actu ſit; volunt, iſtud habere veram eſſentiam, non quidem actualem, tamen poſſibilem, cum aliquid poſſit eſſe poſſibile nemine cogitante, ut tamen non ſit actuale, ſicque vera eſſentia poſſibilis poſſit eſſe ſine vera exiſtentia, adeoque hæc ab illa realiter differat. Sed quo jure hujus ſententiæ Patroni quove veritatis prætextu diſtingvunt inter eſſentiam poſſibilem & eſſentiam actualem: eodem iis, qui ab altera parte ſtant, licebit diſtinguere inter exiſtentiam poſſibilem & exiſtentiam actualem. Unde quemadmodum ipſi contradicentes id lubentiſſime agnoſcunt & fatentur, exiſtentiam poſſibilem qua talem non eſſe veram exiſtentiam: Ita ſalvo meliori judicio videtur, ac ſi (velint nolint) fateri neceſſum habeant, eſſentiam, prout

ut notat abſtractum veri & realis entis, non eſſe veram eſſentiam, niſi ſit eſſentia actualis, eſſentiamque poſſibilem qua talem non poſſe referri ad verum & reale ens ut abſtractum ad ſuum concretum. Quod dicebatur: aliquid poſſe eſſe poſſibile, ut tamen non ſit actuale, ex eo nondum ſequitur, quod eſſentia poſſibilis qua talis ſit vera eſſentia, nec interim negatur, quod vera eſſentia ſit eſſentia poſſibilis. Ita animal poteſt eſſe ſine homine, nec animal qua tale eſt homo, adhuc tamen, quia homo eſt animal, homo & animal realiter non differunt.

IV. Nec eſt, quod dicatur, exiſtentiam Johannis heſternam non eſſe hodiernam, quia alias, qui heri extitiſſet, neceſſario etiam hodie exiſteret: una tamen eademque heri fuit & hodie eſt Johannis eſſentia, cum eſſentia ſit immutabilis & in indiviſibili poſita. Nam damus inſtantiam: Johannes heri videbatur, hodie non videtur, ſicque ex viſo fit non viſus nemine cogitante. Ergone Johannes a ſeipſo realiter differt? Vitioſum eſt, a diverſis denominationibus extrinſecis colligere diverſitatem exiſtentiæ intrinſecam: Talismodi vero extrinſeca denominatio eſt ea quæ petitur a tempore, unde diverſitas temporis non arguit diverſitatem exiſtentiæ. Imo ſicut exiſtere heri non eſt exiſtere hodie, ita eſſe heri non eſt eſſe ho-

die, eodemque modo eſſentia heſterna non eſt eſſentia hodierna, quo exiſtentia heſterna negabatur eſſe exiſtentia hodierna.

V. Multo vero minus ſententiæ veriori obeſſe credimus, quod omnium Philoſophorum conſenſu eſſentiæ rerum dicantur æternæ, cum tamen (ſi Deum excipias) nullius rei exiſtentia æterna dici poſſit, quia Deus libera ſua voluntate omnes res in tempore fecit exiſtentes: Nam ſic plane aliter ſumitur eſſentia, qua de notione *toto capite ſequenti* agetur. Obiter interea monemus, ſi hoc ſenſu æternæ dicerentur omnium rerum eſſentiæ, quaſi ſemper actu eſſent ſine principio & fine, tunc haberent contrariæ ſententiæ Patroni, quod vellent, ſed hoc a nemine fuit aſſertum, nec aſſeri poteſt ſine maniféſtiſſima falſitate.

VI. Sunt, qui reale diſcrimen exiſtentiæ & eſſentiæ inde ſufficienter ~~probari~~ refutari poſſe confidunt, quia ab invicem ſeparari nequeunt, ne per divinam quidem potentiam. Non enim dari poteſt exiſtentia actualis ſine eſſentia actuali, nec hæc ſine illa: Idem judicant rectiſſime de exiſtentia poſſibili & eſſentia poſſibili. Nam quod dicitur, eſſentiam poſſibilem dari ſæpiſſime ſine exiſtentia, hoc nihil præjudicat allatæ rationi, quia eodem modo exiſtentia poſſibilis dari poteſt ſine exiſtentia, eſſentia poſſibilis ſine eſſentia

Inte-

Digitized by Google

Interim noluimus hoc ratiocinio uti, quia a negatione realis ſeparationis, item realis ſeparabilitatis, ut vocant, non ſtatim valet conſequentia ad negationem realis diſtinctionis, hoc eſt, poſſunt eſſe realiter diſtincta, quæ non ſunt realiter ſeparabilia.

VII. Diſquiri ſolet, *num exiſtentia vera ac realis ſit verum ac reale ens?* Pro negativa adferri poterat ſequens ratiocinium: Quicquid eſt verum ac reale ens, illud habet veram ac realem exiſtentiam. Exiſtentia vera ac realis eſt verum ac reale ens. E. Exiſtentia vera ac realis habet veram ac realem exiſtentiam. Concluſio eſt abſurda E. vel major vel minor. Non major. E. minor. E contrario pro affirmativa facere cenſetur hæc ratio: quia exiſtentia realiter non differt a vero ac reali ente: At niſi eſſet verum ac reale ens, omnino eandem oporteret eſſe a vero ac reali ente realiter diſtinctam. *Scholaſtici* huic difficultati ſatisfieri putarunt adhibita diſtinctione inter *ens quod*, & *ens quo*: illud dixerunt ens abſolute, hoc exiſtentiam. Similem fere diceres quæſtionem, quam iidem movent, dum quærunt: num creatio ſit creatura, nec ne? Ubi illos diſtinguere videas inter *creaturam quæ* (quæ nempe fit per creationem) & inter *creaturam qua* (qua nempe creatura fit) h. e. ipſam creationem. Sicut ergo creatio non fit per creationem, ita

ita nec exiſtentia habet exiſtentiam. Sed hisce ſubtilitatibus non erat opus, ſi ſimpliciter reſpondeatur, exiſtentiam formaliter non eſſe ens, ſi ens ſumatur pro eo, quod habet exiſtentiam: eſſe tamen ens, ſi nempe ens ſumatur pro omni eo, quod non eſt nihil. Nam ſi priori accipiatur modo, certe ſicut album idem notat ac habens albedinem, ipſaque albedo non eſt alba, quia non habet albedinem, ſed eſt ipſa albedo: Ita ens idem eſt ac habens exiſtentiam, unde exiſtentia non eſt ens, h. e. non habet exiſtentiam, cum ſit ipſa exiſtentia: Si poſteriori modo ſpectetur, facile patet, exiſtentiam non eſſe nihil, quia realiter non differt ab ente. Unde in ſenſu reali ſeu identico, ceu vocatur in Scholis, vera eſt hæc propoſitio: Exiſtentia eſt ens; quia ad propoſitionem veram in ſenſu identico ſufficit, ſi ſubjectum & prædicatum a parte rei ſint idem: In ſenſu vero formali, quem dicunt, hæc propoſitio: Exiſtentia eſt ens; eſt falſa, quia alius eſt modus cognoſcendi abſtractum, alius eſt modus cognoſcendi concretum. Nam abſtractum & concretum ſignificant unam eandemque rem, ſed non eodem modo. Dicis: E. in ſenſu identico erit vera hæc propoſitio: Albedo eſt alba. Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam. Nam inter albedinem & album intercedit realis diſtinctio: nulla autem

tem realis diſtinctio datur inter exiſtentiam & ens.

VIII. Inter *ens* igitur & *nihil* non datur medium a parte rei, datur tamen medium noſtro modo cognoſcendi: quia exiſtentia nec formaliter eſt ens, nec eſt nihil. Sunt alias variæ ſignificationes τοῦ *nihil*. Et quidem in Script. Sacra ac Theologia frequentiores ſignificationes ſunt, quando nihil dicitur (1.) de effectu, ut: *Circumciſio* nihil *eſt & præputium nihil* eſt 1. Cor. VII. 19. h.e. nihil efficit aut valet ad Chriſtianismum ac veram pietatem. (2.) de abſentia magni valoris aut pretii ab ea re, cui ineſſe debebat, ut: *Si habeam omnem fidem, ita ut etiam montes transferam, charitatem autem non habeam*, nihil *ſum, 1, Cor. XIII. 2.* id eſt, nullius pretii aut valoris in conſpectu Dei, & in Eccleſiæ ædificatione. (3.) de re admodum parva, ut quæ ferme idem ſit, quod nihil, ut: *Habenti dabitur: nihil habenti etiam quod habet auferetur. Matth. XIII. 12.* i.e. parum habenti: Non enim auferretur, aut auferri poſſet ab eo, ſi prorſus non haberet. (4.) ponitur pro nulla culpa, ut *Nihil tibi & juſto illi Matth. XXVII. 19.* id eſt, ne læſeris illum innocentem ullo modo. Sed has aliasque ſignificationes enucleatius tractavit *Flacius in ſua clave p. m. 734. & ſeq.* Placet potiſſimas adhuc notare ſignificationes non minus in

Philoſophia quam Theologia frequentes, quæque hujus loci & conſiderationis ſunt: *Primo* enim *nihil* idem ſignificat, quod *nullum ens* ut: nihil *eſt cauſa ſui ipſius*. Hinc *Philoſophi* & *Theologi* recte notant Deum eſſe a ſeipſo in ſenſu negante, h. e. non ab ullo alio ente: non autem in ſenſu affirmante, cum nihil ſit principium producens ſeipſum. Secundo idem notat, quod *nullum ens* creatum e. gr. quando Poeta canit: nihil *eſt ab omni parte beatum*. Item, quando dicitur: *Sine eo* (λόγῳ) *factum* eſt nihil *quod factum eſt*, *Job. I, 3. Tertio*, nihil ſimpliciter idem valet, quod *non ens*: ut: ὀνδυρόξυλον eſt nihil, id eſt, non ens. *Purgatorium eſt* nihil, *Limbus Patrum* eſt nihil, *Limbus infantum* eſt nihil, *claſſes hæ inferni, quas Pontificii ſomniant*, nihil ſunt: Hoc eſt, non datur locus, in quo tanquam in carcere poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita non plene fuerunt purgatæ h. e. a peccatis liberatæ, utut hocce dogma creditu tam neceſſarium Papicolæ eſſe ſtatuant, ut qui illud negat, illum in gehenna ſempiterno incendio cruciandum dicant. *Bellarminus l. 1. de Purgat. c. 15.* Nec datur locus, in quem nugatorie introducunt animas Patriarcharum & omnium ſanctorum V. T. ante Chriſti ad inferos deſcenſum demortuorum, quas in hac cellula pœnam damni temporalem ſuſtinuiſ-

ſtituiſſe aſſerunt, donec peccati originalis debito per Chriſti mortem diſſoluto ex ea liberatæ ad fruitionem beatitudinis cœleſtis fuere introductæ, cum Chriſtus ad inferos deſcendiſſet. Nec medius locus datur inter cœlum & infernum, in quo nec bene nec male ſit infantibus ante uſum baptismi, vel in utero materno, vel ſtatim a nativitate mortuis. Noſtrates enim Theologi multis ſolidiſſimis argumentis probant talia habitacula plane non dari, ſed eſſe pura puta figmenta, partim Ethnica, partim Pontificia, ut adeo Pontificii plane immemores turpis abuſus hujus axiomatis: *Non entis nulla ſunt accidentia*, vivant, dum e. gr. pœnarum in purgatorio tempora velut clepſydra metiuntur, deque variis qualitatibus ac affectionibus eorum agunt, quæ prorſus nihil ſunt. *Quarto nihil* idem arguit, quod *tale non ens*: e. g. homo dum moritur abit in nihilum, cum tamen revertatur in pulverem. Sic dicitur: *Scimus quod idolum* nihil *ſit in mundo* 1. Cor. *VIII, 4.* ceu patet ex contextu, dum additur: *& quod nullus ſit Deus alius, niſi unus. Quinto, nihil* idem eſt, quod *nulla materia ſeu nullum ſubjectum*: e. gr. dicunt accuratiores Philoſophi & Theologi, materiam primam, angelum & animam rationalem, prætereaque *nihil*, hoc eſt, nullum aliud ens, poſſe fieri ex *nihilo*, id eſt, *independenter ab omni ſubjecto. Sexto, nihil*

idem

idem eſt, quod *nulla materia præexiſtens*: Ita Theologi illi, qui primo die cœlum & terram a Deo producta credunt, hanc propoſitionem: *Ex nihilo fecit Deus cœlum & terram*; ita explicant: Deus produxit cœlum & terram, cum nullum ens præexiſteret, (nulla materia, nullum ſubjectum) ex quo a Deo potuiſſent produci, h.e. quo momento Deus exiſtere fecit materiam, eo ipſo momento eam exiſtere fecit ſub forma cœli & terræ. Alii, qui lucem primo omnium productam cenſent, dicunt Deum lucem feciſſe *ex nihilo*, hoc eſt, independenter a præexiſtente ſubjecto. *Septimo*, *nihil* idem eſt, quod *nulla materia habilis*, *nullum ſubjectum habile ac diſpoſitum ad formam*, *h. e.* cui non ineſt potentia, per quam ad productionem formæ ut ſubjectum ſeu materia concurrat, niſi remota, quæ non eſt ſimpliciter dicenda potentia. Notant enim *Theologi* in *loco de creatione* productionem rei ex ſubjecto eſſe duplicem: Primo enim eſt productio rei ex ſubjecto habili, ita ut interventu naturalium agentium potentia illa materiæ poſſit traduci in actum. & hæc productio eſt generatio rigoroſè & abſolute ſic dicta, hæc etiam potentia ſimpliciter potentia dicitur. Deinde alia eſt productio, quando quædam producuntur ex ſubjecto inhabili, & in quo non eſt potentia niſi remota ad formam: Remota

enim

enim potentia eſt, quæ non traducitur in actum niſi interventu multorum actuum & variarum mutationum ac alterationum. Et hæc productio *Theologis* non generatio, ſed creatio dicitur; ſubjectumque illud, quia non eſt habile nec diſpoſitum ad formam, ipſis eſt quaſi *non ens* & *nihil*, adeoque productio rei ex ſubjecto non habili ipſis eſt quaſi productio rei ex *nihilo*.

IX. Forte non opus eſt, ut multis hic explicemus receptam diſtinctionem inter *nihil negativum* & *nihil privativum*. Ita naturali morte homo abit in *nihil privativum*, non mere negativum: fit enim ex homine cadaver. Contra ſi Deus abſoluta ſua potentia efficeret, ut aliquis angelus, qui jam exiſtit, exiſtere deſineret, iſte angelus abiret in nihil negativum. Ita putant *Scholaſtici*, ſubſtantiam, quæ in nihil privativum abit, reproduci poſſe, ſubſtantiam vero, quæ in nihil negativum abit, minime. Nam quando Adverſarii inter alia argumenta maxime hoc urgent: Quodcunque non per eandem numero actionem reproducitur, illud ipſum non eſt idem numero. Atqui corpus humanum putrefactum aut quocunque modo in cineres redactum non eadem numero actione reproducitur. E. Majoremque ita probant: actio eſt propter effectum ſeu propter rem productam (vulgo terminum vocant)

cant) eſt influxus quo eſſe communicatur effectui. Si ergo non eadem numero actio eſt, non idem numero eſſe per eam communicari poteſt effectui, & per conſequens non erit idem numero effectus, qui per eam reproducitur. Minorem vero in confeſſo poſitam credunt: Alia ſane numero actio eſt, qua homo generatur, alia qua mortuus in in vitam reducitur. Neque enim illa ipſa actio, qua corpus hominis in utero eſt formatum, aut qua homo primum in lucem fuit editus, per illam potentiam reſtitui poteſt, quod Nicodemus Chriſto regenerationem inculcanti objecit Joh. III. 4. Num poteſt in uterum matris ſuæ iterum introire homo & gigni? Confirmantque rem ita; quia actio non eſt res, ſed modus rei: Si autem modus rei intereat, per nullam ne quidem Dei potentiam idem numero reproduci poteſt. Ad hoc argumentum ut reſpondeant Theologi accuratiores; diſtinguendum eſſe cenſent inter reproductionem ejus, quod in nihilum negativum eſt redactum, & quod in nihilum privativum, h. e. in principia & elementa, aut in materiam, ex qua erat compoſitum. Si Major intelligatur de reductione alicujus, quod ponitur in nihilum negativum eſſe redactum, tunc non quidem eam concedunt, ſed nec temere negant. Non autem apparet illis, quomodo illud quod eſt in nihil ne-

ga-

gativum redactum, poſſit idem numero produci, cum nihil ejus ſuperſit & diverſa numero actione ſit opus, per quam reproducatur v. g. Si Dei potentia deſtrueretur & annihilaretur Angelus, & denuo produceretur, ſicut non per eandem numero actionem, qua primum conditus eſt Angelus; ita nec idem numero reproduceretur. Sed mittunt hunc ſenſum. Hic enim ipſis eſt quæſtio de reproductione corporis humani demortui: At corpus humanum in morte non annihilatur, ſed tantum putrefactione in principia & elementa reſolvitur, ex quibus erat compoſitum. Ergo & Major præciſe de reproductione ejus intelligenda eſt, quod in materiam & elementa reſolutum eſt, ex quibus conſtabat, quo modo falſa erit Major. Etenim quod in materiam & elementa ſua reſolvitur & reſolutum eſt, etſi per diverſam numero actionem reproducatur, in tantum tamen redit idem numero, in quantum ex potentia ejusdem numero materiæ educitur. Ad probationem quoque reſpondent diſtinguendo; Aut actio cauſæ efficientis, qua id quod extinctum eſt reproducitur, a nulla materia dependet, aut fit dependenter a materia. Si a nulla materia dependet, ſicut creatio aut productio alicujus ex nihilo; per diverſam numero actionem diverſum numero effectum produci non negant, quandoquidem

dem omne illud eſſe,quod jam per actionem effectui communicatur, diverſum numero ſit neceſſum eſt. Sin vero actio cauſæ efficientis ſit dependenter a materia,quærunt rurſus:Utrum dependeat ab eadem numero materia, in quam corpus putrefactione reſolutum eſt, an a diverſa numero materia? Si a diverſa,per diverſam numero actionem diverſum numero effectum produci non videtur temere eſſe negandum, e. g. Si non ex iiſdem numero cineribus, in quos converſum eſt corpus Pauli, ſed ex alia quacunque materia corpus humanum produceretur, etiamſi figura,magnitudine, temperamento, vultu, colore & omnibꝰ lineamentis eſſet corpori Pauli conſimile,non tamen idem numero corpus cenſeri poſſet, quod habuit Paulus cum viveret, quia eſſe illud, quod per actionem dependenter a diverſa materia in effectum infunditur, non modo diverſum jam eſt ex parte actionis, ſed & ex parte diverſæ numero materiæ. Sin vero actio cauſæ efficientis fiat dependenter ab eadem numero materia, ſicut reſuſcitatio mortuorum: tum per actionem numero diverſam non repugnat eundem numero effectum reproduci. Nam effectus eſt totus a cauſa efficiente, eſt etiam totus a materia. Ergo etiam idem numero eſſe ab utraque cauſa effectui communicatur, licet alia atque alia cauſandi ratio-

tione & cauſalitate. Poſito igitur, quod cauſa efficiens per diverſam numero actionem agat, ſi tamen in eandem numero materiam agat, in tantum idem numero eſſe communicabit, in quantum ex eadem numero materia amiſſam formam reproduxerit. Philoſophi dicunt formas materiales in corruptione recidere in potentiam materiæ, & in generatione eas educi ex potentia materiæ. Quod ſi ergo id quod deſtructum, & in materiam reſolutum eſt, levi mutatione ex eadem numero materia reproducatur, erit idem numero. Exempli gratia: ſi domus reſolvatur in partes materiales, & ex his viciſſim componatur, alia numero materia non aſſumta, tum eadem erit numero domus. Item, ſi aqua convertatur in aërem, & aër rurſus in aquam, redibit eadem numero aqua. Utrobique diverſa numero eſt actio, qua & domus & aqua reproducitur, ſed tamen propterea cenſetur redire eadem numero domus & eadem numero aqua, quia ex potentia ejusdem numero materiæ & forma aquæ & figura domus denuo educitur. Et in promtu eſt ratio, quare non obſtet actionem eſſe numero diverſam, dummodo fiat dependenter ab eadem numero materia, Cauſa ſc. efficiens & ejus actio effectus eſſentiam non ingrediuntur. Quod ſi autem effectus ſit compoſitum quid, quamdiu exiſtit, ex ma-

teria conſtat & dependet. Unde ut reproducatur idem numero compoſitum, ante omnia requiritur eadem numero materia, non obſtante quod ex parte cauſæ efficientis ſit diverſa numero actio, quoniam producto compoſito ceſſat actio, ſed manet in ipſa materia. Quamobrem fundamentum reſurrectionis ejuſdem numero carnis, in eo poſitum eſſe orthodoxi Theologi ſedulo inculcant, quod corpora defunctorum ex eadem numero materia, in quam putrefactione reſoluta ſunt, per Dei potentiam reproducentur. Id quod antiqui Patres agnoverunt. Unde quoties diſputandum ipſis fuit contra Ethnicos, eandem numero materiam, eoſdem numero cineres pro fundamento poſuerunt. *Tertullianus lib. de Reſurrect. c.63.* ſcribit: Non ſola anima ſeponitur, habet & caro ſinus ſuos interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in beſtiis, cum in hæc diſſolvi videtur, velut in vaſa transfunditur. Si etiam ipſa vaſa defecerunt, cum de illis quoque effluxerit, in ſuam matricem terram, quaſi per ambages reſcribetur, ut rurſus ex illa repræſentetur. Et *Auguſt. lib. II. de C.D. c. 20. art. 1.* Abſit autẽ, ut ad reſuſcitanda corpora vitæq; reddenda non poſſit omnipotentia creatoris omnia revocare, quæ vel beſtia, vel piſcis, vel ignis abſumſit, vel quod in pulveres cineresve collapſum, vel in humorem reſolu-

tum,

tum, vel in auras eſt exhalatum. Abſit ut ſinus ullus ſecretumque naturæ ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem aut effugiat poteſtatem. Conf. etiam *Comment. ipſius in Pſalm. 62.*

# CAPUT TERTIUM
## De
# ESSENTIA,
## item de
# RATIONE FORMALI.

### §. I.

NOtio eſſentiæ duplicem admittit ſignificationem, & utramque uſu frequentem ac ſcitu perquam neceſſariam. De priori, prout nempe idem ſignificat, quod vera & realis exiſtentia, actum fuit præcedenti capite: De poſteriori, quando ſcilicet accipitur, in quantum idem valet, quod *primus veri entis conceptus*, hoc capite tractabitur.

### NOTÆ.

I. Nemini facile incognita eſſe poteſt

hæc ſignificatio eſſentiæ, quando eſſentia dicitur primus conceptus veri ac realis entis, quæ certe formula *Scholaſticæ Philoſophiæ* natales debet, eaque recte explicata admitti poteſt, maxime quia continuus uſus eam probat.

II. Sicut ergo duo requiruntur ad eſſentiam ita ſumtam *(α.)* ut ſit conceptus veri ac realis entis (β.) ut ſit primus conceptus; ita omnino intereſt ſatis idoneam ac diſtinctam utriusque requiſiti explicationem breviter relinquere.

III. *Scholaſtici* autores extiterunt diſtinctionis inter *conceptum formalem* & *conceptum objectivum*. Conceptum formalem vocant cognitionem, quæ fit per intellectum: Dum enim mediante intellectu noſtro aliquid cognoſcimus, dicimur illud concipere, dicitur etiam intellectus illud concipere, atque adeo ipſa cognitio rei vocatur *conceptus* rei e. gr. quando cognoſcimus animal eſſe corpus naturale mixtum animatum ſentiens, conceptus animalis vocatur ille actus, quo intellectus cognoſcebat de animali, quod ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens. Studio dicitur: *conceptum formalem* in Scholis vocari cognitionem, quæ fit per intellectum: Nam utut alias duplex detur cognitio: Una cujus principium eſt intellectus; Altera cujus

jus principium eſt ſenſus: Uſus tamen obtinuit, ut illa ſaltem, non item hæc, tali cenſeatur nomine.

IV. *Conceptum objectivum*, nuncupant *Scholaſtici* id, quod cognoſcitur per intellectum, quatenus nempe per intellectum cognoſcitur, e.gr. de animali cognoſcitur per intellectum, quod ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens, unde complexus horum prædicatorum quatenus de animali cognoſcitur, dicitur *a Scholaſticis* conceptus objectivus animalis.

V. Rectius diceretur *objectum conceptus*, h. e., objectum cognitionis, quæ fit per intellectum, quam ſi dicatur *conceptus objectivus*.: nam quando de animali cognoſcitur, quod ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens, ſane quisque capit, quod objectum cognitionis de animali formatæ ſint hæc ipſa ſimul ſumta prædicata: corpus naturale mixtum animatum ſentiens: hinc etiam *Scholaſtici conceptum formalem* vocant ipſam cognitionem quæ fit per intellectum, quia dum rem concipio per intellectum, actus quo rem concipio, eſt ſecundum ſe ac rei veritatem *conceptus*, id eſt, cognitio, quæ fit per intellectum: Cur autem rem, quæ cognoſcitur per intellectum, quatenus quidem cognoſcitur per intellectum, appellent conceptum objectivum, quisque facile aſſequitur,

quia ſcilicet, uti diximus, res eatenus eſt objectum cognitionis. Sed quia termini ac notiones non accipiuntur ut libet, ſed ut uſu licet, & vero hæc diſtinctio uſu recepta dudum fuit ac manet in Scholis *Philoſophorum* ac *Theologorum*, eaque frequenter occurrit in Philoſophorum ac Theologorum ſcriptis ac cathedris, merito eam retinemus, hocque titulo explicatione dignam utique cenſuimus.

VI. Idem eſto judicium de notione, item intentione, quando ſcil. in *Scholis* inter *notionem formalem* & *objectivam*, inter *intentionem formalem* & *objectivam* diſtinguitur; nam *conceptus, notio, intentio*, *hoc loco pro iisdem ſumuntur*; dum nempe intellectus aliquid cognoſcit, noſcit illud, inque ipſum tendere dicitur, ut ita intentio in præſenti actum intellectus, non autem voluntatis ſignificet.

VII. Ex hactenus allatis ſua ſponte fluit per *conceptum* in delineatione *eſſentiæ* intelligi non *formalem conceptum*, ſed *conceptum objectivum*: Ita quando vulgo dicitur, animalis primum conceptum eſſe corpus naturale mixtum animatum ſentiens, ſenſus eſſe nequit, quod cognitio (qua ſcilicet cognoſcitur, quod animal ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens) ſit eſſentia animalis, cum animal ſit ſubſtantia; iſta vero cognitio, quam *conceptum formalem* animalis vocant, ſit verum & reale accidens. Hic ergo ſenſus relin-

Digitized by Google

relinquitur, quod *conceptus objectivus* animalis, hoc eſt, objectum cognitionis de animali, nempe τὸ corpus naturale mixtum animatum ſentiens, ſit eſſentia animalis.

VIII. Porro dicebatur eſſentia *conceptus veri ac realis entis*: Non enim uniuscujusque rei, ſive ſit verum ac reale ens, ſive minime, conceptus primus ſtatim *eſſentiæ* nomine cenſeri poteſt, ut in ſequentibus dicetur.

§. 2. Meretur accuratiorem explicationem notio *conceptus primi*, ſeu unde conceptus objectivus hoc habeat, quod primus dicatur? Scil. tria requiruntur ad conceptum objectivum, ut ſit *PRIMUS*, I. Ut ſit *objectum cognitionis veræ* cui ſcilicet cognitioni reſpondeat propoſitio affirmativa finita vera: Ita e. gr. lapis non pertinet ad primum conceptum animalis, quia quando lapis ſit objectum cognitionis formatæ de animali, hujusmodi cognitio quam formo de animali, eſt cognitio falſa, adeoque lapis objectum fal-

ſæ cognitionis exiſtit. II. Ut ſit *objectum cognitionis neceſſariæ*, h.e. neceſſario veræ: Ita quando de animali cogito, quod ſit doctum, τὸ doctum nequit pertinere ad primum conceptum animalis, quia licet vere de animali cognoſci poſſit, quod ſit doctum, ea tamen cognitio non eſt neceſſario ſed contingenter vera, hoc eſt, ſic vera, ut queat eſſe falſa. III. Ut ſit *objectum cognitionis, cujus ratio a priori dari nequeat*: Ita e.gr. quando cognoſco animal eſſe mobile, corruptibile, vivum, appetens, hæcce talia prædicata nequeunt pertinere ad primum animalis conceptum. Ratio namque a priori dari poteſt, cur animal neceſſario ſit mobile, corruptibile, vivum, appetens, nempe quia eſt naturale, mixtum, animatum, ſentiens. Ex quibus patet, nihil ad *eſſentiam* ſpectare, niſi

de

Digitized by Google

de ente vere, neceſſario & ut ratio ejus a priori, prædicari aptum ſit.

*NOTA.*

Aliæ ſignificationes *conceptus formalis* in *Metaphyſicorum* Scholis occurrunt, de quibus in ſequenti capite diſpicietur.

§. 3. Eſſentia quando primus rei conceptus dicitur, illius ſcil. rei, quæ eſt verum ac reale ens, iterum ſumitur duobus modis: (1.) pro *toto entis realis conceptu primo* (2.) pro *conceptu primo entis realis, non tamen toto, ſed ſolummodo* proprio. E. gr. eſſentia animalis nunc dicitur poſita in illo, quod ſit corpus naturale mixtum animatum ſentiens, nunc præciſe in eo, quod ſit ſentiens: Utrumque rectiſſime aſſeritur.

*NOTÆ.*

I. Diſtingvunt Scholaſtici inter *conceptum primum totalem ſeu adæquatum*, & inter *conceptum primum partialem ſeu inadæquatum*: *Ille* vocatur complexus omnium illorum prædicatorum verorum ac neceſſariorum

alicujus rei, quorum ſcil. ratio a priori dari nequit: *Hunc* appellant Scholaſtici primum conceptum, qui non omnia arguit prædicata vera & neceſſaria, quorum ratio a priori dari nequit, ſed ſaltim, unum vel ſolummodo aliqua, e. g. quando cognoſco animal eſſe corpus naturale, corpus naturale eſt partialis conceptus primus animalis: Ita, conceptus partialis primus animalis eſt, quando cognoſco de animali, quod ſit corpus animatum, item dum præciſe cognoſco, quod ſit ſentiens.

II. Non omnis *partialis conceptus primus* ſolet dici eſſentia, ſed partialis conceptus primus enti, cujus *conceptus primus* eſt, *maxime proprius*: Ita recte ſentiunt, qui eſſentiam animalis in eo poſitam dicunt, quod ſit ſentiens, modo per eſſentiam animalis intelligant primum conceptum proprium primoque conceptui communi plane contradiſtinctum; nam reliqua prædicata omnia, quæ ad primum animalis conceptum itidem ſpectant, partes communis conceptus ſunt: E contrario animatum non poteſt dici eſſentia animalis, multo minus mixtum aut corpus naturale, imo nec corpus naturale mixtum hocce nomine cenſeri poteſt.

§. 4. Melius hæc percipiuntur, ſi adducatur diſtinctio *conceptus primi*

Digitized by Google

*primi partialis ſeu inadæquati in reciprocum & non reciprocum*: e. gr. reciprocus conceptus primus inadæquatus animalis eſt ſentiens, non reciprocus eſt corpus naturale; Non enim omne corpus naturale eſt animal, omne vero ſentiens eſt animal, hoc eſt, animal & ſentiens æque late patent, corpus naturale & animal non item.

*NOTÆ.*

I. Venit ergo *eſſentiæ* nomine ſaltem *iſte primus conceptus partialis*, ſeu, quod eodem redit, iſta pars primi conceptus, quæ eſt reciproca, qualis non eſt niſi maxime propria & ultima differentia e. gr. ſentiens reſpectu animalis.

II. Nec ſubeat mirari, cur ea pars primi conceptus, non item cæteræ, denominationem eſſentiæ ſubire valeant: hæc enim reliquas partes primi conceptus omnes & ſingulas neceſſario prærequirit ac præſupponit, quod de nulla reliquarum partium ſive ſeorſim ſive conjunctim ſpectatarum dici poteſt, quia ſemper important conceptum communem, in quo res, de cujus eſſentia quæritur, cum aliis convenit.

§. 5. Ca-

§. 5. Caveant igitur accuratioris Philoſoph. cultores, ne confundant inter ſe: *eſſe ipſam eſſentiam*, *eſſe de eſſentia*, *pertinere ad eſſentiam*. *Eſſe ipſam eſſentiam* vel idem notat ac eſſe totum primum rei conceptum, vel ſignificat nihil aliud, quam eſſe primum rei conceptum partialem, non tamen niſi eum, qui rei, cujus primus conceptus dicitur, maxime proprius eſt. *Eſſe de eſſentia* idem importat ac eſſe partem primi conceptus rei: Ita e. gr. de eſſentia animalis eſt corpus naturale, de eſſentia animalis eſt mixtum, de eſſentia animalis eſt animatum, de eſſentia animalis eſt ſentiens, quia hæc omnia quando ſeorſim ſpectantur, arguunt talia, quæ partes primi conceptus animalis dici mereantur. *Pertinens ad eſſentiam* omne illud vocatur, quod notat primum conceptum entis,

entis, ſive ex toto, ſive ex parte, ſeu quod idem eſt, quicquid cognitionis de vero ac reali ente veræ, neceſſariæ ac cujus ratio a priori dari nequit, objectum eſt, ſive aliud itidem talismodi cognitionis objectum ſit, ſive minime. Exempla e ſupra dictis peti facili negotio queunt.

§. 6. Differunt *ratio formalis* & *eſſentia*: Latius enim patet ratio formalis quam eſſentia, quia omnis *eſſentia* eſt *ratio formalis*, ſed non omnis *ratio formalis* eſt *eſſentia*. *Eſſentia* enim rigoroſe loquendo notat *primum conceptum entis*; *ratio* vero *formalis* dicit *primum conceptum rei*, ſive illa ſit ens, ſive minime: e. gr. cæcitatis ratio formalis conſiſtit in eo, quod ſit abſentia viſus ex animali per naturam viſus capaci: Ita tenebræ, mors, malitia moralis, habent ſuas

rationes

rationes formales, eſſentias non habent.

N O T Æ.

I. Habet ſane diſtinctio inter *rationem formalem quæ ſimul eſſentia eſt*, & inter *rationem formalem quæ non eſt eſſentia*, ſuum fundamentum. Non enim de nihilo eſt diſtinctio inter reale & ens reale, ceu ſupra *p. 219. & ſeqq.* fuit oſtenſum.

II. Sicut ergo aliud eſt eſſentia, aliud quod eſt de eſſentia, aliud pertinens ad eſſentiam: Ita aliud eſt *ratio formalis*, aliud *de ratione formali* aliud *pertinens ad rationem formalem*.

III. Quandoque *eſſentia* & *ratio formalis* pro iisdem ſumuntur.

IV. Uſus hujus capitis & exempla practica eo ſpectantia ſequenti capite monſtrabuntur.

# CAPUT QUARTUM

## De

# NOTIONIS: FORMALITER

### uſu receptis ac frequentibus ſignificationibus;

item

item

## de huic notioni oppoſitis notionibus.

§. 1. Accuratioris Philoſophiæ ut & cujuslibet Facultatis genuino auditori ac cultori utique incumbit, comparare ſibi notitiam variarum ſignificationum Adverbii Metaphyſici: FORMALITER, utpote cujus uſus varius eſt ac frequens, nec negari poteſt, quod ſignificatio ejus minus recte intellecta aut infeliciter ad certam materiam applicata multas pepererit difficultates, nugas, abſurditates.

§. 2. Et (1.) quidem (lubet namque non omnes, ſed ſolummodo uſu frequentiores acceptiones exponere) FORMALITER ſæpe numero idem notat quod *ſecundum rei exiſtentiam aut veritatem*: e. gr. quærunt Ariſtotelici, num ſol formaliter ſit calidus? ſenſus

ſus quæſtionis hic eſt: num calor ſalva rei veritate competat ſoli, ita ut revera exiſtat in ſole? Scholaſtici hic utuntur hac Adverbii Metaphyſici notione modo explicata, atque cenſent ex *Ariſtotelis* mente dicendum eſſe, quod ſol formaliter non ſit calidus, h. e. quod calor revera non competat Soli cum calor ſit qualitas elementaris congregans homogenea & ſegregans heterogenea, Ariſtoteles autem cœlum ac cœleſtia corpora, & ſic quoq; Solem, habuerit pro corporibus ſimplicibus ac quintæ eſſentiæ h. e. a quatuor elementis prorſus diſtinctæ eſſentiæ, ita ut ſecundum Ariſtotelis Philoſophiam nihil de elementis ac elementaribus qualitatibus participent.

*NOTA.*

Adeſto aliud exemplum: Ad quæſtionem: Num perfectiones phyſicæ creaturarum ſint in Deo? *Scholaſtici* recte reſpondent,

per-

perfectiones phyſicas creaturarum, h. e. quæ *formaliter* in creaturis ſunt, *formaliter* non eſſe, nec eſſe poſſe in Deo, quia ut ſunt perfectiones phyſicæ creaturarum, ſunt perfectiones creatæ, Deus vero nihil creatum, imo nihil plane in ſe recipere poteſt, cum ſit actus purus, ut *Scholæ* loquuntur, adeoque omnis potentiæ paſſivæ penitus expers.

§. 3. Huic notioni: FORMALITER, ita explicatæ opponitur aliud adverbium Metaphyſicum: *EMINENTER*. Dicitur autem eminenter in aliquo eſſe aut alicui eminenter competere, quod ſecundum rei exiſtentiam aut veritatem in eo non eſt nec ei competit, nec fortaſſis in eo eſſe aut ei competere poteſt, eſt tamen in ipſo aut competit ei nobilius aut eminentius quid, nempe nobilis aut eminens vis aut virtus iſtud (quod id propter *eminenter* ineſſe dicitur) extra ſe producendi: e. gr. Scholaſtici ad quæſtionem: num Sol formaliter ſit calidus, nec ne? re-

S ſpon-

ſpondent, eum non eſſe calidum formaliter, ſed eminenter, h. e. in Sole non eſſe calorem, eſſe tamen in Sole eminentiorem quandam vim, qua calorem, quem in ſe non habet, in rebus inferioris naturæ, quas ſublunares vocant, excitare poſſit ac producere.

NOTÆ.

I. Adverbia *Eminenter* & *Virtualiter* ſæpiſſime eandem plane ſignificationem ha-bent, ita ut virtualiter idem ſignificet, quo modo ſignificavimus adverbio; Eminen-ter.

II. Exemplo uno vel altero practico ha doctrinam reddemus illuſtriorem. Ita e. g quæſtio in Theologia moveri ſolet, quæ e-iam in aliis diſciplinis practicis moveri pot-rat mutatis ſcilicet mutandis: Numne Theo-logia habitus ſit mere practicus, eique re-ſpondens diſciplina, mere practica? Fu-runt, qui hoc negarunt nixi hoc argume-to: Plurimæ dantur in Theologia propo-tiones, quæ plane non ſunt practicæ. Theologia non eſt mere practica. Ad h argumentum ſi velimus reſpondere, ſecu accuratiores Doctores utimur hac diſti-ctione hocce §. allata, atque dicimus: Prop-ſitionem

ſitionem in Theologia (Idem judicium eſto de Jurisprudentia, Ethica, Politica) occurrentem aliam eſſe formaliter practicam, aliam eſſe eminenter, ſeu virtualiter practicam, atque adeo nullam propoſitionem ad Theologicam Diſciplinam per ſe ſpectare; niſi ſit practica, ſi non formaliter, tamen virtualiter. Nempe ſicuti Sol non dicebatur formaliter calidus, tamen potens efficere calorem: ſic multæ propoſitiones in Theologia formaliter non ſunt practicæ, poſſunt tamen efficere practicas propoſitiones, ſi ſcilicet aliis propoſitionibus formaliter practicis jungantur, atque præmiſſæ fiant in Syllogiſmis Theologicis. Unico exemplo hoc aſſertum illuſtrare lubet: Ita e.gr. hæc propoſitio: O. vere credens in Chriſtum eſt merito Chriſti redemtus; non eſt propoſitio formaliter practica. Ratio eſt quia hæc propoſitio nihil dictat committendum aut omittendū eſſe: manet interim virtualiter practica, id quod inde conſpici debet, quia ſi eam jungamus propoſitioni formaliter practicæ, inde oritur tertia propoſitio ſive concluſio, & quidem concluſio formaliter practica. Faciamus hujus rei periculum: Quicunque Chriſti merito redemtus eſt (a poteſtate peccati, mortis ac Diaboli) is Chriſtum debet ſuper omnia diligere. O. in Chriſtum credens eſt redemtus Chriſti merito (a poteſtate pecca-

ti, mortis ac Diaboli) E. O. credens in Chriſtum debet Chriſtum ſuper omnia diligere. En propoſitionem formaliter practicam ex propoſitione, quæ non erat formaliter practica, tamen formaliter practicæ propoſitioni juncta, illatam, & ſufficit ad minorem propoſitionem, quod eam virtualiter practicam *Theologi* dicant. Talismodi certe propoſitiones virtualiter practicæ non in Theologia modo, ſed etiam in omni diſciplina practica ac juris cujusvis doctrina frequentiſſime occurrunt, ac ab omnibus talium diſciplinarum cultoribus quæri debent, ſi velint ſuis ſtudiis rite conſulere.

III. Ita *Pontificii* & noſtrates Theologi inter ſe controvertunt: Num verus Chriſtianus ac pius homo poſſit eſſe certus in individuo de futura ſua æterna ſalute, h.e. num certus eſſe poſſit de hujus propoſitionis, quam de ſe format, veritate: Ego æternum ſalvabor? *Illis* negativam tuentibus, quod ſcilicet citra ſpecialem Dei revelationem (in eo enim cardo controverſiæ vertitur) nemini in individuo de futura ſua ſalute æterna certo conſtare poſſit: *Noſtratibus* contrariam & orthodoxam ſententiam tenentibus ac defendentibus. Inter alia argumenta *Becanus* in ſuo *Manuali* contra noſtrates Theologos etiam hoc urget: Nihil vera fide eſt credendum, niſi quod Deus revelavit

vit. Atqui neque Luthero nec tibi revelavit Deus, ipſum aut te ſalvum fore, ubi enim extat hæc revelatio? E. Majorem habet pro manifeſta, quia adæquatum objectum veræ ac ſalvificæ fidei eſt revelatio divina. Ad hoc argumentum dum reſpondent noſtrates *Theologi*, iterum egregie commendant uſum recte intellectæ & ex Metaphyſicis feliciter perceptæ diſtinctionis inter id, quod virtualiter tale dicitur, & inter id, quod formaliter tale eſt ac dici debet. Scilicet diſtingvunt Theologi orthodoxi inter revelationem formalem ſive formaliter revelatum, & inter revelationem virtualem ſive virtualiter revelatum. Si argumentum *Becani* ſaltem de formaliter revelato intelligatur, minorem concedunt, ſed majorem negant ac pernegant: quod ſi de formaliter & ſimul de virtualiter revelato, h. e. de utriusque modi revelatione major totumque argumentum *Becani* accipiatur, majorem admittunt noſtrates Theologi, ſed minorem dicunt eſſe falſiſſimam. Hæc adferimus, non ut falcem mittamus in alienam meſſem, ſed ut doceamus, eũ felicius poſſe metere fructus informationis Theologicæ, qui de adminiculis Metaphyſicis ſibi probe proſpexerat.

IV. Nobilis alias & profecto ſumme neceſſaria quæſtio eſt, unde nempe certo conſtare poſſit propoſitionem aliquam eſſe fidei

ſalvificæ? & ſane non modo fidei ſalvificæ ſunt propoſitiones quæ *formaliter* in Scripturis S. extant ac revelatæ ſunt; ſed etiam quæ virtualiter revelatæ ſunt. Sæpe propoſitio in Scriptura S. non extat, extant vero aliæ propoſitiones in Scriptura S. quæ præmiſſæ ſiunt, ex quibus ea propoſitio quæ non extat, rectiſſime infertur: Sæpe alterutra præmiſſarum ſolummodo extat in Scriptura S. non tamen utraque, nec concluſio: Et licet ſæpe ſolummodo minor extet, ſi tamen major, quæ in ſacro codice non invenitur, ſit ſimpliciter abſolutæ neceſſitatis ac in omni genere vera, adhuc dicitur ſalva veritate ac omnino dici debet, quod concluſio *virtualiter* in Scriptura S. habeatur. Pariter fit non raro, ut major propoſitio eaque ſola formaliter ſit in Scriptura S. ut tamen de ſubſumtione quis certiſſimus eſſe poſſit, utut ſubſumtio *formaliter* in Sacris non extet; ſic adhuc concluſio virtualiter dicitur exiſtere in Scriptura Sacra. Imo fit etiam, ut neutra præmiſſarum ſit in Scriptura Sacra, nec concluſio in ea ſit, concluſio tamen adhuc ſit Scripturæ Sacræ una cum præmiſſis, quia nempe in Scriptura Sacra propoſitiones extant, ex quibus utraque præmiſſarum, quæ expreſſe in Sacro codice non extant, inferri potuerant debuerantve. Ita e. gr. ſit vel maxime hæc propoſitio: Spiritus Sanctus eſt
verus

verus DEUS, formaliter & expreſſe non extaret in Scriptura S. ſatis tamen eſſet ad hoc, ut dicatur propoſitio Scripturæ Sacræ, quod præmiſſæ, ex quibus hæc propoſitio rectiſſime infertur ac concluditur, ſint in Scriptura Sacra revelatæ: Ita *Act. V.* 3. & 4. junctim reperiuntur ambæ præmiſſæ, & minor quidem, quando Petrus dicit: Ananiam mentitum eſſe Spiritui Sancto: major vero, quando Petrus aſſerit: Ananiam non eſſe mentitum hominibus, ſed DEO. Totum namque argumentum, orthodoxis Theologis unanimi conſenſu ſic judicantibus, firmiſſime concludit, ſi utraque præmiſſarum intelligatur de eo, cui præcipue mentitus eſt Ananias. Argumentum in forma ſic ſe habet: Cuicunque præter Apoſtolos mentitus eſt Ananias, is eſt verus DEUS. Atqui Spiritui Sancto præter Apoſtolos mentitus eſt Ananias. Ergo Spiritus Sanctus eſt verus Deus. Major patet ex v. 4. Minor ex v. 3. ejusdem loci. Sic quoque ex diverſis Scripturæ locis accerſunt præmiſſas Venerandi Theologi: e. gr. Minor habetur *Ebr. IV*, 7. & *ſeqq.* Major *Pſal. XCV*, 8. indeque iterum argumentum provenit, in forma ſyllogiſtica ſic ſe habens: Quemcunque Iſraelitæ tentarunt in deſerto, probaverunt, viderunt opera ejus, ipſeque iis infenſus fuit, is eſt verus Deus. Atqui Spiritum Sanctum Iſrae-

Iſraelitæ tentarunt in deſerto, probaverunt &c. Ergo Spiritus Sanctus eſt verus DEUS. Porro liceat adferre exempla ejusmodi, ubi minor eſt Scripturæ Sacræ, major extrinſecus aſſumitur, concluſio tamen manet Scripturæ Sacræ propria. Audiamus maxime Venerandum *Dn. D. Johannem Muſæum* in tractatu *de uſu principiorum rationis & Philoſophiæ in controverſiis Theologicis contra Nicolaum Vedelium* ſic differentem: *Ex diſputationibus, quas ut longis ab hinc temporibus ita non minus noſtra ætate Eccleſiæ Dd. contra heterodoxos ediderunt, ſatis conſtat, quod ad illationem concluſionis Theologicæ quandoque unam tantum propoſitionem ex Scriptura, & alteram ex ratione deſumſerint: v. gr. Scriptura Sacra cum* Deum Patrem ab æterno filium genuiſſe; Chriſtum verum Dei filium; Deum & hominem eſſe *docet, tria ſuppeditat principia, ex quibus Theologi tria extrahunt argumenta: ita ut cum unoquoque aliud ex ratione deſumtum conjungant, & nihilominus CONCLUSIONEM THEOLOGICAM inferant. Ex primo quidem contra Sabellianos ita inferunt:* Quorum unus eſt gignens & alter genitus, illi differunt realiter. Atqui Pater & filius in divinis ſunt gignens & genitus. Ergo Pater & Filius in divinis differunt realiter. *Ex ſecundo adverſus Arianos h.m.* Verus filius eſt ejusdem eſſentiæ cum

Patre

Patre ſuo. Chriſtus eſt verus Dei Filius. Ergo Chriſtus eſt ejusdem eſſentiæ cum Patre ſuo. *Ex tertio contra Monophyſitas ita:* In qua perſona eſt una natura & iterum una alia a priore diſtincta, in ea duæ naturæ ſunt. In perſona quæ eſt Chriſtus, eſt una natura *nempe* divina (*quia eſt verus Deus*) & *iterum* una alia a priore diſtincta *nempe* humana (*qua itidem verus homo eſt*) Ergo in perſona quæ eſt Chriſtus duæ ſunt naturæ. Habentur ea *lib. II. c. XI. §. 2. & 3. p. 419. & 420.* ubi pluribus conſulatur. Apparet interim luculentiſſime ex modo allatis, quod concluſio Theologica detur, licet major ſit extrinſecus aſſumta, modo minor ſit Theologica, & major, uti ſupra dictum eſt, ſit ſimpliciter ac ſumme neceſſaria, adeo ut ne quidem per DEI potentiam aliter ſe habere poſſit, cujusmodi propoſitiones ſumme neceſſariæ & evidentes erant modo allatæ: Quorum unus eſt gignens, & alter genitus, illi differunt realiter. Verus filius eſt ejusdem eſſentiæ cum Patre ſuo. In qua perſona eſt una natura & iterum una alia a priore diſtincta, in ea duæ naturæ ſunt. Non vero eſt, cur e longinquo petamus rationem, quam *laudatus Vir ejusdem capitis §. 9.* ſubjungit, eandemque ſolidiſſimam: *Ratio eſt, quia unio medii cum uno extremo & unio extremorum inter ſe unionem medii cum altero*

*extremo VIRTUALITER & quidem vi formæ ſyllogiſticæ includunt: v. gr. ſi in antecedente inter medium & unum e. gr. minus extremum; nec non in conſequente inter utrumque extremum eſt identitas, neceſſarium eſt vi formæ, ut inter medium etiam & alterum e. gr. majus extremum identitas ſit; vel ſi in antecedente inter medium & unum v. gr. minus extremum ſit quidem identitas, ſed in conſequente inter utrumq; extremum diviſio, neceſſe eſt, ut etiam inter medium & alterum e. gr. majus extremum diviſio ſit &c.* Ex adverſo, quando major propoſitio, quæ extrinſecus aſſumitur, non eſt ſumme & abſolute neceſſaria, ſed tantum phyſice, aut in certo rerum genere, aut tantum eſt probabilis, tum id, quod infertur, negant orthodoxi Theologi eſſe fidei divinæ, quia non per neceſſariam & evidentem conſequentiam colligitur. Ita male concludunt Photiniani: Quicunque unam habet eſſentiam, unam quoque habet ſubſiſtentiam. Atqui Deus unam habet eſſentiam. Ergo Deus unam quoque habet ſubſiſtentiam. Major enim propoſitio eſt tantum neceſſaria in genere eſſentiarum finitarum: At quod repugnat eſſentiæ finitæ, id bene poteſt convenire eſſentiæ Dei infinitæ: Sicut quod repugnat potentiæ finitæ, poteſt convenire potentiæ Dei infinitæ. Sic vidimus exempla concluſionum Scripturæ, item Theo-

Digitized by Google

Theologicarum, ad quas ut tales eſſent ſufficiebat, modo minores propoſitiones exiſterent in S. codice & eſſent Theologicæ. Porro non raro major propoſitio ſaltem in Scriptura S. expreſſe revelata eſt, minor extrinſecus aſſumta. E. gr. hæc propoſitio major eſt expreſſe in Scriptura Sacra revelata: Quicunque credit in Chriſtum, ei peccata ſunt remiſſa. Extat hæc propoſitio *Act. XIII, 38. & 39.* it. *c. X. 43.* it. *Rom. III, 22.* Jamquilibet vere credens in Chriſtum facit ſubſumtionem ſeu minorem propoſitionem h. m. Ego credo in Chriſtum. Et quia hæc ſubſumtio eſt vera ac certa, ideo ſtat concluſio, quam vere credens in Chriſtum ſic format: Ergo mihi peccata ſunt remiſſa. Subſumtio in Scriptura Sacra FORMALITER revelata non eſt, adeſt tamen revelatio VIRTUALIS. Id quod Venerandi Theologi ex pluribus Scripturæ Sacræ locis nos docent. Liceat unum optima eorum pace huc transſcribere: *Rom. IIX, 15. & 16.* dicitur: *per Spiritum adoptionis clamamus Abba pater, idem Spiritus teſtatur una cum Spiritu noſtro, quod ſimus filii DEI.* In quocunque teſtatur Spiritus Sanctus & Spiritus ei inhærens, hoc eſt, gratia Spiritus Sancti inhærens ei, quod ſit filius Dei, ei teſtatur etiam Spiritus, quod ipſi peccata ſint remiſſa, & dum habet Spiritum, per quem ad Deum Patrem clamare

re poteſt Abba Pater, etiam certus eſt ſibi peccata eſſe remiſſa ptopter eundem adoptionis Spiritum. Atqui cuilibet vere credenti in Chriſtum teſtatur Spiritus Sanctus &c. Ergo. Minor eſt ipſius Scripturæ Sacræ. Major vero, ut Theologi orthodoxi nos docent, eſt evidens, quia filium Dei eſſe præſupponit peccatorum remiſſionem, cum nemo poſſit eſſe filius Dei, nec cum vera fide vocare Deum Patrem ſuum, niſi peccata ipſi ſint remiſſa, & nemo credere queat, ſe eſſe filium Dei, niſi etiam credat, peccata ſibi eſſe remiſſa. Et hoc eſt, quod ſupra adferebatur ex Venerandorum Theologorum ſcriptis, fidem ſalvificam non ſolum habere pro objecto FORMALEM revelationem atque id quod FORMALITER revelatum eſt, ſed etiam revelationem VIRTUALEM atque id quod eſt VIRTUALITER revelatum: FORMALITER revelatum pro objecto immediato, VIRTUALITER revelatum pro objecto mediato. Vix vero opus eſt, ut exempla adferamus concluſionum Theologicarum, quarum ne præmiſſæ quidem FORMALITER extent in Scriptura Sacra, contineantur tamen in ea præmiſſæ aliæ, ex quibus hæ præmiſſæ ut concluſiones inferuntur, cum talia exempla invenire facillimi laboris ſit, nec paginæ aliis materiis dicatæ anguſtia eadem capiat. Remittimus cupi-

Digitized by Google

cupidum benevolumque lectorem ad egregiam ac utiliſſimam *diſſertationem Theologicam de quæſtione: Num citra ſpecialem DEI revelationem Chriſtianus ex verbo Dei poſſit de æterna ſua ſalute certus eſſe?* habitam ſuperiori anno ſub maxime Venerandi Dn. *D. Fridemanni Bechmanni* præſidio, ex cujus *ſectione quinta* facile erit ea petere, utpote quæ tota diſſertatio illuſtri ſimul exemplo uſum præſentis notionis τοῦ FORMALITER declarat, ut vel ex *ſectionis primæ §. 10.* luculentiſſime videre eſt.

V. Illud adhuc monendum habemus, quod quæcunque hactenus de uſu præſentis notionis eique oppoſitæ ſignificationis in Theologiæ ſtudio ac Scripturæ Sacræ erudita lectione prolixiuſcule diſſeruimus, ea etiam futuri *Juris Civilis* cultores æque utiliter ſibi capere poſſint, lima judicii adhibita. Nam ut in *Scriptura Sacra*, ſic etiam in *Juris Romani libris* ſeu vulgo ſic dicto *Corpore Juris* omnino multa ſunt, quæ ibi formaliter non extant, ut tamen *virtualiter* inde deduci debeant, & utique æque juris eſſe civilis habeantur, ac ſi *formaliter* in ipſo Corpore extitiſſent. Idem judicium eſto de omnibus doctrinis, diſciplinis, doctorum virorum ſcriptis. Quam ſæpe dicimus: Hæc omnino manet mens hujus vel iſtius Doctoris, hæc voluit, hæc pro veris venditavit, &

ita

ita ſa'va veritate pronunciatur, utut ſæpe numero *formaliter* ea non habeantur in ipſo Autore, nec *formaliter* ab eo propoſita fuerint.

VI. Sane omnium *facultatum* ac diſciplinarũ Cultoribus ac Doctoribus ſolenne & perpetuum eſt ac eſſe debet, diſtinguere inter principia & concluſiones, nec apparet, quomodo officium Doctoris explere, eoque vel in cathedra vel in ſuggeſtu rite fungi poſſint, niſi inter propoſitiones quæ *formaliter* in textu aliorumque ſcriptis extant, & quæ *virtualiter* in iis continentur, apprime ſciant diſtinguere. haſque illis jungere. Interim magnus ſæpe advertitur abuſus, dum nunc *virtualiter* contineri dicuntur, quæ per nullam; aut ſequi inde neceſſario cenſentur, quæ vix per probabilem conſequentiam inferri poterant. Nunc omnino continentur *virtualiter* ejusmodi concluſiones, quas ibidem contineri alii contra proprium conſcientiæ teſtimonium vel etiam ſine judicio negaverant. Utrumque certe vitium eſt eo magis deteſtandum, quo gravioribus erroribus magisque acerbis controverſiis cauſam dare poteſt.

§. 4. FORMALITER 2. ſæpenumero ſignificat *totam rationem formalem rei*, hoc eſt, ut Scholæ loqvuntur, *conceptum rei primum*

Digitized by Google

*mum ac ſimul totalem ſeu adæquatum.* Igitur genuinus uſus hujus notionis hoc ſecundo modo acceptæ ſe exerit, ſi ad quæſtionem, *quid FORMALITER ſit hoc vel illud?* reſpondeatur per *totam RATIONEM FORMALEM.* E. gr. quærenti *quid formaliter ſit animal?* vulgo reſpondetur: eſt *corpus naturale mixtum animatum ſentiens.*

*NOTÆ.*

I. Unum vel alterum perceptu facilius exemplum practicum adducere libet. Aſſumamus exemplum Theologicum: Quæritur ex Theologia: *Quid formaliter ſit prædeſtinatio?* Seu, quod eodem redit: Quæ ſit definitio h. e. tota ratio formalis prædeſtinationis theologice acceptæ? Hic accurate & decenter reſpondere volens, ſic ut Metaphyſice & Analytice reſpondeat, (aliud eſt ex Metaphyſica & Analytica reſpondere, aliud eſt Metaphyſice & Analytice reſpondere) ex Theologia capit primo genus prædeſtinationis. Nam ad reſponſionem pleniſſimam recte formandam ante omnia opus eſt, ut genus

nus recte aſſignetur. Hoc enim primum eſt, quod in reſponſione ad talem quæſtionem ponitur: Quidnam igitur eſt prædeſtinatio? Nemo leviſſime in Theologia verſatus dubitaverit, quod ſit actio? Nunc quæritur amplius: Sed cujus eſt actio? Nam omnis actio reſpicit cauſam externam, quæ inde denominatur cauſa agens. Cujus ergo eſt hæc actio, quæ prædeſtinatio vocatur? ſubſtantiæ intelligentis: Subſtantiarum intellectu carentium non eſt prædeſtinare aliquid. Porro quæritur: Qualis eſt actio? numne externa, h. e. numne extra agens, an in agente? interna. Ubi enim eſſet, ſi eſſet extra agens. Amplius quæritur: Quia propria ſubſtantiæ intelligentis actio interna ſaltem duplex datur: intellectio & actio voluntati propria, nam quicquid habet intellectum, habet etiam voluntatem; Eſtne prædeſtinatio intellectio, an actio interna voluntatis? actio interna voluntatis. Concurrunt quidem in omni prædeſtinatione diverſi actus interni, qui partim ad intellectum, partim ad voluntatem ſpectant: Sed ultimus actus, ut mox videbimus, voluntatis eſt. Iterum quæritur qualis actus: volitio, an nolitio? Volitio. Qualis volitio? volitio efficiendi rem aliquam. Quomodo talismodi volitio vocatur, ſi uno nomine eoque ſatis accommodo eam exprimere velimus? decretum. Ergo jam

jam habemus genus proximum prædeſtinationis, quod ne nimium creſcat oratio, quæ totam rationem formalem prædeſtinationis indicat, & ornamento ſuo, quod eſt brevitas, deſtituatur, merito in ea ponitur. Quod prædeſtinatio ſit decretum, ex ipſa voce ac nominali definitione prædeſtinationis diſcere eſt: Vox quidem ipſa apud Seculares autores vix occurrit, Eccleſiaſticis autem Scriptoribus frequens eſt, & denotat idem, quod Græca vox προορισμός: Verbum tamen deſtinare frequenter legitur apud profanos autores, & plerunque illis idem notat, quod decernere animo: Ita apud Ciceronem dicitur deſtinare diem necis, i.e. decernere certum diem, quo quis neci ſit tradendus. Vocula præ denotat aliquam prioritatem, & quidem prioritatem durationis, quæ intercedit inter deſtinationem rei & inter rem ipſam deſtinatam, ut ita prædeſtinatio vi vocis ſit deſtinatio rei vel perſonæ ſeu ordinatio ad certum finem, priusquam res vel perſona ipſa eſſet. Nam in Scrip. S. verbum προορίζειν accipitur de rebus & de perſonis. Quia igitur decretum vere ac neceſſario prædicatur de prædeſtinatione, & in quid, ut tamen latius pateat decretum quam prædeſtinatio, decretum erit genus prædeſtinationis. Porro genere percepto, de differentiis inveniendis eſt cogitandum. Videamus ergo ad

quid tendat prædeſtinatio, ut præciſe in præſenti ſumitur? deque eo primo omnium nunc diſpiciendum eſt, partim eam ob cauſam, quia in eſſentialibus definitionibus, quæ in diſciplinis practicis inveſtigandæ veniunt, ſemper potiſſimus reſpectus habendus eſt ad finem, ut in præcedentibus docuimus: partim ideo, quia prædeſtinatio vi vocis eſt rei vel perſonæ deſtinatio ſeu ordinatio ad certum aliquem finem, ceu modo diximus. Eſt autem prædeſtinatio deſtinatio hominis ad vitam æternam: Stylo namque Sc. S. (ut orthodoxi *Theologi* nos docent,) prædeſtinatio pro hominis deſtinatione abſolute & ſine aliquo addito accepta nunquam denotat deſtinationem hominis ad æternam damnationem, ſed ſemper importat vel præparationem gratiæ, vel ordinationem ſeu deſtinationem hominis ad vitam æternam, ejusdemque ut nunc ſumitur finis abſolute ſic dictus, h. e. eſſentialis ultimus, eſt vita æterna, ceu aperte indicant loca Scripturæ Sacræ, e quibus nempe venerandi Theologi veritatem hujus aſſerti docent, ut ſunt: *Act. XIII. 48. Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam*, & *1. Theſſ. V. 9. Conſtituit nos DEUS, ut ſalutem conſequamur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Porro quorumnam eſt prædeſtinatio, ſeu quod eodem redit, quodnam eſt objectum prædeſtinationis?

Præ-

Prædeſtinatio eſt decretum de æterna ſalute hominibus conferenda, adeoque hominum prædeſtinatio eſt, hoc eſt, materia prædeſtinationis ſunt homines, ceu ex modo citatis Scripturæ locis, item *Rom. VIII. 29.* manifeſto liquet. Sed numne prædeſtinatio eſt omnium hominum? Non omnium, ſed paucorum *Matth. XX. 16. it. XXII. 14.* Non enim omnes homines fiunt ſalvi in tẽpore *Matth. XXV. 41.* Ergo nec omnes ab æterno prædeſtinati ſunt ad æternam ſalutem: Quippe executio decreti divini non poteſt non eſſe conformis ipſi decreto, ita ut in tempore non ſalvetur, niſi de cujus æterna ſalute ipſi conferenda DEUS ab æterno decrevit. Cur vero hominum non omnium, ſed paucorum eſt prædeſtinatio? Cauſa non eſt in prædeſtinantem vel in abſolutum aliquod prædeſtinantis beneplacitum, ſed in hominum divinæ gratiæ obicem ponentium incredulitatem referenda. Deus enim vult, ut omnes homines ſalvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant *1. Tim. II. 4.* ſicque Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam *Joh. III, 16.* Non ergo niſi credentes in Chriſtum prædeſtinati ſunt ad æternam ſalutem. Sed numne omnes credentes? Minime, ſed ſolummodo finaliter credentes. *Matth. X. 22. XXIV. 13.*

*Marc.XIII.13.*Sunt igitur objectum prædeſtinationis homines peccatores, ratio vero ſub qua (in Scholis dicitur ratio formalis objectiva) prædeſtinatio eſt hominum peccatorum, h. e. ſub qua homines peccatores prædeſtinati ſunt, eſt fides finalis a Deo ab æterno prævisa, adeoque objectum prædeſtinationis ſunt homines peccatores pauci reſpectu vocatorum, aut etiam reſpectu improborum, & qui ſine vera fide in Chriſtum ex hac vita diſcedunt, quorum numerus longe major eſt) quos Deus finaliter in Chriſtum crediturcos præſcivit *Rom. VIII.29. ſeqq.* Cæterum qui voluntati divinæ malitioſe repugnant, ſalutis media contemnunt & in incredulitate ſua perſeverant, illi ſua culpa pereunt, eorumque præviſa repugnantia & perſeverantia in incredulitate in cauſa eſt, quod ab æterno non ſint prædeſtinati. Et hoc ſenſu vulgo objectum materiale prædeſtinationis dicuntur homines peccatores, objectum formale fides finalis a Deo ab æterno præviſa. Non enim ex hoc, quod homines in æterna Dei præſcientia conſiderati fuerint ut miſeri peccatores, licet inferre, quod non conſiderati fuerint, ut in Chriſtum finaliter credituri. Facile nunc eſt dictu, a quo ſit prædeſtinatio? a Deo. Deus eſt cauſa efficiens prædeſtinationis ab æterno factæ *Eph. I, 4.5. Rom. VIII.29.* Sermo eſt de cauſa efficiente virtualiter tali: Nam

Nam prædeſtinatio, quia eſt decretum Dei, ſicque actio interna voluntatis divinæ, realiter non differt a Deo ſed, eſt ipſa Dei voluntas adeoque ipſa Dei eſſentia ſumta cum connotato objecto, ad quod libere terminatur, & quatenus a nobis per modum decreti concipitur. Per Deum intelligitur Pater, Filius & Spiritus S. Sicut enim tres perſonæ divinitatis eadem potentia homines finaliter credentes ſalvant, ita ab æterno eadem voluntate eos ſalvare decreverunt. Prædeſtinatio namque actio Dei interna; non vero actio eſt ad intra. Porro ob quid Deus prædeſtinationis autor eſt? In actionibus diſtinguenda ſunt hæc duo: ob quid? &, cujus gratia? Hoc cauſam notat finalem: Illud impulſivam. Dum igitur quæritur, ob quid Deus prædeſtinaverit nos ad ſalutem? Senſus eſt: quid moverit Deum, ut decerneret de ſalute æterna nobis in tempore conferenda? Meritum Chriſti vera fide finali apprehenſum. Meritum enim Chriſti vera fide finali apprehenſum in tempore Deum movet ut cauſa impulſiva externa, ut ſcilicet actu conferat hominibus, Chriſti meritum vera fide finali ſuum facientibus, æternam ſalutem E. idem Chriſti meritum, vera fide finali factum meritum finaliter credentium, movit ut cauſa impulſiva externa Deum, ut Deus ab æterno decerneret conferre in tempore æternam

 ſalu-

ſalutem omnibus vera fide finali meritum Chriſti in tempore ſuum facturis, atque ab æterno a Deo prævisis. Eadem enim ſemper fuit cauſa impulſiva decreti, quæ eſt cauſa impulſiva executionis decreti: De cauſa impulſiva loquimur, quando dicimus quod quæ executionis eſt, eadem decreti ſit cauſa impulſiva. Dicitur: meritum Chriſti finali fide apprehenſum. Nam utut Chriſti paſſio & mors ſit non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi peccatis 1. *Joh. II*, 2. nemini tamen prodeſt niſi credenti, & cui meritum Chriſti fide imputatur: *qui non credit jam condemnatus eſt*, *quia non credidit in nomen unigeniti Filii DEI. Joh. III*, 18. In quo facta eſt prædeſtinatio? In Chriſto. *Eph. I*, 4. Chriſtus, isque ſolus cauſa meritoria prædeſtinationis eſt. Non enim repugnat unam eandemque perſonam ſimul unius ejusdemque actus eſſe cauſam efficientem phyſicam & cauſam meritoriam. Cauſa efficiens phyſica prædeſtinationis Chriſtus eſt, ut eſt unus cum Patre & Spiritu S. Deus: meritoria cauſa prædeſtinationis, ut vi meriti ſui ab æterno prævisi Deum movit ad prædeſtinationem h. e. decretum de æterna ſalute finali fide meritum Chriſti ſuum facturis ſive credituris in tempore conferenda. Denique quid impulit Deum ad hocce decretum de æterna ſalute hominibus finali fide meritum

Chriſti

Chriſti ſuum facturis conferenda? mere gratuitus Dei favor. *Prædeſtinavit nos Deus juxta beneplacitum voluntatis ſuæ Eph. I, 1.* Scilicet Deus ab æterno decreverat hominem condere, iisque inſtruere viribus, quibus poſſet recte vivere & beatitudinem æternam conſequi: Simul verò ab æterno præviderat, hominem viribus ſuis eſſe abuſurum & peccaturum, unde ab æterno voluit generis humani per peccatum in ſummam miſeriam prolapſi miſereri, quoad quidem ſalva juſtitia ipſius fieri poſſet, & voluit ut omnes fierent ſalvi *Ezech. XXXIII. 11.* Quia autem juſtitiæ divinæ ſatisfieri debuit, nec ab hominibus ſatisfactio ulla præſtari poterat, decrevit Deus filium ſuum mittere, qui in aſſumta carne pro peccatis omnium hominum ſatisfaceret. *Eph. II, 3. 4. & ſeqq. Col. I, 19.* voluitque Deus ab æterno, ut omnes ſatisfactionem a Chriſto præſtitam amplecterentur, & per illam ſalvi fierent *Joh. III, 16.* & quia fides non eſt noſtrarum virium, Deus ab æterno decrevit per verbum & Sacramenta fidem operari & accendere in omnibus, qui contumaciter non reſiſtunt. *1. Tim. II, 3. & ſeqq.* Et hi actus omnes noſtro modo concipiendi ſunt priores prædeſtinatione ab æterno facta. Tandem quia Deus ab æterno præviderat, multos ex genere humano divinæ gratiæ obicem eſſe poſituros & in incredulitate ſua perſeve-

raturos, ideo decrevit Deus illos ſalvos facere, quos ab æterno prævidit in Chriſtum credituros & in fide hac morituros: Et hic ultimus reliquosque omnes prærequirens actus, nempe decretum, quo Deus conſtituit ſalvos facere eos, quos præſcivit in Chriſtum finaliter credituros, *formaliter* eſt prædeſtinatio, diciturque prædeſtinatio juxta beneplacitum voluntatis divinæ facta, id eſt, prout complacuit Deo, ut ita Dei beneplacitum ſecundum rem idem ſit, quod gratia Dei ſeu gratuitus Dei favor, quo ab æterno homines peccatores finali fide meritum Chriſti ſuum facturos complexus eſt. Quod nihil aliud eſt, quam ſi dicatur, quod Deus ab æterno per glorioſam gratiam ſuam nos prædeſtinaverit. *Eph. II, 6.7.* Ex his (quæ optima *Venerandorum Theologorum* ac Præceptorum noſtrorum pace ex eorundem *ſcriptis* unice ea fini recenſuimus, ut evidenti Theologico exemplo modus recte reſpondendi ad quæſtionem: *quid formaliter ſit hoc vel illud?* perciperetur) nunc facile perſpici poteſt, quid formaliter ſit prædeſtinatio, ut apud Orthodoxos Theologos accipitur. Scilicet *prædeſtinatio eſt decretum* (En GENUS PROXIMUM!) *quo Deus* (En CAUSAM EFFICIENTEM PHYSICAM & SUBJECTUM!) *ab æterno ex mere gratuito favore* (En CAUSAM IMPULSIVAM

*INTERNAM* ſeu *προηγουμένην! in Chriſto* (En *CAUSAM MERITORIAM!*) *conſtituit in gratiæ ſuæ laudem & gloriæ illuſtrationem* (En *CAUSAM FINALEM EX PARTE DEI!*) *ſalutem æternam in tempore conferre* (En *CAUSAM FINALEM EX PARTE NOSTRI!*) *hominibus peccatoribus* (En *CAUSAM MATERIALEM* ſeu *OBJECTUM!*) *quos ab æterno prævidit per gratiam ſuam finali fide meritum Chriſti ſuum facturos eſſe.* (En *CAUSAM IMPULSIVAM EXTERNAM* ſeu *προκαταρκτικήν!*) Et hoc eſt perſpectam ſibi reddere *FORMAM prædeſtinationis*. Nam dum rectiſſime reſpondere novimus ad quæſtiones: Decretum, quod prædeſtinatio vocatur, a quo ſit factum? cujus impulſu? cui? in quo? cujus gratia? ob quid? ſatis nobis liquet, quænam ſit forma prædeſtinationis, ſeu quod eodem redit: Quomodo facta ſit prædeſtinatio? Quippe in practicis diſciplinis FORMA eſt ratio ſive modus. Cæterum genuinum practicæ diſciplinæ cultorem hæcce tria ab invicem probe oportet diſtinguere: Quænam ſint omnes & ſingulæ cauſæ alicujus operis aut negotii? Unde ſatis ſuperque conſtare ac ſolide oſtendi poſſit, has eſſe certas & neceſſarias cauſas, huncque earundem connexum eſſe? Et, quomodo ex harum cauſarum recte ac ſufficienter perſpecta-

ctarum locis analyticis nunc ſolidæ ac ſcientificæ concluſiones inferri poſſint? De primo ſaltem egimus, ut & quadantenus de ſecundo: Tertium vero attingere ratio præſentis inſtituti non fert. Interim πεπαιδευμένος Theologiæ Cultor tertio maximum momentum adferri credit ad ſtudium vere practicum ipſiusque Oratoriæ ſacræ uſum.

II. Adhibeamus exemplum e media *Jurisprudentia Civili* depromtum, cujus genuina ſedes eſt *l. ſi fundum 2. C. de pactis inter emtorem & venditorem compoſitis*, eoque pertinent *l. ſi a te 7. C. eod.* Item *l. ſi vir uxori ſuæ 12. D. de præſcriptis verbis* & *l. ſi probare potes 1. C. quando decreto opus non eſt.* Eſt vero quæſtio illa: *Quid formaliter ſit retrovenditio?* Germani eam vocare ſolent einen Wiederkauff / & opponunt einem Erbkauffe. Minus accurate tamen retrovenditio vocatur, quod pactum retrovenditionis eſt. Quod ea ſit pactum, LL. civilium cultori vel ex ſola inſpectione textuum Juris Civilis abunde conſtare poteſt. Ita enim habent expreſſa verba iſtius legis, quæ genuina ſedes materiæ hujus a *JCtis* pronunciatur: *Si fundum parentes tui ea LEGE vendiderunt, ut ſive ipſi ſive heredes eorum emptori precium quandocunque, vel intra certa tempora obtuliſſent, reſtitueretur, teque parato ſatisfacere, conditioni dictæ heres emptoris non pa-*

*paret: ut contractus fides ſervetur, actio præſcriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, quæ poſt oblatam ex PACTO quantitatem ex eo fundo ad adverſarium pervenerunt.* Sed nunc diſpicitur: *CUJUS, ſit pactum? ſeu, quis ſit cauſa efficiens hujus pacti?* hocque iterum facillime liquet e dicta lege tanquam fonte: Scilicet pactum eſt *adjectum emptioni venditioni.* Igitur *CAUSA EFFICIENS pacti* hujus, ſi expreſſum fuerit, ſunt *paciſcentes expreſſe*, nempe *VENDITOR rogans rem venditam hoc pacto reſtitui*, & *EMTOR promittens quod rogatus eſt.* Et poteſt hoc modo paciſci quilibet, qui emtionis venditionis capax eſt. Sic vendit hoc pacto vel unus, vel duo aut plures: Minor vero, pupillus, civitas, cum decreto Magiſtratus vendere poteſt ſub hoc pacto; Emere vero etiam ſine eo. Vaſallus vendere poteſt cum conſenſu Domini. Eſt tamen & *JUDEX cauſa efficiens* hujus pacti, quando ipſe creditori rem cum hoc pacto in ſolutum adjudicat, quando res ſub haſta venit, tuncque pactum retrovenditionis tacitum eſt. *Jure Hebræorum* omnes venditiones habebant hoc pactum tacitum. Quæritur amplius: *SUPER QVONAM fiat iſtud pactum* ſeu *quænam ſit MATERIA* (Materia circa quam ſeu objectum) *hujus pacti?* Reſpondetur: *Super certa merce pro certo pretio tra-*

*tradenda*, ut propterea in pacto retrovenditionis *materia* recte dicantur *merx & pretium*. Eadem namque materia eſt hujus pacti, quæ eſt materia ſeu objectum ipſius contractus, cui pactum adjicitur, nempe emtionis venditionis. *Mercis* nomine ſignificatur *res* non tantum *immobilis*, ſed & *mobilis* & *incorporalis*, quoad pactum expreſſum, ſecus de tacito & reluitione legali I. Sax. Speciatim vero frequentiſſimum objectum ſunt annui reditus, qui dicuntur wiederkäuffliche Zinſen. Et hodie omnes cenſus ſunt redimibiles per Conſtit. Carol. *Res* vero objectum eſt, nunc *tota*, nunc *reſervatis quibusdam* ejus *partibus* vel *juribus* venditori. Poſſunt etiam res diverſæ vendi eodem contractu, ſed unam tantum vel alteram reſervando. *Pretium* in pecunia conſiſtit, debetque eſſe juſtum, ne pactum ſuſpectum fiat de uſuraria pravitate, ea autem intelligitur, quæ eſt circa dimidium veri valoris. Porro quæſtio ſeſe offert: *SUB QVANAM CONDITIONE iſtud pactum fiat*, h.e. *quænam ſit CAUSA FORMALIS retrovenditionis?* Reſpondetur: *Sub conditione offerendi pretii*. Emtor promittit redditionem mercis, ſi venditor pretium offerat. Ita enim verba *l. ſi fundum 2. C. de pact. inter emt. & vendit.* ſonant: *Ut ſi emtori pretium QVANDOCVNQVE vel INTRA CERTA TEMPORA obtuliſſent, reſtitueretur*. Eſt igi-

igitur forma adeoque finis internus primarius retrovenditionis *conventio & conſenſus de commutanda merce atque pretio*, quem conſequitur (idque propter formæ effectus, item finis ſecundarius dicitur) obligatio civilis ad transferendum dominium & tradendam mercem atque ad reddendum pretium. Requiruntur ergo idonea ſigna externa mutui conſenſus. Inde diſquiritur: *OB QVOD iſtud pactum ineatur?* Seu, *quænam ſit CAUSA IMPULSIVA EXTERNA retrovenditionis?* Hic notatur regula: *Emtio-venditio cum pacto de retrovendendo, cujus cauſa impulſiva externa* (quam Græci προκαταρκτικὴν vocant) *eſt mutuum*, (veluti quod venditor emtorem pro pecunia ſibi mutuanda requiſiverit; Vel creditor ſeu emtor noluerit mutuam dare, niſi fundus venderetur ſub hoc pacto) *non eſt vera & valida venditio, ſed contractus judicatur pignoratitius & uſurarius*, quo dominium non transferri potuit. Ratio datur, quia omne, quod cauſa mutui datur, ſorti accedit, & idcircò uſura eſt. Ergo emtio tantum eſt ſimulata, reverà vero mutuum, ſed illegitimum & contractus fœneratitius, cui Jus vim ac efficaciam tribuit nullam. Verum ex hac ipſa ratione reſtrictionem capit hæc regula, ſi mutuum celatum, & tamen pravitas uſuraria deprehendatur. Excipitur igitur, ſi nulla pravitas uſuraria appareat, quod tum emtio-

emtio-venditio habeatur pro legitima. Sed & hoc maxime in diſquiſitionem venit: *CUJUS ERGO* (In contractibus & pactis contractui adjectis accurate diſtinguenda veniunt OB QUOD & CUJUS ERGO) *fiat retrovenditio*, ſeu *quænam ſit CAUSA FINALIS retrovenditionis? Ut venditor recuperet dominium rei venditæ*; & emtor recuperet pretium. Uterque *finis externus* dici poteſt: Venditor intendit quidem recuperationem dominii, ſed in mera ejus facultate non eſt poſita: factum enim emtoris intercedere oportet, imo & alias impediri hic finis poteſt, veluti ſi res interim ſub haſta venierit: Similiter emtor intendit recuperationem pretii, ſed in arbitrio venditoris id ſimpliciter poſitum eſt. Magis tamen ac primario nomen finis meretur recuperatio priſtini dominii ex parte venditoris, quam recuperatio pretii ex parte emtoris. Id quod demum intelligitur rectius, ſi decidatur quæſtio *CUI?* ſeu, *quodnam præcipue ſit dicendum SUBJECTUM aut CAUSA SUBJECTIVA retrovenditionis?* Ad quæſtionem vero *CUI?* ſeu ut JCti amant loqui, *IN CUJUS FAVOREM fiat retrovenditio?* reſpondetur: emtori, ſeu in favorem emtoris: nam in ipſius favorem emtor ad reſtitutionem dominii ſe obligat. Nam licet in iis pacti hujus ſpeciebus, quæ temporis determinationem continent, quantum ad tem-

temporis adjectionem, ea in favorem emtoris facta ſit: quoad ipſam tamen neceſſitatem reſtituendi & in cæteris omnibus, & in his quoque favor venditoris verſatur. Cæterum de fine interno ſupra agebatur, dum formæ mentio fiebat, dicebaturque obligatio reciproca ad reſtitutionem: nempe ſpeciatim ex parte venditoris facultas repetendi rem venditam oblato pretio. Itemque jus agendi ſeu judicialiter repetendi, uno verbo, actio huic pacto a Jure tributa. His ita obſervatis ſolide conſtare poteſt, *quid FORMALITER ſit retrovenditio? Nempe pactum adjectum emtioni venditioni, quo emtor promittit redditionem mercis, ſi venditor pretium offerat, ut venditor recuperet dominium rei venditæ.* Dicitur *pactum* (En *GENUS PROXIMUM!*) *emtioni venditioni adjectum, quo emtor venditori* (*En CAUSAM EFFICIENTEM!*) *promittit redditionem* (*En CAUSAM FORMALEM!*) *mercis, ſi pretium* (*En CAUSAM MATERIALEM!*) *hic offerat, ut recuperet priſtinum dominium, ſeu ut res ad priſtinum dominum vendentem revertatur jure dominii.* (*En CAUSAM FINALEM!*) Accuratiſſimam hujus quæſtionis analyſin ſi quis idoneus accuratioris doctrinæ Metaphyſicæ ſimulque Juris civilis cultor cum ſingulari ac inæſtimabili fructu perſpectam ſibi reddere geſtit, adeat Magnifici

Viri,

Viri, Domini *Johannis Schilteri, praxeos analyticæ partem tertiam ſpecimenque ibidem exhibitum* attente & cum judicio perlegat relegatque.

III. Exemplum *Ethico-Politicum* aſſignabimus: Quæritur, *quid FORMALITER ſit pœna?* Hic primo notamus, pœnam eſſe *malum triſte* ſeu *malum paſſionis*, cum omnis pœna ſit moleſta invitoque infligatur. Mox quæritur: *CUINAM infligatur pœna* ſeu quodnam ſit *SUBJECTUM* ſeu *CAUSA MATERIALIS SUBJECTIVA pœnæ?* Pœna non infligitur niſi *delinquenti*. Nam delicti eſſentiale & perpetuum conſequens eſt culpa: Ubi autem culpa, ibi quoque reatus. Ergo ubi delictum, ibi reus. Disquiritur amplius: *Quodnam ſit OBJECTUM ſeu CAUSA MATERIALIS OBJECTIVA pœnæ?* Delicta, ad quæ ſane poteſtas puniendi extrinſece terminatur. Rurſus in quæſtionem venit: *CUJUSNAM ſit pœnas infligere*, ſeu *quænam ſit CAUSA EFFICIENS pœnæ?* Non eſt niſi rectoris qua talis primo & per ſe: ut puta in familia patris, in Republica Regis, in univerſo Dei. Jus namque ad puniendum eſt jus ad moraliter cogendum: Cogere vero in genere morum nemo alterum poteſt, niſi ei, quem moraliter cogere vult, regendo præſit. Accedit, quod qui juſte punitur, obligatus ſit ad pœnam: At cui

Digitized by Google

cui lex ferri nequit, is non obligatus eſt ad pœnam: Obligatio enim ad pœnam eſt (ceu Scholæ loqvuntur) effectus formalis legis: Unde quiſquis non habet jus ferendi leges, is nec jus habet ad puniendum, aut ſi habet, iſtud habet dependenter ab alio, qui per eum ut Rectorem ſibi ſubordinatum pœnam perſequi poteſt. Jam in quæſtionem venit: *QVO AFFECTU pœna infligatur?* ſeu, *quænam ſit CAUSA IMPULSIVA INTERNA* (ſeu προηγουμένη) *pœnæ?* Cupiditas juſtæ vindictæ, quam dolorem publicum, item dolorem juſtiſſimum nonnulli *Doctores Morales* appellant. Porro in quæſtionem vocatur: *OB QVID pœna infligatur*, ſeu, *quænam ſit CAVSA IMPVLSIVA EXTERNA* (προκαταρκτικὴ) *pœnæ? Ob delictum. QVOMODO*, ſeu, *quænam ſit CAVSA FORMALIS pœnæ? Ut juſte ſervetur utriusque mali* (paſſionis & actionis, triſtis & turpis, mali pœnæ & & mali culpæ) *æqualitas recte æſtimata.* Tandem quæſtio adeſt: CUR, ſeu *quænam ſit CAVSA FINALIS pœnæ?* Pœna infligitur *in vitæ moralis emendationem.* Nam quanquam pœna delinquentem, quem e ſocietate, imo viventium numero tollit, non emendat, valet tamen emendare alios, qui ſimiles ſunt delinquenti. Rector enim & ſubditi civitatem veluti myſticum quoddam corpus conſtituunt. Unde ſicuti totum corpus

ægrotat, manu vel pede ægrotante: Ita male ſe habet tota ſocietas in hocce pravo membro. Itaque *immedicabile vulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.* Ex his ad quæſtionem: *Quid FORMALITER ſit pœna?* respondebitur: Eſt *malum paſſionis* (En *GENUS!*) *quatenus delinquenti qua tali* (En *SUBJECTUM* ſeu *CAUSAM MATERIALEM SUBJECTIVAM!*) *ob malum actionis* (En *OBJECTUM* ſeu CAUSAM MATERIALEM OBJECTIVAM ut & CAUSAM IMPULSIVAM EXTERNAM!) *a Societatis Rectore* (En CAUSAM EFFICIENTEM!) *juſte ſervata utriusque mali ad invicem æqualitate, quæ prius recte æſtimabatur* (En CAUSAM FORMALEM!) *ex juſtiſſimo dolore* (En CAUSAM IMPULSIVAM INTERNAM!) *infligitur ob moralem vitæ emendationem.* (En CAUSAM FINALEM!) Conf. ſi placet introductionis ad *Hug. Grotii opus de Jure belli & pacis caput 20. & 21.*

IV. Non ſolum non ſemper poſtulandæ ſunt integræ definitiones, ſed interdum ne omnino quidem exigendæ: Ut enim non omnium dantur demonſtrationes, ita nec definitiones. Nihil namque Pædiæ tam eſt inimicum, quam a male doctis manuductoribus didiciſſe, ac ſi ad quæſtionem: quid formaliter ſit hoc vel illud? in nullo unquam caſu reſponderi poſſit, niſi per defi-

nitio-

nitionem omnia octo habentem reſpondeatur, quo de *capite ſequenti* diſtinctius agetur. Interim quantum momenti ad ſolidam eruditionem adferat cognitam habuiſſe hancce *τῦ formaliter* ſignificationem, & ſolide perſpectum tenere modum recte reſpondendi ad omnium Facultatum quæſtiones: quid formaliter ſit hoc vel illud? norunt profecto omnes, quotquot non ignorant idonea ac neceſſaria media & adminicula, quibus inſtructi eſſe debent omnes ii, qui in Academia volunt ſolidioris eruditionis accuratiorumque ſtudiorum fructum carpere. Idque cauſæ eſt, cur *definitionum eſſentialium*, ubi haberi poſſunt, genuinum intellectum ac ſolidam notitiam *πεπαιδευμένοις* Auditoribus tantopere commendent *omnium Facultatum Doctores*, quibus curæ cordique ſunt Academicæ Juventutis ſtudia reique literariæ incrementa. Facillimum eſſet demonſtratu, ſi id ageretur, & veterum & hodiernorum cum Philoſophorum, tum reliquarum facultatum Doctorum, perpetuam hanc fuiſſe ſententiam.

V. Utut non omnino negemus præcognita mathemata uſum & fructum non contemnendum afferre ulterioris Philoſophiæ omnis, quin & in ſuperiorum, ceu vulgo vocantur, Facultatum ſtudiis, communi tamen Virorum doctiſſimorum con-

ſenſu falſum eſt, quod aliarum ejusmodi diſciplinarum velullius harundem definitiones eſſentiales vel demonſtrationes e Mathematicis fontibus & principiis vel minimam partem deduci poſſint, quaſi ſcilicet aliarum diſciplinarum Doctores oporteat ſua ſolummodo denominative tradere, Mathematici vero demum ſit ea æſtimare ſeu æſtimative tradere. Quippe omnes docti in eo conſentiunt, quod unaquælibet ſcientia ac diſciplina ſua habeat principia, omnisque ſolida & accurata doctrina atque demonſtratio e ſubjectæ cujusque rei natura petenda ſit: e.gr. ineptus eſſem, ſi mathemata ethice docere vellem; unde ut mathemata ethice doceri nequeunt, ita nec moralia mathematice doceri poſſunt. Docent id eorum, qui iſtud tentant, meri analogismi & ad rem ipſam nihil vel parum facientes, imo eam magis intricantes, quam extricantes, veramque ac ſolidam doctrinam magis præpedientes, quam adjuvantes.

VI. Contra *Ariſtotelis* omniumque *Metaphyſicorum* aſſerta eſt, quod per ſolam definitionem cauſalem (hoc eſt, quæ attributi cauſam, cur ſubjecto competat, in ſe complectitur) ſolide & accurate reſponderi poſſit, ad quæſtionem: quid formaliter ſit hoc vel illud, cum ſola definitio cauſalis ſit vere realis definitio omniumque perfectiſ-
ſima

ſima: Omnis quoque *Analytica* cum univerſo accurate & ſolide docendæ veritatis merito huic aſſertioni pleno ore reclamat. Qvi enim negant definitiones eſſentiales rerum eſſe reales atque intrinſecas, (ſive velint ſive nolint) hac ſua aſſertione tollunt omnem realem ac intimiorem rei cognitionem, tollunt etiam omnem primum modum dicendi per ſe, omnemque accuratam ſcientiam & demonſtrationem. Quippe per eſſentiam & non per aliam cauſam res eſt id quod eſt, hujus autem λόγος eſt definitio eſſentialis, ad quam tandem in omni omnino demonſtratione, ſi accurata & perfecta dici debeat, recurrendum eſt. Dicis: rationem formalem rei demonſtrari poſſe: e.g. defectū luminis in Luna, quæ eſt ratio formalis eclipſeos Lunæ, demonſtrari poſſe ex interpoſitione terræ inter Solem & Lunam. Reſpondetur: aliud eſt demonſtrare, quod Luna privetur lumine, cum patitur eclipſin: aliud eſt demonſtrare, quod privatio luminis in Luna ſit ratio formalis eclipſeos Lunæ. Prius demonſtrari poteſt; poſterius minime: Quis namque dixerit, interpoſitionem diametralem terræ inter ſolem & Lunam eſſe cauſam, cur eclipſis Lunæ ſit privatio luminis in Luna: Hæc enim eſt ratio formalis eclipſeos, aut idem potius atque ipſa eclipſis. Sicut ergo nulla cauſa afferri poteſt, cur eclipſis

 ſit

ſit eclipſis: ita nec demonſtrari poteſt ratio formalis eclipſeos. Sunt igitur definitiones cauſales principia demonſtrationum, non item definitionum eſſentialium: definitiones vero eſſentiales non ſunt principia demonſtrationum, quia quoad rem definitiones eſſentiales & definita iſtius generis idem per omnia ſunt, adeoque demonſtrationes inde ducere revera nihil aliud eſſet, quam petere τὸ ἐν ἀρχῇ: Hoc interim non obſtante, omnis cauſa, unde definitio cauſalis appellatur, in *rationem formalem* ſubjecti poſtremo reſolvitur, non in aliquam aliam externam cauſam. Dicat aliquis, exinde ſequi, quod ad conſtituendam cauſam ſive medium demonſtrationis ipſa ratio formalis aſſumi poſſit: At facilis reſponſio eſt. Licet id, quod ad eſſentiam ſubjecti pertinet, aſſumatur, tamen id non aſſignatur ut propria & perfecta definitio ſubjecti, ſed quatenus pertinet ad ipſam cauſalem definitionem prædicati. Examinemus exemplum ab ipſa parte contradicente allatum: Ad quæſtionem, cur Luna patiatur eclipſin? recte quidem reſpondetur, ob interpoſitionem terræ diametralem inter Solem & Lunam; tamen quisque πεπαιδευμένος auditor quæret amplius, cur diametraliter interponatur globus terræ inter Solem & Lunam, cum id aliis aſtris non eveniat? reſpondet doctor: quia

Luna

Luna eſt propinqua terræ & minoris quantitatis quam terra. Pergit auditor: At ſi ſtellæ fixæ eſſent propiores terræ, & minoris quantitatis quam terra, non tamen paterentur eclipſin, qui ergo fit, ut Lunæ ita affectæ hoc accidat? Hic reſpondet Doctor: Iſtæ ſtellæ proprium habent lumen, Luna non item, ſed omne lumen, quo nobis in terra conſtitutis ſplendet, acceptum refert Soli. Ex his patet, quod ad eſſentiam Lunæ ſicque ad eſſentialem ejus definitionem hic recurrendum ſit. Nec eſt, quod excipiatur, eclipſin eſſe ſaltem affectionem externam Lunæ, eo quod Lunæ ob externam aliquam cauſam accidat: Eſto, adhuc tamen opus eſt definitione eſſentiali Lunæ. Nam ſi quærat [illegible] auditor, (hoc autem, quia ſolidam eruditionem quærit, non poteſt non quærere) ecquid cauſæ ſubſit, quod ob diametralem terræ interpoſitionem inter Solem & Lunam Luna privetur lumine; etiamſi vero terra eo usque umbram ſpargere poſſet, ut ſtellas fixas contingeret, eclipſin tamen hæ non paterentur? Recte ac rite fungens officio analytice docentis nec valet nec poteſt aliter reſpondere, quam, pro diverſa Lunæ & Stellarum fixarum *eſſentia* id fieri. De cætero falſiſſimum relinquitur, eum qui quærit, quid formaliter ſit eclipſis Lunæ? nihil aliud velle, quam quæ-

nam ſit cauſa , quodve medium , hoc eſt, quænam ratio, quare definitum hoc ſit quod dicitur. Nam primò diſtinctiſſimæ manent quæſtiones: Cur fiat eclipſis Lunæ? &, quænam ſit ratio formalis eclipſeos Lunæ? ut in præcedentibus oſtendebatur. Deinde, definitio cauſalis nunquam ſatis perfecta eſt, ſed ſi cauſalis definitio rei, ubi haberi poteſt, cum eſſentiali conjungatur, tum demum naſcitur inde perfectiſſima definitio omnibuſque numeris abſoluta. Tertio, quid de ſubjecti (in hac vel iſta demonſtratione) definitione eſſentiali dicetur? Quarto, deſinamus mirari , cur quandoque auditores nondum πεπαιδευμένοι ingenioſis fallaciis eruditiſque nugis patiantur ſe adduci , ut credant, definitiones eſſentiales eſſe meras nomenclaturas & involucra grammaticalia , ac cucullos. E. gr. ponamus , dici ad hominem quempiam rudem ac ſimplicem, ſimul vero ſibi haud parum tribuentem : Non opus eſt, ut memoriæ mandes definitiones: nam ſi e.gr. diſcas definitionem animalis, & quidem hanc, (quam realem & eſſentialem vocant, & per quam reſpondetur ad quæſtionem : quid *formaliter* ſit animal?) *Animal eſt corpus naturale mixtum animatum ſentiens;* quid quæſo didiciſti? mera quinque nomina: corpus, naturale, mixtum, animatum, ſentiens , prætereaque nihil; Ponamus

agi

agi hanc fabulam, profecto niſi iſte incipientium numerum complens, ſi talismodi Doctorem vel minus accuratum vel minus candidum invenerit, quam ſperaverat, ſic patereturſibi imponi ab eo, deſiiſſet eſſe in numero incipientium ſuamque ἀπαιδευσίαν excuſſiſſet. Fatemur ipſi, quod auditor ἀπαίδευτος definitionem hanc, ſi centies eam proferri audiat, pro mere nominali habeat, nec aliter habere queat: quaſi vero id propter vere realis definitio eſſe deſineret, quam pro vere reali rudis auditor habere neſcit. Multa profecto ſunt & manent, ut ut rudibus nunquam videantur. Sed quid quæſo cauſæ eſt, cur auditores hi vel illi tam facile decipiantur? e.g. cur tam facile credunt, allatam animalis definitionem eſſe mere nominalem? Cauſa hæc eſt, quod maxime realis & vere eſſentialis definitio rei (e. gr. animalis) perfecte cognoſci non poſſit, niſi quis omnia ſuperiora genera & omnes remotiores differentias habeat intime perſpectas. Pariter eundem oportet ſufficienter ac intime cognitas tenere formas, quia compoſitorum eſſentiales definitiones in iſtis latent. Ipſum genus quoque ſignificat aliquam formam in ſubſtantiis compoſitis, utut non adeo determinatam, qualem differentia exprimit. Eam ob cauſam *Ariſtoteles* non facile compoſita definivit, ſed formas ſolas ut ita

 ipſe

ipſe Philoſophus non ſentientis, ſed ſenſus; non animati, ſed animæ; non mixti, ſed mixtionis affert definitionem eſſentialem: Item nullam exactam definitionem corporis naturalis tradit, naturæ vero definitionem eſſentialem accurate pertractat: Et profecto nullum dubium eſt, quin πολυδαήμων auditor recte conſtitutis ac perceptis harum formarum definitionibus eſſentialibus (hoc vero opus, hic labor eſt, qui multum judicii ac operæ poſcit, & qua conſumta magnam phyſicæ eruditionis partem quis ſibi merito gratulatur;) continuo ipſorum quoque compoſitorum eſſentiam intelligat. Ergo plumbeo auditori dicatur, quod allata animalis definitio non ſit vere realis, quodque animal eſt corpus naturale mixtum animatum ſentiens idem ſit ac animal eſt animal.

V. Tandem ſciendum eſt, quod qua ratione *ratio formalis* non raro idem ſignificat quod *eſſentia*, eadem fortuna quoque pari paſſu ambulent: *quidditas*, ceu *Scholaſticis* vocatur, *natura*, *forma*, *definitio*. Sunt quippe ſynonyma eſſentiæ: *quidditas* & *natura*, ſi nempe *natura* aliter ſumatur quam in Phyſicis, ubi principium movendi & quieſcendi notat in eo, in quo eſt primo & per ſe: Multa enim entia dantur, quæ non ſunt tales naturæ, nec tales naturas habent,



Digitized by Google

ut patet exemplo Dei & Angelorum: Ita quando dicimus unam *naturam* eſſe in tribus perſonis divinitatis, in Chriſto duas eſſe *naturas*, *natura* idem ſignificat quod *eſſentia*, Interdum tamen *natura* tam late patet, quam *ratio formalis in laxiori ſignificatu ſumta*: e.gr. quando in *Moralibus* diſtinguitur inter ex ſua natura honeſtum & ex ſua natura turpe. Pariter *forma* ſi non accipiatur pro ente incompleto, ſed in ea ſignificatione, quam innuit hoc effatum: Quicquid eſt, per ſuam *formam* i.e. rationem formalem eſt, merito ſynonymum *eſſentiæ* vocabitur. Sunt, qui *cum Scholaſticis* æque diſtingvunt inter *definitionem formalem* & *definitionem objectivam*, atque vulgo diſtingui ſolet inter conceptum formalem & conceptum objectivum, & juxta hanc ſententiam *definitio eſſentialis objectiva* omnino erit *eſſentia*: Ita qui dicunt definitionem abſolute ſic dictam h.e. definitionem eſſentialem realiter non differre a ſuo definito, per definitionem non intelligunt orationem, quæ declarat eſſentiam rei, ſed eſſentiam oratione declaratam.

§. 5. Huic ſecundæ acceptioni notionis: FORMALITER, opponitur omne id, *quod vel plane non pertinet ad rationem formalem*

*rei,*

*rei, vel pertinet quidem ad rationem formalem rei, at tamen non ſit tota ratio formalis*, ſed ſolummodo de ratione formali ſeu pars rationis formalis. E. gr. quando animal præciſe ſpectatur ut corpus naturale, quia ſic ſpectatur ſaltem ſecundum id, quod eſt de ratione formali animalis. Rurſus ſi animal ſpectetur, ut mobile, ut corruptibile, ut vivum, ut appetens, non ſpectatur animal formaliter, quia hæc prædicata non ſpectant ad rationem formalem animalis, ſed ex iis, quæ de ratione formali animalis ſunt, fluunt.

§. 6. FORMALITER 3. arguit præciſe *differentiam eſſentialem rei* (cujus eſt differentia eſſentialis) *maxime propriam*: e. gr. recte dicitur, aliquid formaliter eſſe animal per hoc, quia eſt ſentiens.

*NOTA*

## NOTÆ.

I. Repetantur, quæ *capite* præcedenti *tertio §. 3. & 4. pag. 265. & ſeqq.* dicta ſunt de eſſentia, quod ſæpe ſumatur præciſe pro conceptu primo partiali reciproco entis. Obiter addimus, quod quemadmodum ratio formalis latius patet quam eſſentia, ſic conceptus primus partialis reciprocus latius pateat quam differentia eſſentialis. Inde fit, ut accuratiores Philoſophi diſtinguant inter *differentiam eſſentialem* & *quaſi differentiam eſſentialem*.

II. Communis, vaniſſima tamen, perſvaſio animos multorum ex philoſophantium vulgo occupavit altiſſimasque ibi egit radices, ac ſi tota definitio eſſentialis dari nequeat, niſi conſtet duobus conceptibus, qui per duo vocabula debeant aut ad minimum poſſint exprimi, ita ut unus ſit primus conceptus partialis communis ſeu non reciprocus, alter vero primus conceptus partialis proprius ſeu reciprocus. Quæ res quam multis errationibus cauſam dederit & dare etiamnum poſſit, nemo ἀπαιδευμένος non videt. Ita e. gr. fruſtra quis deſideraverit primum conceptum proprium ſeu reciprocum prudentiæ, qui unico vocabulo queat exprimi. Nam utut accurata ſit hæc eſſentialis definitio prudentiæ: Eſt *habitus intellectus deliberativi practicus cum recta ratione*, ita ut

ut per hanc definitionem ad quæſtionem: quid *formaliter* ſit prudentia? accuratiſſime reſpondeatur, nullum tamen vocabulum eſt in data definitione, quod ſeorſim ſumtũ notionem exprimat, quæ maxime propria ſit rei definitæ, ut de nulla alia eſſentialiter prædicari poſſit. *Habitus* eſt genus prudentiæ: (habitus) *intellectus* eſt quoque ſcientia, intelligentia, ſapientia (habitus intellectus) *deliberativi* eſt quoque *ars*: (habitus) *practicus* eſt quoque imprudentia pro habitu ſumta: (habitus) *cum ratione*, item (habitus cum ratione) *recta*, eſt quoque ars. Interim ſi jam quæratur, *per quidnam aliquis habitus formaliter* (ſumta notione: FORMALITER, ut præſenti §. explicatur) *ſit prudentia?* Accurate & rectiſſime reſpondetur per hoc, quia eſt (habitus) *practicus intellectus deliberativi cum recta ratione.* Et ita reſponſi loco differentia eſſentialis maxime propria ſignificatur. Occurrunt talismodi exempla paſſim in Metaphyſica diſciplina: e.gr. quando quæritur: *quid formaliter ſit cauſa moralis?* rectiſſime reſpondetur: Eſt *cauſa efficiens libera mediata.* Sane non omnis *cauſa efficiens* eſt cauſa moralis, nec omnis *cauſa libera* eſt cauſa moralis, nec omnis *cauſa mediata* eſt cauſa moralis, nec omnis *cauſa efficiens libera* eſt cauſa moralis, nec omnis *cauſa efficiens mediata* eſt cauſa moralis, nec omnis *cauſa libe-*

ra

*ra mediata* eſt cauſa moralis, ſicque ſingula cauſæ moralis prædicata eſſentialia ſeorſim ſpectata longe latius patent, quam cauſa moralis: Interim ſi quæſtionem formari audias: *per quidnam aliqua cauſa formaliter* (ſumta iterum ſignificatione τῦ formaliter, ut eſt hujus §.) *ſit cauſa moralis?* accurate & rectiſſime reſpondetur per hoc, quia eſt *efficiens libera mediata.* Ita maxime propriam & prudentiæ & cauſæ moralis differentiam eſſentialem dedimus, dum utrique plures differentias aſſignavimus, quarum quælibet ſeorſim ſpectata nequit dici maxime propria, nequit dici ultima, ſed conjunctim ſumtæ maxime propriam conſtituunt, nec tamen ultimam, quia præter eas conjunctim ſumtas nulla alia, cujus reſpectu ultima dici poſſit, datur. Caveant igitur accuratioris Philoſophiæ ſolidæque eruditionis amantes ſtudioſi, ne hocce monitum unquam ex oculis animisque dimittant, nec vero confundant differentiam maxime propriam cum differentia ultima, quodque præcipuum eſt, velim ſciant innumera talismodi exempla & in Philoſophicis diſciplinis & in ſuperioribus (ut vocantur) Facultatibus paſſim occurrere.

III. Non raro ad quæſtionem, *in quonam formaliter hoc vel illud conſiſtat?* reſponderi ſolet non per ultimam nec per maxime propriam

am rationis formalis partem, ſed ſolummodo per illud ipſum, unde maxime propria rationis formalis pars (ſive ea ultima dici poſſit, ſive minime) petenda erat. Sumamus unicum, idque ſatis notum ac utile exemplum, quod e Philoſophia Morali petere lubet: ... Dicitur vulgo, quod virtus moralis *formaliter* conſiſtat in mediocritate recta ratione viri prudentis determinata, unde plurimi Ethicorum filii ſtatuunt, eam mediocritatem eſſe ipſam differentiam eſſentialem virtutis moralis; & hanc ob cauſam urgent Ariſtotelicam virtutis definitionem, quæ ſic ſeſe habet: ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ Φρόνιμος ὁρίσειε, *habitus electivus conſiſtens in mediocritate quoad nos, & ut vir prudens definiret.* Enimvero accuratiorum Interpretum conſenſu nihil aliud *Ariſtoteles* videtur indicaſſe, quam quod differentia eſſentialis maxime propria virtutis moralis non ſit mediocritas ipſa, eam tamen petere oporteat a mediocritate, ſitque adeo illa ipſa eſſentialis habitudo, quam virtus moralis dicit ad mediocritatem, quam (habitudinem) exprimere nequiviſſet *Philoſophus*, niſi ἐν προσθέσει ex additamento, ceu *Scholæ*, loqvuntur, virtutem moralem definiviſſet, hoc eſt, definiviſſet eam mentione mediocritatis facta.

IV. Juvabit amplius notaſſe, quod quoties

ties talismodi definitiones occurrunt (quæ certe in practicis diſciplinis frequentiores ſunt) eas nemo ſatis feliciter percipere poſſit, niſi prius eſſentiales illas habitudines probe perſpectas tenuerit. E. gr. modo allatam ex *Ariſtotelis ſecundo libro ad Nicomachum* c. 6. definitionem tamdiu Moralis Philoſophiæ cultor neutiquam ſatis intelligit, quamdiu non datur ſolide ac ſufficienter aſſequi, in quonam habitudo illa eſſentialis ad mediocritatem conſiſtat, cujus ſcilicet habitudinis cauſa mentio mediocritatis fiebat in virtutis moralis definitione. Lubet tangere potiſſima fundamenta, e quibus illa habitudo dijudicari a Moralium Cultore poteſt. *Primo*, cognitum ei eſſe debet, quod actiones dentur homini per ſe, intrinſece ac ſua natura honeſtæ, quodque aliud ſit, hominem eligere ac exercere illas actiones, aliud vero, hominem promte & expedite illas actiones eligere ac ſingulari animi facilitate exercere: Fieri namque poteſt, ut homo aliquis eligat & exerceat actiones per ſe, intrinſece ac ſua natura honeſtas, adeoque abſoluta neceſſitate debitas, nec tamen ſine omni moleſtia aut difficultate id agat. Per hoc igitur homo valet promte & expedite eligere actiones ex ſua natura ac per ſe honeſtas, eaſdemque ad imperium voluntatis ſingulari animi facilitate exercere, quia virtuoſus eſt, h. e. habitu



Digitized by Google

virtutis præditus. Virtus enim, quia habitus eſt, non dat primam facultatem operandi, ſed adjuvat eandem & facilitat : Inde perſpicitur habitudo eſſentialis, quam virtus moralis dicit ad mediocritatem: Eſt enim virtuti morali eſſentiale adjuvare voluntatem, eamque in eligendo actiones per ſe honeſtas homini, idque propter lege naturæ præceptas, faciliorem reddere : Eſt quoque virtuti morali eſſentiale juvare appetitum ſenſitivum, ut promte pareat voluntati promte imperanti. *Secundo*, actiones dantur homini per ſe, intrinſece ac ſua natura turpes, quas ipſe promte & expedite averſari & omittere poteſt ac debet. Nam uti virtuoſum eſt promte & expedite eligere ac committere id, quod per ſe ac ex ſua natura honeſtum eſt homini eligenti ac committenti : Ita quoque virtuoſum eſt promte & expedite averſari ac omittere id, quod per ſe ac ex ſua natura turpe eſt homini. Eſt ergo aliquid habitus virtutis moralis *formaliter* per hoc, quia verſatur circa id quod per ſe ac intrinſece honeſtum aut turpe eſt homini, eo tamen modo, quem jamjam indicavimus. *Tertio*, actiones dantur per ſe ac ſua natura nec honeſtæ, nec turpes, ut tamen recta ratio viri prudentis earum commiſſiones omiſſionibus aut omiſſiones
com-

commiſſionibus meliores judicet: Et ſane elegans doctrinæ genus eſt, noſſe rectæ rationis & naturæ præcepta a rectæ rationis & naturæ conſiliis, quorum certe plurima ſunt, diſcernere. E. Virtus moralis formaliter dicit quoque habitudinem ad promtam talismodi actuum commiſſionem, ſi omiſſione; aut facilem omiſſionem, ſi commiſſione melior ſit, licet nec commiſſio, nec omiſſio ſit per ſe debita. *Quarto*, actiones dantur per ſe ac ex ſua natura nec honeſtæ homini, nec turpes, nec oppoſitis meliores, nec pejores, h. e. actiones dantur plane indifferentes, ut nihil referat, ſive committantur ſive omittantur: Quatenus vero tales actus materia juris voluntarii (ſive divini ſeu cujus ſolus Deus; ſive humani ſeu cujus ſolus homo autor eſt) fiunt, eatenus virtus moralis eſt habitus tales actus ad honeſtatem redigendi: Nam diſtinctiſſima ſunt: actiones indifferentes ad mediocritatem redigere, & eas promte ad mediocritatem redigere. Ex his fortaſſis rectius liquet, per quid aliquis habitus *formaliter* ſit virtus moralis, quove ſenſu virtus moralis *formaliter* dicatur poſita in mediocritate? Honeſtas enim, ſeu quod idem eſt, rectitudo moralis a mediocritate reipſa nihil differt, hinc *Ariſtoteles* quod nomine τῆς μεσότητος (mediocritatis) cenſuerat, alibi τὴν ὀρθότητα (rectitudinem) appellat. Perinde

enim eſt, ſive virtutem moralem hominis voces habitum appetitus humani conſiſtentem in mediocritate recta ratione viri prudentis determinata, ſive habitum moralem appetitus humani honeſte vivendi, ſive habitum moralem appetitus humani recte ſe gerendi nuncupes. Nunc amplius incumbebat Moralium Cultori, totam de mediocritate rationis, cum ſimplici, tum comparata, doctrinam rite ac feliciter aſſequi, (quam hic loci tradere nec opus nec otium eſt) & tum demum rectius conſtare poterat de genuina ac maxime propria differentia eſſentiali virtutis. Sive enim ſecutus recentiores, ſtatuas habitus morales, quos vulgo honeſtos vocamus, non eſſe honeſtos, ſi in ſe conſiderentur, eo quod nulla cauſalitate morali effectum attingant, quamdiu manent habitus, nec in actum prorumpunt, quam ſententiam expendere non eſt hujus loci; ſive ſi in ſe conſiderentur, eos revera honeſtos eſſe pronuncies: hoc tamen a nemine negari poterit, habitum honeſtum, hoc quod ſit honeſtus, inde habere, quod honeſtis actionibus homo eum comparaverit, ut ita *formaliter* in mediocritate conſtitui haud queat, niſi maxime omnium reſpectus formalis ſeu eſſentialis habeatur ad mediocritatem actionum, quibus comparabatur. Extat hanc in rem diſſertatio noſtra
ſub

Digitized by Google

ſub titulo: *Formale virtutis ex moralibus Ariſtotelis principiis aſſertum & a nonnullorum exceptionibus vindicatum.*

V. Ita qui doctrinam de ſocietatibus ſibi perſpectam reddere geſtiunt, quamlibet quidem ſocietatem *formaliter* rectiſſime poſitam dicunt in ordine (perſonæ quæ regit, quæque regitur) e.gr. ſocietatem nuptialem in ordine, quem maritus & uxor; paternam in ordine, quem parentes & liberi; herilem in ordine, quem dominus & ſervus; domeſticam, in ordine, quem paterfamilias & domeſtici; paganam, in ordine quem ſenior & juniores patresfamiliarum; ſocietatem maxime civilem (dicitur: maxime civilem, quia nulla eſt actio hominis externa, quæ non ad hanc ſocietatem per ſe ſpectet, aut ex circumſtantiis ſpectare poſſit) h.e. civitatem in ordine, quem qui facultatem regendi civitatem habent & quibus gloria obſequii civilis relicta eſt, &c. inter ſe ſervant: Verum quia quælibet conſociatio, qua certæ perſonæ in unam ſocietatem coeunt, certorum negotiorum expediendorum gratia iniri ſolet, quæ tamen expediri, aut difficulter ac parum felici vel utili certove ſucceſſu, aut plane non poſſent, abſque ordine rectorio jureque imperii quæſito ſi foret, profecto ſi vel maxime unamquamlibet ſocietatis ſpeciem formaliter poſitam dicas in ordine re-

 cto-

ctorio, ut vocatur, quem inter ſe ſervant ſocii, niſi tamen omnium illorum negotiorum genuinas formaleſque rationes omniaque perſonarum, cum quæ regunt, tum quæ reguntur, jura vel quaſi, activa paſſivaque, iſti ſtudioſi, qui Politicam Architectonicam cum emolumento & fructu addiſcere volunt, ſibimet nota faciant, parum utilitatis ex iſtiusmodi formulis: Societas eſt ſtatus perſonarum ſervantium inter ſe certum ordinem, ſocietas nuptialis eſt ſocietas inter maritum & uxorem &c. ſibi poterunt promittere. Ea fini prolixiuſcule conſcripta habetur tota diſſertatio noſtra, non ita pridem denuo typis excuſa, cui titulus; *Jus Imperii quæſitum*.

VI. De cætero facillimum eſſet variis exemplis practicis hancce tertiam τῦ *formaliter* ſignificationem illuſtrare: Enimvero præterquam, quod ea ex *notis ad præced.* §. omiſſo conceptu communi peti poſſint, ea nullibi non ſua ſponte ſe offerunt. E. gr. ſi quæras a *Politicis* & *JCtis*, in quonam *formaliter* poni credant *emtionem venditionem?* hoc reſponſum accipies; *cum pretium datur pro merce, & cum merx datur pro pretio.* Si quæras a *Theologis orthodoxis*: Unde *formaliter* actio ſacra hoc habeat, quod ſit *ſacramentum?* reſpondebitur, quia eſt *divinitus inſtituta, quæ per externum & viſibile ſignum Deus*

nos

*non ſolum obſignat gratiæ promiſſionem evangelio propriam, ſed & cœleſtia bona in ipſius inſtitutione promiſſa vere exhibet & ſalutariter credentibus applicat.* Liceat bona *Venerandorum Theologorum* pace hic aliquid ex eorum ſcriptis deducere, unice (qui ſcopus ſemper nobis propoſitus eſt) ut de uſu notionum Metaphyſicarum feliciter conſtet; Diſputant inter ſe *Pontificii* & *noſtrates Theologi* de numero ſacramentorum: Illi ſeptem numerant ſacramenta, hi duo. Cardo controverſiæ præciſe in eo vertitur, unde dijudicari debeat, per quid actio *formaliter* ſit ſacramentum? *B. Martinus Chemnitius*, Theologus de univerſa Chriſti eccleſia meritiſſimus, in *examine Concilii Trident.* octo collegit conditiones ſacramentorum, quas dicit *ſubſtantiales* (h. e. formales, eſſentiales) eſſe, & quarum nulla a vero Sacramento poſſit abeſſe. Sunt autem illæ ſequentes: 1. *ut habeat externum aliquod materiale & viſibile elementum ſeu ſignum.* 2. *ut ſignum illud ſeu elementum externum habeat expreſſum mandatum divinum.* 3. *ut ſit inſtitutum in Novo Teſtamento.* 4. *ut non ad tempus tantum inſtitutum ſit, ſed usque ad conſummationem ſeculi.* 5. *ut adſit promiſſio divina de gratia & effectu ſeu fructu Sacramenti.* 6. *ut illa promiſſio divina ſit annexa ſigno Sacramenti.* 7. *ut promiſſio illa ſit promiſſio gratiæ h. e. de gratuita peccatorum re-*

*miſſione & reconciliatione cum Deo. 8. ut promiſſio illa non tantum in Sacramentis in genere ſignificetur vel annuncietur, ſed & virtute Dei offeratur, applicetur & obſignetur ſingulis, qui fide Sacramentis utuntur.* Hæc ſunt requiſita, quæ *B. Chemnitius Seſſionis ſeptimæ canone primo* collegit ex *Scriptura Sacra*, & ſeqvuntur eum fere omnes *noſtrates Theologi* hodie, & ex hoc fundamento diſputant illi contra *Pontificios*, duo tantum dari Sacramenta, eo quod cæteris Sacramentis, quæ *Pontificii* ſuperaddunt, non omnes hæ conditiones conveniant. Nonnulli interim *Theologi* noſtrates cenſent non opus eſſe, ut de numero Sacramentorum cum *Pontificiis* adeo rigoroſe contendant, ſed ſufficere, ſi hoc tantum adverſus *Pontificios* obtineatur, duo ſolummodo a Chriſto inſtituta eſſe Sacramenta, quæ ſint medium offerendæ, exhibendæ & obſignandæ gratiæ, quicquid ſit de voce Sacramenti, idque inculcare *Apologiam Auguſtanæ Confeſſionis*, quando Sacramenti vocabulo latius uſa expreſſe annumerat abſolutionem Sacramentis, & ne quis dicat, ſumi ibidem vocabulum Sacramenti abuſive, in ſeqq. idem repetere atque expreſſis verbis aſſerere, *proprie dici poſſe Sacramentum Pœnitentiæ*, ſacramentum proprie dictum, in laxiori tamen ſignificatu ſumtum, ibidem definiri per ritum, qui habet mandatum Dei & cui

addita

addita eſt promiſſio gratiæ: Ad Sacramentum vero propriiſſime (aliud eſt proprie, aliud propriiſſime accipere, cum utrumque, & proprie & propriiſſime acceptum, ſuã habeat rationem formalem) & ſtrictiſſime ſic dictum, prout a *B. Chemnitio* aliisque accipitur, requiri etiam aliquod externum ſignum ſeu viſibile elementum, quo mediante gratia hominì applicetur & obſignetur, juxta illud *Auguſtini Tom. 9. tract. 80. in Johannem: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, & ipſum tanquam viſibile verbum*; idque propter abſolutionem non eſſe Sacramentum propriiſſime ſic dictum, cum ibidem corporale elementum homini nequaquam applicetur, dum a peccatis abſolvitur per miniſterium. Nam quod *Pontificii* contendunt, reperiri utique in abſolutione externum ſignum, nempe manuum impoſitionem: Ad hoc reſpondent *Theologi noſtrates*, illam ceremoniam non eſſe divinitus inſtitutam, cum nuſpiam legatur in Sacris, quod miniſter quando hominem abſolvit a peccatis, debeat ipſi manum imponere; & præterea manuum impoſitionem eſſe actionem transeuntem, nec corporeum aliquod elementum; ſicque rectiſſime colligunt pœnitentiam non eſſe tale ſacramentum, quale ſcilicet ſunt: Baptismus & Sacra Cœna.

VII. Caute ac tuto procedendum eſt in aſſignandis differentiis eſſentialibus maxime propriis rerum, ne quis eas deſumat ab aliquibus ſpeciebus ſub eo, cujus differentia eſſentialis maxime propria, aut pars rationis formalis maxime propria quæritur, contentis: qui modus procedendi tam nude & crude adhibitus profecto non poteſt probari, quia non ſtatim, quod uni aut duabus ſpeciebus convenit, etiam toti competit generi in ſua latitudine. Similes dicerens hoc monitum inſuper habentes iis, qui ex hoc quod nulla omnino ſpecies cæterarum animantium ſit rationis particeps, contenderent ad naturam animalis in genere neceſſario requiri, ut ſit rationis expers, adeoque hominem non eſſe animal, quod poſterius tamen nemo ſaniori mente & corpore conſtans negaverit. Et ſane cautio hæc omnium Facultatum Cultoribus apprime commendata eſto.

VIII. Nimis abſurdi ſunt, qui hoc vel illud formaliter tale eſſe probant, nec tamen prius ſolliciti ſunt: An tota ratio formalis ei competat? Rem uno vel altero exemplo declarabimus, ut clarius pateat, quem in finem hanc cautionem valde neceſſariam adhibuerimus. Ita *Metaphyſici* unanimi conſenſu ac rectiſſime docent differentiam eſſentialem actus non puri eſſe, quod non ſit immu-

immunis ab omni imperfectione; nonnulli hanc aſſignant, quod admixtam habeat potentiam paſſivam: Verum & illud, & quantum ad præſens etiam hoc, differentiæ eſſentialis maxime propriæ loco recte poſitum eſto, inque eo faciamus formaliter actum non purum conſiſtere: manet interim hæc exemplaris Philoſophia admodum impura, ſi aſſeri videas, corpora eſſe maxime actus impuros. Ratio enim quæ adfertur, quia ſcilicet corpora naturalia admixtam habent potentiam paſſivam, nulla eſt: Corpora namque naturalia, licet admixtam habeant potentiam paſſivam, quod ipſum nemo negat, tamen non ſunt nec dici poſſunt actus non puri, quia plane non ſunt actus. Quod igitur plane non eſt actus, de eo fruſtra quæritur, num ſit actus purus, an actus non purus? Nam de quo negatur primus conceptus communis rei, de eo negantur ſpecies ſub illa re comprehenſæ. Capiamus aliud exemplum: Non paucis JCtorum & Moralium Doctorum filiis impoſuit hæc ratio, ut crederent a Deo diſpenſari poſſe in jure naturæ, quia Deus juris naturalis autor interpretari leges naturales poteſt, quomodo debeant intelligi, quosque obligent & quos minime? Verum de quo negatur primus conceptus communis rei, de eo etiam negantur ſpecies ſub illa re comprehenſæ: Jam vero primus con-

conceptus communis diſpenſationis eſt mutatio (intellige: Legis) E. Quia lex naturæ prorſus & ſimpliciter eſt immutabilis. h. e. mutationis expers, ſicque primus conceptus communis diſpenſationis legi naturæ repugnat, rectiſſime etiam ei repugnare aſſeritur ſpecies ſub iſto communi conceptu primo contenta, nempe diſpenſatio. Non mitiori, ſi non graviori, cenſura digni ſunt, qui ex eo, quod jus naturale abſoluta neceſſitate & ſimpliciter immutabile communi Philoſophorum, Theologorum & JCtorum, conſenſione ſtatuitur, hoc abſurdum elicere conantur, quod hac ratione nequaquam ſolus Deus immutabilis ſtatui poſſit: Nam hi ipſi aut ſimplicitatem aut malitiam ſuam accuſent, ſi vel nequeant, vel nolint capere, nunquam ſine maxima abſurditate tale abſurdum ex recepta ſententia colligi poſſe. Non enim hic loci quæritur de immutabilitate in eo ſenſu ſumta, quo ſcilicet ſoli Deo competit, ſed dum aſſeritur, jus naturæ eſſe ſimpliciter & prorſus immutabile, nihil aliud ſignificatur, quam quod juri naturali, quamdiu exiſtit is, qui jure naturæ obligatur, non derogari, nec in eo diſpenſari, nec iſtud abrogari poſſit: At ſi plane non exiſteret, quem jus naturæ obligaret, nec jus naturæ exiſteret, ſique hoc plane non exiſteret, nec abrogari, nec ei derogari, nec in eo diſpenſari poſſet

cum

cum abrogatio, derogatio & diſpenſatio ſint ſpecies mutationis, quæ prærequirit legem exiſtentem.

IX. Illud quoque obiter tangimus, quod maxime propria differentia eſſentialis quandoque latius pateat, quam id, cujus differentia eſſentialis maxime propria eſſe dicitur: Ex.gr. Actus non puri differentia eſſentialis maxime propria in eo conſiſtit, quod non ſit immunis ab omni imperfectione: Non tamen omne, quod non eſt immune ab omni imperfectione, ſtatim eſt actus non purus. Ita rationale vulgo ſtatuitur differentia eſſentialis homini maxime propria, latius tamen patet rationale quam homo: Nam Angeli quoque ipſeque Deus rationales ſunt, anima etiam noſtra rationalis eſt. Dicis: differentia eſſentialis latius patens, quomodo dici poterit maxime propria? Reſpondetur, maxime propria dicetur, ſi ſpectetur præciſe, prout primum conceptum communem, cum quo ſpeciem conſtituit, prærequirit ac tacite ſupponit. e. gr. Actus non immunis ab omni imperfectione latius non patet, quam actus non purus: Animal rationale latius non patet, quam homo.

§.7. FORMALITER 4. ſæpenumero indicat *differentiam eſſentialem rei*, (cujus nempe differentia

rentia eſſentialis eſt) *non propriam*: Quando vero hæc ſignificatio obtineat, quando minime, ex quæſtionum diverſitate ac ſcopo quærentis prudenter dijudicari debet: e.gr. ſi quæratur: per quid animal *formaliter* differat a cœlo? recte reſpondetur per hoc, quod ſit mixtum? Per quid *formaliter* differat a lapide? reſpondetur, quod ſit animatum.

*NOTÆ.*

I. Studio diximus, ad ſcopum quærentis reſpiciendum eſſe. Sic ſi quis ex te quæreret, in quonam formaliter adulterium conſiſtat? tuque reſponderes ei, formaliter conſiſtere in hoc, quod ſit pollutio alienæ uxoris, ei recte ita reſponderes. Quod ſi jam iſte diceret; Ergo adulterium non eſt per ſe turpe: nam ſi animal forma externa referens hominem ut tamen idem non eſſet animal rationale ac ſociale, pollueret alienam uxorem, pollutio alienæ uxoris a tali animali facta non eſſet turpis, tamen eſſet pollutio alienæ uxoris. Hic reſponderes, tibi cum nugatore nullum fuiſſe negotium, quando dixeras, quod adulterium formaliter conſiſtat in pollutione alienæ uxoris: nam qui nugas non amant,

amant, norunt probe, quod de adulterio quæſtio fuerit moralis: Hoc autem quisque qui Ethicam diſcere incipit, noſſe poteſt ac debet, quod nihil ſit actio moralis, niſi ſit libera ſeu voluntaria actio. Hoc ergo a te quidem non expreſſe dicebatur, tamen a te æque ac aliis omnibus, qui ſaniori judicio ſunt præditi, ſupponebatur, quod quando adulterium formaliter in eo conſiſtere dicitur, quod ſit pollutio alienæ uxoris, ſemper ac neceſſario intelligi debeat voluntaria pollutio alienæ uxoris, ſive actus quo a ſciente & volente aliena uxor polluitur. Unde quisque videt, quod ab animali, quod rationale non eſt, adulterium fieri nequeat proprie & recte ſic dictum, quia tale animal ratione caret & voluntate.

II. Exemplum ſumamus Theologicum: Notum eſt Theologiæ Studioſis, quod converſio & in *Scriptura* S. & apud *Theologos* bifariam ſoleat accipi: Transitive & intranſitive. Si jam quæratur, per quidnam converſio tranſitiva ſeu tranſitive ſumta *formaliter* differat a converſione intranſitiva ſeu intranſitive ſumta? Ex *Theologorum orthodoxorum ſcriptis* diſcimus ſequentia: Converſio tranſitiva *formaliter* eſt (actio) Spiritus Sancti: Converſio vero intranſitiva *formaliter* eſt (actio) hominis. Hic quisque facile perſpicit, quod quando converſio

verſio tranſitive ſumta *formaliter* dicitur Spiritus Sancti, converſio vero intranſitive accepta *formaliter* dicitur hominis, nec ſignificetur differentia eſſentialis converſioni hoc vel illo modo ſumtæ maxime propria, nec tota ratio formalis: Interim per quid tranſitiva converſio ab intranſitiva *formaliter* differat? recenſito reſponſo *Theologi* accurate ac ſufficienter ſignificari credunt. Ubi amplius bona *Venerandorum Doctorum* pace notandum venit, actionem ab ipſis ſumi, prout alterum denominat agentem, eosque dicere actionem Spiritus Sancti, quæ *formaliter* denominat Spiritum Sanctum agentem; Actionem autem hominis nuncupare, quæ *formaliter* non Spiritum S. ſed hominem denominat agentem: E. gr. Spiritus Sanctus per verbum illuminat hominis intellectum, fidem in corde hominis per verbum accendit &c. illa ergo illuminatio hominis & productio fidei in homine *formaliter* eſt actio Spiritus Sancti, quia dum Spiritus S. illuminat hominis intellectum fidemque in corde hominis per verbum accendit, *formaliter* agit atque ab hac actione *formaliter* denominatur agens. Contra autem homo agnoſcit peccata, dolet de iis, metuit iram Dei & credit in Chriſtum Redemptorem, non Spiritus Sanctus. E. agnoſcere peccata, metuere iram Dei, dolere de admiſſis peccatis,

catis, credere in Chriſtum, *formaliter* ſunt actiones hominis, non Spiritus Sancti. Amplius uſus notionis præſenti §. explicatæ & utilius conſtabit, ſi ulterius ad *Venerandorum Theologorum* informationem provocemus: Scilicet accurate docent, multum differre hæc duo inter ſe: Actionem aliquam *formaliter* eſſe actionem hominis, & actionem aliquam eſſe ex humanis viribus profectam, cum actio aliqua *formaliter* hominis eſſe poſſit, quæ tamen non ſit viribus hominis naturalibus producta. Hunc in finem adferunt locum ex *Phil. II. 13.* ubi dicit Apoſtolus: *Deus eſt, qui agit in vobis & ut velitis & ut efficiatis pro bono animi propoſito.* Ex his ſatis ſuperque conſtare aſſerunt, quando homo aliquid boni vult in Spiritualibus & efficit, actionem illam *formaliter* eſſe hominis: hoc ipſo nempe quod velit, velle illud eſſe hominis velle, & hoc ipſo, quod homo efficiat, efficere illud eſſe hominis efficere: Et nihilominus dici, quod Deus agat in hominibus, quod velint & efficiant: & ex eo conſequi, hominem, quod in ſpiritualibus vult & efficit, illud non velle aut efficere per ſuas vires, ſed per gratiam Spiritus Sancti, quia dicatur Deus in nobis agere, ut velimus & efficiamus. Similiter in præſenti dicendum, converſionem *intranſitive* ſumtam eſſe quidem *formaliter* actionem homi-

nis, ſed non ex hominis naturalibus viribus profectam, adeo ut quando homo peccata ſua agnoſcit, deteſtatur & ad Chriſtum ſe convertit, inque ipſum credit, hæc omnia ipſe agat per gratiam Spiritus Sancti, imo ipſe Spiritus Sanctus hæc operetur in ipſo per verbum, & homo per Spiritum Sanctum eadem agat. Utramque *converſionis* ſignificationem *Theologi* quoque ex *Scriptura Sacra* probant, & priorem quidem (quando tranſitive ſumitur) ut notat *formaliter* actionem in alio receptam, & idem ſignificat, quod aliquem convertere vel ad ſaniorem mentem reducere, ex *Jer. XXXI. 18. converte me, ut convertar, quia Tu es Jehova Deus meus. Luc. I, 16. Jacob. V, 19. 20.* poſteriorem vero (quando intranſitive accipitur) prout notat actionem immanentem, idemque ſignificat, quod convertere ſe, h. e. reſipiſcere & ad ſaniorem mentem redire, ex *Eſa. VI, 10. Fac, ut populus ſe convertat. Matth. XIII, 15. Marc. IV, 12. Act. XXVIII, 27.* Cæterum ſi ex *Theologis* diſcere velimus, quid *formaliter* (ſumta notione: *formaliter*, non ut ſumitur in præſenti, ſed pro ratione formali) ſit converſio tranſitive, quid intranſitive ſumta? Illa *formaliter* eſt actio Spiritus Sancti, qua primum quidem mediante verbo legis hominem in peccatis mortuum in veram peccatorum ſuorum agnitionem cum ſeria cor-

dis

dis contritione conjunctam deducit: deinde autem per verbum evangelii in ejus intellectu lumen fidei, ac in voluntate veram fiduciam in Chriſtum accendit cum bono propoſito vitam inpoſterum emendandi. Hæc *formaliter* eſt actio hominis, qua agnitis ex lege peccatis, metuit iram Dei, & dolet de admiſſis, fide in Chriſtum ſe rurſus erigit cum propoſito vitam ſuam per Dei gratiam inpoſterum emendandi. Priori ſignificatu ſumta converſio idem eſt, quod regeneratio adulti, (nam quomodo infantes regenerentur & meriti Chriſti participes fiant, peculiari loco de baptiſmo explicatur) ſi regenerationis vox ſtricte quidem ſumatur, prout a juſtificatione & renovatione diſtinguitur. Poſteriori accepta ſignificatione alias pœnitentia dicitur.

III. Adhibeamus exempla Juridica: Ita e. gr. quæritur, per quidnam *pactum retrovenditionis formaliter* differat a *contractu pignoratitio*? Reſp. pactum retrovenditionis adjicitur emtioni venditioni: Sunt verò pignus & emtio venditio *formaliter* diſtinctiſſima contractuum genera, iſte re contrahitur, hic ſolo conſenſu. Sunt, qui ſtatuunt, pactum de retrov. etiam poſſe apponi contractui pignoratitio: Sed aliud eſt *hodierno Jure* & *Civili Rom.* pactum reluendi pignus, aliud retrovendendi rem emtam. Plane da-

 tioni

tioni in ſolutum utique adjici poteſt, quia hæc vicem emtionis obtinet, *l. ſi prædium 4. C. de evictionibus.* Quæritur iterum, per quid *retrovenditio formaliter* differat a *pacto protimiſeos*? Reſp. quia hoc non tempus reventitioni, ſed emtorem in caſum futuræ venditionis determinat. Qu. per quid *retrovenditio formaliter* differat a *pacto de pœnitendo*, Reu-Kauff? quia hoc non determinatur tempus emtioni, ſed tota emtio annullatur, & a contractu reſilitur, præſtita tamen pœna. Qu. per quid *retrovenditio formaliter* differat a *Lege Commiſſoria, addictione in diem*, item *Pacto Diſplicentiæ*? Sane in eo cum retrovenditione Lex Commiſſoria, addictio in diem, Pactum Diſplicentiæ *formaliter* conveniunt, quod iis venditor recuperare poſſit dominium rei venditæ: *Formaliter* vero in hoc inter ſe differunt: *Lex Commiſſoria* obligat emtorem ad reſtitutionem rei ſub illa ratione: NISI INTRA CERTUM TEMPUS PRETIUM FUISSET SOLUTUM *l. ſi ea lege 1. C. de pactis inter emtorem & venditorem compoſitis. Vel*; NISI RELIQVUM PRETIUM INTRA CERTUM TEMPUS RESTITUTUM ESSET *l. qui ea lege 3. C. eod. Addictio ad diem* obligat emtorem ad reſtitutionem rei ſub iſta ratione: SI MELIOR CONDITIO ALLATA FUERIT, *l. quoties fundus 2. D. de in diem addictione.*

ctione. Pactum diſplicentiæ obligat emtorem ad reſtitutionem rei ſub hac ratione: SI DISPLICUISSET EMTORI *l. ſi res 3. D. de contrahenda emtione & l. non eſt 6. C. de reſcindenda venditione*: At pactum de retrovendendo nec ſub illa, nec ſub iſta, nec ſub hac ratione emtorem ad reſtitutionem obligat, obligat tamen eum, SI EMTORI INTRA CERTUM TEMPUS PRETIUM OFFERRETUR, *l. ſi fundum 2. C. de pactis inter emtorem & venditorem compoſitis*. Per hanc ergo conditionem offerendi pretii *pactum retrovenditionis formaliter* differt a *Lege Commiſſoria, additione ad diem* & *pacto diſplicentiæ*: Ea namque conditione exiſtente ſeu impleta a venditore pure obligatur emtor ad reſtituendum. Facit quoque conditio adjecta promiſſioni de reſtituendo Pactum Conditionale, quo ſuſpenditur reſtitutio: Contractus vero ipſe manet purus & non fit conditionalis, pureque venditur. Facile igitur liquet per quidnam *formaliter* diſtingu. ab *emtione venditione*? Conſulatur Magnifici Domini *Schilteri praxis artis analyticæ ſupra pag. 304.* a nobis commendata, omnique noſtra commendatione major, *parte* laudata.

§. 8. FORMALITER 5. non raro denotat *proprietatem eſſentialem*

*tialem rei*: e.g. formaliter per hoc aliquid quantum dicitur, quia eſt diviſibile, formaliter per hoc aliquid bonum dicitur, quia eſt appetibile, virtus moralis formaliter conſiſtit in laudabilitate, formaliter aliquid eſt animal, quia eſt appetens.

*NOTÆ.*

I. Inde factum eſt, ut accuratiores *Metaphyſici* proprium eſſentiale dicerent formale conſequens, quia nempe ex formali ratione fluit neceſſario, ut *Scholaſtici* loqvuntur? h.e. quia prædicatum eſt neceſſarium, nec tamen eſſentiale, cum ratio a priori reddi poſſit, ob quam ſubjecto neceſſario competat.

II. Eandem ob cauſam Philoſophi diſtinxerunt inter rationem formalem a priori & rationem formalem a poſteriori, inter definitionem a priori ſeu eſſentialem, & inter definitionem a poſteriori, tamen meræ deſcriptioni oppoſitam, inter prædicationes eſſentiales & accidentales, hasque iterum diviſerunt in extraeſſentiales & accidentales ſtricte ſic dictas. E. gr. formalis ratio bonitatis conſiſtit in appetibilitate, ut loqvuntur, ſi nempe ratio formalis a poſteriori intelli-

telligatur: ratio autem formalis a priori eſt convenientia. Ideo enim aliquid eſt appetibile, quia eſt conveniens. Ideo aliquid eſt diviſibile, quia eſt extenſum. Ideo aliquis habitus eſt laudabilis, quia conſiſtit in mediocritate recta ratione viri prudentis determinata. Ideo animal eſt appetitu ſenſitivo præditum, quia eſt anima ſentiente præditum.

III. Quemadmodum notio τȣ *formaliter* ut dicit *formale primum*, notat differentiam eſſentialem, nunc maxime propriam, nunc non propriam, ut tamen illa ſignificatio ſit frequentior: Ita idem eſto judicium de præſenti notione. Nempe proprietas eſſentialis alia eſt ſpecifica, alia generica: e.gr. Sicuti recte dico animal per hoc *formaliter* differre a planta, quia eſt appetens: Ita etiam recte aſſero animal per hoc *formaliter* differre a lapide, quia eſt vivum; a cœlo, quia eſt mixtum.

IV. Præſtat idonea hujus ſignificationis applicatio inſignem uſum in omnibus diſciplinis & Facultatibus. Sumamus exemplum Theologicum; Inter Chriſtianos adeo certum eſt futuram eſſe aliquando vitam æternam, ut omnium conſenſu nomine Chriſtiani indignus judicetur, qui quod Scriptura Sacra nullibi non verbis ſatis perſpicuis inculcat, in dubium ullatenus vocare auſit,

quæritur ergo, *quid FORMALITER ſit vita æterna?* Seu quod tandem eodem redit: *In quonam vita æterna FORMALITER poni debeat?* Noſtratium Theologorum unanimi conſenſu *RATIO FORMALIS vitæ æternæ eſt beatifica Dei viſio*, vitaque æterna *formaliter* conſiſtit in ſola beatifica Dei viſione. Sicut enim alias *RATIO FORMALIS* cujusque *finis formalis* conſiſtit in *adeptione & conſecutione finis objectivi*: Ita *RATIO FORMALIS beatitudinis æternæ* (quæ in Sacris Literis uſitatiſſime *vita æterna* dicitur) tanquam *finis formalis & ultimi* non poteſt in alio poni, quam in actu illo, quo finem ultimum objectivum, i. e. Deum, qui eſt objectiva noſtra beatitudo, conſequimur, & ipſum tanquam Summum Bonum quaſi poſſidemus: Conſequimur autem ipſum per actum, quo nobis objective redditur præſens: Ille vero actus eſt cognitio Dei (non abſtractiva, ut vocant, qua nempe Deus non immediate in ſe, ſed per creaturas earumque ſpecies aut per revelationem cognoſcitur, ſed) intuitiva, qua Deus immediate ut in ſe eſt cognoſcitur. Nam quod objici poterat, qua ratione fieri queat, ut cognitione adipiſcamur ac conſequamur rem, quæ illius cognitionis objectum eſt? Ad hoc Venerandi Doctores noſtri accuratiſſime reſpondent, diverſam eſſe rationem cognitionis, qua alias
res

res extra Deum cognoſcimus, & cognitionis Dei intuitivæ. Cum alias res cognoſcimus, eas non niſi per ſpecies cognoſcimus tanquam imagines rerum, adeoque rebus ipſis nondum fruimur: At vero cum Deum intuitive cognoſcimus, Deus intime, immediate & ſine ſpecie intelligibili unitur cum intellectu, unde intellectus infinita perfectione & bonitate Dei ut objecti cogniti ita afficitur, ut a cognitione ceſſare non poſſit, & ut appetitus perfecte ſatietur iſta Dei cognitione: Hac ergo ratione docent *Theologi*, quod Deum cognoſcere ſit utique Deo tanquam bono infinito & perfectiſſimo frui. His ita præmiſſis præmittendis, nunc in disquiſitionem venit: Annon etiam vita æterna *formaliter* poni poſſit in amore Dei & gaudio circa Deum? Hic jam ſe exerit uſus præſentis ſignificationis τῦ *formaliter*: Docent namque *Theologi*, cum intuitiva Dei cognitione nexu indiſſolubili cohærere ardentiſſimum amorem Dei & ineffabile gaudium circa Deum, ita ut per hosce actus homo etiam fruatur Deo tanquam Summo Bono, atque adeo non incommode hi actus ex parte voluntatis: amor ſcilicet iſte iſtudque gaudium, ad æternam beatitudinem tanquam finem formalem referantur. Quod amor intenſiſſimus ergaDeum cohæreat cum intuitiva Dei cognitione, patet: Ea enim eſt

vis & natura boni, ut cognitam voluntatem in ſui amorem trahat, unde quo perfectius & clarius cognitum eſt bonum, eo amatur ardentius. Quia ergo Deus eſt ſummum & infinitum bonum, in quo omnis ratio boni ſine defectu datur, quia etiam intuitive cognitus eſt, ut omnis bonitas Dei clare pateat homini beato, neceſſario voluntas trahitur in amorem ardentiſſimum erga Deum; Quod ſi Deus intuitive cognitus & amore intenſiſſimo comprehenſus eſt, non poteſt non ineffabile gaudium excitari circa ſummum & infinitum bonum intuitive cognitum & intenſiſſime amatum, ut per hoc ipſum etiam gaudium homo Deo tanquam Summo Bono fruatur, quatenus eo ſuaviſſime delectatur & afficitur. Videamus igitur applicationem præſentis notionis Metaphyſicæ Theologis probatam: Actus, quo nobis Deus objective redditur præſens, nec eſt amor Dei, utpote qui formaliter (ut talis ex ſe) eſt indifferens ad objectum præſens & abſens: nec delectatio, utpote quæ non eſt niſi de bono jam adepto, atque ſic adeptionem finis objectivi demum conſequitur. Ergo amor ardentiſſimus, quo beatus Deum ut ſummum & excellentiſſimum bonum complectitur, & gaudium ineffabile ſeu delectatio in Deo perfecte cognito & amato, conſeqvuntur neceſſario ex ipſa beatitudinis æter-

Digitized by Google

æternæ ratione formali, adeoque ſpectantur tanquam proprietates eſſentiales vitæ æternæ, ipſam vero eſſentiam ſeu rationem formalem ejus nequaquam ingrediuntur. Quemadmodum enim homo in perfecto ſuo ſtatu nullus datur, quin etiam ſit riſibilis & diſciplinæ capax: Ita hæc eſſentialia conſequentia æternæ beatitudinis faciunt, ut illa ſit in ſuo perfecto atque integro ſtatu, in quo ſi conſideretur, includat tres præcipue actus, nempe intuitivam Dei cognitionem, amorem Dei ardentiſſimum, & gaudium in Deo cognito & amato ſempiternum, quorum actuum unus ſine altero eſſe nequeat. Proinde licet in beato actus amoris natura poſterior ſit actu viſionis Dei, nihil tamen prohibet, quo minus per amorem & delectationem tanquam rationem formalem a poſteriori vita æterna deſcribatur.

V. Videamus, exempla Politico Juridica: Hujus capitis *§.4. not. 2. pag. 298.* indicabatur *eſſentia pacti de retrovendendo*, perſpiciamus jam *eſſentialia ejus conſequentia*: Eſt vero hujus pacti, æque ac *omnium* aliorum *pactorum unicum ESSENTIALE CONSEQUENS obligatio.* Inveniamus *Politicos & JCtos*, qui *eſſentiale conſequens* pactorum eſſe cenſent vel obligationem conſtitutam, vel obligationem diſſolvendam: Alii tamen accuratius & Metaphyſicis principiis convenien-

nientius ſtatui cenſent, unicum dari *eſſentiale conſequens* pactorum, nempe obligationem, ceu modo dictum eſt, cujus etiam ſupra *p. 301*. mentio facta fuit. Nam hoc accidit *eſſentiali conſequenti* pacti, ut aliquando ſit obligatio ad priorem obligationem diſſolvendam. Id quod etiam contingit in pacto retrovenditionis: Qvum enim alias regulariter emtor venditorem actione emti perpetuo obligatum habeat, ut rem venditam emtori quiete permittat: efficit pactum retrovenditionis, ut obligetur emtor ad reſtitutionem rei, ſicque obligatio venditoris tollatur. Ut magis conſtet de idoneo uſu præſentis notionis Metaphyſicæ, notatum volumus, quod emtionis cujusvis, quocunque tandem veniat nomine, *ESSENTIALE CONSEQVENS* ſit obligatio, ad transferendum dominium, & pretium ſolvendum, & ipſa denique translatio dominii. *Nemo enim poteſt videri eam rem vendidiſſe, de cujus dominio id agitur, ne ad emtorem tranſeat. Sed hoc aut locatio eſt, aut aliud genus contractus*: Ita pronunciat *Labeo l. cum manu ſata 80. §. nemo poteſt 3. D. de contrahenda emtione venditione.* Si igitur in omni emtione transfertur dominiū, aut obligatio ſaltem eſt ad transferendum dominium per traditionem, neceſſe eſt, ut etiam in hac, cui adjicitur pactum de retrovendendo, dominium transferatur in emtorem: alias

Digitized by Google

alias enim fruſtra eſſet retrovenditio permiſſa. Ergo ex *eſſentiali conſequente* emtionis venditionis, cui pactum retrovenditionis adjiciebatur, datur accurate perſpicere *eſſentiale conſequens* ipſius pacti adjecti. Nempe quia emtio venditio regulariter eſt perpetua, niſi expreſſe in diem facta: Ideo etiam translatio dominii regulariter fit in perpetuum, & hæredes ac ſucceſſores ſingulares, niſi per ſpeciale pactum ad tempus fiat, & regulare conſtituatur. Quod ipſum eſt pacti hujus *ESSENTIALE CONSEQVENS*, & quidem ex cauſa offerendi pretii. *Eſſentiale* igitur *conſequens* eſt, ut dominium penes emtorem aliquando eſſe deſinat, & retro transferatur ad venditorem pretium reddentem emtori. *JCti eſſentiale conſequens* pacti retrovenditionis peculiari nomine ac ſtylo vocant, JUS AD REM VENDITAM RESTITUENDAM ALIQVANDO PRO PRETIO. Seu: OBLIGATIONEM RECIPROCAM AD RESTITUTIONEM REI ATQVE PRETII. Unde in duas partes quaſi diſcindunt eſſentiale conſequens hujus pacti, dum ex parte venditoris ex hoc pacto oriri docent JUS & FACULTATEM repetendi rem atque dominium rei oblatione pretii, ex parte vero emtoris NECESSITATEM reſtituendi & retransferendi dominii, ad quam tamen concurrit obligatio ad

ad reddendum pretium a revocaturo dominium. Huc apprime facit noſſe, quando & quamdiu obligatio illa ſit in pendenti efficacia?

VI. Tangamus unicum exemplum Morale: Moralitatem actionum illarum, quæ homini in & per ſe, ac ſua natura honeſtæ vel turpes vocantur, FORMALITER conſiſtere in habitudine reali ad legem, ita ut honeſtas FORMALITER ſit convenientia cum lege, turpitudo vero ſit diſconvenientia cum lege, nemo *Doctorum Moralium* negavit unquam, nec negabit: Hoc vero eſt, quod accuratiores *Doctores Morales* negant, *formale primum* ipſamq; *eſſentiam* MORALITATIS iſtius conſtitui poſſe in habitudine ad legem, voluntque eam habitudinem eſſe ſolummodo *formale* ac *eſſentiale conſequens*, hancque eſſe *definitionem* (MORALITATIS in actionibus humanis) *a poſteriori*, quæ exprimit id, quod ex ipſa MORALITATIS actionum humanarum, quæ per ſe ac ſua natura homini honeſtæ vel turpes dicuntur, eſſentia neceſſario conſequitur. Nam 1. aliud eſt moralitas ut ſic, aliud eſt moralitas actionibus humanis propria. 2. ſi moralitas actionum humanarum in puncto rationis antecedenter ſe habet ad voluntatem ſuperioris, quomodo a contradicente, qui legem in communi per decretum ſuperioris defi-

nien-

niendum eſſe prætorio edicto pronunciaverat; eſſentia moralitatis poni poterit in habitudine ad legem. Repetantur ea, quæ ſupra cap. 1. a *pag. 79.* usque ad *pag. 140.* fuerunt diſputata. Certe natura prius eſt hominem habere naturam rationalem a Deo, quam eum a Deo obligari naturæ lege. Ergo natura prior eſt neceſſaria convenientia aut diſconvenientia horum illorumve actuum humanorum cum natura rationali, natura vero poſterior manet illorum actuum convenientia aut diſconvenientia cum lege. Deus enim nequit homini lege præcipere actum diſconvenientem cum natura rationali, aut lege ei prohibere actum convenientem cum natura rationali hominis. Judicent igitur accuratæ doctrinæ amantes, quæ ſit ἀκρίβεια in hac theſi: *Honeſtas & turpitudo ſunt affectiones aut qualitates morales actionum humanarum ORTÆ ex convenientia aut diſconvenientia cum lege.* Sed forte deſiderabunt rationem a contradicente allatam, quibus recte judicandi facultas data eſt, ut eo rectius judicare poſſint inter celeberrimum Virum, quem adverſarius refutaverat, & ipſum adverſarium celeberrimum. Ratio adverſarii hæc eſt: *Hanc theſin* (honeſtas & turpitudo ſunt qualitates morales actionum humanarum ortæ ex convenientia aut diſconvenientia cum lege) *ſi quis im-*

*pugna-*

*impugnaverit, haruſpices prodigium nunciabunt, bovem eſſe locutum.* Huccine tandem omnia reciderunt, ut non rationibus, ſed convitiis, turpi fœtu impotentis animi, recepta Philoſophia celeb. Theologi impugnaretur?

VII. Si ratio noſtri inſtituti ferret, facile poſſemus demonſtrare, eos, qui hujus notionis ſignificationem tanquam inutilem prorſus rejiciunt, aut exiguum uſum habere credunt, accuratorum Philoſophorum & Doctorum officio parum felici ſucceſſu fungi poſſe. Multum enim intereſt, num a priori, an a poſteriori rem definiveris? h.e. ut metaphyſice loquamur, num ea, quæ ſunt rei eſſentialia, an ſolummodo eſſentialia conſequentia tibi aliisque reddideris perſpecta? Certe omnium exacti judicii & ſolidæ eruditionis Virorum conſenſu, qui a poſteriori h.e. per eſſentialia conſequentia definiunt, dialectice, qui vero a priori & per eſſentialia definiunt, analytice definiunt. E. qui talia inſuper habent, neſciunt profecto, quid discriminis inter accuratam definitionem & definitionem illi oppoſitam intercedat: e.g. vita æterna veriſſime definitur per gaudium ſempiternum & ineffabile, omnibus Theologis id atteſtantibus, idemque aſſerente ipſa *Scriptura Sacra* cum *Veteris* tum *Novi Teſtamenti*: vid: *Es.* XXXV, 10. *Matth.* XXV, 21. *Joh.* XVI, 22. Hancque definitionem longe

longe facilius & cum majori gaudio rude vulgus percipit, ſed negant accuratiſſimi Theologi, hanc eſſe analyticam vitæ æternæ definitionem, cum ſit ſolummodo definitio a poſteriori ac dialectica, ob rationem ſupra p. 347. allatam. Sic vere definitur fides juſtificans per actum, quo homo juſtificatus credit, ſibi peccata eſſe remiſſa per & propter Chriſti meritum fide apprehenſum: Eſt tamen ea definitio non accurata, h. e. διαλεκτικῶς, non ἀναλυτικῶς fides juſtificans qua talis ſic definitur: Aliud enim eſt, fidem juſtificantem non habere, fidelemque non eſſe, niſi qui credit ſibi peccata eſſe remiſſa, aliud eſt eſſentiam fidei juſtificantis conſiſtere in hoc actu. Eſt enim eſſentiale conſequens fidei juſtificantis, non vero eſſentia fidei juſtificantis in eo ponitur, adeoq; qui per hunc actum fidem juſtificantem definiunt, non definiunt fidem juſtificantem a priori: Nam ſi fides juſtificans a priori ſic definiretur, fide juſtificaretur homo per hoc, quod crederet ſibi remiſſa eſſe peccata, adeoq; falſum crederet: Nam dum ita crederet, non eſſent remiſſa, ſed per illum actũ remittenda, cum fides juſtificans qua talis ſit cauſa juſtificationis, adeoq; prior juſtificatione. Hæc ex Venerandorum *Theologorum* doctrina hauſimus: Et certe in *orthodoxa Theologia* exempla alia paſſim occurrunt. Idem accuratiores *Do-*

 *ctores*

*ctores Juris* inculcant, dùm e.gr. nullam definitionem ullius contractus, vel pacti pro analytica ac accurata agnoſcunt, ubi differentiæ loco obligatio ex tali contractu aut tali pacto orta determinatur ac diſtincte exprimitur. In *Moralibus* quoque & *Politicis* eandem reprehenſionem ſæpius incurrunt, quibus hæ Metaphyſicæ doctrinæ, quia Veterem Philoſophiam ſapiunt, ſordent: Cur e. gr. ex *recentioribus Doctoribus Moralibus* non pauci immane quantum ſibi placent ſua *imputativitate* morali, eamque formale moralitatis eſſe, ſeu in quo moralitas *formaliter* ſit poſita, acerba contentione defendunt? Cur *Politici recentiores* pro accuratiſſimis definitionibus ſocietatum ac ſociorum venditant, quibus ſolummodo jura quæſita indicantur? Paucis: quo altiores radices in nimis facile credulorum auditorum hæc *ἀμεθοδία* egerit, eo minus ad ſolidam doctrinam & accuratas definitiones rite & recte percipiendas idoneos auditores accurati *Theologiæ* & *Jurisprudentiæ* ut & *Moralium Doctores* ſibi poterunt gratulari. Inde quoque fit, ut unus & alter Philoſophiæ Theoreticæ cultor, ſibi patiatur imponi, ac notabili ſuo damno contemnat recepta Philoſophiæ veteris rudimenta ac genuina fundamenta, nec oſor ſolummodo, ſed & roſor omnis Philoſophiæ fiat. Rem hanc in præſenti

ſenti perſequi non licet, omnium tamen, quibus curæ cordique ſunt ſtudia & commoda Academicæ Juventutis, (maxime eorum, apud quos memoria Jenenſium Philoſophorum: *Stahlii* & *Slevogtii*, Virorum de ſtudiis Philoſophiæ Theoreticæ optime meritorum, viget: Nihil enim nunc dicam de excellentiſſimis meritis viventium Doctorum & Præceptorum Jenenſium, quos Deus ſervet!) judicio relinquo, velim judicent, quid ſibi Doctores officii ſui memores ab iſtiusmodi auditoribus promittere poſſint, qui ſibi perſvaderi paſſi ſunt, *veras demonſtrationes non eſſe Syllogismos, nec per Syllogiſationem fieri poſſe, cum Syllogismus tantum diverſa de rebus iisdem colligat, ſubſumendo ſemper idem ſub UNO PRO MULTIS TALIBUS dicto (quodvis ſub dicto de omni) ſicque facile præſumere liceat, ejus vim ſe tantum ad rationes identitatis (inter unum & idem) in concreto dicendas extendere, ſolaque quantitate, latioris, aut contractioris, dictionis repetitæ, concluſionis alietatem a præmiſſis tueri: quo quidem ipſo munere ſuo præcipuo matheſin cum diſcentibus ſat gravi circa conceptus, uti Grammatica circa ſyllabas & verſus, exerceat: De proprio vero ſyllogiſmum in uno ſemper & eodem, uno collectionis actu ſubſiſtere, nec rerum partiumve diverſarum rationes (quibus tamen omnia finita conſtent) attingere eruendas.* Imo

ne Collector μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committat, ne ſcilicet identitatem, quam ſolam colat, ulla diverſitatis determinatione turbet, ſerio juberi: etſi mentionem diverſitatis (ſed indeterminatam, quatenus oppoſitum identitatis ſit, & a ſubjecto prædicatum, ut diverſum excludat) per τὸ NON, NON, NON, facere non prohibeatur. Modum igitur prædicative, ſeu per ſyllogiſationem, demonſtrandi, quatenus ſyllogiſatione tantum utatur, i.e. quatenus ut ex dictis præmiſſis concluſionem colligat, ita vicisſim, præmiſſam concluſionem tanquam dictum propoſitum, (alias jam vel per ſe vel aliunde notum) binis dictis, identice cum propoſito congruis, (vulgo dictis parallelis) & conterminis repetat; nihil aliud agere, quam ut interpretetur: idque ſpeciem demonſtrationis habere eo caſu, quando tota ſyllogiſationis oratio (dictum nempe parallelum utrumque, non minus ac ipſum dictum explicandum) ſummæ veritatis (ſæpius etiam ſummæ perſvaſionis) ſit: Ita namque v.g. nonnullos latinos (I.) QVOD ENS SIT UNUM, demonſtrare ſatagere ex ESSENDI RATIONE, ſeu, quod talis ſit omnium entium ratio, forma, natura vel eſſentia: quo labore Germani ſuperſedere poſſint, qui per ipſam phraſin ſine demonſtratione norint; daß Ein Ding eines ſey/nemlich daß ein Ding ein Ding ſey: Denn wer wolte bey den Teutſchen an der Warheit eines Gleich-Klangs zweiffeln. Idem & Ita-

& Italos, Gallos, cæteraſque Nationes, vernacula lingua ſapere diſcentes, intelligere (2.) QVOD ENS SIT VEL IDEM VEL DIVERSUM (de quo nemo dubitet) ex eo demonſtrari putare, quod ENS SIT UNUM: Synonyma tamen eſſe, REM, ENS, BONUM, ALIQVID, UNUM: (pro memoria REBAV dici) initio ſtatim inculcare: inprimis autem, ne quis unquam aliud quid dici putet per vocem UNUM, quam per vocem ENS, ſedulo monere. Adeoque dum concluſionem per ſe claram ex verbis æquipollentibus etiam ex obſcurioribus declarent, demonſtrare ſibi videri. (3.) QVOD OMNE CORPUS (i.e. omne materiatum i.e. omne partes habens extra partes i.e. omne quod extenſum eſt) ſit QUANTUM (i.e. ſit extenſum, ita namque ſumere QVANTI vocem) ex eo demonſtrare, quod OMNE CORPUS SIT EXTENSUM, cujus demonſtrationis facies hæc ſit:

QVICQVID EST EXTENSUM, ILLUD EST EXTENSUM:
ATQVI OMNE EXTENSUM EST EXTENSUM
E. OMNE EXTENSUM EST EXTENSUM.

Hoc omnino ſummæ certitudinis eſſe: ſed exiguæ Sapientiæ medium hoc demonſtrandi, plus quam propoſitio ipſa id præſtare valeat, Mentem perfundere. Nec ex uniſonotali quicquam gaudii

*reſultare, quod ipſum tamen genuinus ſit character veræ demonſtrationis, jubilo conſueto, Q.E.D. (quod erat demonſtrandum) ſemper obſignandæ. Summæ perſuaſionis autem exemplum eſſe (4.) quando QVOD HOMO SIT RISIBILIS, ex eo demonſtrari contendant, QVOD SIT RATIONALIS: Cum tamen tanto minus rideat homo, quanto ratione rectius utatur. Et has eſſe illas demonſtrationes, nempe DICTIONALES & PRÆDICATIVAS, QVAS UNICA SYLLOGISATIONE PERFICERE LICEAT, quales etiam interdum in ipſa Matheſi recitentur. Nempe vel inſtar INTIMATIONIS ſubſecuturæ demonſtrationis veræ, vel inſtar EPILOGI præmiſſas, quando flexuoſos catenæ demonſtrativæ, ſinus in involutione Spiræ totius in unum faſciculum ante vel poſt expoſitionem ſingulorum colligant, ut ſit nota memorialis initii vel finis ipſius actus demonſtrativi, tantum abeſſe, ut ipſam demonſtrationem abſolvat. &c.* Plura addere noluimus, cum ex his, quæ bona fide modo recenſuimus, vel cœco perſpicuum ſit, dum in eo conſtituitur caput Sapientiæ, *Syllogiſmum tantum diverſa de rebus iisdem colligere, ſubſumendo ſemper idem ſub UNO PRO MULTIS talibus dicto, atque docentem per Syllogiſmos circa mera nomina, uti Grammaticus circa ſyllabas ſoleat, verſari*, nihil a vero alienius, nihil ſolidis doctrinis non modo Philoſo-

loſophicis, ſed & Theologicis & Juridicis perniciofius ſcribi potuiſſe. Itane licet adſpectu Attico etiam in certiſſimis, tam *aperto capite* adverſus Ariſtotelem omneſque Græcos non modo ſed & Latinos Philoſophos, omnes Theologos & JCtos, (qui ſane communi conſenſu per tertiam, ceu vocatur, mentis operationem, nempe diſcurſum ſeu ratiocinationem, ignotum ex notis, minus cognitum ex notioribus, mediatam propoſitionem ex immediatis inferri poſſe ſtatuunt, cum nemo inter eos ſit, qui neget ad Philoſophicas, Theologicas, Juridicas quæſtiones ſcientificas ſolide reſponderi poſſe, ſi rationes ſuppetant veræ, neceſſariæ, certæ, immediatæ, propriæ, quæque omnia requiſita ab Ariſtotele in Poſteriorum Analyticorum libris tradita habeant, ſive in formam ſyllogiſticam redigantur, ſive minime, modo redigi poſſint) Itane inquam licet adſpectu Attico in certiſſimis tam *aperto capite* adverſus omnes eruditos hujus veteriſque ſeculi ſententiam ferre,

*Quam in tribu aperto capite ſontes*
*condemnant reos,*

ut ait ille. Et hæ ſunt artes a neceſſaria utilique diſcendi methodo avertendi ſtudioſos, hoc vere eſt fucum facere lectoribus. Sed nos pigmenta illa ita abluemus, ut quodammodo nativi appareant colores. Nam

quod 1. magna ſermonis intemperantia in unico quaternionis folio ſyllogiſationes etiam illæ, quæ hactenus pro demonſtrationibus habitæ ſunt, *pro mere dictionalibus & prædicativis demonſtrationibus, meris nomenclaturis, meris verbis diverſis de uno & eodem, cura diſcentibus ſat gravi, difficultatibus ſyllogiſticæ reductionis quæ per ſimplicis coincidentiæ rationes oculares tolli facile poſſint imo debeant, meris interlocutionibus EST, EST, EST, niſi quatenus oppoſitum identitatis per* τὸ *NON, NON, NON, abeſſe prohibeatur, meris interpretationibus, meris uniſonis ex quibus nihil gaudii reſultet quod ipſum tamen genuinus character ſit veræ demonſtrationis jubilo conſueto Q. E. D. ſemper obſignandæ, meris intimationibus, meris epilogis, meris notis memorialibus,* (ſarcaſmos & cavillationes, quæ in communem ac receptum per CUM; ERGO, item quandoq; per QVICQVID, ATQUI, ERGO modũ argumentandi conjiciuntur: Ita enim vocatur ab adverſa parte recepta methodus docendi per rationes, nunc tacemus; fortaſſis etiam ſilentii nube ſepeliri, quam in apertum proferri ſatius eſſet) venditantur, hoc ipſo magis magisque manifeſtatur prurigo inſultandi omnibus Doctoribus, qui hactenus pro accuratis & eruditiſſimis habiti ſunt, omnemque doctrinam hactenus receptam apud imperitam pubem, quæ frontem ac lin-

guam

guam quam primum locare audet, exoſam reddendi, quod nominalis ſit, non realis. Credisne aliquid potuiſſe majori fiducia dici. Ergone omnes eruditi cerebrum geſtarunt hactenus in calcaneo? Si dicas, ubi vero ſit doctrina realis? mirum enim eſt jactari, non monſtrari: Sæpenumero percipies, eam adhuc latitare in ſeminibus. 2. Tamdiu falſiſſima manent omnia, quæ adverſus demonſtrationes per ſyllogiſationem factas tam abjecte dicuntur, donec monſtretur unica ad ullam quæſtionem vere ſcientificam reſponſio, quæ vere ſit analytica, nec tamen facta per rationem, quæ potuiſſet (dico: potuiſſet. Non enim opus eſt ſemper per meros ſyllogiſmos loqui, maxime ſi doctrinæ ſolummodo genuinis ac domeſticis auditoribus proponantur) in formam ſyllogiſticam redigi. Experiendo diſcent fidem contrariæ ſententiæ habentes, quam (non dicam: difficile ſit, abſit hoc: ſed quam) manifeſto & prorſus impoſſibile maneat. Sibi imputent ſecus ſentientes non nobis, ſi vel hoc unicum aſſertum declaret, longe alios eſſe quam haberi ſtudent, vel potius ipſi rei veritati: Res namque ipſa, nobis tacentibus, in ipſos loquitur. Interim caveant ſibi, ne τὸ ὅτι cum τῷ διότι, quod ipſis tamen, ſolenne eſt, confundant. Hic ergo *regula DE TRI* neutiquam ſufficiet, quacunque ratione univerſa-

 lia

lia ſingularibus vel cujuscunque ſpeciei vel certæ ſpeciei applicentur. 3. Quod de quibusdam Latinis eorumque exemplis demonſtrationum dicebatur, certe ad hunc modum ſolent iſti cenſores nonnulla, quæ reprehendere poſſint, decerpere, eaque nuda, nonnunquam etiam immutata nonnihil, prætermiſſis his, quæ durum alioqui ſermonem leniunt & explicant. Notat hanc aſtutiam in ſuis inſtitutionibus *Quintilianus*, ut noſtra quam commodiſſime referamus additis confirmationibus, & ſi quid eſt, quod mitiget, quod extenuet, quod alioqui cauſam adjuvet: contra quæ ſunt adverſariorum, ea deſtituta his omnibus recitemus, idque verbis, quam fieri poteſt, odioſiſſimis. Hanc artem norunt iſti, qui eam non ex *Quintiliani* præceptis, ſed ex ſua erga receptam docendi methodum malevolentia didicerunt, qua ſæpenumero fit, ut etiam quæ approbationem meritura fuerant, ſi ſic referantur, ut ſcripta ſunt, aliter recitata vehementer offendant. Videamus igitur, num in recitatione offendiculum ſit, an in exemplis allatis. Et primo quidem afferebatur hoc exemplum demonſtrationis hiſce verbis: *Ita namque v. gr. nonnulli Latini, quod ens ſit unum, demonſtrare ſatagunt ex eſſendi ratione, ſeu quod talis ſit omnium entium ratio, forma, natura vel eſſentia: quo labore Germani ſuperſedere poſſunt, qui per ipſam phraſin*

*ſine*

*ſine demonſtratione norunt:* Daß ein Ding eines ſey/nehmlich daß ein Ding ein Ding ſey: Denn wer wolte bey den Teutſchen an der Warheit des Gleich-Klangs zweiffeln. *Idem & Itali, Galli, cæteræque nationes, vernacula lingua ſapere diſcentes intelligunt.* Hoc veriſſimum eſt, etiam ab accuratiſſimis *Metaphyſicis* demonſtrari unitatem entis, ſeu ens eſſe unum, ex eo ſeu hac ratione a priori, quia habet exiſtentiam: Nec vero apparet, quid in hocce ſyllogiſmo deſiderari poſſit: Quicquid habet exiſtentiam, illud eſt unum. Omne ens habet exiſtentiam. E. Omne ens eſt unum. Regeris; hoc deſiderari, quod non poſſit venditari pro demonſtratione, cum ſyllogiſmus iſte tantum verba diverſa de re eadem colligat. Reſpondetur: de eo, qui de eadem re idem realiter per realiter idem ſyllogiſtice probat, id propter non ſtatim judicium hoc ferri poſſe, ac ſi tantum verba diverſa de re eadem collegerit; Tale namque judicium ſi quis ſine diſcrimine tulerit, ſæpe præpoſterum erit, jejunum omniumque recte ſentientium judiciis contrarium. Aliud enim eſt verba diverſa de re eadem colligere uno eodemque modo cognita, aliud eſt adhibitis verbis diverſis de re eadem colligere diſtinctiſſimis modis cognita. Hoc ſi quis admittere nolit, in doctrinis Theologicis, Juridicis, Moralibus, Politicis, aliisque ita verſabitur, ut omnia confundat, *Del-*

*Delphinum ſylvis appingens, fluctibus aprum.*
Sumamus exemplum hujus rei: Certe omnia quæ ſunt in Deo, ſunt ipſe Deus, quod nemo *Theologorum Orthodoxorum* & *Philoſophorum* ſanioris judicii negat: Jam judicet quispiam, num ſi unum attributum Dei ex altero de Deo demonſtretur, hoc ſit meris verbis ludere? Conferantur ea, quæ ſupra *cap. præliminari §. 15. p. 7.* diximus. Forte excipietur, ſermonem non eſſe de Deo, nec in Theologia naturali dari demonſtrationes. Ad utrumque facilis eſt reſponſio. Ad prius dicendum, interim adhuc falſiſſimum relinqui, omnem probationem ſyllogiſticam eſſe mera verba de uno eodemque. Ad poſterius: Reperiuntur, qui non in Theologia naturali tantum inq; tota Phyſica & Metaphyſica, ſed etiam in *Mathematicis* negāt demonſtrationes reperiri: nec mirantur hoc multum accuratiſſimi cordatiſſimique Doctores, quum iidem ita differant, quaſi illa pene nusquam locum inveniat, & ineptos interim paralogismos pro demonſtrationibus venditent. Sicuti vero horum auctoritate accuratiſſimi Mathematici non terrentur, ita non eſt, quare illorum auctoritate nos terreamur. Longe aliter Veteres inque his ipſummet *Ariſtotelem* ſenſiſſe, omnibus noſtri ævi præclaris doctoribus abunde liquet. Aliud eſſe noſtro modo concipiendi unitatem, aliud ve-

vero exiſtentiam, illamque ex hac fluere, vel cœcus videt. Natura enim prius eſt ens habere exiſtentiam, natura poſterius, ens eſſe indiviſum, quo de in *capite de uno & multis* ſuo loco pluribus diſpicietur. Nunquam vero accuratiores Metaphyſici ſyllogiſmum, quo probatur omne ens eſſe unum, quia habet exiſtentiam, venditarunt pro exquiſita ac ſolidiſſima demonſtratione, ſed pro demonſtratione prima & elementari, ut vocant, *quales etiam in ipſa Matheſi recitantur.* Unde tum demum haberent contradicentes, quod in tota Metaphyſica doctrina accuratiorum Philoſophorum reprehenderent, ſi ſalva veritate ac conſcientia docere poſſent, in Metaphyſicis accuratioribus tam levi, prima ac elementari demonſtratione peracta, *lætitiæ Spiritum exultare, & e ſinu mentium propter ſapientiam hinc impetratam procedere, adeo ut jubilo Q. E. D. omnes ſapientiæ cultores ad communionem gaudii convocent.* Ubinam vero iſti: ens eſſe unum, inde demonſtrant, *quod talis ſit omnium entium ratio, forma, natura vel eſſentia?* Non mirum eſt invenire, quod contemtui exponat, qui nihil aliud quærit, niſi quod contemtui exponat omnem receptam Philoſophiam? Quinam vero ſunt illi Metaphyſici, quibus præcipua cura præcipuusque labor eſt demonſtrare, unum ens eſſe unum ens, daß ein

Ding

Ding ein Ding ſey? Quis tam ſtupidus eſt, ut neſciat inter unum numerale & tranſcendentale diſtinguere? Tantane fingendi libido, ut pudore longo redimatur breviſſimæ voluptatis uſura. Videamus adhuc ſemel alterum ſpecimen, quod in Metaphyſicæ contemtum urgebatur: Ita habebant verba: *Quod ens ſit idem vel diverſum, quis dubitaret enim? ex eo demonſtrari putant, quod ens ſit unum: Synonyma* tamen eſſe REM, ENS, BONUM, ALIQUID, UNUM: (*pro memoria REBAV dicitur*) *initio ſtatim inculcant; inprimis autem ne quis unquam aliud quid dici putet per vocem unum, quam per vocem ens, ſedulo monent. Ergo dum concluſionem per ſe claram ex verbis æquipollentibus etiam ex obſcurioribus declarant, demonſtrare ſibi videntur.* Profecto longe minus Metaphyſici accuratiores pro demonſtratione habent: Ens eſſe vel idem vel diverſum, ex eo, quod ſit unum, quam ens eſſe unum, quia habet exiſtentiam. Annon enim Deus ab æterno fuit ens? At quis quæſo quæreret: num Deus ab æterno fuerit idem vel diverſum quid? Præter Deum vero nullum fuit ens ab æterno, cum quo Deus eſſet ens idem vel diverſum: Interim tam inepte nemo quæſierit, num Deus cum ſeipſo idem vel diverſum ens fuerit ab æterno? Imo faciamus ita quæri, quis tamen hæc talia dixerit demonſtrationem? Idem

dem *formaliter* quidem importat indiviſionem, pariter ac unum: Differunt tamen ut relativum quid & abſolutum: UNUM enim dicunt Metaphyſici, quod in ſe indiviſum eſt, ſine relatione ad alterum, ſicuti lignum continuitate eſt unum, quod non eſt fiſſum. Sed IDEM vocant, quod non eſt diviſum aut diverſum ab altero. Adeoque indiviſioni relationem ſuperaddit ad alterum, & ſi ſolummodo ad quaſi alterum, hæc mera relatio rationis eſt. Falſiſſimum eſt, ſynonyma eſſe REM, ENS, BONUM, ALIQUID, UNUM: RES enim latius patet quam ens, ut ſupra oſtendimus. BONUM fluit ex entis primo conceptu. Idem de UNO dicendum. ALIQUID non ſemper poteſt ſumi pro ente in ſua latitudine, ſed ſæpe eſt anguſtius, & idem valet ac aliquod ens: At vero aliud eſt ens in genere: Aliud vero aliquod ens. Imo ſæpe ALIQUID latius patet quam ens: Sic quando concipio cœcitatem, hominem irrationalem, ſi cogito corpus hominis eſſe animal menti humanæ adnatum, dicere poſſum me de aliquo cogitaſſe, cum tamen illud plane ſit non ens, de quo cogitavi: Æque enim cum voce ALIQUID atque cum voce RES comparatum eſt, cum hæc, uti modo diximus, ſæpius uſurpari ſoleat etiam de iis, quæ ſunt non entia, ut pateet exemplo vocum ſignificativarum. De

his

his cum ſermo eſt, recte dicitur, duo circa hujusmodi vocem ſpectari poſſe: (1.) ipſam vocem ſignificativam; (2.) Rem per vocem ſignificatam. Ubi id, quod voce aliqua ſignificatur, promiſcue RES ſolet vocari. Sicut autem id, quod voce ſignificatur, non ſemper eſt ens: ita quoque RES ſi in ſua latitudine ſumatur, non eſt idem quod ens, nec ſynonymum entis: e. gr. abſentia viſus ex oculo dicitur cœcitas, venit etiam ignorantia cœcitatis nomine: Utraque RES ſignificata hic eſt non ens. Hoc interim contra manifeſtam veritatem dicitur, ens eſſe UNUM, &, ens eſſe vel idem vel diverſum, eſſe verba æquipollentia: Prius enim eſt eſſe in ſe indiviſum, poſterius vero eſt non eſſe aut eſſe diviſum ab altero. Et ut dicamus, quod rei veritas poſtulat, omnium accuratiorum Metaphyſicorum conſenſu nomine demonſtrationum ne quidem dignas pronuntiamus has probationes: Ens eſt unum, quia habet exiſtentiam, ens eſt idem vel diverſum, quia eſt unum: Quid vero iſti faciemus, qui hiſce elementaribus doctrinis & primis rudimentis abſolvi credit, vel nugatur, ſolidam doctrinam metaphyſicam. Sed de his agetur ex inſtituto infra in apparatu metaphyſico. Tertio loco allatum exemplum ſat manifeſto docet, e quibus gertis a diſſentiente tragœdiæ excitentur. Quis

quæ

Digitized by Google

quæſo ſanæ mentis unquam quod omne corpus ſit quantum, h. e. extenſum, demonſtravit ex eo, quod omne corpus ſit extenſum? Quanto præſtiterat dum hæc ſcribebantur, ſimulque & proprium perdebatur otium & alienum, prima Phyſices rudimenta diſcere: quippe elementarii Phyſicorum pueri norunt, hoc quod omne corpus naturale ſit diviſibile, demonſtrari ex eo, quod omne corpus naturale ſit extenſum, unde hæc eſt demonſtrationis facies:

Quicquid eſt extenſum, illud eſt diviſibile.
A. O. corpus naturale eſt extenſum.
E. O. corpus naturale eſt diviſibile.

Vel puer videt, huncce ſyllogiſmum non eſſe ejuſdem farinæ cum illo:

Quicquid eſt extenſum, illud eſt extenſum.
A. O. extenſum eſt extenſum.
E. O. extenſum eſt extenſum.

Suntne habere partes extra partes, & actu dividi poſſe in partes extra partes, unum plane & idem? Nemo *Phyſicorum* hoc aſſeruerit, quod ſcilicet idem ſint noſtro modo concipiendi. Prius enim eſt, aliquid habere partes extra partes, e. gr. caput extra ventrem & pedes, quam illud actu poſſe dividi in partes: Caput, ventrem, pedes &c. Sic quoque prius eſt, aliquid eſſe corpus naturale, quam illud

 eſſe

eſſe extenſum, cum omnium ſaniorum judicio quantitas fluat ex materia, ſitque affectio corporis naturalis. Imo de eo adhuc diſputatur, annõ quãtitas a corpore naturali realiter differat, utut poſitive ab eo ſeparari neqveat? Cum mutata quantitate non ſtatim mutetur ſubſtantia compoſiti ex materia, & realiter ejusdem ſpeciei quantitatem corpora naturalia diverſæ ſpeciei habere poſſint, ſubſtantia quoque non æque ac quantitas ejus, per ſe cognoſci ſenſu poſſit. Econtrario qui corpus naturale quantum eſſe demonſtrarent ex eo, quod ſit extenſum, hi definitum per definitionem demonſtrare voluiſſent, cum tamen omnes Logici uno ore negent, probationem definiti ex definitione eſſe analyticam. Interea nec hoc argumentum, quo probatur corpus naturale eſſe diviſibile ex eo, quod ſit extenſum, accuratiores Phyſici pro ſolida demonſtratione venditant, utut negari nequeat, ex extenſione tanquam primo conceptu quantitatis fluere diviſibilitatem. Quarto loco aſſerebatur *ſummæ perſuaſionis exemplum eſſe, quando quod homo ſit riſibilis ex eo demonſtrari contendant, quod ſit rationalis: cum tamen tanto minus rideat homo, quanto ratione rectius utatur.* Sed nominentur illi, qui accurati Philoſophi ſint, hocque exemplum pro exemplo accuratiſſimo atque evidentiſſimo demonſtrationis *ποιότης* & per

excel-

excellentiam ita dictæ venditent. Quod ratio ſeu intellectus ſit principium actus ridendi (non effectivum, cum ipſe ſit materialis, adeoque a facultate materiali procedat; ſed) directivum, a nemine negabitur, nec vero quisquam inficias ibit, quod homo ſit riſibilis, ex eo demonſtrari, quod homo ſit rationalis. Fruſtra adverſus hanc demonſtrationem urgebatur, *tanto minus ridere hominem, quanto ratione rectius utatur.* Enimvero 1. quis non advertit, confundi has duas propoſitiones: *homo eſt riſibilis*, &, *homo multum ridet*: Quæſtio non erat, cur homo plus minusve rideat? ſed, cur homo ſit riſibilis? Quaſi vero actus primus & actus ſecundus, ceu in *Scholis* diſtingvitur, actu ridere poſſe & actu ridere ſint unum & idem. Perinde eſt, ac ſi quis negaret, Lunam poſſe pati eclipſin, ex eo demonſtrari poſſe, quod ſit corpus de ſe obſcurum luceque mutuatitia gaudeat, hacque ratione uteretur, quia tanto minus Luna patitur eclipſin, quanto magis luce gaudet mutuatitia. Quisque videret inepte confundi hæc duo quæſita: cur Luna, poſſit pati eclipſin? &, cur Luna actu patiatur eclipſin? Hoc enim fit ob diametralem interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam de ſe obſcuram: Illud vero, quia Luna corpus de ſe obſcurum eſt, lumenq; a Sole accipit. 2. Forte tanto minus riſum quis conti-

nere poterit, quanto ratione rectius utitur, eaque aſſequitur, quod licet homo tanto minus rideat, quanto rectius ratione utitur, adhuc tamen rationalitas ratio a priori maneat, per quam, cur riſibilitas homini competat, probari poſſit, ſicque laterem lavet, qui hoc in dubium vocet. 3. Si ex contradicentium mente *characteris inſtar eſt, operæ pretium producendo factum eſſe, quod productionis operatione feliciter peracta lætitiæ Spiritus exultet, & e ſinu mentis ſupputantis, propter ſapientiam hinc impetratam procedat, qui jubilo Q. E. D. omnes ſapientiæ cultores ad communionem gaudii convocet*, quidni etiam riſum excitare potuiſſet? maxime ſi nectaris illius pocillator ſeſe hilarem ſociis præberet. Nec vero hanc probationem, qua ex rationalitate hominis riſibilitas demonſtratur, pro ſolida demonſtratione, & quæ primario nomen rationis ſcientificæ mereatur, accuratiores Phyſici agnoſcunt. Imo ponamus tandem quosdam fuiſſe Latinos (quod tamen nondum probatum eſt, nec ante Calendas Græcas probabitur) qui adducta quatuor exempla pro demonſtrationibus ſolidiſſimis habuerint, quique in his ſolis artis demonſtrandi puppim (ut ajunt) & proram collocaverint, numne æquitatis & prudentiæ erat, horum nugis & ſimplicitate abuti ad ſolidam ac apud omnes receptam methodum docendi ex-

di ex-

Digitized by Google

di explodendam, quaſi ſcilicet *ſyllogiſmus* (*ſive per QVICQVID, ATQVI*, ERGO, *ſive per CUM*, ERGO, *proponatur*) *TANTUM VERBA diverſa de rebus iisdem colligat, ſubſumendo ſemper IDEM SUB UNO PRO MULTIS talibus dicto, ejusque vis ſe tantum ad rationes identitatis inter unum & idem in concreto dicendas extendat*, & quæ id generis plura antea p. 355. & *ſeqq.* recenſuimus? Imo & hoc falſiſſimum eſt, ſolidæque ſcientiæ præjudicat, ſi vel maxime tandem dicatur, unica ſyllogiſatione ſolidam ac realem demonſtrationem non poſſe perfici? quidni, modo quæ in anteceſſum cognitu neceſſaria erant, probe & rectiſſime fuerint cognita? Ergone in Theologia naturali hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi de *Deo, quod re alia nulla indigeat, ſed ſibi ipſi ſufficiat*, ex eo demonſtretur, *quod ſit bonorum omnium ſummum*, cujus proprium ac eſſentiale conſequens eſt αὐτάρκες εἶναι: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Phyſica hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi *quod Luna Soli diametraliter oppoſita patiatur eclipſin*, demonſtretur ex eo, quia *Terra utrique intercedens Lunæ de ſe obſcuræ lumen Solis eripit*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Phyſica hæc non eſt demonſtratio

vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi *quod Luna poſſit pati eclipſin*, demonſtretur ex eo, quia *Luna de ſe obſcura eſt, eique lumen, quod a Sole accipit, eripi aut obſtrui poteſt*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Morali Philoſophia, hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi, *quod vitam ſuam quisque noſtrum conſervare debeat, quantum in ſe eſt*, demonſtretur ex eo, quia *veluti depoſiti jure eam a Deo habemus & ut bonæ fidei poſſeſſores*; nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Morali Philoſophia hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *communicanda pœna prærequirat communicatam culpam*, demonſtretur ex eo, quia *meritum eſt αὐτεξούσιον, hoc eſt, ex voluntate ortum habens, qua nihil magis eſt nobis proprium*; nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Politica Scientia hæc non eſt demonſtratio vera & realis, ſed mere dictionalis, ſi demonſtretur, *ad quamvis ſocietatem opus eſſe imperio*, quia *alias ſocii non poſſent contineri in officio*, ſeu quod eodẽ redit, ratio expediendi negotia eſſe debebat, quorum gratia ſocietas inita eſt: nam & hæc demõſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Politica Scientia hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis,

Digitized by Google

lis, ſi quod *conſociatio, qua multi patresfamilias in unum populum ac civitatem coeunt, ſit perfectiſſima ſocietas*, ex eo demonſtretur, quod *quælibet actio hominis externa ad hanc ſocietatem aut per ſe ſpectet, aut ex circumſtantiis ſpectare poſſit*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Politica Scientia hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *civis primario ac maxime talis debeat eſſe particeps ſuffragiorum, imperii & jurisdictionis*, demonſtretur ex eo, quod *& velit & poſſit & debeat promovere ſalutem perfectiſſimæ ſocietatis*, hoc eſt, civitatis: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Theologia revelata hæc non eſt demonſtratio vera & realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *credens in Chriſtum habeat pacem cum Deo, tranquillitatem conſcientiæ & ſpem vitæ æternæ*, ex eo demonſtretur, quia *eſt juſtificatus coram Deo Rom. III, 22. ſeqq. IV, 5. V, 19.* nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone hæc non eſt demonſtratio vera & realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *Chriſtus ſuper omnia a nobis ſit diligendus*, ex eo demonſtretur, quia *ipſius merito ſumus redemti a poteſtate legis, peccati, diaboli, mortis & inferni*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone hæc non eſt demon-



Digitized by Google

ſtratio vera & realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *omnes homines, ſive adulti, ſive infantes, qui conſortes fieri cupiunt regni Chriſti, opus habeant regeneratione*, demonſtretur ex eo, quod *per eam participes reddantur gratiæ Spiritus per lapſum amiſſæ*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Jurisprudentia Civili hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *pupillum oporteat inteſtatum decedere*, ex eo demonſtretur, quod *ipſe totus ſit in poteſtate tutoris* ſic dicti a tutela, quæ eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data ac permiſſa: Inde tutor appellatur, quaſi tuitor ac defenſor, perſonæque ipſi non cauſæ vel rei tutor datur. Vid. totus *titulus Inſt. de tutelis*, ut & *§. certæ autem rei 4. Inſt. qui teſtamento tutores dari poſſunt*: nam & hæc demonſtratio nnica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in ſcientia de Jurisprudentia Civili hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *filiusfamilias teſtamenti faciendi jus non habeat, excepto tamen caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio*, demonſtretur ex eo, quod *ſit in poteſtate parentis, & præter caſtrenſe & quaſi caſtrenſe peculium, in quo pro patrefamilias habetur, nihil habeat in bonis quoad liberam adminiſtrationem*. Ergone in Juris Civilis ſcientia


Digitized by Google

tia hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi quod *hæres tueri, comprobare & præſtare debeat defuncti factum*, ex eo demonſtretur, quod *in ejus univerſum jus ſucceſſerit*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Juris Gentium & Civilis ſcientia hæc non eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, ſi *jus uſucapionis ac præſcriptionis* demonſtretur ex eo, quia *alias controverſiæ de regnis regnorumque finibus, deque meo & tuo nullo unquam tempore extingverentur*: nam & hæc demonſtratio unica ſyllogiſatione perficiebatur? Ergone in Matheſi hæc nō eſt demonſtratio vera ac realis, ſed mere dictionalis, quando *æqualitas laterum trianguli* demonſtratur *ex angulorum æqualitate?* Innumera talismodi exempla ex omnibus diſciplinis & facultatibus petere facile eſſet, ſi plura ratio præſentis inſtituti poſceret. Interim non eſt credendum, quamvis demonſtrationem unico ſyllogiſmo ſemper debere abſolvi, cum contrarium in omnibus ac ſingulis diſciplinis & facultatibus ſæpiſſime obtineat: e.gr. In *Theologia* dicitur de Filio Dei, *quod nos a morte redemerit*, *1. Cor. XV, 54. 55. 2. Tim. I, 10. Ebr. II, 14.* dicitur vero de eodem & hoc, *quod conceptus fuerit*, *Luc. II, 21. quod natus fuerit*, *Luc. II, 11. quod paſſus fuerit & mortuus*, ceu omnium Evangeliſtarum

 hiſto-

hiſtoria paſſionis & mortis Chriſti indicat: Jam autem hæc omnia non æque primo cum Filio Dei cohærent, ſed unum eorum reduci poteſt ad alterum tanquam rationem propiorem: Ideo enim *Filius Dei verus homo conceptus eſt, ut naſceretur*; ideo *verus homo natus eſt, ut in aſſumta humana natura pati & mori poſſet pro nobis; paſſus & mortuus* autem eſt *pro nobis, ut hac ipſa ſua paſſione & morte nobis redemtionem præſtaret*, quam conſequi non potuiſſemus, niſi ille, qui vices redemtoris in ſe ſuſceperat, mortem noſtri loco ſuſtinuiſſet, eoque ipſo juſtitiæ divinæ ſatisfeciſſet. Rurſus in Theologia demonſtratur, quod *omnes*, ex primo homine oriundi, *qui conſortes fieri cupiunt regni Chriſti, ſint baptizandi*, ex eo quod *omnes regeneratione opus habeant*, cui negotio perficiendo Deus baptiſmum ſeu aquæ lavacrum deſtinarit, *Joh. III, 5. Tit. III, 5.* Hoc, *quod regeneratione opus habeant*, demonſtratur inde, quod *omnes gratia Spiritus* primo homini in ipſa creatione, ut eam, ſi legem ſervaret a Deo acceptam, in poſteros, & quidem per generationem, propagaret, conceſſa, *careant, Joh. III, 6. Rom. III, 23. Eph. IV, 24. Col. III, 10.* Hoc, *quod ea gratia careant*, iterum demonſtratur ex eo, quia *omnes in primo homine peccarunt*, adeoq; infecti ſunt peccato originis, & natura filii iræ, *Rom. V, 12. Eph. II, 3.* In *Jurisprudentia* Civi-

*Civili* demonſtratur, *ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris*, (quam habent: cædes, proditio, ſtuprum, adulterium, latrocinium aliaque ad judiciorum publicorum vindictam attinentia, de quibus ſub *tit. D. de publicis judiciis) ignoſcendum eſſe ſervis, ſi vel dominis, vel his, qui vice dominorum ſunt, obtemperaverint*, juxta *l. ad ea, quæ non 157. D. de Regulis Juris*: veluti ſi vim fecerit ſervus juris dominici tuendi gratia *l. is qui in puteum 11. §. an ignoſcitur 7. D. quod vi aut clam*; item ſi in rixa juſſu domini alium perculſerit *l. ſed ſi unius 17. §. ſi juſſu 1. D. de injuriis*, ex eo, quia *non fecerunt injuriam*, ex *l. illud relatum 3. D. de injuriis*. Hoc, *quod non fecerint injuriam*, demonſtratur ex eo, quia *ipſis defuit voluntas*, ſive proæreſis, cum tamen delicta ex voluntate ſive proæreſi cujusque cenſeantur, inq; *affectu facientis conſiſtant, l. illud relatum 3. D. de injuriis & famoſis libellis*, adeo ut in jure ne facere quidem omnino, habito ſcilicet ad moralitatem reſpectu, exiſtimentur, quibus deeſt voluntas; Hoc quod *ipſis defuerit voluntas*, demonſtratur ex eo, quia *obſequebantur imperio Dominorum, vel eorum, qui vice dominorum ſunt, veluti tutorum vel curatorum*, *l. velle non creditur 4. D. de diverſis regulis Juris*, & *l. ad ea 157. D. eod. tit.* Hoc, quod *obſequentes tali imperio non voluerint*, demonſtratur ex eo, quia *flebat*

*cogen-*

*cogente imperio; Non* enim *fit libero arbitrio & voluntate, quod fit cogente imperio, l. ſi quis major 41. C. de tranſactionibus.* In tota hac doctrina ſermo erat de delictis, *quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, l. ad ea 157. D. de regulis Juris,* & *l. is qui 11. §. an ignoſcitur 7. D. quod vi aut clam:* Alia autem (id quod Ethico-Politici exempli loco ſimul eſto) eſt ratio enormium & gravium delictorum, ad quæ nemo hominum cogi poteſt ullo jure, quod naturæ rationali hominis adeoque rectæ rationi ſimpliciter repugnent, qualia ut unusquisque vitet, ratione & libero arbitrio eſt inſtructus, quæ hominem faciunt hominem eſſe: Deo quoque, qui auctor eſt, ut naturæ creatæ in univerſum, ita & in ſpecie hominis, adverſa ſunt iſta delicta, indeque jure naturæ prohibita, quod ſimpliciter immutabile eſt, ac ubique eandem vim habet, *Ariſtoteles V. Eth. c. 7.* & *Imperator §. ſed naturalia 11. Inſt. de* Jure *Naturali, Gentium & Civili,* & hinc in nullius hominis gratiam violari debet. Magis enim Deo, quippe cujus ſummum & abſolutum in omnes eſt imperium, obediendum eſt, quàm hominibus, ad quam regulam tanquam certiſſimam provocabant *Apoſtoli,* omniumque inſcriptam mentibus, quam totidem ferme verbis expreſſam apud *Platonem* reperias: Cum quæ facta lædunt pietatem, exiſtimatio-

tionem, verecundiam, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec Summi Imperantes facere poſſint. Conf. *l. Filius* 15. *D. de conditionibus inſtitut.* Nam facimus etiam, quod per alios facimus, unde quod imperantes facere non poſſunt ſalva juſtitia, hoc nec imperatur jure, ſeu quod eodem redit, hoc non poſſunt imperare, adeoq; nec jus eſt exequi. Sed nec contra rempubl. imperata fas eſt præſtari, cum publica ſint privatis ab unoquoque præferenda, eo quod homo pro hodierno rerum ſtatu obligetur lege naturæ ad vitam in Republ. degendam, quia extra illam pro hodierno ſtatu rerum nequit eſſe beatus. Interim adhuc veriſſimum relinquitur, quod etiam illa concluſio, quæ ex tali ratione demonſtratur, ut hæc ratio aliunde demonſtrari nequeat, ſit vere ac realiter demonſtrata, adeo ut ſi ratio, quæ aliunde demonſtrari nequit, non ſufficeret ad realem & accuratam demonſtrationem, nec ulla alia demonſtratio (ſi vel maxime catenæ inſtar conſerta eſſet centum enunciationibus velut annulatim mutuo nexis ac citra interruptionem aut hiatum ex ſe continuo fluentibus) futura eſſet vere realis ac ſolida, adeoque nulla plane futura eſſet demonſtratio: e. gr. Quod *promiſſa omnibus numeris perfecta ac abſolute & primario ſic dicta ſint ſervanda*, demonſtrari ſolidiſſime poteſt ex

ex eo, quod ei, cui talis promiſſio facta eſt, ſit jus inde quæſitum: At rudis ac ἀπαίδευτος auditor hanc demonſtrationem non capit, quia ad eam recte percipiendam alia demonſtratio prærequirebatur, qua nempe ſolide doceretur, quod promiſſio omnibus numeris abſoluta & perfecta pariat jus in eo cui facta eſt, ad cujus veritatem ſolide perſpiciendam opus eſt longe pluribus demonſtrationibus continuo nexu cohærentibus, quam rem in præſenti perſequi non licet, nec libet.

VIII. Hic igitur uſus diſtinctionis inter eſſentiale conſequens immediatum & inter eſſentiale conſequens mediatum, item inter eſſentiale conſequens magis minusve mediatum, ſeſe exerit: Ita ex. gr. Juris Civilis Doctores recte docent, cujusvis pacti & contractus eſſentiale conſequens immediatum eſſe OBLIGATIONEM: eſſentiale vero conſequens mediatum dicunt JUS AGENDI EX OBLIGATIONE. Sic quia ubi judicia deficiunt, incipit bellum, quid prohibet, quo minus pactorum & contractuum mere publicorum, hoc eſt, quæ inter Majeſtatem & Majeſtatem, Reges Regibusque pares fiunt, eſſentiale conſequens immediatum dicatur OBLIGATIO: mediatum autem conſequens eſſentiale JUS BELLIGERANDI. Sumamus aliud exemplum: Theolo-

gizæ

Digitized by Google

giæ & Moralis Philoſophiæ Doctores CULPAM magis immediatum, REATUM vero magis mediatum conſequens eſſentiale peccati appellant, quo de pluribus in doctrina de uſu & abuſu practico axiomatum ad præſens caput ſpectantium agetur. Hoc certiſſimum relinquitur, multum facere has diſtinctiones recte explicatas & applicatas ad ſolidas doctrinas ac demonſtrationes cum fructu & judicio percipiendas.

IX. Qua ratione fieri poſſit, ut eorum quæ realiter unum idemque ſunt, noſtro tamen modo concipiendi in ejusdem rei veritate ſolide fundato diſtingvuntur, unum tanquam natura poſterius ex altero ceu natura priori demonſtretur, de eo occaſio diſpiciendi in ſequentibus capitibus, quæ doctrinam cauſarum indicant, dabitur. Ibidem etiam prolixiꝰ conſiderabimus eſſentiale conſequens, in quantum ſcilicet EFFECTUS FORMALIS dici poſſit ac debeat.

## CAPUT QVINTUM
### De
# NOTIONIS: FORMALITER
### non adeo frequentibus, nec tamen infrequentibus ſignificationibus.

§. 1.

§. 1.

FORMALITER 6. talem ſignificationē ſæpius admittit, ut ea voce indigitetur *ſimpliciſſimus conceptus rei*, h. e. *conceptus rei ut ſic*, ut Scholæ Doctores loqui amant: E. gr. ſi quis ita argumentetur: Quicunque eſt proprie ſapiens, in eum cadit accidens, quia ſapientia eſt accidens. Atqui in Deum non cadit accidens. E. Deus non eſt proprie ſapiens. Tunc recte reſpondetur negando propoſitionem majorem ob hanc rationem, quia confunduntur ſapientia ut ſic ſive formaliter ſpectata, & ſapientia ut eſt talis ſive materialiter conſiderata: non enim ad ſapientiam formaliter ſpectatam requiritur ut ſit accidens, ſed hoc ſaltim requiritur ad ſapientiam ut eſt talis, nempe ut eſt creata; ad ſapientiam ut ſic ſufficit, ſi ſit præſtantiſſimarum

rerum

rerum ſcientia: ea vero ſi ſpectetur ut eſt talis, nempe creata, ſic neceſſario eſt accidens, ſique ſpectetur ſapientia ut eſt in Deo, ſic neceſſario eſt ſubſtantia, & quoad rem ipſe Deus. *Conceptum* ergo *rei ut ſic* vocant Scholaſtici *conceptum formalem*, & opponunt *conceptui rei ut eſt talis*, quem *materialem conceptum* nuncupant: Ita e. gr. accidens non ſpectat ad formalem conceptum ſapientiæ, ſed ad conceptum materialem, nempe ad conceptum ſapientiæ ut eſt creata, ut eſt in creatura. Ideo ſapientia *formaliter* dicebatur ſcientia rerum præſtantiſſimarum.

*NOTÆ.*

I. Supra *cap. 3. §. 1. not. 3. & ſeqq. p. 260. & ſeqq. conceptus formalis* aliter ſumebatur, & contradiſtinguebatur *conceptui objectivo*, jam opponitur *conceptui materiali*. Non ergo *notio CONCEPTUS FORMALIS* ſemper eodem modo ſumitur.

II. Fuerunt qui generationem ſecundæ perſonæ divinitatis agnoverunt, negarunt tamen Filium Dei proprie dici poſſe genitum, vocaruntque generationem Filii DEI metaphoricam, quam ſane ſententiam improbarunt & adhuc improbant orthodoxi ac accurati *Theologi*, utpote qui in ſubſidium vocantes præſentem doctrinam Metaphyſicam, accurate monent, quod neutiquam confundi debeant ea, quæ ad *conceptum formalem* generationis ſpectant cum iis, quæ *materialia* ſunt generationis, hoc eſt, non pertinent ad generationem *ut ſic*, ſed ad eam *ut eſt talis*, hoc eſt, ad *materialem conceptum* generationis. Nam qui nimis incontinenti lingua dixerunt generationem Filii Dei metaphoricam, hac ratione paſſi ſunt ſibi imponi, quod ſcilicet in generatione adeſſe debeat ſubjectum patiens, requiratur potentia paſſiva: & quia hæcce talia imperfectionem important, ideo proprie dictam generationem productionem Filii Dei verebantur dicere. Verum ſubjectum patiens, item potentia paſſiva non requiritur ad generationem *ut ſic*, multo minus ad generationem viventis *ut ſic*, aut ad generationem perſonæ, ſed ad generationem *ut eſt talis*, nempe ad generationem alicujus entis creati ſive creaturæ. *Thomas in* ſua *Summa Theologiæ* hunc dicit eſſe *conceptum formalem* generationis, hoc

hoc eſt, generationem *ut ſic* ita definit, loquitur autem de generatione viventis: *generatio viventis UT SIC* ſive *IN SE* ſpectata *eſt origo viventis a vivente conjuncti ob ſimilitudinem naturæ.* Alii *Scholaſtici* generationis *conceptum formalem* dicunt, quod ſit *communicatio ejusdem eſſentiæ.* Non jam de eo diſputabimus, num hoc defendi poſſit, quod generationis in communi ſpectatæ hic ſit conceptus, & quidem univocæ generationis: interim hoc facile liquet, quod *conceptus formalis* generationis competat generationi Filii Dei, ſitque proprie dicta generatio: negari quippe nequit, quod per generationem Deus communicaverit Filio Dei eandem numero eſſentiam, quod generatio Filii Dei ſit origo viventis a vivente, ut tamen ejusdem eſſentiæ ſint (Filius Dei & Deus Pater.) Hoc quidem certiſſimum relinquitur, quod generatio Filii Dei æterna omnem excludat potentiam paſſivam, ſed ad generationem veram & proprie ſic dictam, ſi ſpectetur in ſuo *formali conceptu* & *ut ſic*, neutiquam requirebatur potentia paſſiva, nec in ratione formali generationis proprie dictæ hoc debebat includi, quod requiratur ſubjectum patiens aut potentia paſſiva. Cur productio æterna Spiritus Sancti non debeat dici generatio, hoc ex *Theologis* diſcamus, qui hocce tremendum myſterium unice adorant,

rant, i. e. prohibent in eo ſcrutari, jubent vero in Scripturæ Sacræ revelatione acquieſcere. Idem *Auguſtinus* innuit dicens: *Quid inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquenti quis explicare poteſt? nam omne quod naſcitur, procedit quidem, ſed non omne quod procedit, naſcitur.* Hæc ille. Cæterum nihil amplius quam uſum præſentis notionis oſtendere jam voluimus, quod ſcilicet potentia paſſiva ad *conceptum formalem* generationis ſeu ad generationem *ut ſic* neutiquam requiratur.

III. Inveniamus hodie qui periculoſam doctrinam vocant, doctrinam ab omnibus cordatis Philoſophis, item JCtis ac Theologis probatam & receptam; quando nempe docetur, quod Deus ſalva ſanctitate & juſtitia ſua non poſſit contra promiſſa & juramenta ſua agere, quodque ex hac doctrina maximum ſolatium quivis Chriſtiani vere credentes debeant petere omni vitæ ſuæ tempore, maxime in perſecutionibus & calamitatibus. Sed audiamus rationem, qua iſti periculoſarum, imo periculoſiſſimarum novitatum fabri ac nundinatores ſtudent ſimplicioribus fucum facere, nempe inprimis hoc urgent, quod hi modi loquendi: Deus ſalva ſanctitate & juſtitia ſua non poteſt mentiri, non poteſt verbo ſuo revelato fallere, non poteſt agere contra id, quod

pro

promiſit & juravit verbo ſuo; facile ſimplicioribus inſinuare poſſint, quaſi in Deo exiſteret obligatio extrinſecus accedens, quæ prohiberet certas ipſum obire actiones, abs quibus alias ipſius natura & voluntas per ſe non abhorreret: item quod ſimpliciores facile in has cogitationes incidere poſſint, quaſi ſit quiſpiam præter Deum, qui Deum cogere, qui Deo præcipere poſſit: Item, quod ſanctus vocari ſoleat, qui abſtinet a craſſioribus vitiis. Item, quod juſtitia dicatur habitus appetitus conſiſtens in mediocritate affectuum, qui in Deum cadere nequeant, cum perpetuum & eſſentiale ſit affectibus, eſſe motus appetitus ſenſitivi, oriri ob imaginationem boni vel mali, fieri cum mutatione corporis &c. Enimvero licet ratio præſentis inſtituti neutiquam ferat prolixum ac omnino neceſſarium examen hujus novæ Philoſophiæ, qua omnis receptior ac verior doctrina, imo lingva & calamus ipſius Spiritus Sancti corrigebantur, plane audaci & peſtilenti ratione, hoc tamen ad ſcopum noſtrum facit, ſi unice illud moneatur in gratiam eorum, qui ſolidioris eruditionis amantes ſunt, quod nunquam confundi debeant: *conceptus formalis* juſtitiæ, ſanctitatis, virtutis, affectus, obligationis &c. cum *conceptu materiali*: nam quod obligatio importet ſuperioritatem, hoc non debet intelligi

 de

de obligatione *ut ſic*, ſed de obligatione *ut eſt talis*, nempe ut eſt voluntaria, ita quidem ut originem trahat ex ſuperioris qua talis libera voluntate: Datur vero etiam naturalis obligatio, h. e. quæ originem ducit ex natura rei, quæ in actuum (per ſe & ſuapte natura debitorum) natura fundatur: Pariter, quod juſtitia reſpectum arguat ad ſuperiorem, hoc de juſtitia *ut eſt talis*, nempe inferioris ordinis, accipi debet, hic tamen reſpectus in *formali* juſtitiæ *conceptu* minime includitur. Similiter ad ſanctitatis *formalem conceptum* nullatenus ſpectat abſtinentia a craſſioribus vitiis, ſed tale quid ad ſanctitatem hominis poſt lapſum referri ſolet, non autem ad ſanctitatem *ut ſic*, h. e. ut a creata & increata abſtrahitur. Eadem ratione ad *materialem conceptum* affectuum; nempe ut ſunt affectus animales, h. e. homini cum cæteris animantibus communes, referre tenemur, quod ſint motus appetitus ſenſitivi, orti ob imaginationem boni vel mali cum mutatione corporis: ad *conceptum* vero *formalem* affectus ſufficit, quod ſit appetitio vel averſatio alicujus cogniti ſub ratione boni vel mali. Idem de *conceptu formali* virtutis judicetur. Aut ſi de affectibus & virtutibus ita philoſophari quis noluerit, dicendum erit, ad *conceptum formalem* juſtitiæ non requiri, ut ſit virtus moralis inque mediocritate

tate affectuum poſita. Dolendum ergo eſt, quod ſæpe qui magni judicii viri malunt videri ac vocari quam eſſe, prima rudimenta idoneæ Philoſophiæ ac neceſſaria adminicula negligant, aut intelligere vel nolint vel nequeant, cum quisque qui talibus, ut vocantur, fundamentalibus doctrinis aſſvefactus fuerit, affectatam ipſorum ignorantiam vel perpetuum novitatibus inutilibus inclareſcendi ſtudium ac inſultandi viris, quibus Academicæ Juventutis ſtudia ac commoda curæ cordique ſunt, facile queat animadvertere. Fruſtra profecto ſolidæ Philoſophiæ oſoribus ac roſoribus monſtraveris vanitatem novarum doctrinarum ab accuratioribus omnino agnitam.

§. 2. FORMALITER 7. idem denotat ac *abſtractive* ſeu in abſtracto, ita ut *formaliter* rem conſiderare ſit eam ſpectare *ratione abſtracti* vel *reſpectu formæ denominantis*: E. gr. *formaliter*, h. e. *abſtractive* ſpectatur cœcus, ſi ſpectetur ratione cœcitatis. Si ita accipiatur notio hujus adverbii: *formaliter*, tunc ei opponitur adver-

bium: *materialiter*, prout materialiter idem eſt quod *concretive.*

## NOTÆ.

I. Frequentiſſima in accuratiorum Doctorum Scholis eſt hæc acceptio.

II. Terminorum ſatis gnarus nunquam confundet hæc duo: *formaliter* ſpectare aliquid, & *proprie* & *accurate* illud ſpectare, e. g. peccatum dupliciter conſiderari poteſt, (α) *formaliter*, h. e. abſtractive: (β) materialiter, h. e. *concretive*: Utraque certe conſideratio peccati eſt propria & accurata. Unde dum peccatum concretive ſpectatur, proprie & accurate ſpectatur, non autem formaliter ſpectatur. Eſt ergo aliud peccatum ſpectare *formaliter*, & aliud, peccatum ſpectare *proprie*.

III. Uſum hujus notionis in Theologia non noſtris, ſed orthodoxorum Theologorum deque univerſa Eccleſia Chriſti meritiſſimorum verbis indicabimus: Ita enim B. *Johannes Gerhardus Tom. II. Locorum §. 88. p. m. 402.* diſſerit: *Quando pravam concupiſcentiam dicimus eſſe qualitatem poſitivam, non intelligimus hoc ſecundum* ἈΚΡΙΒΕΙΑΝ *METAPHYSICAM. Metaphyſici ſubtiliter diſtinguunt inter rem ipſam & malum rei adjacens, quod ſemper dicunt privativum non autem poſitivum quid.*

quid. Scriptura quando peccatum originis deſcribit, non nuda tantum privatione, ſed & per pravam concupiſcentiam, imitatur modum loquendi Ethicis uſitatum; illi enim agnoſcunt vitioſos habitus & actiones malas. Dilucidius rem ipſam ſic proponimus. Diſputant Pontificii peccatum Originis eſſe tantum Juſtitiæ originalis, doni illius ſupernaturalis, privationem, ipſam interim hominis naturam adhuc talem eſſe, qualis fuit primo condita, nos contra pronunciamus, per peccatum Originis non tantum concreatam juſtitiam eſſe deperditam, ſed ipſam quoque hominis naturam miris ac miſeris modis corruptam: illam naturæ corruptionem, quæ complectitur omnium animæ virium ad malum pronitatem ac impetum, vocamus poſitivam qualitatem, NON QUASI aliqua VIS AGENDI IN SE ET PER SE SIT PECCATUM, ſed quia ILLA VIS AGENDI IN HOMINE EST TANTUM AD PECCATUM prona & prompta, interim non prohibemus, quin inter ipſam agendi vim & inter vitium illius potentiæ SUBTILITER diſtinguatur, ſicut inter ipſam actionem & vitium actionis diſtinguitur. Idem Confeſſionis Catholicæ lib. II. ſpecial. part. III. artic. XXI. c. V. p. 451. ita ſcribit: Theſis. Peccatum Originis non eſt nuda privatio, ſed etiam vitioſa qualitas. Ἔκθεσις. 1. quando concupiſcentiam pravam dicimus eſſe poſitivam qualitatem, non intelligimus hoc ſecundum ΑΚΡΙΒΕΙ-

AN *METAPHYSICAM. METAPHYSICI SUBTILITER DISTINGVUNT* inter rem *ipſam & malum rei adjacens, quod ſemper dicunt eſſe privativum, non autem poſitivum quid. Scriptura quando peccatum originis deſcribit, non nuda tantum privatione, ſed etiam per pravam concupiſcentiam adeoque per vitioſam qualitatem, imitatur modum loquendi Ethicis uſitatum. Illi enim agnoſcunt vitioſos habitus & malas actiones.* 2. *Juxta METAPHYSICAM AKRIBEIAN malum conſideratur dupliciter,* vel *ABSTRACTIVE, ſive IN ABSTRACTO: vel CONCRETIVE; ſive IN CONCRETO. CONCRETIVE ACCEPTUM malum complectitur ſimul illud, quod deformat ſeu vitiat; ſive ſit actio, ſive paſſio, ſive habitus, ſive ſubſtantia, unde dicitur actio mala, paſſio mala, habitus malus. ABSTRACTIVE ACCEPTUM malum nihil aliud eſt, quam ipſa privatio boni ſeu perfectionis alicujus. Priori ſenſu peccatum eſt aliquid poſitivum non PER SE ET FORMALITER, ſed PER ACCIDENS & MATERIALITER ſive ratione ſubjecti, cui ineſt, ſeu quod concernit.* 3. *Quando peccatum originis dicimus eſſe vitioſam qualitatem, opponimus illud Pontificiis, qui ſtatuunt,* peccatum originis eſſe tantum doni alicujus ſupernaturalis privationem, ac ipſam interim hominis naturam adhuc eſſe talem, qualis fuit primo condita. *Nos contra pronuntiamus, per peccatum*

*ori-*

*originis non tantum concreatam juſtitiam eſſe deperditam, ſed ipſam quoque hominis naturam miris ac miſeris modis eſſe corruptam ac depravatam. Illam naturæ corruptionem, quæ complectitur omnium animæ virium ad malum pronitatem & impetum, vocamus poſitivam qualitatem, non quaſi vis aliqua agendi in ſe ac per ſe ſit peccatum, ſed quia illa vis agendi in homine eſt tantum ad peccatum prona ac promta: Interim non prohibemus, quin inter ipſam agendi vim & inter vitium iſtius potentiæ SUBTILITER diſtinguatur: Sicut inter ipſam actionem & vitium actionis diſtinguitur.* Hæc citato loco *pag.* 451. & 452. traduntur, ubi plura Scholaſticorum teſtimonia ac ſuffragia a *B. Gerhardo* collecta videantur. Eandem ſententiam iterum fere iisdem verbis in *diſp. Iſag. XXIV. c.* 3. *th.* 10. exponit. *B. Hieronymus Kromayerus in ſua Theologia poſitivo-polemica artic. VIII. theſi II.* ad eadem ὀρθοδοξοτάτου Theologi *Johannis Gerhardi* verba provocat, atque poſtquam *B. Grameri* & *B. Himmelii* idem ſtatuentium ſententiam adjeciſſet, colophonis loco *B. D. Heinrici Höpfneri* deciſum ſubjungit ſic ſe habens: *Optandum eſſet, vocabulum poſitivi h. l. in ſcholam theologicam non fuiſſe introductum. Noſtra Academia Lipſienſis & Dn. Chemnitius dicit peccatum in ſe conſideratum eſſe privationem. Philippus Melanchthon, qui primus vocabulum hoc poſitivi inſperſit, deſum-*

*ſumſit ex Thoma Sholaſtico,* & *in ſenſu catachreſtico uſurpavit.* *Pontificii hoc modo non convincuntur, ſed etiam concedunt, defectum vero tantum naturalem eſſe ajunt.* *Privatio eſt duplex, primum abſentia juſtitiæ originalis, deinde talis qualitas, quæ deficiat a lege.* *Unde delictum dicitur quaſi delinquium.* *Habitus vitioſi CONCRETE conſiderantur.* *Ethicus non ABSTRACTE ſed CONCRETE ratione ſubjecti ſui bonum* & *malum conſiderat, id eſt, non tantum bonitatem* & *malitiam, ſed bonas* & *malas actiones.* *Quæ in Ethicis ſunt contraria, in METAPHYSICIS privative opponuntur.* *Pronitas ad malum extra ſubjectum agens (in originali)* & *extra actionem (in actualibus) ſpectata rectiſſime privationem ſignificat, ſed non innuit nudam abſentiam boni, verum defectum a norma, quæ hoc loco maximam partem inſpicienda.* Mox laudatus *Kromayerus* hancce ponit antithesin: *Peccatum eſt aliquid poſitivum, proprie in ſe ac FORMALITER conſideratum.* Vid. hujus *ἀντιθέσεως θέσεως p. 478.* & *ſeqq.* Liceat quoque huc transſcribere verba *B: Alberti GRAVVERI ex prælectionibus in Auguſtanam Confeſſionem artic. II.* Hic enim ad quæſtionem: *Num peccatum originis ſit duntaxat privativum, an vero* & *privativum* & *poſitivum?* poſt adducta utriusque partis argumenta hanc *ἐπίκρισιν* ſubjicit: *Reſtat, ut jam exponamus, quid de hac quæſtione ſtatuendum ſit,*

ſit, an nimirum alterutra ſententia rejici debeat, an vero utraque in ſano ſenſu defendi queat? Sciendum itaque quod malum ſive peccatum dupliciter ut ſaniores Scholaſtici obſervarunt, conſiderari poſſit, vel ABSTRACTIVE ſeu IN ABSTRACTO, vel CONCRETIVE ſeu IN CONCRETO. CONCRETIVE quando accipitur malum ſeu peccatum, concernit illud, quod deformat, ſive ſit actio, ſive paſſio, ſive habitus, ſive ſubſtantia. Unde dicitur actio mala, paſſio mala, habitus malus, ſubſtantia mala. ABSTRACTIVE vero cum malum ſeu peccatum ſumitur, nihil aliud eſt, quam ipſa privatio perfectionis, ſeu boni alicujus. Priori ſenſu largiri poſſumus, malum ſeu peccatum eſſe aliquid poſitivum non PER SE & FORMALITER, ſed PER ACCIDENS, ut Thomas ſuper ſecundum librum Lombardi Diſt. 34. quæſt. 2. ex Avicenna tradit, id eſt, materialiter ſeu ratione ſubjecti, cui ineſt, ſeu quod concernit. Malum enim ſeu peccatum CONCRETIVE ſumtum, non unum, ſed duo quaſi comprehendit, malitiam nempe ſeu privationem, & id in quo eſt illa privatio ſeu malitia. Ipſam malitiam ſeu privationem PER SE ſignificat: Subjectum vero malitiæ ſeu privationis non PER SE ſed PER ACCIDENS duntaxat. Licet enim malitia, FORMALITER & PER SE conſiderata non ſit ens, nec bonum, ſed tantum privatio boni: eſt tamen alicujus entis. Poſteriori ſenſu nempe in abſtracto, malum non eſt

FOR-

*FORMALITER aliquid poſitivum, ſed tantum privativum.* Cæcum *vero in concreto ſignificat aliquid poſitivum non PER SE, ſed PER ACCIDENS, ſeu materialiter reſpectu oculi, tanquam ſubjecti, cujus eſt cæcitas, ſeu in quo eſt cæcitas. Hinc apparet, utramque quidem ſententiam dextre acceptam, admitti poſſe: POSTERIOREM VERO VERITATI MAGIS ESSE CONSONAM, ſiquidem exprimit, QVID PECCATUM SIT IN SE, PER SE ET FORMALITER conſideratum. Prior autem opinio dicit etiam, quid ſit peccatum,* (ſed) *per accidens & materialiter conſideratum.* Hæc unice ea fini recenſuimus, ut ſatis ſuperque uſus hujus notionis apud Theologos orthodoxos receptus innoteſceret.

IV. Ut unicum exemplum in Politica & Jurisprudentia occurrens adjiciamus: Meo tenui judicio multi in doctrina de natura ac indole Reipublicæ, maxime quando de Republica mixta diſquiritur, felicius philoſophaturi fuiſſent, ſi ſcirent accuratius explicare, quid ſit majeſtas formaliter ſpectata? quod dum præſtare nequeunt, non mirari ſubeat, cur negent dari Rempublicam mixtam & quod majori admiratione dignum ab imperitioribus habebatur, quidam ex ipſis inficias eant, ullam veram & formaliter ſic dictam Rempublicam præter Monarchiam dari poſſe. Scilicet Majeſtas FORMA-

LI-

LITER ſpectata in rigore metaphyſico non eſt reale ens: quod non ita accipiendum venit, ac ſi Majeſtas ſit non-ens aut purum putum figmentum, quia nemine cogitante manet vera ac realis facultas moralis ſeu poteſtas, eaq; ſumma, gubernandi civitatem. Conf. ea, quæ ſupra *c. 1. p. 224. & ſeqq.* diſſeruimus. Sed videamus, quid contra hanc ſententiam proferatur: *Inauditum hactenus dogma a Velthemii diſcipulo publica diſputatione Jenæ fuit promulgatum, QVOD MAJESTAS SIT NON ENS: Nimirum quia ad Majeſtatem ſufficit ſuperiorem non habere, nec requiritur poteſtas gubernandi civitatem; & quia ſtatim Majeſtate Velthemiana præfulget, qui in regionem deſertam ejectus nec dominum habet, nec ſubditum. Quæ monſtra errorum aliis exagitanda commendamus.* Ni calumniandi rabies omnem adverſario frontem excusſiſſet, nunquam auſus eſſet tam improbe monſtra errorum fingere. Eſtne ingenui ac boni viri, nihil habere penſi quid dicat, tantum magna libertate, ſine fronte, ſine mente detonare, quicquid ipſi ſuggeſſit ſplendida bilis. Itane conſulitur Celeberrimo Doctoris Juris naturalis nomini? Numne protinus ut hic aut ille clamarit, *monſtra errorum Velthemianorum aliis exagitanda commendamus*, procidemus & puerorum more qui vapulaturi ſunt, agnoſcemus culpam, etiamſi

etiamſi culpa non ſit? Qui monetur, homo eſt, ſi Deus eſt, qui monet, æquum eſt, non reſponſare, ſed ſimpliciter obtemperare. Nunc qui monet, non minus eſt homo, quam qui monetur: Par eſt igitur, ut moderatius admoneat, & viciſſim audiat, ne forte cæcutiat in judicando. Imputatur mihi ab adverſario craſſiſſimus error, ac ſi talem ſententiam defenderim, ex qua neceſſario conſequatur, *ad Majeſtatem ſufficere ſuperiorem non habere, nec requiri poteſtatem gubernandi civitatem, eumque ſtatim majeſtate præfulgere, qui in regionem deſertam ejectus nec dominum habeat nec ſubditum.* Nec tamen adverſarius e ſcriptis meis colligit, quod tam acerbe reprehendat, ſed iſtud a meo diſcipulo quem vocat, publica diſputatione Jenæ promulgatum aſſerit, adeoque ex ea mutuari voluit convitiandi materiam, & ſi quis quid illi præterea ſuorum commentariorum ſuppeditavit: Verum illud parum prudenter facit, diſſimulans quid ipſe in hac materia ſtatuerim, unde iſte, cujus diſputationem calumniatur, ſua petierat. Extat ſententia mea publicis typis excuſa in *introductionis* meæ ad *Grotii libros de Jure Belli & Pacis l. 1. cap. 3. quæſt. X. reſponſione ad ſecundum §. 3. p. 469. & ſeqq. usque ad pag. 481. & quæſt. XI. §. 3. p. 486. & ſeqq.* Ubi adhuc ab omnibus legi poteſt. Certiſſimus ſum, nihil quicquam a me

a me ibi dictum eſſe, quod non a doctiſſimis Viris ac celeberrimis Politicis dictum fuerit prius. Ubi ergo talia docui, ex quibus homo, cui ſanum ſynciput eſt, & qui non manifeſte delirat, non dicam per pronam & facilem, ſed qualemcunque conſequentiam inferre poſſit, ſtante meo aſſerto, *ad Majeſtatem ſufficere Superiorem non habere, nec requiri poteſtatem gubernandi civitatem.* Adverſarium ſi maxime prædicarem eſſe ſanum, ipſa, quam evulgavit, reclamaret commendatio, qua ſcilicet monſtra errorum mihi affingit impudentiſſimo auſu, eaque aliis ſibi ſimilibus exagitanda commendat. Expreſſis verbis definivi Majeſtatem per ſummam poteſtatem civilem *cit. loco §. 17. p. 379.* Expreſſe poteſtatē civilem definivi per facultatem moralem civitatem gubernandi *§. 14. ejusdem ſcil. c. p. 378.* poſtquā *præcedenti capite 1. §. 9. p. 23. & ſeqq.* it. *§. 16. p. 38.* explicuiſſem, quid proprie & accurate loquendo ſit facultas moralis? Expreſſe ſummam poteſtatem civilem dixi illam poteſtatem civilem ſeu illam facultatem moralem civitatem gubernandi, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi; eandemq; oppoſui poteſtati civili ſubordinatæ, quam dixi illam poteſtatem civilem, cujus actus alterius juri ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ

arbitrio irriti poſſint reddi; ſimulque monui (quod omnibus alias notiſſimum eſt, & a nemine ſanæ mentis in dubium vocatur) ſubordinatam poteſtatem gubernandi civitatem ſi quis habeat, eum habere ſe Superiorem, e contrario quatenus quis ſummam poteſtatem gubernandi civitatem habeat, eatenus eum in terris non habere ſe Superiorem: Ipſas quoque ſummæ poteſtatis regendi civitatem partes diſtinctim recenſui & *ibid. ſeqq. §§.* expoſui: Judicet jam Lector cordatus ac honeſtatis amans, quid de ejusmodi homine ſentiendum ſit, qui omni veritatis ac honeſtatis amore profligato tantum odii, tantum malitiæ, tantum impudentiæ præ ſe fert, ut publicis typis exprimi curet hæcce verba: *Nimirum ex Velthemii mente ad Majeſtatem ſufficit Superiorem non habere, nec ab ipſo ad Majeſtatem requiritur poteſtas gubernandi civitatem; & ſtatim Majeſtate, Velthemio judice, præfulget, qui in regionem deſertam ejectus, nec dominum habet, nec ſubditum.* Si qua furia veniret ab inferis, concitatura tumultus, quid poſſet hoc malitioſo figmento furioſius? Sed hoc alias adverſario ſolenne eſt, ut manifeſtiſſime falſa mihi affingat, & tamen ex his verboſiſſimas excitet tragœdias; Hoc autem forte ſubeat mirari, cur minus verboſum hic ſe geſſerit: at quid mirum, viderat adverſarius, ſi ſenten-

tiam

tiam meam debito candore referret, quemvis manibus palpaturum eſſe, atrocem mihi fieri injuriam: Cæterum ſi nunc pararem reſpondere, repetenda forent omnia, quibus mentem meam explicui: Quoniam autem non video quid bonæ rei naſci poſſit ex hujusmodi rabioſis contentionibus, ſatius eſſe duco negligere, & interim deprecari Deum, ut tali adverſario det mentem ſanam ac Doctoris Moralis profeſſione dignam in corpore ſano. Tantum guſtum præbebo Lectori, ut veritatem ſententiæ meæ poſſit æſtimare. Dixi Majeſtatem, ſi ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectetur in rigore Metaphyſico non eſſe reale ens: Hoc inde probatum dedi, quia aliud eſt potentia, quæ in rigore Metaphyſico dicit verum ac reale ens, aliud vero poteſtas ſeu potentia Moralis: Nam poteſtas ſine potentia dari poteſt: e. g. inermis viator poteſtatem habet ſeſe defendendi adverſus armatum latronem, potentiam non habet. Rex omnibus rebus exhauſtus viribusque deſtitutus ſummam adhuc poteſtatem habet gerendi bellum adverſus opulentiſſimum potentiſſimumque hoſtem, potentiam non habet: Unde nondum video, quid poteſtas, item ſumma poteſtas, ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectata dicat aliud quam licentiam, item ſummam licentiam: nec apparet, quid ſummitas (quæ

*Grotii* dictio eſt) licentiæ ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectata importet aliud, quam talem licentiam, unde illi actus habent, quod liciti dicantur, qui nullius hominis tanquam Superioris juri ſubſunt, ita ut Superioris arbitrio irriti poſſint reddi: Manet interim veriſſimum, potentiam illam Moralem, quæ poteſtatis civilis nomine venit, eſſe potentiam Moralem regendi civitatem, eamque potentiam Moralem, quæ Majeſtas vocari ſolet, eſſe ſummam potentiam moralem regendi civitatem. Hoc ipſe adverſarius negare nequit; unde quisque videt, miſerrimam eſſe hanc conſequentiam, quam adverſarius nectit, dum ſic colligit: Si Majeſtas FORMALITER & ABSTRACTE ſpectata non eſt reale ens in rigore Metaphyſico, ſed mere Morale quid, nempe Moralis potentia, ſequitur, quod ad Majeſtatem ſufficiat, Superiorem non habere, nec requiratur poteſtas gubernandi civitatem, ſtatimque Majeſtate præfulgeat, qui in regionem deſertam ejectus nec dominum habet nec ſubditum. Unde quæſo hæc conſequentia ullo modo probabilis reddi poterit? Ipſe adverſarius quæſitus, *num Majeſtas FORMALITER & ABSTRACTE ſpectata ſit ens?* Reſpondet *omnino eſſe ens*, hocq; dogma eſſe hactenus inauditum, ſi dicatur Majeſtatem FORMALITER & ABSTRA-

CTE

CTE ſpectatam eſſe non ens: Probat vero ſuam ſententiam inde, quia ad Majeſtatem non ſufficit, habere nec Superiorem nec ſubditum, ſed requiritur ad eam, ut quis ſit Superior, habeatque poteſtatem gubernandi civitatem & ſubditos: Verum prudens ac æqvus cenſor judicet, quomodo quæſtio propoſita & reſponſio adverſarii inter ſe conveniant? In ſtatu quæſtionis ſubjectum quæſtionis controverſæ reſtringebatur ad MAJESTATEM FORMALITER ET ABSTRACTIVE CONSIDERATAM, h.e. ratione SOLIUS SIGNIFICATI FORMALIS (non inſimul MATERIALIS ſive SUBJECTI, in quo FORMALE eſt) per quod MAJESTAS FORMALITER & ABSTRACTIVE ſpectata in eſſe ſuo ſpecifico conſtituitur, num ea ſit ens? Quia a nobis negativa, ab adverſario affirmativa defenditur, ideo ſubjectum noſtræ theſeos & antitheſeos adverſarii erit Majeſtas FORMALITER & ABSTRACTIVE, h. e. ratione SOLIUS ſignificati FORMALIS, non ratione MATERIALIS, in quo FORMALE eſt, conſiderata. Jam videamus, unde probet adverſarius, Majeſtatem FORMALITER & ABSTRACTIVE, h. e. ratione SOLIUS ſignificati FORMALIS, non ratione MATERIALIS, in quo FORMALE eſt, conſideratam, eſſe verum ac reale ens: Ipſe ita

probat, quia alias ad Majeſtatem ſufficeret, non habere Superiorem, nec requireretur poteſtas regendi civitatem, ſtatimque Majeſtate præfulgeret, qui in regionem deſertam ejectus nec Dominum haberet, nec ſubditum. Sed quis non videt adverſarium, dum ſic reſpondet, ſibimet ipſi contradicere: Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: Majeſtatem FORMALITER & ABSTRACTIVE, hoc eſt, ratione SOLIUS ſignificati FORMALIS ſpectatam eſſe ENS REALE non ABSTRACTIVE & FORMALITER, ſed CONCRETIVE ſumtum, quæ eſt manifeſta contradictio. Nam ſi Majeſtas ſpectetur, ut dicit perſonam, quæ habet ſubditos, ſic non ABSTRACTIVE, ſed CONCRETIVE ſumitur. Imo ſi jam amplius quærimus ex adverſario, numne Majeſtas FORMALITER & ABSTRACTIVE ſpectata ſit ſubſtantia, an accidens, quia immediata eſt entis diviſio in ſubſtantiam & accidens? Ipſe reſpondet eſſe accidens, & in ſpecie qualitatem. Quæritur amplius, ſi accidens eſt, & in ſpecie qualitas, quomodo fieri poſſit, ut eadem numero Majeſtas migret de ſubjecto in ſubjectum (e. gr. abdicat quispiam a ſe Majeſtatem, eamque in alterum transfert, eadem numero Majeſtas, quæ ante erat transferentis, nunc per translationem ejus eſſe deſinit, fitque iſtius, in quem transfertur.

Digitized by Google

tur. Ita quando quæritur, cur Succeſſor poſſit mutare Regis Anteceſſoris ſui voluntatem? reſponderi ſolet, & quidem rectiſſime, quia eodem jure, quo anteceſſor utitur, ac proinde eandem numero Majeſtatem habet, non aliam) cum tamen alias accidens poſitive ſeparari a ſubjecto nequeat, adeoque idem numero de ſubjecto in ſubjectum migrare nullatenus poſſit? Item, quæritur, quomodo eadem numero, Majeſtas poſſit eſſe penes numero plures, (ceu Recentiores iſti haud negant fieri, quotquot Polyarchiam ſimplicem dari admittunt, utut mixtam habeant pro ſimpliciter impoſſibili) cum tamen alias unum numero accidens in duobus realiter & adæquate diſtinctis ſubjectis eſſe nequeat? Hic reſpondet, Majeſtatem FORMALITER & ABSTRACTE conſideratam non eſſe ens reale Metaphyſicum, ſed Morale, non in rigoroſo genere entium Metaphyſico, ſed Morali. Si nunc amplius urgeatur: Numne Majeſtas ABSTRACTE & FORMALITER conſiderata, quia eſt reale ens, ſit a ſeipſa, an ab alio ente? Reſpondet, eam non eſſe a ſeipſa. Porro quæritur: ſi Majeſtas ABSTRACTE & FORMALITER ſpectata eſt ab alio ente, ſitne creata, num generata, an alio modo producta? Reſpondet, eſt generata. Iterum quæritur: Si Majeſtas ABSTRACTE & FORMALITER

TER ſpectata generata eſt. Ergo ex materia producta eſt, quod abſurdum. Reſpondet diſtingvendo inter generationem phyſicam & moralem: Majeſtatem non ex materia produci, ut in generatione phyſica fieri ſolet. Unde ergo? Reſpondet, pacta eſſe proximam cauſam, ex qua Majeſtas TANQVAM QVALITAS MORALIS reſultet. Ut immediate & proxime producatur Majeſtas, requiri tum vires naturales, qua ſubjectus, ſi forte quod injungitur, detrectare præſumſerit, repræſentato aliquot malo poſſi cogi: tum titulum, ex quo jure aliis præſtandum quid aut omittendum queat injungi; cui in iſtis reſpondeat obligatio ejusdem juſſis obſequendi. Horum utrumque proxime ex pactis, per quæ Civitas coaleſcit, promanare. Et licet vires ſuas naturaliter nemo in alterum transfundere queat, illum tamen vires aliorum poſſidere intelligi, ad cujus arbitrium iſti eadem adplicare teneantur, ita ut in ipſis non ſit poteſtas reſiſtendi, ſeu juſſum ejus detrectandi. Eo ipſo autem omnes, quod voluntates ſuas unius voluntati ſubmiſerint, ſeſe obſtrinxiſſe, quod velint non reſiſtere ſeu parere illi, vires & opes ipſorum adhibere volenti ad bonum publicum, ſicque ſummum Imperium habenti tantas eſſe vires, ut quoslibet ad juſſa ſua adigere poſſit, juxta illud *Livii lib. 2. cap. 59. Imperii vis omnis in*

*con-*

Digitized by Google

*conſenſu obedientium eſt*. Illudque ipſum pactum luculentum præbere titulum, quo imperium iſtud non violentia, ſed ultronea civium ſubjectione & conſenſu legitime conſtitutum intelligatur; Hanc igitur eſſe proximam cauſam, ex qua ſummum Imperium tanquam qualitas moralis reſultet. Hanc ipſam ſententiam, qua ſummum Imperium ex pactis, quibus civitas coaluit, reſultare ſtatuitur, nunc expendere, nec opus, nec otium eſt: Quisque interim videt, hic ſermonem non eſſe de ſummo Imperio ABSTRACTE ET FORMALITER ſpectato, hoc eſt, De Abstractione Metaphysica Sui Formalis A Materiali: Nos vero præciſe locuti fuimus de Imperio ſummo ABSTRACTE & FORMALITER ſpectato. Præterea fatetur ipſe adverſarius, modum, quo ENTIA MORALIA e.gr. Majeſtas ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectata, producuntur, non eſſe creationem, & vix melius poſſe exprimi, quam per vocabulum IMPOSITIONIS, eumque modum ſemper quidem obtinuiſſe, a nemine vero fuiſſe obſervatum: Hoc igitur ſtante non eſt inauditum dogma, Majeſtatem ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectatam non eſſe ens, quia quotquot hactenus de aliquo ente locuti ſunt, aut Deum intellexerunt, aut ens creatum,

 tum,

tum, ut ipſe adverſarius fatetur. Imo tandem cæteris paribus, largiamur, hoc ſenſu Majeſtatem FORMALITER & ABSTRACTIVE ſpectatam eſſe ENS, ſcilicet non in ſenſu Metaphyſico, ſed Morali, annon vero adhuc noſtra ſententia ſtabit firmo talo, cum ſolummodo DE ENTE IN SENSU METAPHYSICO locuti fuerimus. Regerat aliquis: Nulli uſui eſſe hanc ABSTRACTIONEM METAPHYSICAM SUI FORMALIS A MATERIALI, ſi nempe moneatur, Majeſtatem ABSTRACTIVE & FORMALITER conſideratam non eſſe REALE ENS in ſenſu Metaphyſico? Omnino aſſertio hæc maximo eſt uſui. Nam qui negant, Rempublicam mixtam dari poſſe, dum hiſce fundamentis utuntur, quod (1.) Majeſtas per ſe ſit quiddam individuum (2.) quia alias jura Majeſtatis poſſent ab invicem reali diviſione ſeparari (3.) poſſet quiſpiam ſimul unam eandemque Majeſtatem habere totam & non habere (4.) quod partes Majeſtatis, imo ipſæ etiam minimæ particulæ nihil aliud ſint quam tota Majeſtas (5.) quod Majeſtas ſit res incorporalis, adeoque pro parte diviſa communiter poſſideri nequeat; nulla re (Magnorum ac Celeberrimorum Politicorum judicio) magis ſibi patiuntur imponi, quam quod Majeſtatem ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectatam pro vero ac reali

Digitized by Google

reali ente in ſenſu Metaphyſico habeant, & quod entibus phyſicis repugnat, Majeſtati ABSTRACTIVE & FORMALITER ſpectatæ repugnare credant, ceu ex *Ariſtotelis*, *Grotii*, *Lampadii*, *Conringii*, *Piccarti*, *Giphanii*, *Boſii* noſtri, aliorumque πολιτικωτάτων Virorum ſcriptis deducere conatus fui in reſponſione ad has rationes, *Introd. lib. 1.c. 3. quæſt. 3.§.3.* Et cur adverſarius immane quantum ſibi placens diſtinctione inter ens phyſicum & ens morale, item inter modum, quo entia phyſica, & modum, quo entia moralia producuntur, nempe inter creationem & impoſitionem, non etiam admittit diſtinctionem inter diviſionem phyſicam & diviſionem moralem, (noſtra pace non modo inter entia phyſica & moralia, ſed etiam inter phyſicos cultros, quibus phyſica, & morales cultros, quibus moralia entia dividantur, diſtinguere poterit) ac mavult Rempublicam irregularem ac monſtroſam dicere, quam Politici accuratiores mixtam vocant? Cur adeo arridet adverſario ejusmodi Metaphyſica: *Majeſtas non eſt totum aliquod conſtans ex partibus heterogeneis, ut ſeorſim poſſint exiſtere, tantum pro diverſitate objectorum vocatur poteſtas legislatoria, δικαςικὴ, belli, pacis &c. & videtur iſte error circa diviſionem Majeſtatis inde potiſſimum ortum traxiſſe, quod viſum fuerit conſiderari poſſe partes illas ſine* con-

*conſideratione totius, inde concluſerunt, poſſe Majeſtatem ſeorſim quoque exiſtere, adeoque realiter dividi. Enimvero conſiderari poteſt quantitas ſine conſideratione corporis, non tamen ſeorſim exiſtere. Sic finge partes illas potentiales animæ rationalis eſſe ſeparatim in diverſis ſuppoſitis, ubi hominem reperies ſibi conſtantem?* Forte quia omne ſimile currit quatuor pedibus? At cur adeo diſplicet adverſario, ſi κατ' ἄνθρωπον diſputemus hunc in modum: Finge plura ac diſtinctiſſima corpora: unum in hac; alterum in illa; tertium in iſta terræ parte, ſimulque finge unum, idemque numero omnium iſtorum corporum eſſe caput, quam horrendum, ingens ac informe monſtrum ſibi nullatenus conſtans finges? Ergone ut in naturali corpore non poteſt caput unum eſſe plurium corporum, ita in morali quoque corpore? Ergone plurium populorum idem caput eſſe nequit, qui tamen populi ſinguli perfectum cœtum conſtituant? Ergone eadem perſona diverſa ratione conſiderata caput nequit eſſe plurium ac diſtinctorum corporum Moralium, adeo ut extincta domo regnatrice imperium ad quemque populum ſeorſim reverti queat? Cur, inquam, hæc adverſario adeo diſplicent, fortaſſis quia omne ſimile claudicat? De cætero majeſtatem CONCRETIVE ſpectatam eſſe verum ac

ac reale ens, nunquam a me negatum fuit, & quisquis dixerit me hocce dogma defendiſſe, per atrociſſimam calumniam mihi affingit. Et quidni Majeſtas eſſet verum & reale ens, utpote quæ non modo calumniatores gravi pœna afficere, ſed & capita amputare poteſt, quæ Reges & Principes Deo ſimillimos facit & ad ſummum ſupra ſummos in terris educit faſtigium: quæ divinæ providentiæ exemplar ſiſtit, dum unius hominis nutui tot regiones, diverſo ſæpe Sole calentes, promte aſſurgunt. De qua *Artabanus Perſa* apud *Plutarchum Themiſtocle*: *Nobis inter leges multas easque bonas hæc optima eſt, principem colendum & adorandum, ut Dei cuncta ſoſpitantis effigiem.* Nec immerito, ut apud *Curtium* eſt, *Regium nomen Gentes, quæ ſub Regibus ſunt, pro Deo colunt.* Videri poſſunt, ſi placet, quæ *tribus* prolixis *diſſertationibus* ſub qualicunque moderamine meo habitis: una *de jure imperii quæſito*, altera *de ſanctimonia vinculorum per quæ Respubl. cohæret*, tertia, cui titulus: *Sceptrum directivum*, de reali exiſtentia majeſtatis ſeu Summæ poteſtatis civilis (ex humillima animi reverentia erga diadema inviolabile, quodque violare non injuſtum tantum eſſe, ſed & impium pronunciavi) propoſita ſunt, ad quas diverſis temporibus publicæ luci ac examini publico, antequam hæc lis mihi

move-

moveretur, commiſſas unice eum in finem provoco, ut adverſarius videat, me calumnias veritate rei confuſas neutiquam curare.

§. 3. FORMALITER 8. interdum idem ſignificat, ac *in recto*, opponiturque ei, quod *in obliquo* ſignificatur: E. gr. ſupra diximus, quod pura negatio & privatio *in Recto* ſeu *formaliter* non differant: nam abſentia viſus ex lapide vocabatur pura negatio, e contrario abſentia viſus ex oculo appellabatur privatio, utraque formaliter h.e. in Recto idem notat, quia notat eandem abſentiam: In obliquo vero omnino diſtingvebantur, quia pura negatio connotat ſubjectum incapax, privatio vero ſubjectum capax.

*NOTÆ.*

I. Habet hæc doctrina ſuum uſum inprimis in materia *Concretorum*: nam Concreta Adjectiva *in Recto* ſemper ſignificant ſubjectum, *in Obliquo* formam: e. gr. juſtus forma-

Digitized by Google

formaliter, h.e. in Recto ſignificat ſubjectum, cui juſtitia tribuitur: in obliquo ſignificat ipſam juſtitiam.

II. Non debent confundi, id quod tamen non raro a quibusdam fieri ſolet, *ſignificatio in Recto*, & *ſignificatio primaria*. De *Concretis Adjectivis* hoc perpetuo verum eſt, quod *ſignificatio in Recto* non ſit *ſignificatio primaria*, ſed *ſecundaria*, & viciſſim *ſignificatio in Obliquo* non ſit *ſignificatio ſecundaria*, ſed *primaria*: e. gr. juſtus idem ſignificat quod habens juſtitiam, unde *in Obliquo*, ſignificat juſtitiam, eſt tamen primaria juſti ſignificatio, quando ſignificat juſtitiam: omnes enim audita voce: juſtus, primo ac diſtincte juſtitiam, ſubjectum autem, cui juſtitia tribuitur, non niſi confuſe concipimus. Inde fieri poteſt, imo ſæpiſſime fit, ut plura Concreta ſignificent idem ſubjectum, quamvis eorum primariæ ſignificationes ſint diſtinctisſimæ.

III. Uſum hujus doctrinæ in Theologia utilioribus exemplis liceat indicare: Et ſane ex uſu futuri Theologi eſt, probe didiciſſe, quod aliter cum Concretis Subſtantivis quam Adjectivis res ſeſe habeat. Certe inter *Scholaſticos* ut & alios *Theologos*, maxime vero in *Scholaſtica Theologia* acriter diſceptatur, quidnam Concreta Subſtantiva, quæ ſcilicet ſignificant & naturam & ſubſi-

ſubſiſtentiam, FORMALITER h.e. IN RECTO ſignificent, numne naturam, an ſuppoſitum vel ὑπόςασιν ſeu ſubſiſtentiam? *Thomas* tenet hanc ſententiam, quod FORMALITER ſeu *in Recto* ſignificent ſuppoſitum ſive ſubſiſtentiam, *in Obliquo* naturam, eamque opinionem prolixe propugnat, cujus defenſor etiam eſt *Gabriel Biel*: Contrariam vero ſententiam tuetur *Gabriel Vazquez*, dum nempe ſtatuit, quod taliſmodi Concreta Subſtantiva *in Recto* ſeu FORMALITER ſignificent naturam, *in Obliquo* vero ſuppoſitum vel ſubſiſtentiam. Enimvero neutri parti accuratiores *Philoſophi* ac *Theologi* ſimpliciter ſe addicere audent, imo ſi res Metaphyſice æſtimetur, profecto nequeunt. Nam dantur certe exempla taliſmodi Concretorum Subſtantivorum, quæ nunc *in Recto* ſeu FORMALITER ſignificant illud ipſum, quod alibi non ſignificant *in Recto* ſeu FORMALITER, ſed *in Obliquo*: e.gr. adeſſe volumus quasdam prædicationes ex *Loco de Chriſto*: Ita ſi quis Chriſtum in diebus carnis ſuæ vidiſſet ac digito monſtraſſet dicens: *hic homo* (*nempe Chriſtus*) *edit*, *bibit*, *vigilat*, *dormit* &c. hic ſane dici nequit, quod homo in Recto ſignificet ὑπόςασιν: nam unica eſt ὑπόςασις, ut ex *Theologia* diſcere debemus, duarum in Chriſto naturarum, eſtque divinæ naturæ propria, & in eam Filius Dei aſſum-

aſſumſit humanam naturam, unde quando dicitur: hic homo (nempe Chriſtus) edit, bibit, vigilat &c. item, ſi quis Chriſtum vidiſſet patientem ac morientem & dixiſſet, hic homo (nempe Chriſtus) patitur, moritur, quis absque abſurditate impia dicere poſſet, quod hic ſit ſenſus: ὑπόςασις divina edit, bibit, vigilat, dormit, patitur, moritur, &c. qui ſane ſenſus eſſet abſurdiſſimus: nam uti diſcitur ex *Theologia*, ὑπόςασις, qua duæ naturæ in Chriſto unitæ ſunt & ſubſiſtunt, eſt unica & τῷ λόγῳ propria, unde ſi *in Recto* homo in allatis propoſitionibus ſignificaret ſubſiſtentiam, ſenſus omnino hic eſſet ὑπόςασις divina, quæ humanæ naturæ unita eſt, eſt mortua, eadem etiam bibit, vigilat, dormit &c. cujus ſenſus abſurditatem etiam cæcus videt. Significat ergo homo in his propoſitionibus FORMALITER ſeu *in Recto* humanam naturam, *in Obliquo* ὑπόςασιν, hoc nempe ſenſu: humana natura unita ὑποςάσει τῦ λόγυ mortua eſt: humana natura unita ὑποςάσει τῦ λόγυ edit, bibit &c. quod certe idem eſt, ac ſi diceretur: Chriſtus ſecundum humanam naturam mortuus eſt, ac ſecundum eandem bibit, edit, quod recte dici omnes *Theologi* orthodoxi aſſerunt. Contra ſi dicatur: *homo eſt Deus*; ibi ſane homo id ſignificat *in Obliquo*, quod in ante allatis exemplis ſignificabat; FORMALITER,

LITER, h.e. *in Recto*: Non enim hanc propoſitionem: *homo eſt Deus*; ita explicare poſſum: humana natura eſt divina natura; nec ſalva veritate dicere poſſum: Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt Deus: Et profecto qui per hominem *in Recto* ſignificaret humanam naturam in hac quidem propoſitione: homo eſt Deus; is aperte foveret Eutychianam hæreſin, quia nulla prædicatio eſt vera in ulla Diſciplina aut Facultate, niſi illa, quæ per ſubjectum & Prædicatum *in Recto* ſignificantur, ſint a parte rei eadem, quod perpetuæ veritatis eſt: Ab eo namque quod res eſt, dicitur vera prædicatio: Quod autem *in Obliquo* prædicatur, hoc ut adhuc vere prædicetur & abſolute, omnino debet præſupponere veram ac realem identitatem inter ea, quæ *in Recto* ſignificantur. Et licet non pauci e *Scholaſticis* dicant, naturam humanam in hac propoſitione ſignificari *in Recto*, ut tamen ſimul connotet ſubſiſtentiam; tamen ab hæreſi Eutychiana liberari non poterunt omni plane modo, ſenſus enim eſſet hic: natura humana habens ὑπόστασιν eſt natura divina habens eandem ὑπόστασιν, ſed hic ſenſus eſt falſiſſimus, & nihil aliud quam ipſe Eutychianiſmus. Stat ergo firmiſſimum, quod *in Recto* per hominem ſignificetur ὑπόστασις, *in Obliquo* humana natura, in hac ſcilicet propoſitione,

homo

homo eſt Deus, ut hic ſit ſenſus: una eademque numero ὑπόςαοις eſt, in qua duæ naturæ Chriſti: divina & humana unitæ ſunt atque ſubſiſtunt, & cujus ratione hæ duæ naturæ de ſe invicem ſalva veritate prædicantur, non tamen quovis modo, ſed terminis Concretis; quatenus illi ὑπόςαοιν in qua duæ hæ naturæ uniuntur, *primario & in Recto* ſignificant. Si enim *Theologos* venerandos conſulamus informationis gratia, nullam poterunt nobis dare aliam rationem, cur Deus de homine & homo de Deo, ſicque una natura *termino Concreto* de altera itidem *termino concreto* ſignificata vere prædicari poſſit, quam unionem duarum naturarum in eadem ὑποςάσει. Lubet adducere verba *B. Joh. Gerhardi*, rem hanc uberrime declarantia. Ita vero meritiſſimus Theologus ſcribit in *exegeſi Loci 4. cap. 9. Theſ. 168. Quia ὑπόςαοις utrique naturæ communis arctiſſime eas unit, ideo etiam* IN CONCRETO, *h. e. ratione & reſpectu illius ὑποςάσεως de ſe invicem prædicantur. Genuinus enim ſenſus illarum propoſitionum; Deus eſt homo, &, homo eſt Deus, hic eſt, quod utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in Chriſto ſit una communis ὑπόςαοις, qua arctiſſime & inſolubiliter uniuntur.* Hæc ille. Et ſic vult voce homo; ac voce Deus; in allatis propoſitionibus *in Recto* ſignificari ὑπόςαοιν, *in obliquo* naturas;

huncque facit ſenſum: *ὑπόστασις* divinæ naturæ eſt *ὑπόστασις* humanæ naturæ & contra, h.e. una eſt *ὑπόστασις*, qua duæ naturæ Chriſti ſubſiſtunt, & unam perſonam *θεανθρώπου* conſtituunt. Qui hanc rem uberius & ex principiis Metaphyſicis, hoc eſt, iis conformiter cognoſcere geſtit, adeat *B. Slevogtii diſſertationem de Prædicatione*, quæ in *ipſius volumine prima eſt, a §. 31. usque ad 55.*

§. 4. FORMALITER 9. idem indicat ac *noſtro concipiendi modo*: Et quando ita accipitur ſignificatio FORMALITER, tunc opponitur voci in Scholis Metaphyſicis receptæ *identice*, quod etiam ita efferri ſolet: *a parte rei*: e.g. recte dico de lacte, quod nempe ſimul album & dulce eſt: album eſt dulce: ſed quando accuratius Philoſophari volo, dico album *a parte rei* eſſe idem quod dulce, ſi nempe una eademque res ſit ſimul alba & dulcis: nego tamen album *noſtro modo concipiendi*, h. e. ſi ſpectetur ut eſt viſibile, eſſe dulce, ſi nempe dul-

ce

ce ſpectetur ut eſt guſtabile ſeu in ordine ad ſaporem; aliud enim eſt color, aliud ſapor. Si jam terminis Metaphyſicis hunc meum ſermonem debeam efferre, ita loquor: album *identice* eſt dulce, album *formaliter* non eſt dulce.

*NOTÆ.*

I. Hæc doctrina eſt fundamentum utiliſſimæ & omnium Facultatum Doctoribus neceſſariæ diſtinctionis inter SENSUM FORMALEM & inter SENSUM IDENTICUM.

II. Liceat uno vel altero exemplo in gratiam nobiliſſimorum Theologiæ & Jurisprudentiæ cultorum hanc materiam illuſtrare: Ita e. gr. hæc propoſitio a *Philoſophis* & *Theologis* ſæpius examinata: *juſtitia divina eſt miſericordia divina*; eſt veriſſima propoſitio in SENSU IDENTICO, falſiſſima autem propoſitio manet in SENSU FORMALI. Nam SENSUS IDENTICUS hujus propoſitionis eſt; una eademque numero res eſt, quæ dicitur juſtitia divina & quæ dicitur miſericordia divina; miſericordia enim divina & juſtitia divina ſunt in Deo, omnia autem quæ ſunt in Deo, ſunt ipſe Deus, quæ ſunt ipſe Deus, ſunt una res, quia Deus eſt

una res, unum numero ens. Ergo miſericordia divina & juſtitia divina ſunt una res. Contra SENSUS FORMALIS hujus propoſitionis eſt: miſericordia divina ſpectata ut miſericordia divina, eſt juſtitia divina ſpectata ut juſtitia divina; quis modo oculos mentis habeat, non videt in hoc *formali ſenſu* propoſitam propoſitionem eſſe propoſitionem falſiſſimam: ſi enim in ſenſu formali vera eſſet, tunc idem foret modus concipiendi, ſi conciperem Deum ut miſericordem, & ſi conciperem Deum ut juſtum: SENSUS enim FORMALIS præter rem ipſam includit etiam *noſtrum concipiendi modum*, unde quemadmodum diſtinctiſſimi ſunt modi, quibus divinam miſericordiam & juſtitiam divinam cognoſcere tenemur accurate utramque cognoſcere volentes: Ita facillimum eſt capere rationem, ob quam propoſita propoſitio, quæ in *ſenſu identico* vera dicebatur, *in ſenſu formali* falſa cenſeri debeat.

III. Ut unicum quoque politicum exemplum adſit, capiamus exempli loco quæſtionem illam: *An adverſus contractus Principum reſtitutio in integrum locum habeat, e.gr. an admitti debeat exceptio Principum adverſus contractus, quos minores feciſſent?* Quæſtionem hanc certe *Politici* & *Jure-Conſulti* habent pro una e præcipuis & valde vexatis, nec

vero

vero noſtri inſtituti eſt hanc quæſtionem nunc decidere, hoc tamen intrepide aſſerimus, nobilem ſignificationis FORMALITER ac notionis modo explicatæ uſum in hac materia tam ardua conſpici poſſe: Dum enim *Hugo Grotius l. 2. de jure belli & pacis cap. 14. §. 2.* aliique Viri magni nominis diſtingvunt inter actus Principis aut Regis, qui Principis aut Regis qua talis ſunt, ſive qui regii ſunt, & actus ejusdem privatos, quid facilius eſſe poteſt, quam doctrinam hanc Politicam recte prius perceptam his notionibus Metaphyſicis explicare, ſeu, quod eodem redit, modo propoſitam doctrinam Metaphyſicam ad hancce materiam decenter applicare. Nam ſæpe hæc propoſitio vera eſt in SENSU IDENTICO: *Princeps contraxit*, item *hic actus Principis erat contractus*, ut tamen in FORMALI SENSU adhuc falſa eſſe poſſit, ſi nempe Princeps non ut Princeps contraxerit, ſi actus, Principis aut Regis conſiderandus veniat non ut Regius, non ut publicus, ſed ut privatus vel quaſi privatus actus.

§. 5. FORMALITER 10. eſt idem ac *in actu ſignato*, ut ſic *rem formaliter conſiderare* ſit *rem in actu ſignato ſpectare*, cui opponi-

tur: *rem ſpectare in actu exercito.* Hic dicendum venit, quidnam vocetur *actus ſignatus*, quid *actus exercitus?* ACTUS SIGNATUS vocatur *res* aut *notio rei toto genere rebus diverſis communis, quatenus communis eſt toto genere diverſis rebus*, e.gr. res toto genere diverſæ ſunt prædeſtinatio (ut in *Theologia* ſpectatur) cambium, temperamentum, moralitas: dum ergo bene conſidero, quod cuilibet harum rerum ſuæ poſſint aſſignari cauſæ, notio cauſæ ſpectata ut communis eſt rebus toto genere diverſis, recte appellatur *actus ſignatus*: ſi autem præciſe ſpectetur cauſa prædeſtinationis; aut cauſa cambii, ſic adeſt ACTUS EXERCITUS. Unde e. gr. qui præciſe cognoſcit quid ſit cauſa, is conſiderat cauſam in *actu ſignato*: Dum vero ſtudioſus Theologiæ cogno-

ſcit

ſcit, quæ ſit cauſa prædeſtinationis; Studioſus Juris ſibi perſpectum reddit, quæ cauſa ſit cambii, ſic Theologiæ & Jurisprudentiæ ſtudioſi cauſam cognoſcunt *in actu exercito*.

*NOTÆ.*

I. Quia *Scholaſtici* rationem formalem ſeu primum conceptum rei dicunt eſſe id, per quod aliquid ACTU eſt id, quod eſt: Inde factum eſt, ut rationem formalem rei toto genere diverſis rebus communem, item quamcunque notionem rebus toto genere diverſis communem nomine ACTUS cenſerent.

II. SIGNATUM vero ACTUM dixerunt, quando rationem formalem rei aut notionem rebus toto genere diverſis communem ſignificarunt ſolam ac in ſe ſpectatam, non ut huic vel illi rei, ſimulque alii ac pluribus toto genere diverſis ab invicem rebus competit, e. gr. quando conſiderarunt, quid cauſa ſit, quid fundamentum &c.

III. At quando ſpectatur taliſmodi formalis ratio, aut notio, uti quidem applicatur ad materiam aut rem certi generis, ſic quaſi hæc ipſa notio exercetur, dum nempe rei certi generis attribuitur ac decenter applicatur,

inde dixerunt ACTUM EXERCITUM: ut quando oſtenditur, quod meritum Chriſti ſit *cauſa* prædeſtinationis; item quando deducitur, quod intrinſeca moralitas, vi cujus actus dicantur per ſe honeſti aut turpes adeoque ſuapte natura debiti aut illiciti, ſit *fundamentum*, Jurisprudentiæ ac univerſi juris naturalis, ut fundamentalis naturæ lex ſit: Intrinſeca ratione per ſe ac abſoluta neceſſitate honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum.)

IV. Studio dictum fuit, actum ſignatum dari, quando ſignificatur ratio formalis rei aut notio toto genere diverſis rebus communis, ne quis quamlibet rem aut notionem pluribus rebus communem inque ſe ſpectatam ſtatim vocet actum ſignatum, remque in actu ſignato ſpectatam: e.gr. qui in communi conſiderat, quid ſit corpus naturale, quid ſit jus naturæ, non attendendo inferiora, is id propter non dicitur conſideraſſe corpus naturale, item, jus naturæ, in actu ſignato, cum eorundem inferiora ſint ejusdem certe generis, nec temere modi loquendi introducendi ſint, qui a communi & recepto uſu abhorreant.

V. Quia tota prior pars *Metaphyſicæ*, h.e. ea, quæ de realiter abſtractis a materia, ſecundum indifferentiam agit, totaque Analytica ACTUS SIGNATOS h.e. notiones

omnium

Digitized by Google

omnium ac ſingularum diſciplinarum & Facultatum generibus uſu communes tradit..., ideo quisque a præconceptis opinionibus liber videt, omnium Facultatum & diſciplinarum Cultoribus Doctoribusque Metaphyſicam majorem uſum præſtare, quam promittere.

§. 6. FORMALITER II. arguit idem, quod *in ſenſu compoſito*, opponiturque ei de quo hoc vel illud dicitur, adeoque ei attribuitur *in ſenſu diviſo*: E. gr. ſi quis ita argumentetur: Muſicus qui ædificat domum eſt vera cauſa domus ſicque vera cauſa. Muſicus qui ædificat domum eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ. E. Cauſa per accidens ex parte cauſæ eſt vera cauſa. Reſpondetur negando propoſitionem Majorem, ſi ſpectetur *in ſenſu compoſito*: Nempe FORMALITER, h. e. *in ſenſu compoſito* muſicus quando ædificat, non eſt vera cauſa, quia licet vere ædificet ſitq; vera

vera cauſa, non tamen ædificat ut muſicus, adeoque ut talis, nempe ut muſicus non eſt vera cauſa domus, ſed ut architectus, ſi nempe idem ſimul ſit muſicus & architectus: Contra ſi Major propoſitio & concluſio in allato ſyllogiſmo ſumantur *in ſenſu diviſo*, ſic conceditur totum argumentum. Conceditur enim, quod cauſa per accidens ex parte cauſæ, h. e. id quod alio ſenſu dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ, ſit vera cauſa, negatur interim quod FORMALITER ſpectatum, h. e. ſi præciſe ſpectetur ut eſt cauſa per accidens, ex parte cauſæ ſit vera cauſa, e. gr. muſicus qui ædificat domum eſt vera cauſa, ſed FORMALITER non eſt vera cauſa, quia cauſa domus non eſt ut muſicus, licet ſit cauſa domus veriſſima.

*NOTÆ.*

Digitized by Google

## NOTÆ.

I. Exemplo Theologico hujus ſignificationis uſum monſtrare libet. *Becanus* in ſua *Scholaſtica Theologia* contra noſtrates Theologos ſic argumentatur: Actus fidei juſtificantis debet præcedere juſtificationem: Actus quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata non præcedit juſtificationem. E. Actus quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, non eſt actus fidei juſtificantis. Ad hoc Jeſuitæ argumentum dum reſpondent orthodoxi Theologi accuratiores, ſciunt eleganter uti propoſita diſtinctione: Nempe concedunt totum argumentum, ſi actus fidei juſtificantis FORMALITER ſumatur, ut nempe actus fidei juſtificantis idem ſit ac actus fidei, per quam FORMALITER fides eſt juſtificans. E contrario ſi *in ſenſu diviſo* ſpectatus actus fidei juſtificantis dicatur ille actus, in quo quidem natura ſeu ratio formalis fidei juſtificantis non conſiſtit, ut tamen individuo nexu ac neceſſario cum actu, quo Chriſti meritum apprehenditur, ſit conjunctus eique proprius, tunc ſane Major propoſitio falſiſſima eſt. Falſum enim eſt, quando *Becanus* dixerat, actum fidei juſtificantis debere præcedere juſtificationem; Cũ hoc ſaltim valeat de actu fidei juſtificantis, ſi FORMALITER h.e. *in ſenſu compoſito* ſpectetur, ſi nempe conſideretur ille actus, per quem

qua

qua talem fides eſt juſtificans. Unde aliud eſt, actum quempiam eſſe fidei ac fideli ſeu vere credenti proprium, aliud vero eſt, in illo actu naturam fidei juſtificantis in ſenſu compoſito ſpectatæ, h. e. quatenus eſt juſtificans, conſiſtere. Qui enim ab illo ad hoc argumentatur, confundit ſenſum diviſum cum compoſito. Et huc ſpectat doctrina Metaphyſica propoſita, ita eadem utuntur noſtrates *Theologi* accuratiores, quando contra *Becanum* defendunt, fidelem non eſſe, qui non credit ſibi remiſſa eſſe peccata, ut ideo per hunc actum, quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, non pauci e noſtris Theologis fidem definiant, ut tamen habeant hanc definitionem pro definitione à poſteriori. Conf. ea, quæ ſupra c. 4. §. 8. not. 7. p. 353. dicta ſunt.

II. Notum eſt Themidos cultoribus diſcrimen quod in *Juris Romani libris* extat, quando aliud *jus homini cum brutis commune*, aliud *homini proprium* dicitur, de quo an uſum habeat, non modo accuratiores *Philoſophi Morales*, ſed etiam multi celeberrimi *Jureconſulti* valde dubitant. Interim jus quod natura animalia omnia docuerit, defendere volentes, ſi ullum argumentum, quod magnam veritatis ſpeciem præ ſe ferat, unquam propoſuerunt, certe hoc eſt: Judicium quo cognoſcitur fœtum eſſe alendum, eſt homini cum brutis commune. Judicium illud

illud eſt jus naturæ. E. Jus naturæ homini cum brutis eſt commune. Ad hoc argumentum ſi reſpondeatur, in ſubſidium facile jam propoſita doctrina Metaphyſica veniet: Nam Minor propoſitio, ſi ſumatur medius terminus FORMALITER, h. e. *in ſenſu compoſito*, eſt falſa, quod ſi capiatur *in ſenſu diviſo*, eſt vera. Clarius: *in ſenſu compoſito* falſiſſima relinquitur hæc propoſitio: Judicium, quo cognoſcitur, fœtum eſſe alendum, eſt Jus naturæ: In ſenſu diviſo hæc propoſitio concedi poterat. Perinde enim eſt, ac ſi ita argumenteris: Potentia cognoſcendi eſt homini cum brutis communis. Potentia cognoſcendi eſt intellectus. E. Intellectus eſt homini cum brutis communis. Hæc certe concluſio eſt falſiſſima. Dum igitur a non diſtributo ad diſtributum proceditur, vitium in forma committitur, ſed ſimul quoque innuitur, quod judicium, quo judicatur, fœtum eſſe alendum, poſſit dici jus naturale, ut tamen hoc non ſit intelligendum FORMALITER, id eſt, *in ſenſu compoſito*, ſed *in ſenſu diviſo*. Cæterum hæc propoſitio judicium intellectus humani, quo judicatur, fœtum eſſe alendum, eſt jus naturæ; eſt FORMALITER h. e. *in ſenſu compoſito* veriſſima: Conſtat enim, jus naturæ ſæpe ſumi pro dictato rectæ rationis indicante neceſſariam actus convenientiam aut disconvenientiam cum natura rationali. III. Et

III. Et tantum dixiſſe ſufficiat de variis vò FORMALITER ſignificationibus: nondum tamen omnes, quod ingenue fatemur, recenſere voluimus, ne lectori pareretur tædium. In ſequentibus quando peculiari capite de MATERIALI & FORMALI agetur, plura huc ſpectantia occurrent.

# CAPUT SEXTUM
## DE
# COMMUNIBUS AD UNUM,
### *hoc eſt,*
### iis, de quibus ſi quæratur, quid FORMALITER ſint? erudite ac ſufficienter reſponderi poteſt; unam tamen ac communem RATIONEM FORMALEM, aut prorſus reſpuunt, aut inæqualiter communicant.

### §. I.

QUid ſint COMMUNIA AD UNUM, & quot dentur eorum claſſes? facillima ac ſatis commoda methodo fortaſſis monſtratur, ſi ita procedatur: Duo vel plura uno eodemque nomine ſignificata aut ſecundum idem nomen ha-

habent eandem rationem formalem, aut non habent: Si non habent eandem rationem formalem ſecundum idem nomen, aut habent rationes formales diverſas ſecundum illud nomen, & ſic ſunt ÆQVIVOCA: aut non habent rationes formales diverſas ſecundum illud nomen, & ſic ſunt COMMUNIA ad UNUM, quæ propius accedunt ad æquivoca: Si habent eandem rationem formalem ſecundum idem nomen, illa ratio formalis ipſis competit vel æqualiter, & ſic ſunt UNIVOCA; vel inæqualiter, & ſic iterum ſunt COMMUNIA AD UNUM. Sed hic amplius diſpiciendum venit, num unum ſit alterius, vel ſi plura fuerint, reliquorum exemplar, nec ne? Si prius, ſunt COMMUNIA AD UNUM, quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca:

Si poſterius, ſunt COMMUNIA AD UNUM, quæ propius accedunt ad univoca.

## NOTÆ.

I. Nullum dubium eſt, quin doctrina de κοινοῖς πρὸς ἓν communibus ad unum in tantum ſpectet ad Metaphyſicam, in quantum ad quæſtionem, quid FORMALITER ſint? reſponderi poteſt. Nec vero poſſumus, quin una probemus judicium Viri magni nominis, Dn. D. Dreieri, quod in *Philoſophia ſua Prima* tulit, dum *diſp. III.* quæ adhuc agit de natura & conſtitutione Philoſophiæ primæ, *§. 14. pag. 48.* ſcribit: Doctrina de communibus ad unum *maximum habet uſum in tota Philoſophia Peripatetica: Scholaſtici vero naturam eorum non obſervantes, & Philoſophiam primam & omnem pene ſolidam philoſophandi rationem perverterunt.*

II. Interim non eſt, cur quis metuat confuſionem doctrinarum Metaphyſicarum & Analyticarum: Sicut enim aliud eſt agere de ratione formali, aliud de definitione eſſentiali: Illa tractatio ad Metaphyſicam, hæc ad Analyticam ſpectat; Ita dum Analyticus ex profeſſo docet, quod communia ad unum accurate definiri nequeant, adhuc tamen accurate doceri ac diſci poſſint, ex Philoſophia prima, quam hodie Me-



Digitized by Google

[Met]aphyſicam appellant, petit fundamenta, ad quæ tandem recurrendum eſt. Nam licet nemo de eo cogitet, quod per omnia diſciplinarum genera vagentur inque omni doctrinæ genere occurrant innumera exempla COMMUNIUM AD UNUM, ea tamen in omnibus diſciplinis & Facultatibus dantur, atque nemine cogitante verum ac reale fundamentum arguunt, vi cujus, utut multipliciter dicantur ſecundum idem nomen, ſub uno tamen eodemque nomine ad unum nemine cogitante reduci queant.

III. Plerisque ex hodiernis Philoſophiæ Cultoribus hæc ipſa doctrina de COMMUNIBUS AD UNUM intricata, ſpinoſa, parum utilis, vel prorſus inutilis apparet: Eo vero minus miramur, hæc tædia ac odia adverſus tam neceſſariam utiliſſimamque doctrinam concipi, quo magis magisque ponderamus, quod pauci ſint, quos æqvus adeo amaverit Jupiter, ut Græcam Philoſophiam in aliquo pretio habeant: Imo ſi forte adhuc ſunt, qui aliquam Græcæ Philoſophiæ cognitionem ſibi parare geſtiunt, pauciſſimi tamen invenientur, qui prorſus neceſſariis adminiculis ſeſe inſtruxerint, quorum (adminiculorum) numerum maxime augent: *Lingvæ græcæ peritia*, hanc qui neſciunt, Ariſtotelem neſciunt; quis enim a verſione pendeat, quæ profecto non raro

vim infert textui, plerumque obſcurior eſt textu, & ubi adhuc a græcanicæ dictionis perito intelligi ipſiusque lectionem adjuvare poteſt, ibi a Græci ſermonis ignaro intelligi nequit, & *commentarii lucidiores*, e quibus eligendi veniunt antiquiores, qui Pallade magis propitia abdita ſenſa rimati ſunt: Quis vero inter hodiernos Philoſophiæ ſtudioſos facile eſt, cui vel nomina Græcorum Commentatorum nota ſint, non dicam, qui eos legerit, tantum abeſt, ut adjiciam, quod adjiciendum maxime erat: qui cum judicio eos legerit? In plurimorum labris natat illud: *Græca ſunt, non debent legi.* Quid? quod pauciſſimi inveniantur, qui vel tantillum temporis impendant ſtudiis Philoſophiæ primæ, ut vel fugitivo aut torvo oculo legant illa Latina ſcripta, quibus præſtantiſſimi Viri ex *Ariſtotele* & *optimis antiquis, Græcis* præſertim, *Commentatoribus* methodo ſcientifica collegerunt ac conſcripſerunt cognitu maxime neceſſaria utiliſſimaque dogmata. Teſtatur alicubi accuratiſſimus *Scherbius*, ſe neceſſum habuiſſe ſæpius cum talibus ægris verſari, ubi morbi hoc prope pathognomicum ſignum viſum fuerat: FASTIDIUM INGENS, ET CONTEMTUS QVIDAM INSOLENS OMNIS VETERIS PHILOSOPHIÆ, CUM PERPETUO INNOVANDI PRURITU CONJUN-

JUNCTUS. Avertat Deus, ne hoc ſymptoma, ceu veriſſime vocat Vir laudatiſſimus, conſimile admodum ei, quod eſt interdum in mulieribus gravidis, quæ magna cacochymia oppreſſæ, optimos & ſaluberrimos cibos negligunt, ac eorum loco, carbonibus & cineribus paſcuntur, indies creſcat, illudq; *Horatii* obtineat:

*Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.*

IV. *Scotus* omnesque ejus ſectatores negarunt ac pernegarunt dari medium inter univoca & æquivoca. Rationes eorum ſunt ſequentes: (1) quia univoca & æquivoca important definitiones vere contradictorias, cum univoca ſint, quæ ſecundum idem nomen commune habent eandem rationem formalem; æquivoca dicantur, quæ ſecundum idem nomen commune non eandem rationem formalem habent, ſed diverſam: At habere eandem rationem formalem ſecundum nomen commune, & non habere eandẽ rationem formalem ſecundum nomen commune, ſunt definitiones vere contradictoriæ. (2) Quia neq; in rebus, neque in vocibus, inter unum & multa poteſt ullum medium reperiri. Ergo nec inter univocum & æquivocum, cum univocum & æquivocum opponantur per τὸ ſignificare unũ & multa. Urget hanc rationem doctiſſimus Scotiſta, *Johannes de Rada Aragonius Episcopus Partenſis*, *Controverſiarum*

*verſiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum lib. 1. ſent. controv. 2.* (3) Quia quæ ab aliis *Scholaſticis* media ſtatuuntur inter univoca & æquivoca, dicunturque ANALOGA, vel ſunt *analoga inæqualitatis*, quæ ſcilicet ſecundum unum & commune nomen habent, prorſus eandem rationem formalem, ita tamen ut unum eandem prorſus habens rationem formalem altero, vel ſi plura fuerint reliquis, ſit nobilius: vel ſunt *analoga proportionis*, quæ ſecundum unum ac commune nomen habent rationes formales inter ſe diverſas, tamen proportione quadam inter ſe ſimiles: vel ſunt *analoga attributionis*, quæ ſecundum unum & commune nomen aut habent rationes formales nec easdem nec diverſas, aut ita habent rationes formales easdem, ut tamen non æqualiter, ſed inæqualiter ipſis communes ſint. *Illa* ſunt univoca, quia genus in uno cum nobiliori differentia conjungi quam in altero, non impedit univocationem: *Iſta* ſunt æquivoca, quia habent ſecundum unum idemque nomen diverſas rationes formales: *Hæc* vel ſunt æquivoca, ſi non habent easdem rationes formales; vel ſunt univoca, ſi habent easdem rationes formales inæquali modo: nam ea inæqualitas eſt extra rationem formalem communem: e.gr licet accidens poſterius ſit ſubſtantia, & ab ea dependeat, tamen poſterius ea eſt & de-

pen-

pendet, non in ratione formali entis ſeu quatenus ens eſt, quia alias omne ens eſſet poſterius & dependens, cum a quatenus ad de omni valeat conſequentia: Sed in ratione accidentis ſeu quatenus accidens eſt. Pariter licet ſubſtantia ſit prior accidente, & independens, tamen prior eſt eo & independens, non in ratione formali entis ſeu quatenus ens, ſed in ratione ſubſtantiæ.

V. Sed ad hæc *Scoti* omniumque cum eo hodie ſentientium argumenta reſpondere facile eſt, difficile vero evadit, Philoſophiæ Cultori præconceptis opinionibus imbuto eas reſponſiones commendare, cui ſemper difficilius eſt dediſcere, quàm diſcere. Ad 1. reſpondetur negando, quod univoca & æquivoca, ſi utraque ſtricte & in rigore accipiantur, importent definitiones contradictorias: Nam nec hæc perfecte dicuntur ea quæ ſecundum idem ac commune nomen non habent eandem rationem formalem: nec illa perfecte definiuntur, dum definiuntur, quod ſint ea quæ ſecundum idem ac commune nomen habent eandem rationem formalem: Utraque enim formula definitionis latior eſt ſuo definito, quia quædam quæ non ſunt univoca ſtricte & in rigore ſic dicta, habent eandem rationem formalem, &, quædam quæ nequeunt dici æquivoca ſtricte & in rigore talia, non ha-

bent eandem rationem formalem, ceu ex *ſequentibus* §§. patebit. Quo igitur jure definitiones dici poterunt univocorum & æquivocorum eæ prædicationes, quæ latius patent quam definita? Perinde eſt, ac ſi quis definitiones contradictorias angeli & animalis dicere vellet, quod angelus ſit ſubſtantia immaterialis, animal vero ſit ſubſtantia materialis: Latius enim patet ſubſtantia immaterialis quam angelus, latiusque patet ſubſtantia materialis quam animal. Excipi hic poterat, adhuc tamen veriſſimum relinqui, quod univoca & æquivoca reſpectu ejusdem importent rationes contradictorias, cum negari nequeat, quod univoca ſecundum unum & commune nomen habeant eandem rationem formalem, æquivoca vero ſecundum unum & commune nomen non habeant eandem ratione͂ formalem. Reſpondetur, hæc omnia eſſe veriſſima, ex iis tamen nullatenus evinci poſſe, quod medium inter univoca & æquivoca dari nequeat. Non enim, quæcunque rationes contradictorias reſpectu ejusdem important, ſtatim id propter omne reſpuunt medium, ceu ſupra *cap. 1. Axiom. II. pag. 199. & ſeqq. uſque ad pag. 206.* docuimus. Non enim ſunt rationes immediate contradictoriæ, quas univoca & æquivoca importare dicebantur. Nam ſicut e. gr. mediæ ſubſtantiæ dantur inter angelos & ani-

Digitized by Google

nimalia, ita media habentia unum idemque nomen commune dantur inter univoca & æquivoca. Ad 2. dicimus, quod omnino inter unum & plura detur medium: Medium vero eſt *nullum*. Unde quantum ad præſens attinet, monendum ducimus fieri poſſe, ut duo pluráve unum & commune nomen habentia ſecundum illud nomen nec habeant eandem rationem formalem, nec habeant diverſas rationes formales, ceu mox pluribus exemplis declarabitur. Sicut enim non ſequitur, ut qui unius regni domini ac poſſeſſores non ſunt, idpropter plurium regnorum domini ſint ac poſſeſſores: nec ſequitur; ut qui unum pallium non habent, plura pallia habeant, cum fieri poſſit, ut unus ſit regni dominus, alter minime; unus habeat pallium, alter eo careat: Ita nec licet argumentari ab habentibus unum ac commune nomen nec tamen habentibus unam eandemque rationem formalem ſecundum illud nomen, ad habentia diverſas rationes formales ſecundum illud nomen. Ad 3. reſponſi loco notandum eſt, *Thomæ* iisque qui ab ipſius partibus ſtant analoga attributionis dici, quæ *Ariſtoteli* communia ad unum dicuntur. Res eadem, modus loquendi novus & certe haud congruus. Nam analoga ſic dicuntur ab *ἀναλογία*, ſuntque analoga nihil aliud quam proportionem habentia. Ergo analoga pro-



Digitized by Google

portionis erunt habentia proportionem proportionis. Ἄτοπον. Omnium certe accuratiorum conſenſu ἀναλογία, latine proportio, conſiſtit in quatuor terminis, quorum uti primus ad ſecundum, ita tertius ad quartum ſe habet. Fruſtra igitur diſtinguitur inter analoga proportionis, inæqualitatis & attributionis, cum analoga recte & accurate ſic dicta non dicantur, niſi quæ propter ἀναλογίαν, h. e. proportionem idem habent nomen, non vero eandem rationem formalē nomine illo notatam: e. g. pes hominis & pes lecti, caput hominis & caput veræ Eccleſiæ, συνάλλαγμα ἑκούσιον & συνάλλαγμα ἀκούσιον, h. e. contractus voluntarius & contractus involuntarius. Et licet multa ſimul ſint ἀνάλογα & κοινὰ πρὸς ἕν, analoga & communia ad unum, nulli tamen dubitamus, quin analoga qua talia, ſicque etiam ea communia ad unum quæ & quatenus ſunt analoga, referri poſſint, imo debeant ad æquivoca conſilio talia: nam quæ propter analogiam æquivoca ſunt, conſilio talia ſunt. Analoga vero inæqualitatis, quæ certe nihil minus ſunt quam analoga, utique manent univoca ſtricte & in rigore ſic dicta: Falſum enim eſt, quod eqvus minus dicatur animal, magis vero homo animalis nomine cenſeatur? Utut enim homo equo ſit præſtantior, non tamen in homine & equo, quatenus generis (animalis) participes ſunt,

ſunt, prius poſteriusve cernitur. Homo namque nec magis nec prius equo animal eſt, ſed æqualiter rationem formalem animalis homo & eqvus participant.

§. 2. *Communia ad unum, quæ propius accedunt ad univoca*, in eo conveniunt cum univocis, quod ſecundum unum & commune nomen habeant eandem rationem formalem: *In eo differunt ab univocis*, quod hæc ſecundum unum & commune nomen habeant eandem rationem formalem æqualiter ſingulis competentem, illa vero inæqualiter & nomen & rationem formalem participent: e. gr. homo & eqvus ſunt univoca, habentque & nomen æqualiter commune, quia æque dicuntur animalia; & ſecundum illud nomen eandem rationem formalem æqualiter utrique communem. Homo enim & eqvus æque ſunt ſubſtantiæ naturales animatæ

mata: ſentientes, nec prius poſteriusve in his animalis ſpeciebus cernitur, nec una harum ſpecierum ſublata, alteram auferri neceſſe eſt: E contrario ſubſtantia & accidens nomen (ens) & rationem formalem ſecundum illud nomen inæqualiter participant, ſiquidem ſubſtantia prior eſt, accidens poſterius: & ſubſtantia ſublata, accidens quoque tollitur, unde ſequitur, quod ſubſtantia τοῦ ὄντος magis ſit particeps: Ea enim ſubſtantiæ vis eſt, ut faciat eſſe accidentia, utpote quæ ipſi innituntur: verum ut ſubſtantia ipſa ſit, accidentium non eget auxilio.

### *NOTÆ.*

I. Hæcce communia ad unum quæ propius accedunt ad univoca, *Thomas Aquinas* dixit *analoga attributionis intrinſecæ*, quam appellationem multi ex hodiernis Philoſophis non modo retinent, ſed & *Ariſtotelis* ac *Græcorum* modo loquendi præferunt. Primus enim, quod ſciam, inter *Scholaſticos*, qui de

de analogis variorum generum ſcripſerunt, ſuit *Thomas*, qui mentem ſuam paſſim in ſcriptis ſuis, cum primis vero in *commentariis ad libros Ariſtotelis Metaphyſicos*, ſat perſpicue expoſuit.

II. Cur Analoga vocent communia ad unum, nulla ratio apparet: Ibi enim dantur analoga, ubi locum invenit ἀναλογία. Jam vero omnibus, ut ante diximus, liquere poteſt, ἀναλογίαν, h. e. proportionem, unanimi eruditorum conſenſu conſiſtere in quatuor terminis: At nemo in analogis attributionis intrinſecæ, ut vocantur, hos quatuor terminos inveniet. Unde adhuc deſideramus rationem appellationis, niſi forte cum Viro alias ingenioſiſſimo dicendum ſit communia ad unum dici analoga h. e. proportionem habentia, quod ipſis nunquam æqualiter unum nomen competat, ſed pro portione h. e. inæqualiter ipſis attribuatur, cui tamen etymologiæ vix quiſquam ſine riſu fidem habebit. Analoga igitur attributionis dixerunt, ne quis crederet intelligi analoga ſimpliciter ſic dicta, quæ ipſis analoga proportionis vocantur: Quaſi vero proportionis daretur proportio. Cæterum cur analoga attributionis intrinſecæ nuncupent, facile datur aſſequi, nempe quia unam & eandem rationem formalem, (utut non æqualiter & pari honore, ut *Suidas* loquitur) com-

Digitized by Google

communicant: e.gr. anima in ordine ad nutrientem (vulgo ſic dictam vegetantem, item vegetativam) ſentientem & intelligentem, recte dicitur eſſe in numero communium ad unum, negari vero nequit, quod & anima nutriens, & anima ſentiens, & anima intelligens, omnes ſua natura & intrinſecus, non extrinſeca tantum denominatione animæ ſint, inde quoque factum eſt, ut *Ariſtoteles* naturam ſeu rationem formalem omnibus animabus communem explicaturus animam in communi definiverit per ἐντελέχειαν πρώτην (*Latini Philoſophi* minus feliciter verterunt: actum primum) corporis organici vitam potentia habentis. Tota igitur Philoſophia de anima eſt ſcientia communis ad unum: Pariter ſi ſpectetur ens, prout dicit id, quod vere & realiter exiſtit, ſeu ut vulgo Scholæ loqvuntur, quod eſt extra nihil, nequit in dubium vocari, quod ſubſtantia & accidens ſua natura & intrinſecus, non externa tantum denominatione Entia ſint, & recte huc reducantur. Interim (ceu in hoc ipſo §. monuimus) omnino notabile diſcrimen adhuc intercedit inter univoca ſtricte dicta & communia ad unum, quæ propius ad eadem accedunt: nam quæ vere univoca ſunt, illa ſic dicuntur in ordine ad ea, quæ naturam unam & eandem æqualiter & pari honore communicant: e.gr. animal

Digitized by Google

mal reſpectu hominis & bruti: E contrario communia ad unum, quæ propius accedunt ad univoca, ſic dicuntur in ordine ad ea, quæ unam & eandem naturam inæqualiter participant: e.gr. inæqualiter participant naturam animæ, anima nutriens, ſentiens & intelligens, quæ inæqualitas in eo conſiſtit, quod in ipſis ordo ſit, & altera alteram agnoſcat ſe priorem ac prærequirat. Eadem ratione inæqualitas poteſt conſpici in ſubſtantia & accidente: tolle per impoſſibile omnem ſubſtantiam, nullum dabitur accidens, tolle accidens, adhuc dabitur ſubſtantia: niſi ſubſtantia detur, nullũ ens dabitur, unde ut ens detur, oportet ſubſtantiam dari, cum tamen ens adhuc dari poſſit, licet nullum detur accidens.

III. *Ariſtoteles* & *Græci Interpretes* ut hoc diſcrimen accuratius explicarent, diſtinxerunt inter id, quod pluribus commune eſt κτ' μίαν φύσιν ſecundum unam naturam, & quod pluribus commune eſt πρὸς μίαν φύσιν ad unam naturam: Illud dicentes univocum, hoc commune ad unum, propius imo proxime accedens ad univocum. Et quod notatu dignum credimus, *Græci Interpretes*, ut hæc duo idoneis rationibus diſcernerent, dixerunt univocum in rigore ſic dictum arguere naturam ſupra ea, reſpectu quorum univerſale dicitur, quaſi poſitam. Si enim e.gr.

natu-

naturam animalis quis velit cognoſcere, eam æque cognoſcere poteſt ac ſatis perſpectam ſibi reddere, ſi cognoſcat hominem, atque ſi cognoſcat brutum, & contra. Certum enim eſt per ſe poſſe cognoſci animal, nullo habito reſpectu ad inferiora, & cognoſci quoq; poſſe per utrumque inferius, hoc eſt, per ſeorſim ſpectatum hominem & ſeorſim ſpectatum brutum: Contra, communia ad unum, quæ propius accedunt ad univoca, nullam ſignificant communem naturam ſupra inferiora quaſi poſitam, quia in uno inferiori natura talismodi communis exactius cognoſci poteſt, quam in altero, nec talia inferiora accurate & recte dicuntur ſpecies: Ut enim ante oſtendimus ſublata ſpecie aliqua, quæcunque illa fuerit, recte ſcilicet & accurate ſic dicta, non ſtatim ipſum genus tollitur: remanet æque illa generica natura in ſpecie remanente, quamcunque tandem ſpeciem ſuſtuleris: Interim quia inferiora ſpectata in ordine ad commune ad unum propius accedens ad univocum, omnia ac ſingula formaliter talia ſunt, qualia eſſe dicuntur, omnino accedunt proxime ad inferiora ſub univoco contenta, adeoque hoc ſenſu *quaſi ſpecies* entis dicuntur ſubſtantia & accidens, *quaſi ſpecies* animæ anima nutriens, ſentiens & intelligens, nuncupantur.

§.3. Quam

Digitized by Google

§. 3. Quam inſignem uſum hæc doctrina *de communibus ad unum propius ad univoca accedentibus* præſtet, in Analyticis uberrime traditur: Sane tota doctrina de anima, de ente, de ſubſtantia, de accidente, de figura, de numero, de motu, de actionibus moralibus, earundem moralitate, ac regula obligante, quam legem dicimus, in Theologia de creatione, prædeſtinatione &c. in Jurisprudentia ac Politica de dominio, de jure, quod JCti nomine ſui appellant, de contractu & quaſi contractu, de bello ejusque jure &c. & ſexcentæ doctrinæ aliæ, imo certe innumeræ longe felicius ac rectius diſcuntur, ſi rite ac recte prius percepta fuerit univerſa doctrina de hisce communibus ad unum, (iis ſcilicet quæ propius ad univoca accedunt) quorum prima notio ac fundamen-



Digitized by Google

tum ex ipſa prima Philoſophia peti poteſt ac debet. Hoc imprimis notetur, quod quid ſit hoc ipſum, cui notio noſtri communis ad unum tribui recte vereque poſſit, diſci ac doceri queat: e.gr. diſci docerique poteſt in communi, quid anima ſit, priusquam ad animam nutrientem, ſentientem & intelligentem veniatur: diſci docerique poteſt in communi, quid ens ſit, priusquam deſcendatur ad ſubſtantiam & accidens; quid actio moralis, quid moralitas, quid lex, quid figura, numerus, motus &c. Interim ſimul accurate teneatur, exactam & omnibus numeris abſolutam definitionem earum rerum, quæ ad hanc communium ad unum claſſem ſicq; propius ad univoca ſtricte dicta accedunt, fruſtra expectari ac urgeri.

NO-

## *NOTÆ.*

I. Laborant ἀπαιδευσίᾳ aut ad minimum nondum ſatis πεπαιδευμένοι ſunt, qui pro diſtinctiſſimis habere neſciunt, tradere in communi, quid ſit hoc vel illud? & tradere exactam omnibusque numeris abſolutam definitionem rei in communi ſpectatæ: Ab illo enim ad hoc non valet conſequentia.

II. Ita e. gr. quid in communi ſit ens, doceo, dum nempe doceo, id dici ens, quod eſt extra nihil, quod veré & realiter exiſtit, quod citra mentis operationem actu eſt, h. e. quod actu eſt, licet nemo cogitet, illud actu eſſe, quod habet veram ac realem exiſtentiam, hac certe formula ſubſtantia & accidens ſignificantur, ut quisque facile videt: Nemo vero tam abſurdus fuerit, ut definitionem entis omnibus numeris abſolutam ac perfectam his formulis traditam afferat: ubi enim eſſet genus entis in communi? ubi ſpecifica differentia? absque genere vero & differentia ſpecifica definitio accurate ſic dicta dari nequit, omnibus ſanioribus id ſponte admittentibus. Pari modo *Ariſtoteles*, priusquam progreſſus fuiſſet in ſcientia de anima libris ad facultates & gradus proprios animæ, in anteceſſum definivit quidem, quid ſit anima in communi, mox vero adjecit ac monuit, imperfectam ac rudem definitionem animæ in communi datam eſſe, accuratam ac rectiſ-

ſime ſic dictam haberi nunquam poſſe, ideo quod anima ſit ex communium ad unum, propius ad univerſalia accedentium numero.

III. Exemplo luculento in gratiam Theologiæ Studioſorum modum cognoſcendi communia ad unum, quæ propius accedunt ad univoca, illuſtrabimus. Quia ad quæſtionem: Quid *formaliter* ſit generatio? ex *Ariſtotelis Philoſophia naturali* reſponderi ſolet; quod ſit *mutatio ex non-ſubjecto in ſubjectum, ſive ex non-ente in ens.* Quam reſponſionem clarius exprimere volentes dicunt, generationem eſſe mutationem a non eſſe formæ ſubſtantialis ad eſſe ejus in materia. (Hinc etiam quemadmodum omnem mutationem docent eſſe in aliquo ſubjecto inter duos terminos, ita hæc tria ut eſſentialia requiſita generationis adferunt, ſubjectum vocantes materiam, terminum a quo non eſſe formæ in materia, terminum ad quem eſſe formæ in materia.) Inde igitur occaſio nata eſt diſquirendi: *Num* quia omnis ſubſtantia (ſaltem completa, ſi de incompleta adhuc dubitationes ſunt) quæ generatur, ex materia ſubſtrata (ut vocant) ſeu aliquo ſubjecto producitur, etiam *omnis illa ſubſtantia, quæ producta eſt ita, ut ex aliquo ſeu ſubjecta materia producta fuerit, generata dicenda ſit,* ſi velimus in rigore terminum accipere, *ipſiusque*

*vene-*

*venerandæ Antiquitatis*, inprimis *Ariſtotelis*, veſtigia legere? Sic enim plura Sacræ Scripturæ nobis ſuppeditant productionum exempla, ut quando in creatione totius mundi bruta animalia dicuntur producta e terra, piſces ex aqua, volucres ex aere, Adamus e gleba terræ, Eva e coſta Adami; Ita alibi e baculo ſerpens, ex aqua vinum produci dicuntur, & quæ id generis productionum innumera occurrunt alia exempla, de quibus, qualismodi productiones fuerint, controvertitur. Quid? quod negari nequeat, ipſum cœlum ipſamque terram eſſe ex materia producta: Conſtant enim ex materia, quia ſunt corpora naturalia. Ergo oportet etiam ea eſſe producta ex materia, juxta illud: Ut ſe res habet in fieri; ita etiam ſe habet in facto eſſe. Utut vero nobis animus nunc non ſit generationis ſubſtantialis rationem formalem accuratiſſime ac abunde expendere, liceat tamen, priusquam ad ipſam hancce quæſtionem principalem detur reſpondere, circa generationis ſubjectum pauca quædam in anteceſſum prælibare. Hoc certo certius eſt, *id quod generatur, revera fieri*, &, cum antea non fuerit, eſſe incipere. Senſibus itidem ſatis obvium eſt, *omne, quod ſit* per generationem, *fieri ex aliquo*: Liquet id ipſum inductione omnium exemplorum in hoc univerſo, ut in præſenti *Ariſtoteles* optimo jure

ad pleniſſimum *totius Antiquitatis* conſenſum provocaverit, unde inter Axiomata quoque ſua vulgo referunt *Philoſophiæ naturalis Dd.* hoc ipſum effatum: Ex nihilo nihil fit, cujus certitudinem adeo infallibilem *Veteres* judicarunt, ut potius nonnulli auſi fuerint negare generationes ſubſtantiales rerum, quam concedere, quod aliquid ex nihilo queat fieri: Ita *Parmenides* atque *Meliſſus*, teſte *Ariſtotele l. 3. de cœlo. c. 1. text. 2.* omnino abſtulerunt generationem & corruptionem, nihilque eorum, quæ ſunt, aut generari dixerunt, aut corrumpi, ſed ſolum videri ita nobis. Quibus ex parte ſeſe ſocium præbuiſſe fertur *Anaxagoras*. Pariter ſecundum *Ariſtotelicos* ipſamque rei veritatem ea omnium in natura eſt ratio, ut *nec quidvis agat in quodvis*, nec quidvis a quovis patiatur, *nec quodlibet ex quolibet fiat:* Patet id inductione, quandoquidem ex eo e. gr. ex quo homo fit, nemo unquam vidit fieri canem, aut ſimiam, aut plantam, aut lapidem, aut metallum: nec ex quo metallum fit, fieri deprehendit canem, aut ſimiam, aut plantam, aut lapidem, & ſic in cæteris, ſed potius omni exceptione majora teſtimonia confirmant, cujusvis rei dari certam & definitam materiam, ex qua ipſa fit & non alia. Neque de hoc ullum unquam extitit dubium, quando *Ariſtotelici omne id, quod fit ex aliquo, ita docent fieri ex eo, ut illud*

*illud* ipſum ſubjectum, *e quo fit, non fit illud ipſum, quod fit.* Sicut e. gr. nec canis ex cane, nec planta ex planta, nec aurum ex auro: Si enim jam eſſet, nec fieri demum poſſet, nec opus eſſet, ut fieret. Hoc itidem eſt extra controverſiam, *quod materia* ſeu ſubjectum, ex quo res fit, *utut res ipſa non fit, ſit tamen illa potentia,* hoc eſt, ad ipſam habeat potentiam, ſeu quod idem eſt, res ex eo poſſit fieri. Si igitur κατὰ πόδα ſequi velimus *Ariſtotelis* principia, defendenda erunt hæc aſſerta: *Non omnis productio ex ſubjecto proprie eſt generatio, nec omne ſubjectum, ex quo producitur aliqua ſubſtantia completa,* rigoroſe philoſophando *eſt in vera potentia,* liceat barbaro uti termino, *cauſativa ad illud.* Nam quia ſubjectum non eſt ipſa illa res, quæ ex eo producenda eſt, ut ex ſenſibus conſtat, unde ut ex ſubjecto res fiat aut ſit, requiritur aliud quid, ex quo res potiſſimum ſuam habeat eſſentiam atque denominationem, quod quidem illud eſt, quod ante generationem aberat a ſubjecto, generatione autem acquirebatur atque inducebatur, vocaturque *Ariſtoteli* εἶδος, οὐσία, λόγος τῆς οὐσίας, μορφή, ſpecies, eſſentia, ratio eſſentiæ, *forma, ut ita nulla res fiat* vel facta ſit, *niſi e ſubjecto per transmutationem, ubi forma ei inducitur aut inducta eſt.* At neque ſubjectum transmutari, neque forma ſubjecto induci in generatione ſubſtantiali,

neque per conſequens res generari poteſt, niſi præviis quibusdam ſubjecti alterationibus, ut *Phyſici* vocant, & diſpoſitionibus: Provocamus ad ſenſuum & rationis evidentiſſima teſtimonia. Cernimus illud in omni generatione, cum quicquid generans producit, non niſi ex habili & diſpoſita materia poſſit producere. *Accuratiorum Metaphyſicorum & Phyſicorum* auctoritate comprobatiſſimæ rationes evincunt, quod materia per transmutationem cauſa generationis nequeat exiſtere, niſi in potentia fuerit proxima ad generationem: Jam vero, quamdiu ſubjectum non eſt habile & diſpoſitum, tamdiu non eſt niſi in potentia remota ad hoc, ut res ex eo fiat. Hoc igitur volumus: *Alterationes & diſpoſitiones* nequaquam quidem vera cauſa ſunt, cur materia transmutetur, neque vera cauſa ſunt, cur forma materiæ inducatur, interea tamen hoc præſtant, ne ſubjectum in transmutatione impediatur formaque in inductione, cum profecto ſubjectum transmutari non potuiſſet, nec forma ſubjecto induci, niſi præviæ fuiſſent quædam alterationes, ut vocant, & diſpoſitiones, *quas dicimus cauſam ſine qua non omnis in univerſum proprie dictæ generationis.* Ex hiſce allatis Ariſtotelicæ Philoſophiæ principiis naſcitur tale argumentum: Generatio eſt mutatio non entis in ens. Sed non

omnis

Digitized by Google

omnis productio, quæ ex ſubjecta materia fit, eſt mutatio non entis in ens. E. non omnis productio, quæ ex ſubjecta materia fit, eſt generatio. Major eſt generationis, prout in naturali ſcientia accipitur, definitio. Minor autem ex eo liquet, quia productiones iſtæ, quarum ſcilicet in ipſa principali quæſtione mentionem fecimus, ex talibus ſubjectis fiunt, de quibus non poſſumus dicere, quod, dum non ſunt ipſa entia, (e.g. terra, aqua, aer, gleba, coſta &c.) ſint hæc δυνάμει ſive potentia proxima, eo ſenſu, quo e. gr. ovum eſt potentia avis, ſemen potentia planta, aqua potentia vapor. Nam in quibus eſt potentia, non niſi remota eſt: qua quidem ipſa ad ſuſcipiendam formam non ſunt diſpoſita. Sicut e. gr. nemo dixerit, vinum, quod bibimus, aut cibum, quo fruimur, vel etiam chylum inde confectum, eſſe materiam generationis noſtræ, aut hominem δυνάμει. Ex alimentis enim adſumtis ac immutatis fit chylus, ex hoc ſangvis, ex hoc porro liquor iſte, ex quo in utero collecto conſiſtit κύημα ſive ſemen, ex quo formatur homo. Et tale ſubjectum ſemper intelligitur, quando *in Phyſicis* ὂν δυνάμει dicitur, in quo ſcilicet utut forma non habeatur, tamen δύναμις ſive potentia proxima, ut inde vel educatur, vel ei ſaltem inducatur ac uniatur. Quid? quod multi expreſſe aſſerant, nullam potentiam

vel cauſam remotam, ut eſt remota, eſſe veram cauſam vel potentiam? Quo de nos in præſenti non ſumus ſolliciti. Et ſane huic ſententiæ omnes orthodoxi Theologi propoſitæ quæſtionis negativam rigide defendendo ſuffragantur. Interim hanc ſententiam videntur potiſſimum ſequentes duæ difficultates, ſi non opprimere, vehementer premere. Una eſt, quod diviſio productionis, qua ſubſtantia completa producitur, in creationem & generationem videatur immediata: Jam autem creationem omnes cum *Auguſtino lib. 12. de Civ. Dei & Damaſceno lib. 1. fid. Orthod. c. 8. & lib. 2. c. 1.* definiunt, quod ſit *productio rei ex nihilo.* Hinc firmiſſime videtur deduci, quod generatio ſit productio rei ex aliquo tanquam ex materia generationi ſubjecta. Inde ergo ſequentes propoſitiones ſponte ſua naſcuntur: Quicquid creatur, producitur ex nihilo. Quicquid generatur, producitur ex aliquo. Quicquid ex nihilo producitur, creatur. Quicquid producitur ex aliquo ſubjecto, generatur. Altera difficultas eſt, quod conceptus generationis phyſicæ non debeat confundi cum generali generationis conceptu. Ut aliquid creatum ſit & dici ita queat, rigoroſe requirunt, ut ſecundum ſe totum, ſeu (ut *Thomiſtæ* loqvuntur) in quantum ens eſt, productum ſit ex nihilo, non tanquam materia, aut aliqua

alia

alia re ad conſtitutionem ejus pertinente, ſed tanquam ex termino a quo, ita ut ſicuti prius ſecundum ſe totum nihil fuit, ſic nunc ſecundum ſe totum aliquid fiat. Hinc ergo negant aliqui, ſufficere ad creationem, ſi materia ſubjecta non fuerit in potentia naturali proxima ad hoc, quod ex ea factum eſſe dicitur, cum exinde nondum ſequatur, quod res facta non aliter producta fuerit quam ex nihilo, quia revera producta eſſet ex aliquo tanquam materia ſubjecta, licet inhabili. Itaque productionem ex materia habili & ſatis conveniente, a natura ipſa tali generationi deſtinata & adaptata, dicunt eſſe *generationem phyſicam*: E contrario productionem ex materia naturaliter inhabili, & in qua ſuis viribus relicta non eſt niſi potentia remota ad eſſe formæ ſubſtantialis, vocant *generationem ſupernaturalem*, ut tamen utraque generatio, phyſica & ſupernaturalis, ſit vera generatio, & in communi ratione *productionis ex aliquo ut materia ſubjecta ſeu ſubſtrata* ambæ conveniant. Ad hæc argumenta contraria (quibus impugnari receptam ac comunem *orthodoxorum Theologorum* ſententiam, ipſamq; pro ea, cui omnis ἀκρίβεια philoſophica deſit, venditari publice conſtat) quid dicendum ſit, antequam ſignificemus, e re præſenti fuerit præmittere brevem explicationem terminorum: *creatio* & *generatio*. Sic namque facilius

cilius & de veritate ſententiæ & de uſu propoſitæ doctrinæ Metaphyſicæ feliciter conſtare poterit. Et quidem quod creationem attinet, *ea eſt ex numero communium, quæ Ariſtoteli dicuntur ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἓν, ab uno ad unum, & eorum quidem* quæ propius accedunt ad univoca. *Nam πρώτως ſeu primo dicitur creatio de productione rei ex nihilo, δευτέρως autem & ſecundario etiam de productione rei ex inhabili & indiſpoſita materia, quæ quamvis abſolute loquendo ſit productio ex aliquo ſubjecto, ſecundum quid tamen & in comparatione ad generationem dici poteſt productio ex nihilo.* Verba ſunt *Dn. D. Johannis Muſæi*, Præceptoris ſumma obſervantia colendi, in *diſpp. Theologicis* ante plures annos habitis *part. 1. diſp. 5. §. 1. 2. 3. 4. p. 122. & ſeqq.* qui ibidem pluribus videatur. Et ſane *creationem* primo dici de productione entis ex nihilo, a nemine negabitur, hancque eſſe definitionem creationis, *eſt productio entis ex nihilo*, ut τὸ ex nihilo arguat negationem omnis materiæ talis modi productioni ſubſtratæ ſeu ſubjecti (ſive præexiſtentis ſive ſimul exiſtentis) unde exiſtentia rei tanquam terminus creationis pendeat: Cur vero creatio ſecundario tribuatur productioni rei non ſimpliciter ex nihilo, ſed ex materia ſeu ſubjecto (ſive ſimul exiſtente ſive præexiſtente) ex ſe & ſua natura inhabili tamen & indiſpoſito, dictu

facile

Digitized by Google

facile eſt: Quippe ſubjectum, quia non eſt habile & diſpoſitum ad formam, eſt quaſi nihil, ut illa productio rei ex ſubjecto non habili ſit quaſi productio rei ex nihilo: *Nec vero creatio hæc ex materia prorſus inepta & inhabili creationem ex ſimpliciter nihilo tollit. Regrediendo enim per analyſin, ad materiam ultimam, quæ facta fuit ex nihilo, tandem devenitur*, ceu *B. Kromayerus Theologiæ Poſitivo-Polemicæ art. 4. pag. 268.* diſſerit. Hinc conſtans eſt noſtratium Theologorum opinio, quod ברא (quod Latini vertunt, *creavit*) rarius *productionem ex mere nihilo*, frequentiſſime vero hujusmodi actionem denotet, cujus in præſenti facta eſt mentio. Ex his jam credo eluceſcere, quid moverit venerandos Theologos, ut diſtinguerent inter *creationem ſimpliciter primam ſeu immediatam* & inter *creationem ſecundam ſeu mediatam*, quæ ſane diſtinctio in *Scholis Theologorum* adeo nota & recepta, ut jure meritoque ingeminemus verba *B. Gravveri, magni ſuo tempore Philoſophi & Theologi*, quando *Illuſtr. quæſt. Theol. cent. 1. diſp. 8. q. 2. §. 2. p.m. 186.* poſtquam ita diſſeruerat: *Sunt quidam præter rem ſcrupuloſi negantes: mundum ex nihilo creatum eſſe, cum quædam a DEO ex præexiſtente informi materia, creata tamen, ſint facta, quæ materia informis ſolum ex nihilo creata dici poſſit: Exempli gratia: Homo non ex nihilo, ſed ex* limo

*limo terræ creatus dicitur: Verum hac craſſa ſubtilitate opus non eſt, cum nemo unquam fuerit in Eccleſia, qui mundum ratione omnium & ſingularum partium ἀμέσως ex nihilo creatum eſſe docuerit:* tandem inquit: *Quis eſt, quem diſtinctio inter creationem mediatam & immediatam lateat?* Hæc de *creationis* termino. Nunc pauca circa terminum *generationis* notabimus. Et ut paucis dicamus, quod res eſt, ſane quæſtio aliter ſe habere videtur, ſi determini hujus ſignificatione apud *Antiquiores* uſitata, & longiſſime aliter, ſi de uſu termini in *proximorum ſeculorum ſcholis* recepto intelligatur. Priſca profecto & inter Veteres uſitatiſſima *generationis* ſignificatio ea eſt, quam ſupra innuimus, nempe qua *mutationem* dicit *a re potentiali in actualem*, ſeu quod idem eſt, *mutationem ſubſtantiæ potentialis in actualem.* Placet ex ipſo *Ariſtotele* illud uberius & paulo clarius diducere. Generationem ex *Ariſtotelis* mente declaraturi, aut intelligunt *generationem accidentium*, aut *generationem ſubſtantiarum*: Illam ſi intelligunt, non declarant *generationem ſimpliciter ita dictam*, cum juxta Ariſtotelem *accidentia* non *ſimpliciter fiant*, ut: *quantitas, qualitas*; ſed *res naturales* fiunt aut *hujus illiusve quantitatis*, aut *hujus illiusve qualitatis*, unde nec *accidentibus* ſimpliciter vox *generationis* tribuitur: Hinc *Philoſophus generationem* non dicit eſſe niſi *rei naturalis,*

Digitized by Google

*turalis*, per *rem naturalem* ſignificans *ſubſtantiam mobilem*: Hanc ſi quærunt, eam certe niſi incredibili modo fallimur, aliter definire nequeunt. Hoc ut e re noſtra dixiſſe videamur, nonnihil apertius dicendum erit, quid ſignificetur in *Antiquorum Philoſophorum* Scholis per *entitatem potentialem*, quid per *actualem entitatem*? Sed ὡς ἐν παρόδῳ. Entitas potentialis *Ariſtoteli aliisque antiquioribus* neque dicit mere *nihilum quid*, neque dicit *actualem entitatem*. Non prius, κοινὴ γὰρ δόξα, ut Ariſtoteles loquitur, τῶν φυσικῶν, οὐδὲν γίγνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ipſaque *materia*, quæ eſt ipſa *entitas potentialis*, qvocunque modo eam ſpectes, modo contradiſtinxeris *actuali entitati*, ut ſit *nonnihil*, non debet *actuali entitati*, ei ſc. quæ in definitione generationis ſubinnuitur: imo eadem, quatenus eſt ipſa quæcunque entitas potentialis, jam ante in ſuo genere importat certam quandam ac determinatam actualem entitatem: (Nullibi enim entitates potentiales ſeparatim exiſtunt, ſed ſemper quaſi abditæ ſunt in actualibus entitatibus) licet recte eadem, quia nondum extra omnes ſuas cauſas eſt ἐντελέχεια, entitas actualis vi definitionis *Ariſtotelicæ* eſſe negetur. Non poſterius; Entitas ſiquidem potentialis proxime quidem aptitudinem, ut ſit actualis, ſignificat, quaſi tacite tamen ſimul dicit privationem actus. Quæ-

Quæſiverit quiſpiam: quid igitur ſit illa entitas potentialis *Ariſtoteli*, ſi neque nihil eſt, neque entitas actualis? Reſponſi loco hoc ſibi habeat: Entitas illa potentialis, quia non ſignificat negationem omnis entitatis, ſed tantum negationem aut abſentiam debitæ actualis entitatis, unde eſt quidem aliquid non nihil, manet tamen non ens, cum nihil unquam, niſi ſit ens aliquod perfectum completumque, *Ariſtoteli aliisque Veteribus* actu entis aut actualis entitatis titulo ſoleat venire: quod autem perfectam ſibique debitam eſſentiam conſecutum non eſt, ſive eam poſſit conſequi, ſive non, οὐκ ὄν: ſi conſequi eam poſſit, δυνάμει ὄν: ſi conſequi nequeat, ἀδύνατον dicitur. Ex dictis apparet, qua ratione generatio mutatio ex non-ſubjecto in ſubjectum, ex non-ente in ens, ex nõ eſſe formæ ſubſtantialis ad eſſe formæ ſubſtantialis, ex *Veterum* mente dici queat? Per ſubjectum intelligitur ſemper aliquid γιγνόμενον, per formam ſubſtantialem id, per quod quælibet res naturalis eſt id ipſum, quod eſt, aut eſſentia rei naturalis cujuslibet, res naturalis denotat quamvis ſubſtantiam per ſe & actu mobilem, quocunque motus genere, ſive generetur, ſive alteretur, ſive augeatur, ſive minuatur, ſive ſolum moveatur de loco in locum. Licet vero *Ariſtotelis* mens hodie aliter explicetur a nonnullis, neſcio quas verſiones

Digitized by Google

ſiones vel interpretationes ſequentibus; cum primis autem ex *Jeſuitis modernis* plerique hanc *Peripateticam* de generatione ſubſtantiali Philoſophiam dum exponere laboraverunt, obſcuris diſtinctionibus intricarint magis quam explicarint; ita tamen in veteri ævo terminum generationis fuiſſe propoſitum *Viri in Antiquiorum Philoſophia melius verſati* evidentiſſime oſtenderunt. Sicut autem hanc eſſe generationis rationem ex mente *Ariſtotelis* ex his liquido conſtat, nec ab illo unquam ſenſu alio acceptum id nomen legitur, ſic clare quoque liquet, ubi ad ipſam comparaverimus productiones ex materia indiſpoſita vel incapaci, virtute ſupernaturali factas, quid de his liceat ſtatuere. Certe uti idem minime ſunt ſubjectum capax & incapax, ens in potentia & non in potentia, ita nec utrasque productiones has eodem nomine aut definitione licebit vendere: ut nihil de agente ſupernaturali, omnipotente DEO, dicamus, qui ſolus eſt in his poſterius dictis principiũ efficiens. Unde indubium eſt, ſi generationis nomine etiam has vocare deceat, non decere, niſi δευτέρως ſive ſecundario, adeoque *eſſe generationem* reſpectu utrarumque genus *commune* πρὸς ἕν, quod de his ſecundario, & de aliis productionibus (in quibus nempe ſubjectum eſt capax, & ens in potentia) πρώ-

 τως

τως, ſive primario dicatur. Veluti ſcilicet eodem ſenſu etiam de creatione ſtatuere Theologos, atque eam itidem πρώτως de illa, quæ ex mere nihilo eſt, δευτέρως autem de altera, quæ ex ſubjecto quidem, ſed indiſpoſito fit, dici, in antecedentibus monuimus. His ſtantibus ſponte ſua corrueret illud, quod potuiſſet excipi: Si talismodi productiones non ſunt generationes, erunt creationes, quia diviſio productionis ſubſtantiæ completæ in creationem & generationem eſt immediata. Jam vero non ſunt creationes E. erunt generationes. Reſpondetur: Si ſecundum tritum effatum: Commune πρὸς ἓν per ſe poſitum ſtat in ſignificatu famoſiori, creationem velis accipere pro eo, quod primo ſignificat, nulla eſt ſequela: Quicquid non eſt generatio, illud eſt creatio; cum ſecundum antea allegatorum *Autorum* ſententiam detur inter hæc duo tertium, ita ut talismodi productio ſecundum quid & in comparatione ad generationem in ſenſu *Ariſtotelico* ſumtam dici poſſit productio ex nihilo, hoc eſt, creatio: quatenus ſcilicet eſt productio ex ſubjecto indiſpoſito, & cui non ineſt potentia ad formam, niſi admodum remota, quæ hoc ipſo, quod nimis remota eſt, potentiæ nomen amittit, & in ordine ad productionem formæ quaſi non ens & nihil ſeſe habet: Eadem productio ſecundum quid

&

& in comparatione ad creationem primo ſic dictam ſit generatio, cum non ſit productio ex mere nihilo, ſed ex aliquo ſubjecto, licet non ſatis habili, ſed quod in potentia ſit ad recipiendam formam nimis remota. Hoc tamen ſemper relinquitur, talismodi productionibus nec nomen γενέσεως in ſenſu *Ariſtotelico* competere poſſe, nec ἁπλῶς quoque nomen creationis à *Theologis* tribui. Non igitur credimus nobis deeſſe, quod urgentibus argumenta ſupra *pag.* 459 propoſita ex hypotheſibus eorum, quorum ſententiam attulimus, reſpondeamus. Ad I. jamjam reſpondimus: Regula enim eſt *Metaphyſicorum*: Ea quæ communia ſunt πρὸς ἕν, ita nequeas dividere, ut diviſio prodeat quamcunque aliorum ad eadem reductionem excludens, nihilque, quod ſimpliciter tale non eſt, includens. Quam ſi ſuppoſuerimus, omnis certe difficultas argumenti expirabit. Ad II. reſpondemus, Phyſicum, qua talem, non habere cognitum alium generationis conceptum, quam eum, quem alii vulgo conceptum dicunt generationis Phyſicæ: Nihil Phyſico qua tali conſtat de productione ex materia naturaliter inhabili, & in qua ſuis viribus relicta non eſt niſi potentia remota ad eſſe formæ ſubſtantialis. Quid Phyſicus ut ſic novit de generatione facta ab agente ſupernaturali? Sed aliis hic placere alia ex-

perimur. Etenim aliter certe & aliter ex *Scholaſticorum & Jeſuitarum plerorumque* placitis & præconceptis opinionibus propoſita controverſia erit dirimenda. Hi ipſi enim naturam illam communium πρὸς ἓν non obſervantes, nec agnoſcentes, omnem pene cum *Ariſtotel.* Philoſophandi rationem permutarunt, ceu ſupra *pag. 434. not. 1.* monebatur. Ut ſcil. vidimus, *Thomas & qui cum eo hodie faciunt* dogmata de communibus πρὸς ἓν prolixæ & intricatæ analogorum doctrinæ implicant, uti tum ex ipſo *Thoma 1. ſent. diſt. 19. q. 5. & 1. part. ſumm. Theol. q. 13. a. 5.* tum *ejus Commentatore Thoma de Vio Cajetano, in peculiari*, qvem *de nominum analogia* conſcripſit, *libro* videri poteſt, noſtrum vero nunc non eſt prolixius monere. Unde ab iisdem vix & ne vix quidem in alio quam analagorum attributionis intrinſecæ numero generationis terminus haberi poteſt. Aliam vero foveant neceſſum eſt opinionem circa præſentis controverſiæ ſtatum, *qui Scotiſtarum aut Nominalium ſtant partibus.* Nam quia (quod hic præſupponimus) *illi, qui in hunc diem Scotiſtarum aut Nominalium veſtigia legunt*, nequeunt non penitus reſpuere communium πρὸς ἓν doctrinam, cum ipſi nullum inter univoca & æquivoca admittere medium, nihilque eorum, quæ non univoce dicuntur, ad facultatem vel diſci-

ſciplinam quandam relatum velint (ut ex ipſo *Scoto* 1. *ſentent. d.* 3. *q.* 1. & 3. Item 3. *ſentent. diſt.* 8. *q.* 2. Item *in quæſtionibus*, *ceu vocantur, ſubtiliſſimis ſuper libb. Metaph. Ariſt. l.* 4. *q.* 1. & 2. *p. m.* 59. & *ſeqq.* inprimis quoque feliciſſimo ejus Sectatore & diſcipulo *Johanne de Rada Aragonio Epiſcopo Pactenſi controverſiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum ſuper.* 4. *libb. ſentent. l.* 1. *contr.* 21. *p. m.* 325. & *ſeqq.* Item e *Principibus Nominalium : Gabriele Biele & Guilielmo Occamo*, deduci poſſet, ſi ad præſens ſpectaret) unde generatio in ordine tum ad talismodi productiones, qualium in quæſtione principali facta fuit mentio, tum & ad generationem *Ariſtoteli* ſic dictam, nobis eſſet habenda pro quodam univoco, ut ſic argumento ſecundo contrariæ partis omne, ſi a parte *Scotiſtarum* ſtandum eſſet, negotium confici poſſet. Et tantum hac de re pro ratione præſentis inſtituti dixiſſe ſufficiat.

IV. Eadem methodo ad ſexcentas alias quæſtiones nunc facile eſſet reſpondere: Nam quemadmodum multa in aliis diſciplinis, ita longe plura in omnibus ac ſingulis diſciplinis practicis occurrunt, quæ quidem communem quandam rationem formalem nanciſcuntur, priusquam ad diſtinctiones in inferiora veniretur: Sed accuratiores Doctores ejusmodi rationem formalem imper-

fectam & rudem cenſent, ipſique reſpondentem definitionem, ſi cum exactis aliarum rerum definitionibus comparetur, ſimilem cenſent mere umbratili picturæ: Ita e.gr. ad quæſtiones; quid formaliter ſit moralitas? quid virtus? quid lex? quid obligatio? quid bellum? quid poteſtas civilis? quid majeſtas? quid dominium? quid jus in rem? &c. erudite reſponderi poteſt, antequam diſtinguatur moralitas in moralitatem divinæ actionis & creatæ actionis, in honeſtatem & turpitudinem: virtus in intellectualem & moralem: lex & obligatio in naturalem & voluntariam: poteſtas civilis, item majeſtas in plenam & minus plenam, item in perpetuam & temporariam; bellum in mere publicum, privatum & mixtum: dominium in plenum & minus pleno: jus in rem in jus in re & jus ad rem; Sunt tamen talismodi reſponſiones, quaſi σκιαγραφίαι, quæ quemadmodum in tabulis quæ a pictoribus fiunt umbræ, quid imago ipſa repræſentet, oſtendunt, non tamen perfecte ſicuti pictura: Ita quid res *formaliter* ſint, docent, imperfectiori tamen modo. Et ſane maximus horum ὁρισμῶν ὑπογραφικῶν (utpote qui a λόγοις τῆς οὐσίας diſtinctiſſimi ſunt) numerus exiſtit. Omnium igitur Facultatum diſciplinarumque idoneis cultoribus incumbit diſpicere, num una eademque ratio for-

malis

Digitized by Google

malis pluribus rebus competens æqualiter an inæqualiter competat? Si illud, ad quæſtionem: quid formaliter ſit hoc vel illud? reſponderi poteſt per λόγον τῆς ὐσίας: Si hoc, ſaltem ὁρισμὸς ὑπογραφικὸς vicem reſponſi tenet, tuncque præcipua cura ad ſolidam eruditionem ſe aliosque feliciter perducere conantis eſt, noſſe ſibi aliisque accurate perſpectam reddere rationem illius inæqualitatis, inque quibus ea inæqualitas conſiſtat?

V. Ad *Scoti* rationem, quæ *pag. 438. fere ſub finem* urgebatur, quid reſponderi poſſit, breviter nunc videbimus: Scilicet objiciebatur, eam inæqualitatem (vi cujus duo vel plura unam eandemque rationem formalem ſecundum unum ac commune nomen inæquali modo participant) eſſe extra rationem formalem communem: e.gr. accidens, licet poſterius ſit ſubſtantia & ab ea dependeat, tamen poſterius ea eſſe & dependere non in ratione formali entis ſeu quatenus ens eſt. Sed hoc ipſum negant Græci Philoſophi. Addebatur ratio probationis: quia alias omne ens eſſet poſterius & dependens, cum a quatenus ad de omni valeat conſequentia. Verum ad hoc alii Philoſophi ex Græcorum Philoſophia reſpondent, reduplicationem quæ fieri ſolet verbulo *qua*, aut alio conſimili, aliter in univocis ſtricte & in rigore ſic dictis, aliter in communibus ab



Digitized by Google

uno accipiendam eſſe. Et hoc ipſum verbulo tetigiſſe in præſenti ſufficiat, utpote cujus prolixior pleniorque tractatio ad *Analyticam* ſpectat.

§. 4. *Communia ad unum, quæ propius accedunt ad æquivoca*, in eo conveniunt cum æquivocis ſtricte ſic dictis, quod ſecundum illud nomen, quod ipſis commune eſt, non habeant eandem rationem formalem: *In hoc differunt ab æquivocis ſtricte & in rigore ſic dictis*, quod hæc ſecundum unum & commune illud nomen habeant diverſas rationes formales, illa minime: e.g. quædam ſpecies vermis dicitur eruca & quædam ſpecies herbæ dicitur eruca, & habent ſecundum hoc commune nomē plane diverſas rationes formales: Contra animal dicitur ſanum, lotium dicitur ſanũ, medicamentum dicitur ſanum, ſoli tamen animali ratio formalis ſani competit,

nec

nec quicquam aliud præter animal intrinſeca appellatione ſanum cenſetur: quippe intrinſece ſanum dicitur, quod in ſe habet ſanitatem: At quid ſit ſanitas, ex Phyſicis conſtare debet: Cæterum quæcunque præter animal ſana denominantur, hæc ſecundario & extrinſeca denominatione talia dicuntur, ſimul tamē ſufficienter oſtendi habitudo ad primario & intrinſeca denominatione tale, vi cujus hanc denominationem ſubeunt, poteſt: Ita ſanum extrinſece denominatur lotium, quia dicit habitudinem ſigni ad ſanum animal tanquam ſignatum: ſanitas nempe in certis caſibus ex lotio cognoſci poteſt, tumque lotium eſt ſignum ſanitatis in animali. Sic Medicamentum ſanum appellatur non niſi per extrinſecam denominationem, ſi ſanum dicas, in quantum nempe habitu-

dinem dicit cauſæ efficientis ad ſanitatem animalis, adeoq; ad animal ſanum tanquam effectum &c.

§. 5. In communibus ad unum, quæ propius accedunt ad æquivoca, maxime locum habet illud: *Qui bene diſtingvit, bene docet.* Nihil enim in hujusmodi definiendis aliud relinquitur, niſi ut enumerando ſignificata, (cum primarium & intrinſecum, tum ſecundarium & extrinſecum, aut ſi plura fuerint, extrinſeca & ſecundaria ſignificata reliqua) & primarii rationem formalem & ſecundarii aut ſecundariorum habitudinem ad eam perſpiciamus: e. gr. dum Phyſici Medicique docent, quid formaliter ſit ſanitas, & quomodo aliud in ſe ſanitatem habeat, aliud non in ſe ſanitatem habeat, tamen indicet animalis ſanitatem, aliud eam efficiat, aliud augeat, aliud con-

Digitized by Google

conſervet &c. ſic in communi docent quid ſanum ſit, cui alias, ut de animali, lotio, medicamento, aliis. que longe pluribus dicitur, non modo λόγος τῆς οὐσίας, ſed etiam ὁρισμὸς ὑπογραφικὸς repugnat.

*NOTÆ.*

I. Non debent hic loci confundi; denominatio extrinſeca & denominatio impropria: Ita ſi quis monſtrato medicamento, ad ægrotum diceret: hoc eſt ſanitas, ſanitatem tibi affero, is procul omni dubio prædicatione impropria uteretur: quod ſi vero dixiſſet, hoc eſt ſanum quod tibi affero, forſan liceret dubitare, num hæc reſponſio ſit impropria prædicatio? utut nemo de eo dubitet aut dubitare poſſit, quod ſit prædicatio extrinſeca. Alias evidens eſt multum inter ſe differre extrinſecam prædicationem & impropriam prædicationem: E. gr. hæc prædicatio: puella amatur, veriſſima prædicatio eſt, eſt quoque prædicatio propria, nec tamen niſi extrinſeca: propria prædicatio eſt, quia nulla ejus vox a nativa & genuina ſignificatione recedit: extrinſeca vero dici debet, quia forma denominans, nempe amor, unde puella denominatur ſalva veritate, nec in puella eſt, nec in ulla ejus parte, ſed unice in amantis appetitu.

II. Uni-

II. Unicum ex *Theologia* liceat petere exemplum: Ita Deus dicitur habere ſummam auctoritatem, ſummam quoque habere auctoritatem cenſetur Scriptura Sacrà: Sane ἀπαιδευσίαν ſuam proderet ille Theologiæ Studioſus, qui deſideraret definitionem ſummæ auctoritatis vel habentis ſummam auctoritatem in genere, quæ ſcilicet Deo & Scripturæ Sacræ poſſit tribui: nec tamen id propter dici debet, non niſi improprie ac æquivoce de Scriptura Sacra dici, quod ſit ſummæ auctoritatis. Scilicet accurati Doctores & Præceptores Theologi, ut doceant Scripturam Sacram eſſe ſummæ auctoritatis, in auditoribus ſuis requirunt primo notitiam hujus rei, quid abſolute vocetur auctoritas? quod ex Philoſophia conſtare poteſt ac debet. Sane auctoritatem alicujus Scriptoris vel auctoris æſtimamus ex illius (Scriptoris vel auctoris) perfectione. Duo ſcilicet requiruntur in auctore vel ſcriptore, ut alicujus auctoritatis dici poſſit: *poſſe & velle*, h. e. potentia, ut poſſit eum, cujus gratia ſcribit vel quem docet, in decentem rei notitiam ducere: voluntas, ut velit quoque id præſtare. Deinde in notitiam vocant Supremi Numinis perfectionem: Quippe non ſolum ex Scriptura Sacra, ſed etiam ex naturæ lumine ſatis ſuperque conſtat, Deum eſſe omniſcium, Deum eſſe infinite bonum. Ergo

go

Digitized by Google

go Deus nunquam poteſt falli, quia infinitæ ſcientiæ eſt. Ergo Deus nunquam poteſt fallere, quia infinitæ bonitatis eſt. Oportet ergo Scripturam Sacram, quia verbum Dei eſt, eſſe talem Scripturam, qua Deus non potuit nec voluit, nec potuit velle nos fallere, adeo ut quicquid Scriptura Sacra (Canonica) docet, id infallibiliter verum ſit, & quia ea docet, quæ nobis credenda, quæ facienda ſint, ut æternam ſalutem conſequamur, oportet eam eſſe ſufficientem in iis omnibus, quæ ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, oportet quoque eam maxime in iis locis, quæ de creditu factuque neceſſariis agunt, eſſe perſpicuam. Jam diſcimus, quod *primario & abſolute* ſumma auctoritas Deo competat, *ſecundario* vero inque ordine ad Dei auctoritatem Scripturæ Sacræ autoritas tribuatur: Nam ut rudi comparatione utamur: Sanum *primario* dicebatur animal, ſanum *ſecundario* denominabatur lotium a ſano ſcilicet animali profectum ejusdemque ſanitatem indicans: *Primario* dicimus Deum eumque ſolum eſſe ſummæ auctoritatis: *ſecundario* vero ſummæ auctoritatis dicitur Scriptura Sacra, quia verbum Dei eſt, verbum a Deo profectum, adeoque profectum ab eo, qui (tali verbo) non potuit nos fallere, nec poteſt, nec poterit: nos quoque eo verbo non potuimus, nec poſſumus, nec poterimus falli: Sane teſta-

teſtatur verbum Dei ac indicat ſummam perfectionem ſummi auctoris, adeoque nequit non infallibiliter verum eſſe. Et quia Deus ipſe teſtatur, hoc verbum ſcriptum eſſe, ut credamus, & ut credentes vitam æternam habeamus, *Joh. XX, 31.* quod Dei hominem perfectum poſſit reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, *2. Tim. III, 15.* quis dubitaret amplius de Scripturæ Sacræ auctoritate, cum certiſſime conſtet, Scripturam Sacram eſſe verbum Dei.

III. Sumamus aliud exemplum: Ita moralis actio dicitur, quæ eſt objectum juris naturalis, & quæ eſt objectum juris poſitivi: Illa talis dicitur primario & intrinſece, utpote cui ratio formalis moralitatis competit: Hæc ſecundario & per extrinſecam denominationem; e. gr. per ſe ac intrinſece moralis actio eſt, obſequi Magiſtratui: At per ſe rationem moralitatis non habet geſtatio gladii, quæ tamen eatenus moralis denominatur, quatenus auctoritate Superioris hunc actum ſubditis præcipientis, fit actionis per ſe moralis objectum, hocque ſenſu moralis denominatur.

IV. Innumera exempla communium ad unum, quæ propius accedunt ad æquivoca, in doctrina Morali ac cujusvis juris, maxime ubi de contractibus, item delictis & pœnis agitur, paſſim occurrunt.

§. 6. Com-

Digitized by Google

§. 6. *Communia ad unum, quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca*, in eo conveniunt & cum univocis, quod ſecundum idem nomen eandem rationem formalē (licet paucioribus notis prædita ſit) habeant: & cum æquivocis, quod ſecundum idem nomen eandem rationem formalem omnibus numeris talem non habeant: *In hoc differunt & ab univocis*, quod hæc eandem rationem formalem omnibus numeris talem ſecundum unum nomen æqualiter habeant, illa minime: *& ab æquivocis*, quod hæc habeant omnibus numeris diverſas rationes formales ſecundum unum ac commune nomen: illa quibusdam numeris easdem. E. g. demonſtratio ὅτι eſt imperfectior & paucioribus notis prædita, eſt tamen demonſtratio. Natura corpori cœleſti

leſti tribuitur & ſublunaribus, primo tamen de his dicitur. Idem de bono reſpectu honeſti, jucundi & utilis, item de cive in Politia, Ariſtocratia & Monarchia judicium eſto.

§. 7. Maximus communium ad unum prorſus ferme mediorum inter univoca & æquivoca uſus ſe exerit, ſi id quod primario tale eſt, alterius vel reliquorum quaſi *idea & exemplar* ponatur, ad cujus rationem alia contendant, ita tamen ut quæ eam non omni ex parte aſſeqvuntur, ideo ab eo rerum genere nequaquam rejiciantur.

*NOTÆ.*

I. **Ex** parte demonſtratio ὅτι eſt æque demonſtratio ac demonſtratio διότι, quia utraque dicit præmiſſas, ex quibus neceſſaria ac certa concluſio infertur, ita ut certo ſciamus, quod res talis ſit, & quod aliter ſe habere non poſſit: ex alia vero parte demonſtratio ὅτι non eſt demonſtratio, quia per eam nemo venit in notitiam cauſæ ſimpliciter

ter proximæ ac domeſticæ. Utut igitur ex demonſtratione ὅτι habeatur aliqua ſcientia nempe ſcientia ὅτι, ſcientia tamen imperfecta eſt, cum quisque ſcientiam alicujus rei quærens, ſi ejus rei cauſa ſimpliciter proxima, genuina ac domeſtica haberi poſſit, non quieſcat, donec eam ſibi perſpectam reddiderit, cur nempe res talis ſit, & cur ea res aliter ſe habere nequeat. Eſt ergo demonſtratio διότι & ſcientia διότι perfectior demonſtratio & per excellentiam omnibusque numeris talis, e contrario demonſtratio ὅτι, item ſcientia ὅτι, paucioribus notis prædita eſt, eſt tamen demonſtratio, eſt ſcientia.

II. Sic in *Politicis* norma perfectiſſima reliquorum civium in quibusvis Rebuspublicis eſt civis in Republica populari, hoc eſt, ſocius civitatis, qui & ſuffragiorum ſeu deliberationum & Magiſtratus & judiciorum, jurisque de Republica ſtatuendi poteſt eſſe particeps: ſi tamen civi hæc deſint, eidem id propter nomen omnisque definitionis pars non denegari debet, nec vero poteſt. Cur multi hanc definitionem civis ab *Ariſtotele*, *Giphanio*, *Piccarto*, *Scherbio*, *Contareno*, *Garymberto*, *Sigonio*, *Conringio*, ſummis ac celeberrimis Politicis traditam, laudatam, probatam exploſerint, rejecerint, aut ad minimum capere non potuerint, non miramur, utpote ſatis certi de eo, quod ſaltem

non tota Philoſophia practica ignoratione communium ad unum in quorundam imperitorum voculas incurrat. Accedit, quod hic vel ille ad normam ſuæ civitatis ſe accommodet, vel uſitatam loquendi conſuetudinem magis quam ἀκρίβειαν ſequatur. Sic quando Theologus perfectum Chriſtianum, perfectam vitam moralem, perfectum opus bonum, perfectum ſtudium bonorum operum, perfectum ſtatum hujus vitæ & longe plura alia definire volens ἀκρίβειαν ſectatur, doctrinam hanc de hiſce communibus ad unum ſibi apprime commendatam habet, dum nempe horum talium accuratam ideam & exactam normam ob oculos auditorum ſuorum novit ponere, juxta quam hujus illiusque hominis Chriſtiani ſtatus, vita, propoſitum, opera, aliaque Deo grata examinari, nuncque pauciſſimi, nunc non tam pauci gradus in hominibus poſt lapſum deprehendi poſſint.

III. Communia ad unum, de quibus hoc loco agitur, ſunt ea, quæ *Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis*, pro mediis analogis attributionis inter analoga attributionis intrinſecæ & extrinſecæ, ſeque pro eorundem primo inventore venditavit, quam in rem *totus* ipſius *tractatus de nominum analogia* extat, qui in *volumine opuſculorum omnium* eſt *tomi tertii tractatus quintus*.

IV.

IV. Hoc tamen ſimul moneri ſolet, tale commune ad unum, licet plerumque principem illam & quaſi perfectiſſimam ſpeciem ſignificet, interdum tamen totum quoque complexum reliquarum quaſi ſpecierum imperfectiorum arguere: Ita e.g. de ſublunaribus corporibus eximie dicitur, quod naturam habeant, de iis maxime, in quibus omnium generum motus deprehendere licet: fit tamen non raro, ut corpus naturale dividatur in cœleſte & ſublunare, quamvis in cœlo ac cœleſtibus, maxime quidem in cœlo, vix ullus motus cognoſci aut deprehendi poſſit, niſi quod cœli partes localiter moveantur, ipſique cœlo ſimplex φορὰ tribuatur. Eſt igitur natura ex numero communium ad unum, quæ prorſus ſunt media inter univoca & æquivoca.

V. Accurate loquendo & propriiſſime illud commune ad unum dicitur, quod pluribus in ordine ad unum, ſicque inæqualiter, attribuitur: Ita e. g. rectiſſime dicitur commune ad unum ens reſpectu ſubſtantiæ & accidentis: Uſus tamen, quem penes eſt jus loquendi, fert, ut communia ad unum ea quoque vocentur, quibus ratione ac reſpectu unius unum idemque nomen attribuitur: Ita e. g. ſubſtantia & accidens dicuntur communia ad unum reſpectu entis, quia unum idemque nomen unaque ac eadem natura hoc

nomine notata ipſis ſalva veritate attribui-tur, ſubſtantiæ primario ac abſolute, accidenti vero ſecundario inque ordine ad ſubſtantiam, ut nihil dicatur ens, niſi vel ſubſtantia ſit, vel ordinem ad ſubſtantiam dicat.

VI. Ideo *Scholaſtici* diſtinxerunt inter analogum analogans & analogum analogatum, ut facilius poſſent diſtingvere commune ad unum ab iis, quorum reſpectu commune ad unum dicitur. Sicut enim in Scholis univocum univocans dici ſolet, quod ſecundum idem nomen eandemque rationem formalem pluribus competit æqualiter: Univoca vero univocata appellantur, quibus ſecundum idem nomen eandemque rationem formalem iſtud, quod univocans dicebatur, æqualiter competit: Ita analogum analogans erit ipſum commune ad unum: analoga vero analogata ea dicentur, quibus illud commune ad unum eſt, quorumque reſpectu ſic dicitur. Nondum tamen adducimur, ut probemus hunccce modum loquendi, quo confunduntur analoga cum iſtis noſtris communibus ad unum. Rationes, quæ nos terrent, ſupra tetigimus. Nec vero *Scholaſtici* ipſi hoc diffitentur. *Cajetanus in* citato *de nominum analogia tractatu* expreſſe teſtatur, nomen analogorum iis, quæ *Ariſtoteli* dicuntur communia ad unũ, nec ex mente *Ariſtotelis* nec alias ſatis commode convenire, ceu ex *cap. primo*

dicti

Digitized by Google

dicti tractatus liquet, nec in eo ſolummodo ſed & *ſeqq. capp.* abuſum vocabuli manifeſto agnoſcit.

§. 8. Communia ad unum, & quæ propius accedunt ad univoca, & quæ propius accedunt ad æquivoca, & quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca, in eo inter ſe conveniunt, quod ſecundum unum & commune nomen dicant habitudines ad unam rationem formalem: In hoc differunt *illa* & *iſta* ab *his*, quod *in his* (quæ nempe prorſus ferme media ſunt inter univoca & æquivoca) unum ſit alterius vel reliquorum idea & exemplar: In hoc differunt *illa* & *hæc* ab *iſtis*, (quæ nempe propius accedunt ad æquivoca) quod iſta reſpuant eandem rationem formalem ſecundum nomen commune, eaque diſtinxiſſe monſtrata eorundem habitudine ad u-

 num

num ſit dixiſſe, quid formaliter ſint, *illa* vero & *hæc* eandem rationem formalem ſecundum nomen commune habeant vel omni vel ſuo modo. Denique in hoc differunt *illa* (communia ad unum quæ propius accedunt ad univoca) ab *his* (communibus ad unum quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca) quod *illa* ſecundum commune nomen habeant eandem rationem formalem (non tamen rigoroſe & per excellentiam ita dictam) ſecundum omnes numeros, hoc eſt, omnibus modis, inæquali tamē rationē ipſis communem, *hæc* vero, quæ ſcilicet prorſus ferme media ſunt inter univoca & æquivoca, eandem & inæquali ratione communem, ſed non ſecundum omnes, verum omnibus pauciores notas.

NO-

## *NOTÆ.*

I. Hæc duo accuratè diſtingui debent: Dicere ſecundum unum & commune nomen habitudinem ad unam rationem formalem, &, ſecundum unum & commune nomen habere eandem rationem formalem: Poſterius enim, ut hactenus diximus, rigoroſe loquendo ſolis univocis ſtricte & in rigoroſiſſimo ſignificatu ſic dictis convenit: De communibus vero ad unum quodammodo dici poteſt, non tamen quibusvis, ſed iis præciſe, quæ propius accedunt ad univoca, ut & his quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca, magis tamen de illis communibus ad unum, quam de his: At de communibus ad unum, quæ propius accedunt ad æquivoca, nullatenus dici ſalva veritate poteſt, quod eandem rationem formalem ſecundum unum & commune nomen habeant, æque ac æquivocis tale quid repugnat, hoc tamen veriſſimum manet, quod omnia communia ad unum, ſicque etiam ea, quæ propius accedunt ad æquivoca, dicant ſecundum unum & commune nomen habitudinem ad eandem rationem formalem: e. gr. animal ſanum, lotium ſanum & medicamentum ſanum dicunt ſecundum unum & commune nomen *ſanum* habitudinem ad eandem rationem formalem, nempe ad rationem formalem ſanitatis, illud quia

ratio formalis ſanitatis ei competit; iſtud, quia ex ipſo ratio formalis ſanitatis animali competens, innoteſcit: hoc, quia ut ratio formalis ſanitatis alicui competat, efficit. Sic igitur rem intimius exploranti facile liquet, animal ſanum, lotium ſanum & medicamentum ſanum dicere habitudinem (diverſam) ad unam rationem formalem.

II. Aliud eſt, unam rationem formalem inæquali modo duobus vel pluribus eſſe communem; & aliud, unam rationem formalem non tamen omni modo duobus vel pluribus eſſe communem: Ab hoc enim ad illud, non vero ab illo ad hoc ſemper valet conſequentia: In illo diximus convenire, in hoc autem differre communia ad unum quæ propius accedunt ad univoca cum his communibus ad unum, quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca: E. gr. inæquali modo ratio formalis entis ſubſtantiæ & accidenti, ratio formalis demonſtrationis demonſtrationi διότι ac demonſtrationi ὅτι competit: Interim ſubſtantiæ & accidenti ratio formalis entis competit omni modo, his ratio formalis demonſtrationis competit modo non omni.

III. Multis & Philoſophiæ & aliarum facultatum cultoribus valde difficilis apparet doctrina communium ad unum, quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca

voca

voca, dum non facile valent aſſequi, qua ratione fieri poſſit, ut plura unam rationem formalem, non tamen ſingula omni ex parte, communem habeant: Quo difficilior vero plurimis & inutilior hæc doctrina apparet, tanto utilior tantoque magis neceſſaria exiſtit, idque idonei practicarum diſciplinarum & facultatum ſuperiorum, ceu vulgo vocantur, doctores & cultores quotidie experiuntur magno emolumento: Unicũ adducemus exemplum mille exemplorum loco, ut Theologiæ & Juriſprudentiæ, æque ac Moralium Cultoribus rectius de inſigni hujus doctrinæ uſu conſtet. Sumamus nobilem materiam de promiſſionibus: In ea feliciter & cum fructu verſari volentem noſſe oportet tria dari diſtinctiſſima promiſſionum genera, quæ tamen ita ſe habent, ut notæ primi generis toti quoque ſecundo ac tertio generi, notæque ſecundi generis toti tertio generi conveniant, ſed non contra: Et hoc cauſæ eſt, cur dicamus promiſſionem eſſe ex numero communium ad unum, quæ prorſus ferme ſunt media inter univoca & æquivoca. Omnibus namque promiſſionibus proprie ſic dictis una ratio formalis competit, ſed inæquali modo, ſuntque ſingulæ promiſſiones omnium trium generum proprie & intrinſece promiſſiones iisdem notis prædita, ſecundum interim genus paucioribus, & ad-



Digitized by Google

huc paucioribus primum genus abſolvitur. Docebimus has notas: Sane hoc certiſſimum eſt & apud omnium jurium Doctores in confeſſo, quod promiſſio pro objecto habeat futuram juris promiſſori quæſiti alienationem, ac translationem in eum, cui promiſſio fit, quem uno nomine promiſſarium vocant. In eo igitur omnes proprie & intrinſece dictæ promiſſiones conveniunt, quod quisquis promittit, idoneo ſigno ſententiam & voluntatem ſuam declaret, hoc eſt, clare & expreſſe ſignificet ſe velle, ut certo tempore elapſo jus ſibi quæſitum deſinat eſſe ſuum, ſitque jus quæſitum ei, cui promittitur: Unde in eo quoque ſingulæ promiſſiones conveniunt, quod fiant promiſſarii gratia inque ejus commodum, quod nullam vim habeant, nec promiſſionum nomine digna ſint, niſi acceptentur a promiſſariis: Non igitur difficile evadit invenire unam rationem formalem, in qua ſingulæ omnium generum promiſſiones conveniant. Sed hoc opus, hic labor eſt ſedulo & accurate diſpicere, num promiſſor ſibi reſervaverit jus mutandi voluntatem? Hoc enim ſtante, promiſſio pauciſſimis notis prædita locum inveniet, quam Jureconſulti non modo, ſed etiam Philoſophi vix & ne vix quidem dignam cenſent, quæ promiſſio appelletur, habet tamen ea promiſſio non certe nullam vim: Quippe idem com-

commodum redundat in promiſſarium, quod ex promiſſo ſecundi aut tertii generis, modo promiſſor voluntatem declaratam non mutaverit: e. gr. promiſit quis mortis cauſa alteri mille imperiales cum reſervato jure mutandi voluntatem, ipſeque repentina morte præventus hoc jure ſibi reſervato uti non potuit, (tamen voluit) quia certis ſolennitatibus mutationem voluntatis ſuæ, ut effectum juris haberet, alligaverat; Certe in tali caſu promiſſarius æque fit mille imperialium dominus, ac ſi ei omnibus numeris abſoluta & perfecta promiſſio facta fuiſſet: Quicquid interim ſit de eo, quod promiſſarium primi generis ſpes ſæpiſſime exigua ac fere nulla foveat, & ad extremum usque promiſſoris primi generis diem inter ſpem & metum ipſe vivere neceſſum habeat. Faciamus amplius, promiſſionem ſic factam eſſe, ut promiſſor una renuntiaverit juri mutandi voluntatem ac ſententiam ſuam, ſic certior ſpes promiſſarium nutrit, hæcque eſt promiſſio ſecundi generis, & non tam paucis nobis prædita atque primi generis promiſſio. Denique ponamus, promiſſorem vi promiſſi una in promiſſariũ transtuliſſe jus vindicandi jus ex promiſſo quæſitum, hoc eſt, a promiſſore, ſive volente, ſive nolente via juris vel etiam ſine judice, ſine vi ac per vim exigendi quod promiſſum eſt, & hæc demum promiſ-

ſio

ſio eſt omnibus numeris abſoluta ac notis quibusvis prædita, & quæ promiſſionum aliarum idea & exemplar poni poſſit. Produnt ergo ſuam ἀπαιδευσίαν, licet dici velint ii, qui ſoli accuratiſſime digeſſerint moralia, qui negant unam dari ac communem rationem, per quam probari poſſit, & cur ſalva juſtitia Deus promiſſo cadere nequeat, & cur ſalva juſtitia homo promiſſo cadere non poſſit: Annon enim hæc ſolida ratio ſuppetit, ſi dicamus & Deum dum promiſerat, & hominem dum promiſſor factus fuerat, renunciaſſe juri mutandi ſuam voluntatem: At quisque ſaniori judicio præditus ſponte ſua aſſequitur, quod manifeſto injuſtum ſit, ſi quis uti velit jure, cui tamen renunciaverat. Igitur ex natura promiſſionum ſecundi generis demonſtramus rationem, quam ſanctimonia divinorum promiſſorum & ſanctimonia promiſſorum humanorum inter ſe communicant, quæ ratio etiam tertii generis promiſſionibus ineſt, utut ad tertium genus promiſſionum promiſſiones divinæ nullatenus referri poſſint. Sed hanc rem uberius perſequi inſtituto noſtro neutiquam convenit. Iſtud tamen conati fuimus *introduct. ad Hug. Grotii opus*, per *totum caput XV. lib. II.*

IV. Plura de communibus ad unum eorumque inſigni ac neceſſario uſu infra *capite de univerſalibus* videantur.

CA-

# CAPUT SEPTIMUM

*De*

# PRINCIPIO & PRINCIPIATO,

*item de*

# ORDINE.

§. I.

*Principium* dicitur, *unde aliquid procedit*: e. g. calceus procedit a ſutore, quando ab eo fit, eſt igitur ſutor principium calcei: Ita homo procedit a corpore organico & anima rationali, quando fit, quia fit ex corpore organico & anima rationali, & quando & quamdiu eſt, quia quando & quamdiu eſt, ex corpore organico & anima rationali conſtat, unde corpus organicum & anima rationalis ſunt & dicuntur principia hominis.

NO-

## NOTA.

In tota *Metaphyſica* nulla profecto doctrina magis neceſſaria ac utilis occurrit, & quæ magis, ſuperiorum, ut vocant, facultatum cultoribus commendari poſſit, atque illa, quam præcedentibus *tribus capitibus* expoſuimus, ut & ea, quæ eſt de cauſis, nobiliſſima certe materia, ad quam nunc merito accedimus: Omnino autem ordo tractationis efflagitat, ut communiſſimam *principii* notionem prius nobis probe perſpectam reddamus, cum nihil certe ſit cauſa, niſi ſit principium, quamvis non omne principium ſit cauſa. Et utut alias plerique *Metaphyſici* ſoleant prius agere de potentia & actu, nobis tamen ſalvo cujusvis meliori judicio hic ordo placuit: Aut enim per potentiam intelligitur potentia exiſtendi, & ſic *capite ſecundo* de ea egimus, quando de ente potentia & ente poſſibili actum fuit: aut ſignificatur potentia, qua aliquid cauſa eſſe poteſt, quam *Scholaſtici* vocant potentiam cauſativam, quæ tamen non tam late patet quam ea, vi cujus principium eſſe poteſt; (Non enim quod principium eſſe poteſt, ſtatim cauſa eſſe poteſt) & ita ex profeſſo, quantum quidem ad inſtituti noſtri ſufficit rationem, de potentia in nobiliſſima doctrina de principiis & cauſis & *hoc* & *ſeqq. capitibus* agetur. Idem de actu judicandũ: Aut enim actus entita-

titativus, quæ *Scholaſticorum* dictio eſt, h. e. exiſtentia indigitatur, cujus doctrina præcedenti *capite tertio* fuit expoſita: Aut, ut *Scholaſtici* loquuntur, actus formalis, quamvis actus ſecundus in latitudine ſua ſpectatus longe latius quam actus formalis pateat, ſicque de actu in ſeqq. capitibus neceſſaria ac perquam utilis tractatio ſuo loco nullatenus intermittetur.

§.2. *Principiatum* vocatur, *quod aliunde procedit*: Ita e. g. calceus dicitur principiatum ſutoris, quia procedit a ſutore, quando fit a ſutore: homo eſt principiatum reſpectu corporis organici & animæ rationalis, quia homo inde procedit, fit enim homo & conſtat ex corpore organico & anima rationali.

*NOTÆ.*

I. *Scholaſtici* hujus nominis: principiatum, autores ſunt: Etenim uti *Scholaſtici*, ceu ſuo loco videbimus, utuntur hoc activo: *cauſare*, hocque paſſivo: *cauſari*, ita etiam hiſce vocibus: *principiare* & *principiari*, de Ciceronianis manibus parum ſolliciti, qui tamen nobis ignoſcent, ſi has doctrinas

&

& locutiones explicuerimus, quousq; apud aliarum Facultatum Doctores æque ac Philoſophos uſu receptæ ſunt & adhuc probantur.

II. Hæc duo non debent confundi: aliquid aliunde procedit, & aliquid inde procedit: quia fieri poteſt, ut aliquid aliunde procedat, nec tamen id, quod aliunde procedit, ſit aliud ab eo vel reſpectu ejus, unde procedit, quo de pluribus in ſequentibus agetur.

III. Si quis *Scholaſticorum* terminis utens accuratius philoſophari vellet, in rigore Philoſophico recte diſtingueret inter *id, quod principiatur*, & inter *principiatum*: Ita quando calceus fit a ſutore, nondum meretur nomen principiati, ſed ejus, quod principiatur, h. e. quod procedit (a ſutore) poſtquam vero calceus factus eſt, ipſaque ſutoris operatio ceſſat, principiati notionem rectius calceo tribuimus in ordine ad ſutorem. Enim vero *Scholaſtici* per principiatum *formaliter*, h. e. ſecundum rationem ſuam formalem ſpectatam intelligunt *id, quod principiatur*, quatenus principiatur, h. e. ſignificant aliunde procedens qua tale: Ita e. g. quando adfertur axioma: *Poſito principio ponitur principiatum, & contra*, ſenſus eſt: Poſito eo quod principiat, h. e. unde aliquid procedit, ponitur id, quod principiatur, h. e. quod

quod inde procedit, & contra: ita e. g. poſito quod calceus principietur a ſutore, h. e. procedat a ſutore, neceſſario etiam ponitur, quod ſutor eum principiet, h. e. ejus principium ſit.

IV. Hos terminos: *principiare* & *principiari*, ſi Metaphyſices cultor ſibi perſpectos reddat, id propter non peccat, ab iis tamen abſtinere debet, cum termini ſuppetant alii itidem uſu recepti, iique claſſici: Sutor principiat calceum, & calceus principiatur a ſutore, ita efferimus: a ſutore procedit calceus, ſeu unde calceus procedit, eſt ſutor, & calceus eſt id, quod inde, nempe a ſutore procedit.

§. 3. Requiſita principii duo ſunt: Primo requiritur *habitudo ejus, quod principium dicitur, ad id, cujus eſt principium*, e. g. habitudinem ad calceum dicit ſutor, quia ſutor reſpicit calceum, ut id, a quo aliquid procedit, alterum quod inde procedit. Secundo *prioritas*, quia nihil poteſt dici principium ſalva veritate, niſi ſit prius eo, cujus eſt ac dicitur principium:

Ita ſutor quando principium calcei dicitur, omnino dicit prioritatem, quæ *Metaphyſicorum* dictio eſt: Eſt enim ſutor prior calceo natura.

**NOTÆ.**

I. Unum horum requiſitorum ſine altero non ſufficit ad hoc, ut aliquid dicatur principium.

II. *Prius* multis quidem modis dicitur, ſed quia principium nunc ſpectamus, ut communiſſimam dicit notionem, ideo nondum opus eſt, ut explicemus varios *prioritatis* modos. Huc reſpexit *Thomas*, quando definivit principium: *unde aliquid quocunque modo procedit.*

§. 4. Duo pariter requiruntur ad principiatum: (1.) *habitudo principiati ad id, quod ipſius principium dicitur*: Ita calceus habet ſe ad ſutorem, ut aliunde procedens ad id, unde procedit (2.) *Poſterioritas*, quia nihil formaliter principiatum dicitur, niſi ſit eo poſterius, cujus reſpectu principiatum vocatur.



Digitized by Google

tur: ita calceus eſt (natura) poſterior ſutore.

§. 5. *Ubi prius & poſterius datur, ibi ordo datur*: Nam hoc vocant Philoſophi ordinem, in quo prius & poſterius locum obtinet: ita e. g. ordo cognitionis duplex datur inter cauſam & effectum, quia duplex hic datur prioritas: duplex poſterioritas: Nam quoad cognitionem confuſam effectus prior dici poteſt cauſa, cauſa poſterior effectu: quoad cognitionem diſtinctam cauſa ſemper prior eſt effectu, effectus poſterior cauſa. Nam effectus in cognitione diſtincta procedit a cauſa, cauſa in cognitione confuſa procedit ab effectu: ita ordo datur inter perſonas S. S. Trinitatis, nempe ordo naturalis enumerationis, ut a Theologis vocatur, quia Pater eſt prima perſona, non ſecunda, nec tertia: Filius



Digitized by Google

non prima, nec tertia, ſed ſecunda, Spiritus S. non prima, nec ſecunda; ſed tertia.

*NOTÆ.*

I. Variant certe ordines, & poſſunt earundem rerum ſimul diverſi ordines dari: & quod imprimis notandum venit, noſtro modo concipiendi ſæpenumero datur ordo, qui tamen fundamentum habet in rei veritate. Ita noſtro modo concipiendi prius eſt, futurum fuiſſe lapſum Adami, quam eundem a Deo præcognitum fuiſſe, ſeu ut *Scholaſtici* loqvuntur, futuritio lapſus Adamitici prior fuit præſcientia divina illius lapſus: Non enim hæc propoſitio vera eſt cauſalis: lapſus Adami erat futurus, quia Deus præſciverat lapſum: hæc autem eſt vera & ſimul cauſalis propoſitio: Deus præſciverat lapſum Adami, quia futurus fuit.

II. *David Pareus* inter alia argumenta, quibus non erubuit defendere, quod ſummam poteſtatem habens ab inferiori magiſtratu puniri poſſit, etiam ſequenti uſus eſt argumento: *Etiam de inferiori Magiſtratu dici Rom. XIII. eſt miniſter Dei, tibi in bonum, non eſt terrori bonis operibus ſed malis, gladium non fruſtra gerit, & ultor ad iram ei, qui quod malum eſt, facit: adeoque oportere Magiſtratum inferiorem ultorem eſſe, ſi ſuperior malum*

fa

*faciat, eumque pœna etiam capitali afficere*: Ad hoc vero argumentum credimus optime reſponderi poſſe, ſi doctrina Metaphyſica de ordine in ſubſidium vocetur: Sicut in *Dialecticis* ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias, eſt ſpecies; ſi ſpeciem infra poſitam, genus: Ita Magiſtratus ille, inferiorum quidem ratione habita, non eſt privatus; at ſuperior ſi conſideretur, privatus eſt. Dum igitur *Pareus* ipſe expreſſe fatetur *libro ſuo commentariorum* propter hanc aſſertionem poſitam Oxoniæ ex decreto Regis per manum carnificis publice combuſto; ſubditos non privatos, ſed in Magiſtratu inferiori conſtitutos, ſuperiori pœnam capitalem infligere poſſe, ipſemet ſibi contradicit. Non enim ſubditi in ordine ad ſummum dari poſſunt, niſi ſint in reſpectu ad eum mere privati.

III. Uſus doctrinæ Metaphyſicæ de ordine in axiomatibus ad hoc caput ſpectantibus prolixius monſtrabitur.

§. 6. Principium diſtinguitur in *principium cognoſcendi* & *principium eſſendi*. *Principium cognoſcendi* vocatur, unde aliquid in cognitione ſua procedit, ſeu *unde cognitio alicujus procedit*: Ita e. g. quando ex urina Medicus cogno-

ſcit morbum, principium cognoſcendi reſpectu morbi vocatur urina, quia cognitio morbi procedit ab urina: Sic quando ex fumo cognoſcitur ignis, fumus dicitur principium cognoſcendi reſpectu ignis. *Principium eſſendi* vocatur, unde aliquid in eſſe ſuo procedit, ſeu, *unde eſſentiam accipit, aut habet*: e. gr. calceus in eſſe ſuo procedit a ſutore, quando fit a ſutore, unde ſutor eſt principium eſſendi: pariter corium dici poteſt principium eſſendi reſpectu calcei. Ita actuum, qui a voluntate pendent, *principium cognoſcendi* eſt voluntas, adeo ut a nemine judicari poſſit, utrum hic vel ille actus agenti queat imputari in genere morum, niſi de agentis voluntate conſtet: e. gr. non poſſum cognoſcere, num privato, qui occiderat hominem, occiſio ad pœnam imputari poſſit, niſi

niſi prius cognitum habeam, an animus occidendi adfuerit? & quo animo quis occiderit, num ut ſe defenderet, an ut puniret, an vero ut offenderet? Eſt quoque voluntas actuum, qui ab animo pendent, h. e. a libera agentis voluntate, principium eſſendi: Ita voluntas eſt principium eſſendi reſpectu legis civilis, teſtamenti, pacti, contractus &c. Nam ea eſt talismodi actuum, qui ſcilicet a voluntate pendent, natura, ut novo actu voluntatis inde diſcedi poſſit, ſive ex parte una, ut in lege & teſtamento: ſive ex utraque parte ſeu conjunctim, ut in contractibus & pactis.

*NOTÆ.*

I. Principium cognoſcendi accurate loquendo non eſt principium rei quæ cognoſcitur, ſed cognitionis rei: Hocque & nihil aliud volunt, ac velle poſſunt, qui dicunt, principium cognoſcendi eſſe principium rei, ut cognoſcitur: e. gr. urina eſt principium non morbi, ſed cognitionis morbi. Non e-

nim morbus, ſed morbi cognitio ab urina procedit.

II. In *Analyticis* notio *principii eſſendi* aliter ſumitur, quam in *Metaphyſicis*, ceu ſuo loco ex profeſſo docebitur.

§. 7. Uti principium, ita etiam principiatum duplex eſt: *Principiatum cognoſcendi*, quod aliunde in cognitione ſua procedit; ſeu ut alii loqvuntur, *cognitio alicujus aliunde procedens*: e. g. ignis eſt principiatum cognoſcendi reſpectu fumi; morbus reſpectu urinæ. *Principiatum eſſendi, quod aliunde in eſſe ſuo procedit*: ut, calceus reſpectu ſutoris, it. reſpectu corii; Sic lex civilis, teſtamentum, pactum, contractus, in ordine ad voluntatem, recte vocantur principiata eſſendi: Pariter nullus actus in genere morum alicui imputari poteſt, niſi principium eſſendi ſit voluntas ejus, cui ſalva veritate imputatur: Hinc ſemper diſpicere ju-

jubent *Doctores Morales* de animo agentis, quo nempe animo quis egerit? idemque *Jureconſulti* indicant, quando cum *Ulpiano* dicunt: *voluntas diſtinguit maleficia*.

§. 8. Utrumque principium, adeoque utrumque etiam principiatum (nempe tum cognoſcendi, tum eſſendi) varias iterum admittit diſtinctiones, e quibus potiores adducere libet. Et (1.) quidem principium cognoſcendi ſumitur vel *abſolute* vel *excluſive*, ut Scholæ loqvuntur. *Abſolute accipitur principium cognoſcendi, quando ita ſumitur, ut etiam quodvis principium eſſendi poſſit dici principium cognoſcendi*: Ita e. g. cujuslibet corporis naturalis materia & forma recte vocantur principia cognoſcendi, utut quoque ſint principia eſſendi: Pariter quia quæ-

libet cauſa rei facit ad cognitionem rei, imo quodvis principium eſſendi facit ad cognitionem ejus, cujus principium eſſendi audit, unde quodvis principium eſſendi, item quælibet cauſa dici poteſt principium cognoſcendi. E contrario *principium cognoſcendi excluſive ſumitur, quando nihil principium cognoſcendi appellatur, quod ejusdem reſpectu, cujus ſcilicet reſpectu principium cognoſcendi ſalutatur, principium eſſendi eſt*, h. e. principium cognoſcendi excluſive ſumtum eſt id, quod principium cognoſcendi eſt, nec ſimul principium eſſendi: ut fumus reſpectu ignis, urina reſpectu alicujus certi morbi, qui inde cognoſcitur.

*NOTÆ.*

I. Vix neceſſarium ducimus peculiaribus formulis: quid principiatum cognoſcendi abſolute, quid excluſive tale dicatur, explicare

care, cum cuivis facile ſit perceptu, mutatis mutandis, quæ modo allata ſunt, repetere. *Abſolute ſumitur principiatum cognoſcendi, ſi ita ſumatur, ut etiam quodvis principiatum eſſendi tale dici poſſit*: Contra *excluſive* ſumitur principiatum cognoſcendi, ſi nihil dicatur principiatum cognoſcendi, quod ſimul eſt principiatum eſſendi.

II. Cur principium cognoſcendi abſolute etiam ſumatur, ita ut omne principium eſſendi ſit principium cognoſcendi, dictu facile evadit: Nam ut ſe res habet in ſuo eſſe, ita etiam ſe habet in ſuo cognoſci, ut loqvuntur, i.e. in ſua cognitione. Vera namque cognitio rei eſt, qua res cognoſcitur, ſicut in ſe eſt: Jam ſi res in eſſe ſuo aliunde procedit, h.e. ſi res habet principium eſſendi, utiq; ad perfectam rei cognitionem cognitio hujus principii eſſendi neceſſaria erit, & ſic principium eſſendi erit principiũ cognoſcendi.

III. Aliud interim eſt principium eſſendi dicere principium cognoſcendi, aliud vero principium eſſendi qua tale dicere principium cognoſcendi: Nam principium eſſendi formaliter, h.e. in ſenſu compoſito, non eſt principium cognoſcendi: Sicut enim differunt: Cognitio rei & ipſa res, ita quoque differunt principium cognoſcendi & principium eſſendi: Nam principium eſſendi qua tale eſt, unde res: principium cognoſcendi qua tale, unde rei cognitio procedit. IV.

IV. In *Moralibus* & *Politicis* quisquis docet, utitur principiis eſſendi, atque ſimul principiis cognoſcendi. Idem in *Theologia* & *Jurisprudentia*, omnibusque aliis diſciplinis & Facultatibus obtinet. Sed hac de re infra agetur ex profeſſo.

V. Illuſtre exemplum principii cognoſcendi excluſive ſumti nobis ipſe Spiritus S. ſubminiſtrat *capite primo Epiſtolæ ad Romanos*, quando expreſſe aſſerit ex viſibilibus mundi operibus æternam Dei potentiam ac ipſam Θειότητα divinitatem ſeu divinam eſſentiam ab homine poſt lapſum ſuis viribus naturæ unice relicto, adeoque citra ſpecialem revelationem a Deo factam, cognoſci poſſe. Inde datur argumentari: Unde cognitio Dei procedit, hoc ſano ſenſu recte dicitur principium cognoſcendi. Atqui cognitio Dei procedit a Creaturis. E. Major eſt definitio principii cognoſcendi, ab omnibus ſanioribus Philoſophis ſemper admiſſa. Minor manifeſto liquida eſt, cum expreſſe loco citato *verſu decimo nono & vigeſimo* dicatur: *Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ ſunt inviſibilia illius, ex creatione mundi dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipſaque æterna ejus potentia ac divinitas, in hoc ut ſint inexcuſabiles.* Lapſum inſignem judicii committunt ac graviter errant, qui aſſerunt,

De-

Deum habere principium, idque inde probare ſatagunt, quia habet principium cognoſcendi. Nulla enim eſt conſequentia: Deus habet principium cognoſcendi E. Deus habet principium. Nam ut *in præcedd.* monebatur, habere principium cognoſcendi, idem eſt, ac aliunde cognoſci poſſe. Imo qui dicunt: Deum habere principium cognoſcendi excluſive ſumtum, hoc & nihil aliud volunt, quam quod Deus eſſentialiter ſpectatus ſit plane a ſeipſo, h.e. quod natura divina non aliunde procedat in eſſe ſuo, ut tamen ejus naturalis cognitio a naturali cognitione creaturæ procedat, cum expreſſe gentiles ideo dicantur inexcuſabiles, quod verum Deum cognoſcere potuerint, cum æterna Dei potentia ac θειότης ex viſibilibus mundi operibus cognoſci queant. Qualis vero hæc eſt conſequentia: Deus ex operibus mundi cognoſci poteſt E. Deus abſolute loquendo habet principium. Hoc certe & nihil aliud ſequitur: E. Dei cognitio naturalis agnoſcit ſui principium. Non enim debent confundi: res ipſa & rei cognitio.

VI. Aliud exemplum Theologicum ſumamus: Ita e.gr. quando quæritur: quodnam ſit principium cognoſcendi reſpectu SS. Trinitatis? Reſpondetur ab orthodoxis Theologis: Scriptura Sacra. Ratio eſt, quia quod Deus Trinus ſit in perſonis, hujus cogni-

gnitio nobis obtingit unice uniceque ex Scriptura Sacra. Eſt vero Scriptura Sacra principium cognoſcendi excluſive ſumtum: Nam SS. Trinitas cognoſcitur quidem ex Scriptura S. non vero in eſſe ſuo procedit a Scriptura S. quia Deus hoc, quod ſit Trinus in perſonis, non habet a Scriptura S. ſed SS. Trinitas fuit ab æterno, Scriptura S. demum in tempore fuit: Imo SS. Trinitas eſt autor Scripturæ S. Qui ergo Scripturam S. principium cognoſcendi vocat excluſive ſumtum respectu Scripturæ S, hoc & nihil aliud vult, quam quod SS. Trinitas cognoſcatur a nobis ex Scriptura S. & hoc nemo ſanæ mentis negabit.

VII. Adeſto unicum exemplum Juridico-Politico-Morale inſtar multorum: Juris effectus qui ab animo pendent, non poſſunt tamen ad ſolum animi actum conſequi, niſi is actus ſignis quibusdam indicatus ſit, quia nudis animi actibus efficientiam juris tribuere non fuerat congruum naturæ humanæ, quæ niſi ex ſignis actus cognoſcere non poteſt: Signa autem nulla de animi actibus certitudinem habent mathematicam: nam & verbis eloqui aliud poſſunt homines, quam quod volunt & ſentiunt, & factis ſimulare. Neque tamen patitur natura humanæ ſocietatis, ut actibus animi ſufficienter indicatis nulla ſit efficacia. Ideo

quod

quod ſufficienter indicatum eſt, pro vero habetur adverſus eum qui indicavit. Sic igitur illa ſigna ſunt principia cognoſcendi excluſive ſumta.

VIII. Quæſtiones, quibus ſcilicet quæritur, an ſit? in omnibus diſciplinis & facultatibus ex principiis cognoſcendi excluſive ſumtis decidere poſſumus. Has enim quæſtiones licet expedire etiam argumentis ab effectu aut ſigno aliquo duntaxat acceptis.

IX. In Theologia & Jurisprudentia omnino plurima occurrunt principia cognoſcendi, quæ ſimul ſunt principia eſſendi: Ita e.g. quando quæritur: Cur omnis in Chriſtum credens habeat ſpem vitæ æternæ? Recte reſpondetur: quia eſt juſtificatus: ſane juſtificatio in ordine ad ſpem vitæ æternæ eſt ſimul principium cognoſcendi, & eſt quoque cauſa, adeoque principium eſſendi. Pariter quando quæritur: Cur Chriſtus ſuper omnia diligendus, inque eo omnis fiducia noſtra ponenda ſit? Reſpondetur per principium cognoſcendi & ſimul eſſendi, ſi reſpondeatur; quia Chriſtus merito ſuo nos redemit a potentia peccati, Diaboli, mortis & inferni. Exempla plura Theologica non modo, ſed & Juridica, Moralia, Politica atque ex aliis Philoſophiæ partibus petita ſupra *cap. 4. p. 375. & ſeqq.* usque ad pag. 382. attulimus, quæ, ſi placet, reducantur. Toties pre-

profecto principiis cognoſcendi & eſſendi ſimul utuntur *Theologi*, *Jurecon͠ſulti*, *Ethici*, *Politici*, omnium diſciplinarum Doctores, quoties accurate docent, h. e. res per genuinas ſuas cauſas tradunt.

§. 9. *Principium cognoſcendi* (2.) aliud eſt *proprium*, aliud *commune*: *Illud* vocatur, *quod ei, cujus reſpectu principium cognoſcendi dicitur, proprium eſt*: Ita e. gr. principium Phyſicæ ſcientiæ proprium eſt: Ex nihilo nihil fit; Principium morali ſcientiæ proprium eſt: Ex ſua natura honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum) *Hoc* dicitur: *quod nempe ei, cujus reſpectu principium cognoſcendi dicitur, cum aliis commune eſt, ut ſcilicet eorum reſpectu etiam ſit principium cognoſcendi*: e. gr. principium cognoſcendi omnibus facultatibus & diſciplinis commune eſt impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Quodlibet eſt vel non eſt. Nihil eſt cauſa ſui ipſius &c. NO-

Digitized by Google

N O T Æ.

I. Maximum uſum hæc diſtinctio habet in diſciplinis ac facultatibus omnibus & ſingulis, quia quælibet lætatur principiis domeſticis ſeu propriis, quælibet gaudet etiam principiis communibus.

II. Accuratioris doctrinæ cultores Doctoresque oportet noſſe, quod in Metaphyſicis multa occurrant axiomata, quæ quidem conſideratione ſunt propria Metaphyſicæ: Uſu vero fiunt quaſi propria cuilibet facultati vel diſciplinæ: Ita e.gr. dum Politicus certa axiomata Metaphyſica præciſe reſtringit ad perſonas, res, negotia civilis ordinis, ſic fiunt principia Politicæ quaſi propria. Ethicus eadem principia reſtringit ad moralia officia, & ita propria fiunt morali diſciplinæ: Idem de Theologo ac Jureconſulto eſt judicium. Inde factum eſt, ut accuratiſſimi doctores inque Practicis ac jurium diſciplinis verſatiſſimi diſtinguerent inter principia propria & inter principia quaſi propria, ita ut ex illis deducantur doctrinæ ac demonſtrationes primariæ, ex his ſecundariæ, minorisque claſſis, & ad hanc ipſam ſecundam aut minorem claſſem ſpectant axiomata Metaphyſica, eo ſenſu, quem indicavimus.

III. Lubet adferre unum alterumve Axiomatum Metaphyſicorum exemplum, ut eo facilius rudis auditor aſſequi poſſit, quæ

nempe ratione ea fiant quaſi propria certæ diſciplinæ aut facultati: Ita e. gr. docet accurate Theologus, cur omnis in Chriſtum credens habeat ſpem vitæ æternæ? idque inde docet, quia juſtificatus eſt. Quæſo cogitet quisque, quonam principio nitatur Theologus? Sane nequit negari, totum Theologicum diſcurſum totamque hanc doctrinam abire in illud principium omnibus diſciplinis & facultatibus alias commune, conſideratione proprium Metaphyſicæ: Poſita cauſa ponitur effectus: Juſtificatio enim eſt cauſa ſpei vitæ æternæ, adeoque poſito, quod quis juſtificatus ſit, habet omnino ſpem vitæ æternæ. Poſito autem, quod quis credat in Chriſtum, ponitur juſtificatio, cum fides in Chriſtum ſit cauſa juſtificationis, ac id propter fides juſtificans dicatur. Sed ſi amplius jam conſideres, unde Theologo hac de re conſtet, & quod omnis in Chriſtum credens ſit juſtificatus, & quod juſtificatus (coram Deo) habeat ſpem vitæ æternæ, certe nequit aliter reſponderi, quam quod hoc unice liqueat ex Scriptura S. quæ utrumque manifeſtis verbis aſſerit. Hic jam utitur Theologus principio vere proprio, & quidem hoc: Quicquid Scriptura S. Canonica dicit, illud infallibiliter verum eſt. Rurſus docet accurate JCtus, quod hæres tueri, comprobare & præſtare debeat defuncti factum, idque

inde docet, quia in ejus univerſum jus ſucceſſit: Totus iterum diſcurſus eodem axiomate nititur. Plura exempla nolumus jam adducere, quia inſpectio axiomatum, quorum uſum practicum & abuſum demonſtravimus, ea ſatis ac ſufficienter pro inſtituti ratione indicat.

IV. Illud, quod in multorum labris natat: *Philoſophi utuntur rationibus, nos* (Theologiæ & Jurisprudentiæ dediti) *utimur meris autoritatibus*, veriſſime dicitur, modo intelligatur & accipiatur cum grano ſalis, ita ut de principio Theologiæ & Jurisprudentiæ proprio ſimulque ultimo ſermo ſit, ceu ſupra *capite præliminari* a *§. 41. & ſeqq. p. 26. & ſeqq.* fere usque ad finem dicti capitis prolixe docuimus, hicque repeti merentur.

§. 10. *Principium cognoſcendi* aliud eſt *ultimum*, aliud *non ultimum*. *Illud* nullum aliud agnoſcit principiū: *Hoc* utique. E.g. principium cognoſcendi ultimū eſt hoc: Impoſſibile eſt idē ſimul eſſe & nō eſſe. Principium non ultimum eſt: Quodlibet eſt vel non eſt, quia ejus

veritas cognoſci poteſt, ſi attendas, quod impoſſibile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe.

## NOTÆ.

I. Eſt hæc diſtinctio inprimis uſitata & recepta in diſciplinis ac facultatibus, & præcipue principiis complexis tribuitur.

II. Non ultimum principium a *Metaphyſicis* quandoque vocatur proximum, ut tamen proximum dicatur hoc ſenſu, quia non eſt ultimum: Inde factum credimus, ut principium non ultimum aliud diceretur immediatum, aliud mediatum: e.g. ultimum principium in jurisprudentia morali eſt hoc: ex ſua natura honeſtum eſt expetendum. Jam quando demonſtrare volo hanc propoſitionem, promiſſum eſt ſervandum, datur certe propius principium, & quidem hoc, quia jus, quod cuique quæſitum eſt, relinquendum eſt: & certe adhuc propius datur, ex quo nempe demonſtratur, ex promiſſo alteri eſſe jus quæſitum, ſive perfectum, ſive imperfectum.

§. II. Principium ultimum cognoſcendi aliud *ſimpliciter tale* eſt, aliud *in certo genere*: e.g. Simpliciter

citer ultimum principium cognoſcendi complexum hoc eſt: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: E contrario e. gr. in Theologia ultimum principium cognoſcendi complexum eſt: Quicquid Scriptura S. Canonica dicit, illud infallibiliter verum eſt. In Jurisprudentia: Quicquid jus civile ſancit & approbat, hoc civiliter juſtum eſt, h. e. habet effectum juris civilis.

*NOTÆ.*

I. Reducantur ea, quæ ſupra *cap. præliminari §. 47. & ſequ. p. 35. & ſeqq.* differuimus, utpote quæ ex profeſſo huc quoque ſpectant.

II. Principium ultimum alio ſenſu dici primum poteſt: Ultimum, quia ultimo abit ac reſolvitur cognitio in iſtud: Primum, quia primus fons cognitionis eſt: Inde fit, ut Metaphyſica dicatur tradere primos cujuslibet cognitionis fontes.

§. 12. *Principium cognoſcendi* aliud eſt *complexum*, aliud *incom-*

plexum: *Illud* eſt integra propoſitio: ut Major & Minor in Syllogiſmo: *Hoc* minime, ut medius terminus in Syllogiſmo.

### NOTÆ.

I. Non ſtatim omne principium cognoſcendi, quod eſt complexum quid, ideo eſt principium cognoſcendi complexum: Ita e.gr. quando medii termini loco in Syllogiſmo ponitur definitio, & majoris termini loco definitum, ſic ſane definitio eſt principium cognoſcendi, utpote medii termini loco poſita, & eſt complexum quid, nec tamen eſt principium complexum, quia non eſt integra propoſitio, ſed extremum propoſitionis.

II. Quæri ſolet: Num Scriptura S. ſit reſpectu dogmatum Theologicorum principium cognoſcendi incomplexum, an complexum? Reſponſio facilis eſt: quia Sc.S. eſt complexus multarum propoſitionum, ex quibus cognoſcimus eſſentiam ac voluntatem DEI, dogmata tum fidei, tum morum, quorum cognitio ad æternam ſalutem noſtram ſufficit, recte dicitur principium cognoſcendi complexum. Interim vero ſi argumenteris: Quicquid Scriptura S. dicit, illud infallibiliter verum eſt, item credendum eſt. Atqui

hoc

Digitized by Google

hoc &c. E. Major propoſitio ibi ſane eſt " principium complexum: At hic terminus " complexus, qui habetur in Majore, nempe " Script. S. qui terminus in Minore repetitur, " recte ſuo ſenſu vocatur principium cogno- " ſcendi incomplexum. Et hoc volunt Theo- " logi, quando hanc propoſitionem: Quic- " quid Scriptura S. dicit, infallibiliter verum " eſt; reſpectu Theologiæ principium cogno- " ſcendi ultimum complexum vocant, ut ta- " men Scriptura S. ab iisdem principium co- " gnoſcendi incomplexum reſpectu Theolo- " giæ vocetur.

III. Idem eſto judicium, quando de principio ultimo cognoſcendi reſpectu jurisprudentiæ forenſis quæritur: Jus namque civile nunc ſumitur præciſe pro una lege civili, hac vel illa, nunc pro legum civilium complexu, ſicque nunc unam, nunc plures propoſitiones notat, ut tamen in Syllogiſmo jus civile poſſit fieri pars præmiſſarum, hocque ſenſu principium incomplexum dici.

§. 13. Principium eſſendi varias admittit diſtinctiones, æque ac principium cognoſcendi: Et (1) quidem principium eſſendi nunc ſumitur in *laxiori*, nunc in *arctiori ſignificatu*: *Priori modo* ſi ſuma-

tur, omne illud vocatur principium eſſendi, unde aliquid procedit in eſſe, ſive ſaltim inde procedat, quando fit, ſive etiam inde procedat, poſtquam jam factum eſt: E. gr. calceus & quando fit, & quando jam factus eſt, quamdiu eſt, procedit a corio: fit namque ex corio & eſt ex corio: Contra calceus a ſutore ſaltim procedit, quando fit, poſtea eſt & eſſe poteſt calceus, licet ſutor dudum ad plures abierit. *Poſteriori modo* ſumtum principium eſſendi ſaltim eſt tale principium eſſendi, unde non modo aliquid fit, ſed etiam procedit, quando jam factum eſt & quamdiu eſt: hoc ſenſu corium eſt principium eſſendi reſpectu calcei, ſutor non item.

NOTÆ.

I. Habent Metaphyſici regulam: *Unde res ſuam eſſentiam habet, quando jam facta eſt, (ita ſcilicet, ut eſſentia rei, poſtquam facta eſt,*

*inde*

*inde adhuc procedat) inde etiam res procedebat in fieri, inde etiam fiebat*. Sic quia animal ſuam eſſentiam habet, quando jam productum eſt, a corpore organico & anima rationali, ideo inde etiam animal procedebat in fieri: Fuerunt ergo corpus organicum & anima ſentiens principia animalis in fieri, & nunc ſunt principia animalis in facto eſſe: Non tamen eſſentiam ſuam animal genitum, poſtquam genitum eſt, amplius habet a generante, ergo generans erat ſaltem principium priori modo acceptum. Id propter diſtinguunt inter principium entis in fieri & principium entis in facto eſſe. Nam ab hoc ad illud, ſed non viciſſim ab illo ad hoc dicunt valere conſequentiam.

II. Eſt hæc diſtinctio principii eſſendi, quod ſimul vera cauſa eſt.

III. Graviter errant, qui Patrem in divinis dicunt principium eſſendi reſpectu Filii Dei, & tamen principium eſſendi definiunt: *Eſſendi principium eſt, unde res non ſolum dependet, dum fit, ſed etiam cum jam facta eſt*: Quippe omnibus, etiam ſimpliciſſimis, ex libris noſtris Symbolicis non poteſt non conſtare, nullam perſonam divinitatis eſſe aut factam aut creatam: Sed hac de re pluribus in *ſequenti capite* tractabitur.

§. 14. Principium eſſendi (2.) *aliud eſt verum ac reale Ens*, ut Medicus reſpectu medicamenti, quod propinat: *aliud eſt non ens*, ut ſanitas nondum exiſtens, cujus tamen gratia medicamentum propinabatur. Recte enim & Medicus realiter exiſtens & ſanitas non exiſtens principia propinati Medicamenti dicuntur.

*NOTA.*

In doctrina de cauſis demonſtrabitur pluribus, multas dari cauſas in variis generibus cauſarum, quæ ſimul poſſunt eſſe non entia, & veræ cauſæ: At omnis cauſa eſt principium eſſendi: Sic igitur vera principia eſſendi poſſunt eſſe non entia.

§. 15. Principium eſſendi (3.) *aliud eſt internum, aliud externum*: *Internum, quod* nempe *ingreditur conſtitutionem ejus, cujus reſpectu principium eſſendi vocatur*, ut corium reſpectu calcei, materia & forma reſpectu compoſiti: *Ex-*

*ternum*

*ternum, quod eam non ingreditur*, ut ſutor reſpectu calcei, efficiens & finis reſpectu compoſiti.

*NOTÆ.*

I. Cauſis hæc diſtinctio unice applicari a vulgo *Metaphyſicorum* ſolet, & quidem cauſis, quæ ſunt vera entia.

II. Non raro tamen etiam non Entibus tribuitur hoc ſenſu, in quantum de non Ente dici nequit, quod ejus, cujus eſt principium, conſtitutionem ingrediatur.

III. Sunt eruditi Viri, qui etiam non-entibus tribuunt notionem principii interni: Ita enim ſentiunt, quotquot in Phyſicis principium eſſe docent privationem non quidem in abſtracto ſumtam, ſed in concreto; Ex non ente enim fit ens, ex non homine homo, ex non planta planta.

§. 16. Principium eſſendi (4) *aliud eſt* cauſale, h. e. *vera cauſa*, ut: David dicitur principium cauſale Salomonis: aliud eſt non cauſale, h. e. *non eſt cauſa*: e. gr. terminus a quo dicitur principium itineris, punctum lineæ, aurora diei, nec tamen ſunt cauſæ.

*NOTA.*

*NOTA.*

Uſus omnium & ſingularum diſtinctionum principii eſſendi in ſequentibus fideliter monſtrabitur.

§. 17. Facile jam erit cuivis lectori etiam minus perito diſtinctiones de principiis cognoſcendi & eſſendi traditas, mutatis mutandis, *de principiatis cognoſcendi ac eſſendi* efferre.

# CAPUT OCTAVUM
## *De* CAUSA ET CAUSATO, ac de utriusque NECESSARIIS REQUISITIS, cum primariis, tum ſecundariis.
### *Item de* NOTIONE τὸ ALIUD.

§. I.

CAuſa in communi vocatur, *unde aliud in eſſe ſuo procedit*: h.e. eſſen-

eſſentiam ſuam habet aut accipit: e. g. calceus eſſentiam ſuam accipit a ſutore, unde ſutor dicitur cauſa calcei: Pariter calceus, quando fit, fit ex corio, & quamdiu eſt, eſt ex corio, quapropter corium cauſa calcei appellatur.

*NOTÆ.*

I. His verbis: *Unde eſſentiam accipit & habet*, ſignificatur, cauſam eſſe principium & quidem principium eſſendi. Omnia igitur quæ *præcedenti capite* de principio, it. principio eſſendi dicta ſunt, ſedulo in memoriam hic revocari debent, cum alias non detur feliciter progredi in doctrina de cauſa.

II. Studio diſtinguimus inter τὸ accipere eſſentiam & τὸ habere eſſentiam: e. gr. calceus habet eſſentiam, licet non amplius exiſtat ſutor, qui eum efficiat: calceus vero non accipit eſſentiam, niſi ſutor eum efficiat.

§. 2. Duo ergo requiruntur ad veram cauſam: (1.) *ut ſit principium eſſendi*, h. e. ut ſit id, unde ALIQUID in eſſe ſuo procedit. (2.) *ut ſit id, unde ALIUD in eſſe ſuo procedit*. Non enim unde ALIquid

QUID in eſſe ſuo procedit, inde ſtatim ALIUD in eſſe ſuo procedit.

*NOTÆ.*

I. Singulari ſtudio in definitione & requiſitis CAUSÆ mentio facta fuit vocis & notionis: ALIUD. Hac enim ſatis diſtinguitur cauſa a principio eſſendi, quia *præced.cap.* *§.16.p.523.* dictum eſt, non omne principium eſſendi eſſe cauſam. Nam ut aliquid ſit cauſa, non ſufficit, ſi quid inde eſſentiam accipiat & habeat, ſeu, ſi ſit id, unde quid in eſſe ſuo procedat, ſed requiritur amplius, ut id quod eſſentiam accipit & habet, quod in eſſe ſuo inde procedit, ſit *aliud*, ut mox pluribus docebitur.

II. Sunt qui cauſam in communi ſic definiunt: Eſt principium, unde aliud eſſentiam ſuam habet aut accipit. Sed hæc vox poterat tuto omitti, utpote quam vocula unde (unde ſcilicet aliud eſſentiam habet aut accipit) ſubindicat.

III. Sive interim exprimatur, ſive omittatur vox: principium, quisque videt, notionem cauſæ adeo communem eſſe, ut exacta definitio cauſæ in communi nec haberi, nec urgeri poſſit. Varietatem namque modorum, quibus aliud accipere aut habere eſſe ſuum dicitur ab aliquo, ex aliquo, per aliquid

quid, propter aliquid, circa aliquid, impulſu alicujus, imitatione alicujus, & quis omnes ſtatim modos enumeraret, hanc, inquam, varietatem expendentes ſaltim non toto genere diſtinctos hoſce modos crediderint, ut non ſatis cauſæ detur, cur cum *Suarezio Vol. 1. diſp. Metaphyſ. ſectione ſecunda Diſp. 12. §. 13. inveſtigationi unius conceptus tam formalis, quam objectivi, cauſæ in communi, qui a modis, quibus aliud eſſe ſuum accipit aut habet, & vulgo quidem diverſa cauſarum genera vocantur, abſtrahi poſſit ac debeat, ut non ſolum ex proportionalitate aliqua metaphorica, ſed ex propria, vera & reali convenientia conceptus communis abſtrahatur*, immorari, aut immori potius velimus, velut Ixionis rotæ alligati.

IV. Voce: *principium* ſignificari poterat conceptus communis, qui quaſi generi reſpondet: Verbis, *unde* (aliud) *eſſentiam habet aut accipit*, differentia quædam intermedia & quaſi generica indigitatur, ſi vox in parentheſi poſita: *aliud*, plane non attendatur. Idem enim eſt, ac ſi dictum fuiſſet: Cauſa eſt *(principium) eſſendi*. Nam unde aliquid (non tamen debent confundi: aliquid & aliud) eſſentiam ſuam habet aut accipit, vocatur principium eſſendi, ceu ex ſupra dictis liquet. Per hoc igitur differt cauſa a principio cognoſcendi excluſive ſumto. Ulti-

mam

mam & quaſi ſpecificam differentiam indicat vox: *aliud*; Non enim unde aliquid eſſentiam ſuam accipit aut habet, eſt cauſa, ſed requiritur inſuper, ut quod eſſentiam ſuam inde accipit, ſit aliud ab eo, cujus cauſa dicitur, quo de paulo poſt diſtinctius agetur.

V. Explicuimus notionem metaphyſicam cauſæ in communi ſimplicibus planioribusque verbis, nec fortaſſis aliud quid exprimitur notiſſima illa formula: *Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud*; quæ eſt *Dd. Conimbricenſium II. Phyſ. c. 7. q. 7. a. 1.* quamque canonizavit Metaphyſicorum Papa, uti *Suarezium Jacobus Revius* vocat, idem ille, qui libro ſuo, qui inſcribitur *Suares repurgatus diſp. 12. ſect. 3.* liberius judicium fert hiſce verbis: *Hæc definitio primo impropria eſt, ut liquet. Secundo averſa a regulis ſyntaxeos, unde fit, ut nullum ſanum ſenſum gignat. Neque enim congrue dicitur: influo eſſe in aliud, ut nec homo influit aquam in vas, ſed infundit, nec fluvius influit aquam in mare, ſed exonerat. Ergo influere quod abſolutum eſt, hic neceſſario explicandum per tranſitivum, nempe per facere, ut influat, id eſt, ut diximus, infundere. Jam vide, quam febriculoſa ſit hæc cauſæ definitio: Cauſa eſt, quæ effundit eſſe in aliud. Eſtne hoc rem definire, an involvere?* Hæc *Revius cit. loc. p. m. 164.* Scire interim cuperem, quo ſucceſſu ille hujus ſeculi in Scholaſti-

cis

Digitized by Google

cis gigas, (hoc enim elogio *Suarezium* ornat *Rodericus de Arriaga præfat. curſus Philoſophi-ci,*) communem receptamq; definitionem defenderit, inſpectio *ſectionis de communi ratione cauſæ*, quæ *ſecunda eſt in duodecima diſputatione Suareziana*, ſufficiet. Ipſe *Revius* eam ſano ſenſu admittit, eaque ſe uſurum ſpondet *p.* 166. quam tamen multis modis reprehenderat.

VI Quia igitur, uti modo monuimus, vocula ALIUD a quovis alio principio diſtinguit cauſam, adeoque multum momenti ſitum eſt in hujus voculæ conſideratione, diſtinctius explicabimus, quid notione τȣ ALIUD hic loci ſignificetur.

§. 3. ALIUD in Metaphyſicis *dupliciter* ſumi ſolet: (1) *in ſenſu negante*, & ſic ALIUD dicitur *verum & reale ens, quod non eſt ejusdem numero eſſentiæ, cujus reſpectu ALIUD vocatur*: Ita e.g. ALIUD eſt calceus reſpectu ſutoris, quia calceus eſt verum & reale ens, quod cũ ſutore non eſt ejusdẽ numero eſſentiæ: ALIUD eſt actus, quando quis utitur medicamento,

reſpectu ſanitatis quæ adhuc deſideratur, quia eſt verum & reale ens, quod cum ſanitate non eſt ejusdem numero eſſentiæ. (2) *in ſenſu ajente*, & ita ALIUD nuncupatur *verum & reale ens, quod ad minimum numero diverſam eſſentiam habet ab eſſentia iſtius veri & realis entis, cujus reſpectu aliud denominatur*: e.gr. ALIUD etiam hoc ſenſu eſt calceus reſpectu ſutoris, quia ſuam eſſentiam habet calceus, cum ſit verum & reale ens, ſuam eſſentiam habet ſutor, cum ſit verum & reale ens, nec tamen eadem ſpecie, multoque minus eadem numero eſſentia eſt calcei & ſutoris: Contra quando ægrotus utitur medicamento, actus, quo ipſe utitur medicamento, in ſenſu ajente nequit dici ALIUD reſpectu ſanitatis, quæ plane non exiſtit, quia ſanitas quæ pla-

ne

ne non exiſtit; eſt non ens, adeoque nullam prorſus eſſentiam habet: Eſſentia enim (prout ea hoc loco ſumitur) & exiſtentia realiter non differunt. Notetur ergo, quod *in CAUSÆ definitione* τὸ *ALIUD accipi debeat in priori ſenſu, hoc eſt, ſenſu negante.*

### *NOTÆ.*

I. Poſſunt etiam duo mera non-entia dici ALIUD & ALIUD: e.gr. ALIUD eſt cœcitas & ALIUD ignorantia, quæ tamen ſunt mera non entia, meræ ſcilicet privationes: Nec difficile eſt dictu, cur dicantur ALIUD & ALIUD? Nam ALIUD eſt viſus, ALIUD ſcientia: Cœcitas vero nihil ALIUD eſt quam abſentia viſus ex ſubjecto capaci, & ignorantia nihil ALIUD eſt quam abſentia ſcientiæ ex ſubjecto capaci. Quippe ſecundum *Ariſtotelem* æque ac ipſius rei veritatem *τῶν στερήσεων οὐσία ἐστὶν ἀπουσία, privationum eſſentia eſt abſentia.* Facili igitur negotio perſpici poteſt, qua ratione ALIUD cœcitas, & iterum ALIUD ignorantia dicatur? Nempe non primario ac intrinſece, in ſe & reſpectu ſui, quia ſic ſunt purum putum nihil, ſed ſecundario & extrinſece ac re-

ſpectu verorum & realium entium, quæ utique primario ac intrinſece, in ſe & reſpectu ſui ſunt ALIUD & ALIUD, quia alia eſt eſſentia viſus, alia vero eſſentia eſt ſcientiæ. Dicis: ALIUD & ALIUD quoque dicuntur pura abſentia viſus & privatio viſus, utut ejusdem poſitivi abſentiam dicant. Reſpondetur, adhuc minus proprie dici ALIUD & ALIUD puram negationem & privationem ejusdem poſitivi: In tantum tamen adhuc hæc appellatio locum invenit, in quantum reſpiciunt ALIUD & ALIUD recte ac primario ſic dictum. Illa enim notat ſubjectum incapax, hæc vero ſubjectum capax, ſicque ſubjecta diverſæ eſſentiæ connotant.

II. In præſenti ALIUD ſumitur abſolute & in primario ſuo ſignificatu, ita ut notio ℥ ALIUD non tribuatur niſi vero ac reali enti, h.e. ut nihil dicatur ALIUD, niſi ſit verum ac reale ens. Hanc ipſam acceptionem etiam indicant verba: *unde (ALIUD) eſſentiam ſuam habet aut accipit.* Nam quod eſſentiam habet aut accipit, illud eſt ens, quia ens eſt, quod habet veram ac realem eſſentiam ſeu, quod hoc loco idem eſt, exiſtentiam.

III. Nec hoc intactum relinquimus, quod ALIUD hoc loco per modum ſubſtantivi a *Metaphyſicis* accipiatur.

IV. In-

Digitized by Google

IV. Interim ALIUD in ſenſu affirmante ex definitione CAUSÆ nequaquam hoc ſenſu exeſſe jubetur, quaſi ſcilicet CAUSA dici nequeat, unde ALIUD in ſenſu affirmante tale procedit in eſſe ſuo. Abſtrahitur enim ab iſto ſenſu, non vero tanquam ſenſus repugnans prorſus excluditur, quia datur cauſa, unde ALIUD IN SENSU AFFIRMANTE ſumtum eſſentiam ſuam habet aut accipit, & datur cauſa, unde ALIUD IN SENSU NEGANTE ſumtum quodque in ſenſu affirmante ſumi nullatenus poterat, eſſentiam habet aut accipit. Tota nempe difficultas in eo conſiſtit, ſi attendas, aliam cauſam eſſe verum ac reale ens, aliam vero cauſam eſſe quidem veram cauſam, non tamen eſſe verum ac reale ens. Quo de in ſequentibus agetur.

V. A τῷ ALIUD in ſenſu affirmante valet conſequentia ad τὸ ALIUD in ſenſu negante, ſed non contra: Hoc eſt, quæcunque habent numero diverſas eſſentias, illa non habent easdem numero eſſentias, ſed quæcunque non habent easdem numero eſſentias, idpropter non ſtatim habent diverſas numero eſſentias, quia fieri poteſt, ut unum ex iſtis nullam plane habeat eſſentiam, ſi nempe ſit non ens. Hæc tamen effata intelligi debent de τῷ ALIUD in ſenſu negante abſolute, non excluſive ſumto.

Nam a τῶ ALIUD in ſenſu affirmante nunquam valet conſequentia ad τὸ ALIUD in ſenſu negante excluſive ſumtum, h.e. ita, prout ſenſum affirmantem prorſus excludit. Quæ diſtinctio facilis cognitu evadit, ſi repetantur, quæ *præcedenti capite* §.8. *p.*505. de principio cognoſcendi *abſolute* & *excluſive* ſumto dicebantur.

„ VI. Hac vocula ALIUD *Theologiæ Scholaſticæ Doctores* norunt bene uti, dum nempe „ ſummorum myſteriorum: myſterii SS. Trinitatis & myſterii incarnationis, diſcrimina „ ſequenti modo explicant, quod in myſterio „ SS. Trinitatis alius, alius atque alius, ἄλλος, „ ἄλλος καὶ ἄλλος, non aliud, aliud atque „ aliud, ἄλλο, ἄλλο καὶ ἄλλο dentur: In myſterio „ vero incarnationis aliud & aliud, ἄλλο καὶ ἄλ- „ λο, non alius & alius ἄλλος καὶ ἄλλος dentur. „ Quo ipſo innuunt in myſterio SS. Trinita- „ tis dari unum numero eſſe Patris, Filii & „ Spiritus Sancti, hoc eſt, unam numero ean- „ demque eſſentiam ſeu naturam divinam, „ tres tamen realiter ab invicem diſtinctas per- „ ſonas in una eademque numero eſſentia. In „ myſterio vero incarnationis unam numero „ perſonam eſſe, perſonam ſcil. τῦ θεανθρώπυ, „ duas vero realiter diſtinctas ab invicem eſ- „ ſentias ſeu naturas: Divinam nempe Chriſti „ naturam, quam habuerit ab æterno, & huma- „ nam, quam in tempore aſſumſerit. Et ut

obi-

obiter hoc addamus, vocem ALIUD maxime ea fini poſuerunt *Scholaſtici* in explicatione notionis CAUSÆ, ut perſonas divinas ratione actionum ad intra, ut in *Scholis* vocantur, numero cauſarum excluderent: Videatur hanc in rem *Franciſcus Suarez Diſpp. Metaph. tom. 1. diſp. 12. ſect. 2. §. 4. pag. m. 243. edit. Mogunt.* Nam *Theologi* docent Filium DEI habere a DEO Patre ſuam eſſentiam per æternam generationem, Spiritum Sanctum habere a Patre & Filio ſuam eſſentiam per æternam ſpirationem: Quia tamen una numero eſſentia eſt Patris, Filii & Spiritus Sancti, atque ideo Pater, Filius & Spiritus Sanctus non ſunt aliud, aliud atque aliud, ideo in divinis nec Patri reſpectu Filii, nec Patri & Filio reſpectu Spiritus Sancti notio cauſæ tribui poteſt. Nam quamvis *Patres* quandoque hanc notionem adhibuiſſe legantur, ſicuti quoque *Auguſtinus* in DEO prioritatem naturæ admiſiſſe alicubi creditur, quum Patrem Filio natura priorem dixit, uſus tamen *Theologicarum Scholarum* hanc locutionem tam largam minusque tutam repudiat. De cætero unam ſpecie eſſentiam cauſæ ejusque, cujus cauſa eſt, eſſe poſſe, ut tamen ALIUD recte dicatur id cujus eſt cauſa, patris & Filii in humanis exemplo liquet.

§. 4. *ALIUD in ſenſu affir-*

*mante* ſumtum rurſus eſt duplex: *ALIUD adæquate, & ALIUD inadæquate. Adæquate ALIUD* dicitur in ſenſu affirmante, *quod ab ente cujus reſpectu aliud dicitur, differt nec ut includens, nec ut incluſum*, hoc eſt, quod nec includit alterum ens, nec includitur in eo: Ita e.gr. adæquate ALIUD & ALIVD ſunt calceus & ſutor. *Inadæquate ALIUD* appellatur in ſenſu affirmante, *quod ab ente cujus reſpectu aliud dicitur, differt vel ut includens, vel ut incluſum*. E.g. inadæquate aliud & aliud ſunt calceus & corium, quia calceus differt a corio, ut ens includens ab ente incluſo.

*NOTA.*

Ita inadæquate aliud & aliud ſunt: homo & mens hominis, unde inepte definiunt hominem; qui eum accuratiſſime definiri cenſent per mentem, dicentes: homo eſt mens &c. Sane quæ non modo realiter inter

ſe

ſe differunt, ſed etiam ſunt Ens aliud & Ens aliud, eorum unum de altero in caſu recto ſalva veritate & proprie prædicari, adeoque etiam per iſtud definiri nequit. Dicis: Quempiam ſæpe plura poſſidere feuda, & tamen ab unico, eo quod majoris æſtimationis ſit, ſeſe denominare hæreditarium. Reſpondetur: hoc eſt ſplendide nugari, ut quisque advertit, qui modum recte & accurate definiendi novit. Excipis: Omnium tamen Logicorum conſenſu a potiori fieri denominationem. Reſpondetur; Hoc eſt pervertere canones Logicos ex novitatis pruritu. Certe omnibus eruditis, imo etiam Logicorum pueris perſpectum eſt, hunc canonem: *a potiori fit denominatio*, nunquam habuiſſe nec habere hunc ſenſum: quod totius eſſentialis phyſici, ut vocant, definitio accurata fieri debeat per partem eſſentialem phyſicam potiorem, utpote quæ ſemper realiter differt a toto, cujus pars eſſentialis dicitur: definitio vero eſſentialis & definitum nunquam realiter differunt, quod incipientibus quoque cognitum eſſe poterat, atque debebat. Imo ſi quælibet definitio eſſentialis debet eſſe prædicatio eſſentialis completa, h.e. in qua prædicatum explicat totam eſſentiam ſubjecti, qua ratione ſine manifeſta abſurditate dici poterit, quod altera pars eſſentialis hominis & quidem in caſu recto poſita accuratam defi-

 nitio-

nitionem hominis abſolvat. Sed hac de re infra in capitibus de compoſito, item de toto & partibus diſtinctius agetur. Proprius ſane huic disquiſitioni locus eſt in *Analyticis*, quæ fortaſſis Deo volente alias a nobis publicæ eruditorum cenſuræ ſubjicientur: Nulli namque dubitamus, quin labor utilis ac Academicis ſtudioſis valde proficuus eſſe poſſit, ſi officia & vitia docentium ac diſcentium, & quomodo illa expleri, hæc vitari debeant, in diſciplinæ formam redigantur: Et ſi unquam, forte hoc tempore hæc practica tractatio fuerit e re commodoque ſtudiorum.

§. 5. Hanc quoque τῶ ALIUD diſtinctionem attuliſſe juvabit, quando ALIUD ſumitur nunc *abſolute*, nunc *cum determinatione*. Hactenus enim de eo, quod ſimpliciter, abſolute & ſine determinatione ALIUD dicitur, actum fuit. Et ſane Theologiæ Studioſis hæc diſtinctio apprime debet eſſe commendata: Ita abſolute, ſimpliciter & ſine determinatione nulla perſona divinitatis reſpectu alterius perſonæ divinitatis dici poteſt

ALIUD

Digitized by Google

ALIUD, quia ſimpliciter nihil dicitur ALIUD reſpectu ejus, cum quo habet eandem numero eſſentiam: At una perſona divinitatis reſpectu alterius perſonæ divinitatis ALIUD ſuppoſitum, ſicque cum determinatione ALIUD dici poteſt. Habent enim tres perſonæ divinitatis eandem numero eſſentiam, non vero eandem numero ſubſiſtentiam, cum tres realiter diſtinctæ ſubſiſtentiæ ſint in divinis, adeoque tria realiter diſtincta ſuppoſita, quæ tamen unum numero ens, unus in eſſentia DEUS, manent.

*NOTÆ.*

I. Hæc Theologiæ Cultores noſſe oportet. Aliud & aliud ens non datur in divinis, datur tamen aliud & aliud ſuppoſitum: Tria namque realiter inter ſe diſtincta ſuppoſita ſunt verus ac in eſſentia unus Deus.

II. Uſum inſignem præſtat hæc doctrina contra Antitrinitarios: Sunt enim ex iſtis, qui ſic argumentantur: Aut Filius Dei eſt

ALIUD

Digitized by Google

ALIUD ſuppoſitum quam Deus Pater, aut non eſt: Si illud, non ſunt ejusdem eſſentiæ, quia impoſſibile eſt duo ejusdem numero eſſentiæ ſimul eſſe ALIUD & ALIUD, nec tamen eſſe ALIUD & ALIUD: Si hoc, non ſunt realiter diſtinctæ perſonæ, cum duæ realiter diſtinctæ perſonæ ſint ALIUD & ALIUD ſuppoſitum. Ad hoc argumentum reſpondent Orthodoxi Theologi negando, quod vera contradictio ſit, quando Filius Dei dicitur eſſe ALIUD ſuppoſitum, & ALIUD ſuppoſitum Deus Pater vocatur, ſimul tamen negatur, quod Deus Pater & Filius Dei ſint ALIUD & ALIUD: Quippe ad veram contradictionem requiritur, ut fiat de eodem ſingulari ſubjecto ſimpliciter ſecundum idem, ad idem, eodem modo & eodem tempore: Jam vero quando dicitur: Filius Dei eſt ALIUD ſuppoſitum & Deus Pater eſt ALIUD ſuppoſitum, atque ſimul affirmatur, quod Filius Dei non ſit ALIUD a Deo Patre, ſic non ſimpliciter affirmantur oppoſita de eodem ſubjecto ſingulari, quia affirmatur Filium Dei eſſe non ALIUD a Deo Patre & hoc ſimpliciter affirmatur, ita ut per ALIUD intelligatur abſolute & ſimpliciter ALIUD in ſenſu affirmante, hoc eſt, ALIUD ens, quaſi diceretur: Filius Dei eſt non ALIUD, hoc eſt, non eſt ALIUD ens a Deo Patre, ſed Deus Pater & Filius Dei ſunt u-

num

num numero ens, unus in eſſentia Deus, quando autem ſimul affirmatur, quod Filius Dei ſit ALIUD ſuppoſitum a Deo Patre, ſeu quod hoc loco eodem redit, alia perſona, ſic non ſimpliciter affirmatur, quod ſit ALIUD, ſicut ante ſimpliciter affirmabatur, quod ſit non ALIUD a Patre, ſed affirmatur ſaltem, quod ſit cum determinatione ALIUD, hoc eſt; non ALIUD ens, ſed alia perſona (& quia omnis perſona eſt ſuppoſitum, utut non omne ſuppoſitum ſit perſona) ALIUD ſuppoſitum, & ſic determinatur ſubſiſtentia atque ſignificatur, quod ſubſiſtentia Filii Dei non ſit ſubſiſtentia Dei Patris, nec ſubſiſtentia Dei Patris ſit ſubſiſtentia Filii Dei, treſque realiter diſtinctæ ſubſiſtentiæ ſint trium perſonarum divinitatis, ut tamen una numero eſſentia maneat omnium trium perſonarum divinitatis: Patris, Filii & Spiritus S.

III. Et hoc voluerunt Scholaſtici, quando in Theologia ſua barbaro nomine utentes diſtinxerunt inter ALIETATEM eſſentiæ & ALIETATEM ſubſiſtentiæ, atque ab hac ad illam negarunt valere conſequentiam.

## §. 6. Oppoſitum cauſæ eſt cauſatum.

*NOTÆ.*

I. Repetantur ea, quæ ſupra diximus de prin-

principiato, pag. 495. & ſeqq. Omne enim cauſatum eſt principiatum. Scilicet Scholaſtici hujus barbari nominis inventores per cauſatum intelligunt id, cujus aliquid vera cauſa eſt, ſeu, ut ipſi ſeſe explicant, *id quod cauſatur*. Nempe quod ſemel adhuc notaſſe ſufficiat, ipſi in doctrina de cauſa utuntur hiſce vocibus: *cauſare* & *cauſari*, quaſi verbum *cauſare* ſit activum, & e contrario verbum *cauſari* ſit paſſivum: Ita juxta hoſce Scholæ Doctores architectus dicitur cauſaſſe ædificium, quando ſcilicet iſtud extruxerat, & ædificium dicitur cauſatum fuiſſe ab architecto, quia extructum fuerat ab ipſo.

II. Et ſane nullum verbum occurrit apud claſſicos auctores, quod ſeorſim poſitum ac ſolum ſufficiat ad exprimendum & ſatis explicandum illud, quod ut unico verbo Scholaſtici indigitent, utuntur voce: *Cauſare* & *cauſari*.

III. Sicut alias multum differunt: amari & amatum fuiſſe, extrui & extructum fuiſſe, ita ſi vel maxime τὸ *cauſari* ut paſſivum ſumatur, non tamen *cauſatum* accurate dicetur relative oppoſitum cauſæ, ſed potius oppoſitum erit *id quod cauſatur*. Nam licet verum ſit, *poſita cauſa*, hoc eſt, poſito eo, quod cauſat, *etiam poni id quod cauſatur*, non tamen id propter ſtatim *cauſatum* ponitur: Et e contrario, *poſito cauſato*, hoc eſt, eo quod

cau-

cauſatum eſt, *non neceſſario ponitur cauſa*, hoc eſt, id quod cauſat: Ita e. gr. poſito quod architectus ædificet domum, id propter non ſtatim ponitur ædificium: Et poſito quod domus ſit extructa, ſæpe non amplius ponitur, qui erat cauſa efficiens domus, ſique ponitur, non ut cauſa efficiens ponitur. Interim in *Scholis* obtinuit, ut per *cauſatum* hoc loco non intelligatur, quod cauſatum eſt, ſed *id, quod cauſatur*.

§. 7 *Cauſatum eſt Ens, quod aliunde in eſſe ſuo procedit, ut tamen ſit ALIUD reſpectu ejus, unde in eſſe ſuo procedit*: E. gr. calceus eſt cauſatum reſpectu corii & ſutoris.

*NOTÆ.*

I. Perinde eſt & ſufficit ad *cauſatum*, modo ſit aliud aliunde procedens in eſſe ſuo, ſive id, unde procedit in eſſe ſuo, ſit non ens, ſive ſit verum ac reale ens: e. gr. verum ens eſt ſutor, verum ens eſt corium, adæquate aliud ens eſt calceus, quam ſutor, inadæquate aliud ens eſt calceus, quam corium: Sic quando ſutor jam efficit calceum ut eum vendat, ut pes emtoris calceo tegatur, ſic calceus dicitur aliud quid a futura venditione, utut futura venditio ſit non ens.

II. *Cau-*

II. *Cauſatum* debet eſſe ALIUD h. e. non ejusdem, numero eſſentiæ cum eo, reſpectu cujus *cauſatum* vocatur. Hic iterum cavendum, ne confundamus aliud ſuppoſitum, & aliud ens: nam poteſt aliquid eſſe aliud ſuppoſitum, ut ſit ſimul aliud ens; & poteſt aliquid eſſe aliud ſuppoſitum, ut tamen non ſit aliud ens: e. gr. aliud ſuppoſitum & aliud ſuppoſitum ſunt Petrus & Paulus, & ſunt quoque aliud ens & aliud ens: Contra in divinis tres perſonæ divinitatis ſunt aliud ſuppoſitum, aliud ſuppoſitum atque aliud ſuppoſitum, manent vero unum numero ens, nec dici poſſunt aliud, aliud atque aliud.

III. Utriusque, cum CAUSÆ, tum CAUSATI notio melius conſtare poterit, ſi utriusque requiſita recte attendantur, quæ nunc ſine mora trademus.

§. 8. *Requiſita CAUSÆ genuina* ſunt *duplicis generis*: *Alia* dicuntur *primaria* ſeu *potiora*: *Alia ſecundaria* vocantur.

§. 9. *Primaria ac potiora requiſita CAUSÆ* ſunt *tria*: (1.) *Materiale cauſæ*. (2.) *Ratio cauſandi*; dicitur etiam *formale primum cauſæ* (3.) *Cauſalitas*, quæ etiam

etiam *formale ſecundum cauſa* appellari ſolet.

*NOTA.*

Quælibet cauſa cujuslibet rei hæcce tria omnia & ſingula requirit, ita ut ubi hæc tria requiſita ſimul non adſint, cauſa locum non habeat. Et ſane ex cujuslibet Studioſi Doctorisve, cujuscunque tandem ille facultatis, ſit, inſigni commodo ac fructu eſt, hæc requiſita recte expendere ac ad cauſam, quam conſiderat aut tradit, noſſe decenter applicare: Idque eo magis neceſſarium credi ac commendatum eſſe debet, quo certius conſtat omnibus ſolidam eruditionem amantibus, eruditiſſimas quæſtiones in quibusvis diſciplinis ac facultatibus, imprimis in practicis diſciplinis, eſſe de una vel pluribus, vel omnibus cauſis, ſicque etiam de unius vel plurium vel omnium cauſarum primariis ac potioribus requiſitis: Eo felicius vero & accuratius hujusmodi quæſtiones deciduntur, quo magis magisque hæc ipſa genuina ac ſemper neceſſaria requiſita probe prius expenduntur.

§. 10. *Materiale cauſa* dicitur *res illa, quæ cauſa eſſe ac dici poteſt ſalva veritate*: E. gr. Petrus eſſe & dici poteſt cauſa ædificii, non au-

autem ſi præciſe ſpectetur ut Petrus, unde materiale ex parte cauſæ efficientis ædificii dicitur Petrus.

§. 11. *Materiale cauſa* eſt *duplex*: Nam *aliud* materiale cauſæ *eſt ens reale*, ut Petrus, quando dicitur cauſa ædificii: *Aliud* materiale cauſæ *eſt non ens*, ut inhabitatio, quando cauſa dicitur ædificii quod extruitur, cum illa inhabitatio nondum ſit, nec forſan futura ſit, quia fieri poteſt, ut ædificium extructum ſtatim flammis pereat, nec unquam inhabitetur.

*NOTA.*

Poteſt ens eſſe vera cauſa, poteſt etiam non ens eſſe vera cauſa: Hac de re videbimus imprimis, quando de cauſis finalibus, impulſivis, objectivis, acturi ſumus.

§. 12. *Ratio cauſandi* eſt *id, quo aliquid aptum eſt, ut fiat vel ſit cauſa*. Vocatur etiam in Scholis *potentia cauſativa*, quia eſt potentia, qua aliquid poteſt eſſe cauſa, ſeu, qua ali-

Digitized by Google

aliquid potens eſt cauſare, ſi barbaro Scholaſticorum termino uti liceret. Appellatur quoque (uti monuimus) *formale primum cauſæ*, item *actus primus*, item (barbaro iterum vocabulo) *cauſativitas*: Ita e.g. ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis domus, eſt ars architectonica, ex parte cauſæ efficientis luminis ſolaris eſt potentia illuminandi in ſole. Agetur de hoc requiſito pluribus *ſequenti capite*.

*NOTÆ.*

I. Sicut nihil exiſtit, niſi poſſit exiſtere: Ita nihil eſt cauſa, niſi poſſit eſſe cauſa, ſeu, ut *Scholaſtici* loqvuntur, niſi poſſit cauſare. Et hanc ob cauſam illam potentiam, qua aliquid aptum eſt, ut fiat vel ſit cauſa, dixerunt *potentiam cauſativam*.

II. Sicut etiam *Scholaſtici* diſtinxerunt inter actum entitativum, quo nempe aliquid exiſtit, & potentiam, qua quid exiſtere poteſt: Ita diſtinguere ſolent inter *actum*, quo quid eſt cauſa, & *potentiam*, qua quid cauſa eſſe poteſt.

III. Rurſus uti ſupra diſtinguebatur in-

ter ens potentia & ens actu: Ita jam diſtinguitur inter *cauſam potentia* h.e. *id quod cauſa non eſt, eſſe tamen poteſt*, & inter *cauſam actu* h.e. *id quod revera cauſa eſt.*

IV. Tandem ſicut aliud eſt ens poſſibile, aliud ens potentia: Ita aliud eſt *cauſa poſſibilis*, aliud *cauſa potentia*: Nam latius patet *cauſa poſſibilis*, quam *cauſa potentia*.

V. Videntes interim *Scholaſtici* id, quod non eſt cauſa, aliud poſſe cauſam eſſe, aliud non poſſe eſſe cauſam, diſtinxerunt inter *actum primum* & *actum ſecundum*, & vocarunt *actum primum*, unde aliquid hoc habet, quod ſit cauſa poſſibilis, non attendendo, an ſit actu cauſa, nec ne? *Actum* autem *ſecundum* dixerunt id, quo aliquid eſt vera cauſa. Et quia aliquid hoc, quod ſit cauſa poſſibilis, *formaliter* habet a *ratione cauſandi*, quæ ſi ei tribui non poſſet; eſſet cauſa impoſſibilis, ſeu, non poſſet eſſe cauſa: hoc vero quod ſit vera cauſa *formaliter*, habet a *cauſalitate*, & (quod ſimul notandum venit) prius eſt, eſſe aliquid cauſam poſſibilem, poſterius eſt, actu eſſe cauſam, quia actus ſecundus ſemper præſupponit actum primum; Inde videmus ac facile colligimus, cur *ratio cauſandi* dicatur *formale primum*, *cauſalitas* autem *formale ſecundum* cauſæ.

§. 13. ***Cauſalitas* eſt *id, quo* *aliquid***

Digitized by Google

*aliquid eſt vera cauſa.* Dicitur etiam abſolute *formale cauſæ*, it. *cauſatio*, item *cauſatio activa*, *actus ſecundus*, *actus cauſæ abſolute*: E.gr. ædificatio eſt cauſalitas ex parte cauſæ efficientis domus. Illuminatio ut a ſole procedit, eſt cauſalitas ex parte cauſæ efficientis luminis ſolaris in aere producti.

*NOTÆ.*

I. Sicut aliquid per exiſtentiam h.e. dum actu exiſtit, eſt ens, ens actu: Ita per *cauſalitatem*, hoc eſt, (ſi cum *Scholaſticis* loqui velis) dum revera cauſat, eſt *vera cauſa*, *actu cauſa*.

II. Inde liquet, cur dicatur *actus ſecundus*, item *formale ſecundum ex parte cauſæ*. Conferantur ea, quæ *notis ad præcedentem* §. monebantur.

III. Unde quemadmodum nihil formaliter eſt cauſa, niſi ſit actu cauſa: Ita perceptu facile evadit, cur *cauſalitas* vocetur *formale cauſæ*, item *actus*.

IV. Et quemadmodum *actus primus* ac *ratio cauſandi* dicebatur *potentia*: Ita cauſalitas nuncupatur *actus*: Item quia *cauſalitas* eſt id, quo aliquid cauſat, ideo dicitur *cauſatio*:



Digitized by Google

Ut enim per ædificationem aliquis eſt ædificans: Ita per *cauſationem* (ut *Scholaſtici* barbare loqvuntur) aliquid eſt *cauſans*.

§ 14. *Requiſita ſecundaria cauſæ* ſunt *neceſſariæ conditiones* ex parte cauſæ, *ut tamen nec cauſæ, nec rationes cauſandi, nec cauſalitates ſalva veritate cenſeri queant*: E. gr. ut ſol jam illuminet conclave cujus feneſtræ valvis obductæ erant, ad illuminationem neceſſaria omnino eſt remotio valvarum, niſi enim valvæ remotæ fuiſſent a feneſtris, conclave non potuiſſet illuminari a ſole, nec ſol potuiſſet iſtud illuminare: interim dici nequit remotio valvarum cauſa luminis & illuminationis, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas; quia remotio valvarum non illuminat conclave, nec eſt illuminandi potentia, nec eſt ipſa illuminatio. Vocantur etiam hæcce ſecundaria requiſi-

Digitized by Google

quiſita *cauſæ ſine quibus non.*

*NOTÆ.*

I. Duo ergo requiruntur ad *ſecundarium cauſæ requiſitum* ſeu *cauſam ſine qua non*: (1) Ut ſit neceſſarium ad hoc ſeu ex parte hujus, cujus reſpectu *cauſa ſine qua non* vocatur. (2) Ut nec ſit *cauſa* ejus, nec ex parte ejus *cauſandi ratio*, nec *cauſalitas*: Unum horum requiſitorum ſine altero nequaquam ſufficit.

II. Requirebatur primo, ut ex parte *cauſæ* cujus ſane reſpectu *cauſa ſine qua non* dicitur, ſit neceſſarium. Errant namque ac ſolidam Philoſophiam ignorant, qui quomodocunque neceſſarium ſtatim vocant cauſam ſine qua non, modo non ſit *cauſa*, nec *ratio cauſandi*, nec *cauſalitas*. Aliud quippe eſt neceſſarium eſſe, aliud, eſſe ex parte cauſæ neceſſarium: Sic ad architectum neceſſario requiritur cor, cum nemo viderit architectum ædificantem, qui tamen corde caruiſſet: Ineptus interim foret, qui cor diceret *cauſam ſine qua non* reſpectu ædificationis, cum non requiratur ex parte *cauſæ* ſed ex parte entis, quod *materiale cauſæ* dicitur.

III. Ad alterius requiſiti, h.e. ejus, quod altero loco ad *cauſam ſine qua non* requirebatur, meliorem intellectum facit diſtinctio inter *cauſam quæ* & *cauſam qua*. Sic enim mutilatis terminis diſtingvunt *Scholæ Doctores*: Nempe id quod rationem cauſandi habet,

quæ jam ſe exerit, ita ut jamjam *cauſalitas* detur, vocant *cauſam qua*, quæ ſcilicet primario, abſolute ac ultimo dicitur *cauſa*: Ita Sol habet potentiam illuminandi, quam jam exerit, dum lumen in conclavi producit, ſicque datur cauſalitas, quæ eſt actio, nempe illuminatio, unde datur *cauſa quæ*: Contra potentia illuminandi, quæ eſt in ſole, ut jam ſe exerit, ſeu ut in actum ſecundum deducitur, item ipſe actus ſecundus, nempe ipſa illuminatio ſe exerens in ſole, vocantur *cauſæ quibus*, quia potentia illuminandi ſe exerens in ſole circa conclave ipſaque illuminatio, ut procedit a ſole, ſunt ea, quibus ſol eſt cauſa efficiens luminis in conclavi.

IV. Quando vulgo dicitur, *cauſam ſine qua non eſſe id, quod non influit eſſe in cauſatum, nec fortaſſis vim influendi habet, cauſatum tamen ſine eo eſſe vel fieri nequit*, hoc ſano ſenſu intelligi debet. Perinde enim eſt, ac ſi dictum fuiſſet *cauſam ſine qua non* eſſe quidem neceſſariam *ex parte cauſæ*, non vero eſſe *cauſam*. Unde niſi *cauſam quæ* & *qua* ſimul velis intellectam, fallit allata definitionis formula: Ita illuminatio, quæ jam procedit a ſole, non eſt cauſa luminis, tamen lumen ſine ea fieri non poterat, interim illuminatio eſt *cauſa qua*, eſt enim ipſa *cauſalitas*.

V. Sæpius in *diſciplinis Practicis*, inprimis

mis etiam in *Theologia* & *Juriſprudentia*, *cauſa qua* nomine *cauſæ* venit, uti quidem *cauſa qua* notat *cauſalitatem*: Ita quando dicitur in *Ethicis*, quod *cauſa* virtutis non ſit natura, ſed actio, actio ſcilicet crebra & rectæ rationi conſentanea, tunc ſenſus hic eſt, quod *cauſalitas* ex parte cauſæ efficientis virtutis ſit actio. Pariter quando in *Politicis* dicimus conſenſum eſſe cauſam efficientem matrimonii, item *JCti* cum *Ulpiano* dicunt: *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*; *cauſam qua*, nempe *cauſalitatem ex parte cauſæ efficientis* matrimonii, intelligimus. Imo ſæpius id fit in *practicis diſciplinis*, maxime quando de ipſa *cauſa efficiente* nulla eſt difficultas: Ita quod virtutis humanæ *cauſa quæ* ſit homo; matrimonii *cauſa quæ* ſint mas & fœmina, dum ſe efficiunt maritum & uxorem, nemo neſcit: De eo ergo quæritur: *quæ ſit cauſalitas*, per quam homo virtutis, mas & fœmina conjugii cauſæ efficientes ſint? Sic ſano ſenſu adhuc dici poterat, natura *cauſa* virtutis, ſi intelligas per *cauſam*, *cauſam qua*, & quidem *rationem cauſandi*, uti jam ſe exerit: Dum enim natura rationalis in homine crebro agit, ut recta ratio ſenſu legis naturalis imbuta præcipit, ſic per eam homo fit cauſa virtutis moralis efficiens.

VI. Ut igitur accuratiores Philoſophi *cau-*

*ſam ſine qua non* nihil vocant, de quo ſalva veritate dici poteſt, quod reſpectu ejus, cujus cauſa ſine qua non dicitur, ſit *vera cauſa*, aut *ratio cauſandi* aut *cauſalitas*: Ita quisque recte ſciens ac volens æſtimare Metaphyſicam doctrinam, facile capit hanc ipſam determinationem: *ſine qua non*, quoties ab accuratoribus *Metaphyſicis* adjicitur voci: *cauſa*, tollere ſignificationem vocis cauſa, & eam quidem prorſus tollere, atque ideo eſſe determinationem alienantem, h. e. talem, quæ prorſus alienam reddit ſignificationem vocis: *cauſa*. Nam utut de vera cauſa dici poſſit, quod ſine ea cauſatum factum non ſit, nec fieri potuerit, hoc tamen recepto uſui philoſophandi nihil quicquam præjudicat, cum uſus ſit optimus philoſophandi magiſter, atque ad eum unice reſpici debeat, cum certe in *Scholis Metaphyſicis* neutiquam uſu receptum ſit, ut *vera cauſa* nomine *cauſæ ſine qua non* appelletur. Habent *Metaphyſici* ſuas notiones ſuosque terminos, quorum ſignificationem non ex populari uſu, nec ex Grammatica origine, ſed uſu in ſcholis recepto, æſtimare debemus. Idem enim de Metaphyſicis dictum volumus, quod de Dialecticis veriſſime dixit *Cicero Academicarum primo*: *Dialecticorum verba nulla ſunt publica*, hoc eſt, populus ea vix & ne vix quidem capit: *& id quidem commune omnium fere eſt*

*arti um,*

*artium*, hoc eſt, diſciplinarum ac facultatum. In artium ergo vocabulis, quæ vulgus vix capit, adhibenda erit artis cujusque prudentum definitio.

§. 15. *Ex parte cauſati* itidem *requiſita* dantur, cum *primaria*, tum *ſecundaria*: *Primaria requiſita* ſunt: (1) *Materiale cauſati*, h. e. *id, quod cauſati denominationem ſubire aptum eſt*: e. g. ex non calceo poteſt fieri calceus, unde dicitur cauſatum poſſibile: quamdiu nondum ex eo fit calceus, vocari poteſt cauſatum potentia: quando jam actu fit ex corio calceus, fit cauſatum actu. (2) *Ratio cauſandi paſſiva*, h. e. *id, quo aliquid aptum eſt, ut fiat cauſatum*: e. g. quando corium ſatis diſpoſitum conſidero, hoc ſane aptum eſt, ut fiat cauſatum, nempe calceus, illa igitur aptitudo vocatur ratio cauſandi paſſiva. (3) *Cauſalitas paſſiva*, h. e. *id, quo aliquid*

Digitized by Google

*quid ſit, vel eſt cauſatum*: e. g. effectio calcei ſpectata ut paſſio eſt cauſalitas ex parte calcei.

## NOTÆ.

I. Quando diſtingvimus inter *rationem cauſandi activam* & *paſſivam*, non exiſtimandum eſt, ac ſi ratio cauſandi activa idem ſit ac potentia activa cauſativa, quia hæc ſaltim datur ex parte cauſæ efficientis: Nos vero cum accuratioribus Philoſophis ex parte cujuslibet cauſæ requirimus rationem cauſandi active ſpectatam, ceu mox pluribus diſpiciemus. Unde omnino admittimus eos, qui diſtingvunt inter potentiam activam, & potentiam active ſpectatam: Ita e. g. potentia paſſiva materiæ, ut paſſiva eſt, adhuc active ſpectatur, dum nempe ſpectatur, ut materia poteſt cauſare, h. e. cauſa eſſe, quia cauſare a Scholaſticis active ſumitur. Sicut ergo cauſare latius patet quam agere, imo etiam pati eſt cauſare, dum enim materia recipit formam, cauſat, h. e. cauſa eſt compoſiti: Ita ratio cauſandi active ſpectata latius patet quam ratio cauſandi activa.

II. Idem judicium eſto de cauſalitate active ſpectata, quæ ſane latius patet, quam actio, quia paſſio, imo cujuslibet cauſæ cauſalitas active ſpectari poteſt, & reſpectu cauſæ debet.

III. Quan-

Digitized by Google

III. Quando requiſita ex parte cauſati attendimus, iſtud dupliciter fieri poteſt: (1) Ita e. g. dum conſideramus aerem poſſe reddi lucidum ſeu illuminatum, ſic conſideramus *materiale ex parte cauſati*: Dum amplius attendimus, aerem dicere potentiam, qua illuminari poſſit, ſpectamus *rationem cauſandi*: ſpectamus etiam *cauſalitatem*, dum agnoſcimus, quod aer illuminetur, ſeu illuminationem paſſivam. (2) Hoc modo: lumen quatenus in aere produci poteſt, dicitur materiale effectus, adeoque *materiale cauſati*: potentia, unde hoc habet lumen, quod produci poſſit, appellatur *ratio cauſandi*: productio ſic ſpectata, quatenus ea lumen producitur, *cauſalitas ex parte cauſati* dicitur.

§. 16. Cæterum *vera cauſa* vel *materialiter* vel *formaliter* ſpectatur: *Materialiter* ſpectatur cauſa, quando ſpectatur id, quod eſt vera cauſa, ſed non ut tale eſt vera cauſa: e. gr. Muſicus ædificat domum, ac ideo rectiſſime dicitur & eſt vera cauſa domus, non tamen eſt vera cauſa domus, in quantum eſt Muſicus, quia Muſica non eſt

eſt ars οἰκοδομικὴ. Dicitur etiam cauſa materialiter ſpectata *cauſa per accidens ex parte cauſæ.* Contra *formaliter* ſpectatur cauſa, quando ſpectatur id, quod qua tale eſt vera cauſa: e. gr. architectus ædificat domum, ac ideo rectiſſime dicitur & eſt vera cauſa domus, eſtq; vera cauſa domus, in quantum eſt architectus, quia ars architectonica eſt ars οἰκοδομικὴ & perfecta ratio cauſandi.

§. 17. Pariter *verum cauſatum* vel *materialiter* vel *formaliter* conſideratur: *Materialiter* conſideratur cauſatum, quando conſideratur id, quod eſt verum cauſatum, ſed non ut tale eſt verum cauſatum: e. gr. quando doctor eſt filius ruſtici, doctor dicitur verum cauſatum ruſtici, non tamen eſt verus effectus adeoque verum cauſatum

ſatum ruſtici ut doctor. *Formaliter* conſideratur verum cauſatum, quando conſideratur id, quod qua tale eſt verum cauſatum: e. gr. ædificium eſt verum cauſatum reſpectu architecti, quia ædificium qua tale eſt ab architecto. Filius in humanis eſt verum cauſatum, quia, ut filius, eſt a patre, qui eſt vera cauſa. Cauſatum materialiter conſideratum dicitur *cauſatum per accidens ex parte cauſati*: Cauſatum formaliter conſideratum appellatur *cauſatum per ſe ex parte cauſati*.

*NOTÆ.*

I. Accuratam doctrinam de cauſa per ſe & per accidens, ejusque uſu practico, peculiari capiti reſervamus.

II. Sed & illud hoc loco notandum erat, peculiari capite atque commodiori, ut ſperamus, methodo demum poſt aliquot capita, practicum uſum ac decentem & primariorum & ſecundariorum requiſitorum cauſæ & cauſati nos monſtraturos eſſe.

CA-

# CAPUT NONUM
## *De*
# POTENTIA ET ACTU,
## inprimis illa potentia, quam CAUSATIVAM; & actu, quem CAUSALITATEM appellant.
## *Item de*
# ACTU PRIMO ET ACTU SECUNDO,
## variisque eo ſpectantibus ac utilioribus diſtinctionibus.

### §. 1.

AD præſens maxime facit diſtinctio potentiæ in *cauſativam* & *non cauſativam*. *Cauſativa potentia eſt id, quo aliquid aptum eſt, ut fiat vel ſit vera cauſa*: Inde facile poteſt colligi, quænam *potentia* dicatur *non cauſativa*.

*NOTÆ.*

1. Vocabulum *potentiæ* eſt ex numero eorum, quæ multifariam dicuntur: (a) Notat me-

*meram quandam non repugnantiam*, quam R. *Stablius & alii* vulgo triplicem faciunt, Mathematicam, Logicam & Objectivam: quas in eo convenire docent, quod ſint non repugnantiæ: In hoc diſtinctas reddunt, quod Mathematica deducatur in actum per terminationem quantitatis, ex qua certa figura reſultat: Logica per operationem intellectus: Objectiva vero per externam cauſæ efficientis actionem, qua id, cui non repugnat eſſe, actu producitur. Illius meminit *Ariſtoteles*, quando *lib. 5. Metaph. c. XII.* inquit: Κατὰ μεταφορὰν δὲ ἡ ἐν τῇ γεωμετρίᾳ λέγεται δύναμις, eandemque ibi exemplo oppoſiti ſatis egregie in antecedentibus verbis declarat: Iſtius ibidem hiſce verbis mentionem injungit: Τὸ μὲν οὖν δυνατὸν, ἕνα μὲν τρόπον τὸ μὴ ἐξ ἀνάγκης ψεῦδος σημαίνει. ἕνα δὲ τὸ ἀληθὲς εἶναι. ἕνα δὲ τὸ ἐνδεχόμενον ἀληθὲς εἶναι: Mirandum vero, quod *multi* inter eruditos per potentiam logicam nihil aliud intelligendum eſſe putent, quam non-repugnantiam terminorum, per quam nimirum unus de altero vere prædicari poteſt, cum tamen deſcriptio hæc graviſſimo laboret anguſtiæ morbo: Nam ut ex immenſo exemplorum cumulo ſaltem aliqua loco inſtantiæ adducamus, ecquis negaverit illam nonrepugnantiam, qua non repugnat propoſitioni exponibili, ut propter obſcuritatem

ſuam per duas vel plures ſimplices magis notas, una compoſita enunciatione comprehenſas, exponatur, Item qua non repugnat propoſitioni converſæ veræ, ut ex ea ſequatur vera convertens, It. qua Syllogiſmis ſecundæ & tertiæ figuræ non repugnat, ut ex iis fiant Syllogiſmi primæ figuræ, eſſe non-repugnantiam logicam, quibus tamen adducta definitio haud convenit: Hanc *Scholaſtici* tradunt; quibus (imprimis ſi de *Scotiſtis* loquamur) potentia objectiva formaliter eſt non-repugnantia, ſecundum quam aliquid aptum eſt, ut ſit objectum potentiæ activæ, ut per eam fiat, & communiter potentiam *Scoti* vocant, vel ideo, quod *Johannes Duns Scotus* eam invenerit, vel quia ſaltem eſt inventor nominis, vel quia *diſcipuli Scoti* hac potentiæ acceptione præ reliquis Philoſophis uſi ſunt contra *Thomiſtas*, quibus terminus potentiæ objectivæ valde exoſus eſt; Eandem vero *Scotus* iisdem verbis *2. diſt. XII. q. 1.* definit hoc cum diſcrimine, ut eam ſaltem definiat in ordine ad potentiam divinam: Nec incongrue. Omne enim ens, antequam a Deo creetur, veram & realem entitatem in ſe non habet, unde nec formaliter in DEO eſt; eſt tamen in potentia ejus partim eminenter, quatenus a Deo ut cauſa ſui æquivoca eſt cauſabile, ceu *Scholaſtici* loquuntur: partim per conceptum formalem

lem vel ſpeciem expreſſam in DEO h.e. ſecundum eſſe intelligibile. Vid. *Johannes de Rada Aragonius Epiſcopus Pactenſis controverſiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum part. II. controv. 1. artic. 2. not. 2. pag. m. 13.* Idem docuiſſe *Auguſtinum* tradit *Scotus I. diſt. 35.* & quidem *lib. 83. Quæſt. quæſt. 46.* & aliis multis in locis, ubi ab aliis valde notabilis putatur, qui eſt *l. XII. de Civ. Dei c. XII.* Idem ſenſit *Doctor Angelicus, Thomas de Aquino, part. primæ quæſt. 18. artic. 4. ad primum p. m. 95.* & alibi verbis clariſſimis. Et licet ſint, qui potentiam Logicam & potentiam objectivam pro iisdem habeant, inter quos *Franciscus Suarez* & *Thomas Comptonus Carleton* celebriores ſunt, eosdem tamen ex *Roderico de Arriaga*, forſan etiam ex ipſo *Scoto*, refutare facillimum eſſet, ſi pateretur ratio propoſiti noſtri: Eandem cenſuram merentur, qui potentiam Objectivam cum paſſiva coincidere docent, non ſine confuſionis nota. Acceptionem potentiæ objectivæ minus propriam eſſe, fere apud omnes in confeſſo eſt. (2) Potentia ſumitur pro *quacunque vi aut forma, per quam res plane immutabilis vel non facile in pejus mutabilis eſt*, ut *Ariſtoteles loc. cit.* loquitur. (3) Potentiæ vox nonnunquam idem notat ac *principium naturale, quodcunque illud fuerit*, ut ex eodem *Ariſtotelis* loco, aliisque plurimis

conſtat. (4) Accipitur potentia prô *habitu*: Sic *Ariſtoteles lib. 9. Metaph. cap. 2.* δυνάμεων alias docet eſſe ἀλόγους, rationis expertes, alias μετὰ λόγου cum ratione, & ſtatim ſubjicit: διὸ πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ ποιητικαὶ καὶ αἱ ἐπιστῆμαι, δυνάμεις εἰσίν. Et paulo poſt: Καὶ αἱ μὲν μετὰ λόγου, πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί. Quem locum quoad priora verba varii vertunt varie: *Beſſarion Cardinalis Nicenus* ita vertit: *Quare omnes artes & factivæ ſcientiæ potentiæ ſunt.* Eodem modo *Johannes Argyropylus Byzantius*: *Quapropter omnes artes, omneſque ſcientiæ effectivæ potentiæ ſunt. Erneſtus Sonerus, Profeſſor Noricus p. m. 469.* ſic reddit: *Hinc fit, ut artes omnes effectivæ & ſcientiæ in potentiis numerentur: Puto autem,* inquit *Sonerus, artis & ſcientiæ vocabulo Ariſtotelem omnes habitus acquiſitos intelligere, qui exercentur in aliud prout eſt aliud.* Colligunt aliqui ex his & ſeqq. verbis, quæ loc. cit. videri poſſunt, ad mentem *Soneri* de practicis tantum vel effectivis ſcientiis hoc accipi: ita ut per hoc ipſum in illis demum ſpecialiter efficiatur, ut ſint potentiæ rationales, quia dirigi poſſunt ad utrumque contrarium efficiendum. Quicquid ſit de mente & expoſitione aliorum: Nobis placet *Alexandri Aphrodiſæi* interpretatio, quam in *commentariis ſuis, interprete Joanne Geneſio Sepulveda Cordubenſi*, editis deprehendi-

Digitized by Google

hendimus, quæ ita ſe habet: Itaque omnes artes, tam effectrices, ut: *ars domus vel naves ædificandi; tum etiam ſcientiæ, facultates ſunt. Communiore autem vocabulo ſcientias (Ariſtoteles) vocavit artes; ſunt enim principia movendi in alio.* Et mox in ſequentibus: *Cauſa vero cur facultates rationis compotes ſint oppoſitorum effectrices, eſt, quod ſcientia ratio quædam eſt, i.e. facultas cum ratione, cognitio quædam eſt, ut ita loquar, ſcientifica, ratio autem & cognitio ſcientifica oſtendit cognoſcitque non modo rem atque habitum, ſed etiam privationem &c. Vid. pluribus ibidem.* Hancque *Alexandri* explicationem approbat *Dn. Dreierus diſput. in primam Philoſophiam decima tertia §. 4. & ſeqq. pag. m. 228.* & utique vocabulum Τέχνης tam late, ut & ſcientias complectatur, ſumendum eſſe, firmiter ſvadet ex *Euſtratio & Alexandri* alio loco, imo ex *Ariſtotelis 3. Metaph. c. 2. lib. 2. c. 3. lib. 10. c. 4.* clariſſime evincit, omnes ſcientias ad mentem *Ariſtotelis* contrariorum eſſe. Multi *interpretes* ex hoc loco libertatem utriusque potentiæ animæ rationalis, tam intellectus, quam voluntatis, conantur evincere, ſed certe fruſtra laborant, cum nunquam vel in mentem *Ariſtotelis* venerit, ibi de intellectu & voluntate agere. Et ſane longe plures acceptiones potentiæ poſſemus adducere, ſi nobis, qui in minus neceſſariis bre-

breviores eſſe volumus, inſignem uſum concederet: Adeat, qui vult, *Ariſtotelem*, qui pluribus in locis varias indigitat potentiæ acceptiones. Nobis enim in unico *cap. 9. lib. V. Metaphyſicorum*, ubi ex profeſſo de varia ſignificatione hujus notionis diſſerit, ſeptem diſtinctas ſignificationes ab eodem ibi recenſitas deprehendere licuit.

II. Non ſine fructu ac neceſſitate adduximus diſtinctionem POTENTIÆ in NON-CAUSATIVAM ET CAUSATIVAM. Longe quippe aliud eſt, *eſſe potentiam*, aliud vero, *eſſe potentiam cauſativam*. Illud enim hoc eſt latius, quia *omnis potentia cauſativa eſt potentia*, ſed non contra, nempe *non omnis potentia eſt cauſativa*; cum etiam incomprehenſibilis illa vis & fœcunditas, qua (ceu ex *Theologia* ſupponitur) DEUS Pater ab omni æternitate ex ſua ſubſtantia genuit Filium, qua pater & Filius ſpirarunt Spiritum Sanctum, ſit *potentia*, nec tamen *cauſativa*. Notionem hanc non ex proprio fingimus cerebro: Eam jam dudum adhibuerunt Theologi Scholaſtici: Utitur eadem *Scotus in quodlib. quæſt. 7.* Item *Johannes de Rada controverſiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum part. 1. controverſ. 9. artic. 2. ad 1. p. m. 149.* Eandem videre eſt apud *Hurtadum de Mendoza, diſp. phyſ. 9. ſect. 14.*

Digitized by Google

ſect. 14. ſubſ. 2. §. 161. p. m. 370. & alibi: Franciſcum Toletum 1. phyſ. c. 7. quæſt. 14. concl. 2. p. m. 25, 2. Petrum Fonſecam Luſitanum lib. 9. *Metaph.* c. 1. quæſt. 4. ſect. 4. p. m 526. & alios plures. Verba Epiſcopi Pactenſis adducere non pigrabimur, quæ ita ſe habent: *Potentia activa poteſt accipi bifariam: Primo proprie pro potentia cauſativa, cujus objectum eſt poſſibile, prout opponitur enti ſimpliciter neceſſario; qualia ſunt omnia entia alia a Deo, quæ ſunt non ſimpliciter neceſſaria, quia poſſunt eſſe & non eſſe. Unde omne aliud a Deo eſt objectum potentiæ activæ proprie dictæ. Secundo poteſt accipi potentia activa minus proprie pro potentia productiva, cujus objectum eſt omne producibile, ſive ſit aliud a Deo, ſive ſit Deus. Differunt autem iſtæ duæ potentiæ: 1. ſicut ſuperius & inferius: omnis enim potentia activa, primo modo, quæ dicitur cauſativa, eſt potentia productiva, non tamen contra; quia Pater æternus habet potentiam productivam reſpectu Filii, non tamen cauſativam ſeu activam primo modo: Non enim Pater eſt cauſa Filii, licet ſit ejus principium. 2. Differunt: quia potentia cauſativa reſpicit objectum aliud in natura ab eo, cujus eſt: quia cauſa & effectus non poſſunt eſſe ejusdem naturæ numericæ. Potentia vero productiva eſſe poteſt reſpectu producti exiſtentis in eadem numero natura cum eo, cujus eſt*



Digitized by Google

*potentia, ut patet in divinis de potentia Patris reſpectu Filii.*

III. Non vero hic diſputabimus: *an potentia generandi, qua DEUS pater ab omni æternitate ex ſua ſubſtantia genuit Filium, qua pater & filius ſpirarunt Spiritum Sanctum, activa dici poſſit?* Quod *B. Stahlius & alii* conſtanter negant, quia per talem potentiam non productum eſt aliud; ſed ſaltem alius, aliud ſuppoſitum, alia perſona eandem numero eſſentiam cum producente habens; Alii vero, ut etiam ex *Johanne de Rada* conſtitit, ſuo modo hanc locutionem admitti poſſe autumant, vel ideo, quod generatio & ſpiratio illa, actiones ad intra, item actus perſonales, ab aliis etiam actus notionales, quod ex illis perſonæ divinitatis nobis innoteſcant, dicantur. Ex *Theologia* conſtat, quod Filius & Spiritus Sanctus nec ex ſubjecto aliquo nec ex nihilo producti ſint, cum quicquid alterutro modo producitur, creatura ſit: ſed quod uterque de ſubſtantia principii producentis ſit productus, Filius de ſubſtantia Patris, Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filii. ita, ut utraque perſona eſſentiam non habeat a ſe, ſed Filius à Patre, Spiritus Sanctus a Patre & Filio, per veram, realem & actualem communicationem: Quia vero eſſentia divina una, ſimpliciſſima & plane indiviſibilis eſt, non poteſt non Filius Dei de

ſubſtantia

ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filii ita eſſe productus, ut ille eandem numero eſſentiam, quæ in Patre, & hic eandem numero eſſentiam, quæ in Patre & Filio, eamque totam & indiviſam acceperit, ceu *Theologi* accurate docent. Quicquid itaque ſit, ſive potentia talis activa dici poſſit, ſive non, hoc certum eſt, eam nullatenus dici poſſe cauſativam, de potentia vero cauſativa nunc loquimur. Ex hactenus dictis abunde liquet, qua ratione non modo Theologi Scholaſtici, ſed etiam noſtrates Theologi utiliſſimam ac cognitu neceſſariam cenſeant diſtinctionem inter *potentiam non cauſativam & cauſativam.*

IV. *Suarez* ac *Scholaſtici*, quos plurimi ex hodiernis Metaphyſicis ſequuntur, communiter definiunt potentiam cauſativam, hoc modo: *Potentia cauſativa eſt nihil aliud, quam ipſa potentia influendi eſſe in aliud:* In*fluere eſſe* h. l. non *ſtricte*, ut ſoli cauſæ efficienti per potentiam cauſativam activam cauſanti convenit, ſed latius accipiendum eſſe cenſentes, ut influere eſſe nihil aliud ſit, quam dare & communicare eſſe. *Aliud* non dicunt niſi ens, quod non eſt ejusdem numero eſſentiæ cum altero: Sic Petrus aliud quid eſt a Paulo, nam licet natura Petri & Pauli una ſit, prout a proprietatibus ſingularibus & differentiis individuantibus, quas vocant,

Petri & Pauli denudata eſt ab iisque abſtrahit, qua ratione Petrus & Paulus dicuntur habere unam naturam, unam ſcil. unitate eſſentiali & ſpecifica; adeoque eſſentialiter non diſtingvuntur: Differunt tamen Petrus & Paulus adhuc eſſentia ſingulari, & ſunt aliud atque aliud, quatenus conſideratur natura Petri & Pauli, ut quælibet per differentias ſingulares contrahitur & individuatur, ceu *Scholaſtici* loqvuntur: Dici quippe non poteſt, unam numero eſſentiam ſeu naturam eſſe in Petro & Paulo, numero enim diviſa eſt natura in Petro & Paulo, quia reapſe in illis eſt multiplicata ſeu plurificata, ita ut non ſit unum quid numero in multis, ſed multa in multis, h. e. ut in Petro & Paulo ſint duæ diſtinctæ naturæ, quæ tamen una natura dicuntur ſpecie, propter unam & ſimilem rationem, quam natura humana in Petro & Paulo obtinet. Hinc facile conſtare poſſe docent, cur *potentia*, qua Deus Pater ab æterno produxit Filium, Pater & Filius ab æterno produxerunt Spiritum Sanctum, non poſſit dici *cauſativa*, quia ſcilicet tres perſonæ divinitatis nequeant dici aliud, aliud atque aliud. Ita *Thomas* 1. *part. quæſt.* 33. *artic.* 1. *ad* 1. *p.m.* 148. & *Cajetanus comment. in h. l.* propterea apud *Doctores Latinos* nunquam admiſſum eſſe nomen cauſæ ad intra in Trinitate teſtantur, quia cauſa importat di-

Digitized by Google

diverſitatem ſubſtantiæ. *Vasquez* 1. p. d. 131. c. 1. oſtendit ex communi ſenſu Patrum *aliud* neutraliter prolatum ſignificare diverſitatem in natura. Unde *Concilium Epheſinum, Toletanum & Lateranenſe c. Damnamus, de ſumma Trinitate* admiſerunt in Trinitate alium & alium, non tamen aliud & aliud. Licet ergo admittatur aliud ſuppoſitum in Trinitate, non tamen aliud ſimpliciter; Nam aliud & aliud ſimpliciter arguit diſtinctionem in eſſentia, quam tamen diſtinctionem aliud & aliud ſuppoſitum non arguit, nam aliud ſimpliciter eſt idem atque alia natura, vel eſſentia. Qua de re actum quoque a nobis fuit *præcedenti capite*. Licet enim eſſentia divina communis ſit pluribus realiter diſtinctis, non tamen communis eſt cum ſui multiplicatione, quia in tribus perſonis una numero manet: Imo, nec omni naturæ ſingulari (quid? quod nec omni ſingulari ſingularitate ſuppoſiti) repugnat communicabilitas; non enim quælibet communicabilitas naturæ efficit univerſalitatem, ſed ea ſaltim, quæ cum ſui multiplicatione conjuncta eſt, uno nomine, communicabilitas multiplicativa, hæc ad univerſalitatem ſufficit, hanc cum ſingularitate naturæ ſtare poſſe, eſt impoſſibile. Eruditiſſime hanc rem quoque pertractavit *Johannes Baptiſta Monlorius Valentinus Bocairentanus in quæſt.* de.

*de univerſis*. Recenſuimus hæc ex *Scholaſticorũ* doctrinis, prolixiorem explicationem qui deſiderat, adeat *Franciſcum Suarez tom.* 1. *Diſp. Metaph. Diſp. XII. ſect.* 2. *pag. m.* 243. & 144. Ipſum *Ariſtotelem* quod attinet, eum potentiã cauſativam in communi non definiviſſe *Franciſcus Suarez* & *Mendoza l.c.* perhibent, eſtq; communis Doctorum Scholaſticorũ opinio.

V. Vidimus exemplum ſatis illuſtre *potentiæ non cauſativæ* non modo a Theologis Scholaſticis, ſed etiam Noſtratibus Theologis commendatum: Adhuc aliud adeſſe volumus, cujus notitia non certe uſum adeo exiguum Philoſophiæ primæ & Theologiæ cultoribus promittit. Scilicet datur etiam *potentia objectiva*, quæ itidem *vera potentia* eſt, non tamen *cauſativa*. Unanimi namque accuratiorum *Metaphyſicorum* ac orthodoxorum *Theologorum* conſenſu creaturæ, antequam ex nihilo producerentur, fuerunt in Deo optimo maximo; licet non ut res actu *exiſtentes, tamen ut effectus poſſibiles, ſeu ut effectus poſſibilis eſt in virtute ſuæ cauſæ.* Notanter dicitur, *non ut res actu exiſtentes*: hoc enim e diametro pugnat cum *Sacris Literis*: *Nec*, quod obiter notamus, *ſecundum ſimilitudinem ſpecificam*, ſicut alias cauſatum, quod a cauſa univoca cauſandum eſt, priusquam cauſetur, cauſæ univocæ formaliter ineſſe dicitur, quia quando cauſatur, cum

ſua

ſua cauſa ratione eſſentiali unum idemque eſt: ſicut e. gr. ignis, priuſquam generaretur, ſecundum unitatem eſſentialem dicebatur eſſe in igne, a quo nunc generatus eſt: ſicut in humanis Filius, antequam cauſaretur a ſuo Patre, in ſuo Patre fuiſſe dicebatur ſecundum ſpecificam rationem: nam ſic Deus efficeretur cauſa univoca creaturarum, non ſine magna abſurditate: Cauſa namque univoca eſt cauſa, quæ cauſatum cauſat ejusdem ſpeciei: jam vero Deus ſub tali, quæ præciſe in deſcriptione cauſæ univocæ indigitatur ſpecie, nec continetur, nec poteſt ullo modo contineri: intelligitur enim tantum ſpecies ſpecialiſſima, quia alias etiam cauſa æquivoca poteſt cauſare cauſatum ejusdem ſpeciei, nempe ſubalternæ: & ſic non eſſet diſcrimen inter cauſam univocam & æquivocam: Naturæ vero divinæ abſolute repugnat, ſpecialiſſimam ſupra ſe habere ſpeciem: Sed diximus: ut effectus poſſibiles in ipſo Deo, ſeu producibiles a Deo, ut cauſa æquivoca. Imo ſunt magni nominis Philoſophi ac Theologi, qui defendunt creaturas ab æterno habuiſſe eſſe poſſibile in Deo, ſive quod tandem eodem redit, a Deo ab æterno produci potuiſſe, quicquid *Auguſtinus 12. de civit. Dei c. 15. Ambroſius lib. 1. Hexaemer. c. 3. Athanaſius orat. 2. contra Arianos: Cyrill. Alexand. lib. 6. theſ. c. 2. Damaſcenus lib. 2. fidei ortho-*

*th doxæ c. 8. Hugo Victorinus lib. 3. de Sacram. c. 10. Albertus Magnus in paraphraſi ſua in 1. cap. lib. 2. part. ſummæ Theol. Bonaventura in 2. diſt. 1. artic. 2. quæſt. 2. Marſilius quæſt. 1. art. 2. Guillermus Pariſienſis lib. 1. de Univerſo, Henricus Gandavenſis quodlib. 1. quæſt. 7. & quodlib. 9. quæſt. 17. Eugubinus lib. 7. perennis philoſophiæ, Nicolaus Cuſanus in lib. de venatione ſapientiæ c. 38. Raymundus de Sabunda in Theologia naturali tit. 22. & 23. Philoponus, graviſſimus Peripateticus in lib. adverſus Proclum de mundi æternitate c. 3.* & innumeri alii apud *Didacum Maſium, Valleſium, Toletum in comment. in cap. prior. 8. phyſic. lib. Ariſt. Bonaventuram Baronem, Hybernum Clonmelienſem,* attulerint in contrarium innumero fere rationum numero: quicquid dixerint *Ægidius Romanus in 2. diſt. 1. in quæſt. de hac re, Johannes Duns Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 3. Pererius lib. 15. c. 13.* qui ad utriusque partis argumenta putant reſponderi poſſe, nec quicquam reſolvunt aliud, quam rem dubiam eſſe. Præcipuum, quod ab illis pro affirmativa urgeri ſolet, argumentum ſic ſe habet: Nulla datur repugnantia, quo minus creaturæ ab æterno produci potuiſſent, & quidem nec ex parte Dei Creatoris, nec ex parte creaturarum, nec ex parte actionis ſeu productionis: Præter Creatorem vero, creaturam, & creationem hic nihil invenitur. Non ex

parte

Digitized by Google

parte Dei Creatoris, quia non repugnat, effectum cum ſua cauſa eſſe poſſe ſimul, ut patet ex ſole ejusque radiis, qui cum ſole ſemper ſimul exiſtere ſolent, & ſi ab æterno fuiſſet ſol, ab æterno fuiſſent radii, veri effectus ſolis: imo quia Deus per immenſam ſuam, qua pollet, potentiam omnia & ſingula, quæ non implicant contradictionem, & quæ vult, facere etiam poteſt, ergo & ipſas creaturas modo voluiſſet, ab æterno potuiſſet producere. Neque ex parte creaturarum aliqua repugnantia dari poteſt: una enim numero eademque quoad rem entitas eſt, qua aliquis producit, & aliquid producitur; Si ergo Deus ab æterno creaturas producere potuit, ut jam fuit oſtenſum, creaturæ etiam ab æterno a Deo produci potuerunt. Neque tandem ratione productionis ſeu actionis repugnantia quædam dari poteſt: nam quia non repugnat, Deum ab æterno potuiſſe producere, etiam non repugnat, dari ab æterno potuiſſe productionem, ſiquidem nullum diſcrimen reale ſomniari poteſt inter producere & productionem exercere. E *Scholaſticis* tuentur hanc ſententiam *Thomas de Aquino* 1. *part. quæſt. 46. artic. 2. in 2. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 5. quæſt. 3. de potentia artic. 14. & in opuſculis ſuis, opuſc. 27. quod eſt de æternitate mundi contra murmurantes: Durandus a Sancto Porciano 2. diſt. 1. quæſt. 2. Argentina quæſt. 2.*

*art.*

*art*. 2. *Capreolus*, *Dionyſius Ciſtercienſis*, *Herveus*, *Palacius ibid. Baſſolis quæſt*. 5. *Gabriel Vatzquetz part*. 1. *ſumm. Diſp*. 177. *Baconitanus*, *Gabriel Biel*, *Guilielmus Occam*, *Suncinas*, *Javellus*, *Soto*, *Villalpandus*, *Aquarius Ferrarienſis*, *Iſidorus de Iſolanis lib*. 2. *de æternitate mundi contra Averroiſtas*, *Rodericus ab Artiaga Diſp*. 17. *phyſic. Franciſcus Suaretz Diſp*. *Metaph*. 20. *ſect*. 6.

VI. Videamus igitur, *quid ſit potentia objectiva*? *Scotus* eam 2. *Diſtinctionum Libro diſt*. 12. *quæſt*. 2. expreſſe ſic definit: *potentia objectiva nihil aliud eſt quam ea non repugnantia, ſecundum quam aliquid aptum eſt, ut ſit objectum potentiæ activæ divinæ, ut per eam fiat*: Sic ponamus e. gr. Deum hodie adhuc producere velle aliquem angelum, qui jam non exiſtit, hic certe nulla datur repugnantia, cur non talis Angelus a Deo produci poſſit: illa ergo non repugnantia, ſecundum quam Angelus ille, qui jam non exiſtit, potentiæ Dei creatrici objici poteſt atque per eam fieri, dicitur potentia objectiva.

VII. Commodius forſan percipi poterit genuinus ſenſus ac veritas hujus aſſerti, ſi recenſeamus & examinemus illas rationes, quibus *potentiam objectivam* Promachus *Thomæ*, Duces poſt *Thomam* ſupremi, *Thomas de Vio*, *Cajetanus* & *Johannes Capreolus*, *Thomiſtæ* (quamplurimi, nec tamen omnes) impugnarunt,

runt, ut *Scoto* ejusque *Diſcipulis*, qui omnes & ſinguli conjunctiſſimis viribus, atteſtante *Johanne de Rada*, defendebant potentiam objectivam atque propugnabant ſtrenue, ægrius facerent. Prius tamen videamus, cur tam infenſus hoſtis potentiæ objectivæ *Thomas* extiterit? Occaſio pugnæ erat illa inter *Thomiſtas & Scotiſtas* exorta controverſia: *Utrum materia prima ſit Ens actu exiſtens per propriam exiſtentiam: num vero ens potentia, non exiſtens per propriam, ſed per formæ exiſtentiam?* Prius *Scotiſtæ* affirmaverant conſtanter, & poſterius negaverant ac pernegaverant: poſterius defenderant *Thomiſtæ* & rejecerant prius. Præcipuus, quo adverſus *Scotiſtarum* fundamentum *Thomiſtæ* utebantur, aries fuit: Si materia, qua talis, non habet formam, materia, qua talis, non habet actum. Prius eſt verum. E. & poſterius. Hunc ut *Scotiſtarum Dux* labefaceret, diſtinxit pluribus in locis inter potentiam objectivam & ſubjectivam: illam contra diſtinguendo actui entitativo ſeu exiſtentiæ: objectivo, ut *Ægidius Romanus* loquitur: tranſcendenti ſive præſentialis exiſtentiæ, ceu *Mag. Johannes Magiſter, Scotiſta*, eum vocat: Hanc vero actui formali ſeu formæ: Denegaverat *exercitus Scoti* omnem actum formalem materiæ ut ſic, ſalvaverat actum materiæ ut ſic entitativum: indigna-

Oo bun-

bundi *Thomiſtæ*, ne omnem perderent operam, adverſus *Scotiſtas* hujus diſtinctionis propugnatores claſſicum intonarunt apertum, id, quod ſigno erat potentiæ objectivæ, pro nullo habentes & nihilo: Qua tamen arte, quove Marte *ſubtilis Ducis* copiam impediverint, docent ſequentia eorum argumenta, potiſſima certe, quibus hoſtiles ſuos inſultus prodiderunt: (1) O potentia realiter exiſtens eſt vel activa vel paſſiva. Potentia objectiva *Scoti* nec eſt Activa, nec paſſiva. E. Potentia objectiva *Scoti* revera non datur. (2) O. potentia realis habet realem reſpectum ad actum. Potentia objectiva *Scoti* non habet realem reſpectum ad actum. E. Potentia objectiva *Scoti* non eſt potentia realis. Majorem probant, quia potentia & actus ſunt relata: poſito autem uno relatorum, ponitur reſpectus ejus ad alterum. Minorem demonſtrant, quia ſi potentia objectiva *Scoti* haberet reſpectum ad actum, tum vel eſſet productiva actus, & ſic eſſet activa: vel actus receptiva, & ſic eſſet paſſiva: utrumque pugnat contra *Scoti* turmas. (3) Si per potentiam objectivam *Scoti* aliquid poteſt eſſe objectum potentiæ realiter exiſtentis activæ, ſequitur, quod potentia objectiva *Scoti* ſit realiter exiſtens activa. Sed conſequens fugat *Scotiſtas*, qui ipſam potentiam objectivam contradiſtingvunt & Acti-



Digitized by Google

væ & paſſivæ. E. & antecedens, & conſequenter potentia objectiva non erit real e quid, nihil erit. (4) Quicquid formaliter dicit negationem, nihil eſt. Potentia objectiva *Scoti* formaliter dicit negationem: Eſt enim non repugnantia, negatio repugnantiæ. E Potentia objectiva *Scoti* nihil eſt (5) Quicquid non exiſtit realiter, eſt Ens rationis, chimæra, οὐδὲν ἐξουσίων, nihil eſt. Potentia objectiva non exiſtit realiter. E. Neque vero auxiliaribus deſtituebantur copiis imbelles *Thomiſtæ*, ex *Nominalibus* aliqui ſteterunt ab eorum partibus, imo ipſe *Princeps Nominalium, Gabriel Biel* 2 *diſt. XII. q.* 2. ut quæ plures alios taceamus cum *Thomiſtis* conſpirantes, unicum adhuc nominamus *Scotiſtarum* hoſtem, ſine viribus vehementiſſime iratum, illuſtrem Comitem *Jacobum Zabarellam*, qui *in l.* 2. *de rerum materia, c.* 4. *p.* 181. pro manifeſto habet, non dari potentiam objectivam. Enimvero rationes, quæ a tergo *Scotiſtarum* ſtant, multis *Thomiſticis* rationes excedunt paraſangis: inter eas vero ſunt ſequentes: (1) Quicquid formaliter dicit non-repugnantiam, formaliter eſt poſitivũ quid. Potentia objectiva dicit formaliter non-repugnantiam. E. Maj. prob. quia repugnantia formaliter eſt negativum quid: Nihil enim aliud dicit, quam negationem, qua unum nequit eſſe alterũ: Jam vero repugnantia & non

repugnantia opponuntur ſibi invicem oppoſitione contradictoria: Contradictorie vero oppoſita ſemper differunt ut poſitivum & negativum. Minor per ſe patet (II) Quicquid formaliter non dicit negationem, nec dependet ab operatione intellectus, illud eſt reale & poſitivum quid. Atqui potentia objectiva &c. E. Major patet. Minor itidem negari nequit; Sicut enim non dependet ab operatione intellectus, nec negationem dicit, Angelum actu ſecundo a Deo produci, ita nec negationem dicit, nec ab operatione intellectus dependet, Angelum a Deo poſſe produci. Ad argumenta *Thomiſtarum* reſpondere non eſt difficili bello ſe implicare. Ad (1) reſp. concedendo totum, ſi modo a *Thomiſtis* recte inferatur concluſio. Major ita ſe habebat: O. potentia realiter exiſtens eſt vel activa vel paſſiva. Subſumi forſan poſſet: potentia informativa formæ, ut eſt actu cauſa formalis, non minus eſt potentia realiter exiſtens, quam activa vel paſſiva, & tamen nec activa, nec paſſiva dicenda eſt. Si enim eſſet activa, forma, ut eſt cauſa formalis, non eſſet cauſa formalis, ſed efficiens: ſi vero paſſiva, tunc eſſet materialis: Stet propoſitio Major: Minor fuit hæc: potentia objectiva *Scoti* nec eſt activa, nec paſſiva. Hæc propoſitio apud *Scotiſtas* in confeſſo ſemper fuit: Itaque concluſio ſic debebat inferri: E.

po-

Digitized by Google

potentia objectiva *Scoti* non eſt realiter exiſtens. Sic totum argumentum non eſt contra *Scotum*, qui ipſe cum ſuis largitur, quod potentia objectiva non ſit realiter exiſtens. Si vero concluſio ita inferatur: E. potentia objectiva *Scoti* non eſt reale quid; argumentum volam oſtendit quarti pedis: ſiquidem *aliud eſt τὸ reale*, *aliud*, *τὸ realiter exiſtens*. Videatur axioma ſupra *cap. 1.* allatum *pag. 219. & ſeqq.* Eandem vero ſententiam a Scoto ejusque diſcipulis defendi *Scotiſta* doctiſſimus, *Johannes de Rada part. 2. controv. Theol. inter Thomam & Scotum controv. 12. art. 2. notab. 4. p. 379.* teſtatur. Ad (2) reſpondetur, negando Minorem. Expreſſe enim minor hæc propoſitio contradicit veritati: Nunquam *Scotus* ſtatuit, potentiam objectivam nullum habere realem reſpectum ad actum, ſed potius ubique in ſcriptis ſuis adſerit & pro viribus defendere conatur, illam ipſam habere reſpectum ad actum entitativum ſeu actualem exiſtentiam. Ad (3) reſpondetur negando conſequentiam. Non enim ſequitur: Si per potentiam objectivam aliquid poteſt eſſe objectum potentiæ realiter exiſtentis activæ, etiam potentia objectiva ipſa erit activa. Toto enim cœlo inter ſe differunt: per potentiam objectivam poſſe eſſe objectum potentiæ activæ, & ipſam potentiam objectivam eſſe

activam: Quis ferret eum, qui diceret: per artem ſutoriam corium poteſt eſſe objectum ſutoris? Ergo ars ſutoria eſt ipſe ſutor. Ad (4) reſpondetur, negando minorem. Contrarium patet ex rationibus in contrarium allatis: Si enim repugnantia eſt negatio, non-repugnantia non poterit non eſſe poſitivum quid, quia omne, quod negationi contradictorie opponitur, eſt poſitivum quid. Ad probationem, quando dicebatur, per non-repugnantiam negari repugnantiam; dicendum eſt, inde nondum ſequi, non-repugnantiam formaliter eſſe negationem repugnantiæ: Sic immutabilitas, immortalitas in Deo negant mortalitatem, mutabilitatem, nec tamen hæc attributa divina, immutabilitas, immortalitas &c. formaliter ſunt negativum quid: niſi etiam illapideitatem, illeonitatem, attributa DEI vocare velis, quia negant etiam de Deo imperfectiones: Non-repugnantia formaliter non dicit negationem, ſed potius aptitudinem, per quam unum poteſt eſſe alterum, licet negationem connotet. Ad (5) reſpondetur neg. Maj. falſitas ejus palpari poteſt manibus. *Thomiſtarum* gladio nodus, ſi quis adeſt, ſolvi poteſt ita:

Q. non realiter exiſtit, eſt Ens rationis.

Eſſentiæ rerum ab æterno non realiter extiterunt. E.

Eſſen-

**Eſſentiæ rerum ab æterno fuerunt entia rationis.**

Concluſio eſt contra *Thomiſtas*: Minor & Major ſunt *Thomiſtarum*: Sic *Thomiſtæ* ſibi ipſis contradicunt.

VIII. Ad hoc igitur, *ut aliquid ſit in potentia objectiva reſpectu Dei*, tria cum *Scotiſtis* requirimus: (1.) *Ut illud, quod in potentia objectiva eſſe dicitur, non exiſtat in rerum natura citra mentis operationem*: e. gr. angelus, canis, leo, quia jam actu exiſtunt, non poſſunt eſſe in potentia objectiva. (2.) *ut non detur aliquod ejus ſubjectum ex quo fiat.* (3.) *ut poſſit produci*: ſi enim produci non poſſet, qua ratione eſſe poſſibile ipſi poſſet tribui? Idem docet *Johann. de Rada part. 2. ſupra citat. controv. controv. 2. de potentia creandi, art. 1. p. 32.* Ii, quorum ſupra mentionem fecimus, una doctrinam de potentia objectiva ſuæ ſententiæ ſic accommodant: Creaturæ (1.) ab æterno actu non fuerunt in rerum natura, quia nec *recta ratio* hoc dictitat, multo minus *ſacer codex*, qui contrarium teſtatur. (2) Nullum ab æterno fuit ſubjectum ex quo fierent ab æterno. (3) Non repugnavit, ut per potentiam Dei creatricem producerentur. Plura de potentia objectiva qui noſſe deſiderat, adeat *Scotum loco citato*. Præclare hoc negotium expoſuerunt *tres ſectatores Scoti maxime ſtrenui*: *Petrus Tataretus*,

*tus, Pariſienſis in 1. phyſic. c. 9. q. 7. p. 17. Antonius Trombeta, Patavinus in tract. de formalitatibus Scot. ſent. art. 1. p. 3. Magiſter Johannes Magiſter Pariſienſis in 1. phyſic. q. 11. not. 1. p. 17. b.* Cum his conjungantur *Antonius Sirectus in formalitatibus moderniorib. de mente Scoti p. 23. de la Fuente, Toletanus l. 1. phyſic. q. 2. Barthol. Maſtrius diſp. phyſ. 2. Joh. Poncius Corcagia Hybernus l. 1. phyſ. diſp. 3. Bonaventura Baro Hybernus Clonmelienſis in Scoto ſuo defenſo tom. 2. apolog. 2. act. 4. p. 29.* & qui primo poſt *Scotum* nominandus erat, *Scotiſta* feliciſſimus, *Johannes de Rada, Aragonius, Epiſcopus Pactenſis part. 2. controv. 11. artic. 2. pag. 379. & artic. 3. pag. 385.* Quibus, ſi opus eſſet, poſſemus addere alios: *Vazqueſium, Greg. de Valentia, Franciſcum de Oviedo, Franciſcum Bonæ ſpei, Rodericum ab Arriaga, Durandum, Hurtadum de Mendoza, Gregorium de Arimino, Franciſcum Victoria, Dominicum de Soto*, innumeros alios. E noſtratibus citamus *B. Stablium Inſtitut. Metaph. cap. 9. §. 16. pag. 113. B. Slevogtium in Diſp. de eſſe poſſibili pag. 157. & ſeqq. & Diſput. de ratione formali entis finiti ſect. 1. & 2. de eſſe eſſentiæ & exiſtentiæ pag. 136. & ſeqq.* & *D. Petrum Muſæum Inſtit. Metaph. c. 4.*

§. 2 Potentia cauſativa diſtingvitur in completam & incompletam.

NO

## NOTÆ.

I. Hic probe notari meretur, quod aliud ſit potentia cauſandi, ſi ſpectetur præciſe, ut eſt potentia cauſandi; aliud vero, ſi ſpectetur, ut eſt completa vel incompleta.

II. Diſquirunt *Metaphyſici*: Num potentia cauſativa in communi ſit ipſamet entitas cauſæ abſolute concepta, an vero ens cauſæ abſolute conceptæ ſuperadditum? Alii prius, alii poſterius aſſerunt, multi media via incedere jubent. Sed falluntur omnes. Nam etiam meris non entibus veræ potentiæ cauſativæ adſcribi poſſunt, quia ut ſupra pag. 522. monuimus, & *in ſeqq.* ſufficienter oſtendetur, multæ veræ cauſæ poſſunt eſſe non entia, quibus uti nulla entitas ſalva veritate tribui poteſt, ita nec potentia cauſandi quæ ipſis attribuitur, vel ipſa entitas cauſæ vel ens cauſæ ſuperadditum dici poterit. Accedit, quod potentia cauſativa, quæ competit cauſæ ut eſt verum & reale ens, nec realiter differt ab ente, nequeat dici entitas cauſæ abſolute concepta. Licet enim aliquid exiſtere poſſit ſine cauſato exiſtente, non tamen cauſare poteſt, niſi cauſatum ſit poſſibile, cum ad impoſſibile non ſit potentia. Unde ſi per impoſſibile nihil cauſari e. gr. effici poſſet, nulla quoque dari poſſet potentia cauſativa, quia a potentia aliquid potens dicitur, ſed nihil dicitur potens, niſi ſit alicu-

jus potens. Prolixe hanc rem *Suarez* & *Arriaga* tractarunt. Nobis ſufficit dixiſſe, quod vera potentia cauſativa ut ſic alia ſit nonens, alia verum ac reale ens, quodque hæc quæ eſt verum ac reale ens iterum vel realiter ſit eadem cum cauſa, cui tribuitur, vel ab ea diſtincta realiter eique realiter ſuperaddita.

III. Hæc duo non implicant contradictionem: Aliquid habere veram potentiam cauſativam, nec tamen actu eſſe poſſe veram cauſam: Non enim aliquid ideo ſtatim caret potentia cauſandi, quia non poteſt actu cauſa eſſe, ſed ad hoc ut aliquid actu non ſit cauſa, nec actu cauſa eſſe queat, ſufficere poteſt, ſi potentia cauſandi non ſit completa. E. gr. Petrus habet viſum, dumque eum habet, habet potentiam cauſandi nempe videndi, ſæpenumero tamen fit, ut viſum ob defectum medii pellucidi ac perſpicui exercere nequeat. Ita Sol habet potentiam cauſandi, dum habet potentiam illuminandi conclave, nec tamen actu poteſt eſſe cauſa luminis in conclavi, niſi valvæ, quibus feneſtræ conclavis obducebantur, removeantur. Aliud igitur eſt, aliquid quantum in ſe eſt poſſe eſſe veram cauſam, aliud verò aliquid actu poſſe eſſe veram cauſam: Ad illud ſufficit ſola potentia cauſativa, ad hoc requiritur, ut potentia cauſativa ſit completa. Quamdiu interim potentia

-ia cauſativa eſt incompleta, tamdiu ejus ef-
icaciam pendentem dicimus: Ita e. gr. qui
continuo in tenebris detinetur, ei perinde
eſt, ac ſi non haberet potentiam videndi, quia
eam non poteſt exercere, h. e. videre nequit;
non ob defectum potentiæ cauſativæ, ſed ob
defectũ requiſiti ex parte potentiæ cauſativæ.

§. 3. *Potentia cauſativa completa* eſt potentia cauſativa, *cui omnia antecedenter requiſita una adſunt*: E contrario *potentia cauſativa incompleta* eſt potentia cauſativa, *cui non adſunt omnia antecedenter requiſita*. Exempla petantur e proxime ſeqventi §.

*NOTÆ.*

I. Duobus modis fieri poteſt, ut aliqua potentia cauſativa non ſit potentia cauſativa cui omnia antecedenter requiſita adſunt: (1) Si nullum prorſus ex antecedenter requiſitis adſit. (2) Si adſint unum vel plura antecedenter requiſita, non tamen omnia. Unde nemini refragabimur, ſi quis omnem illam potentiam cauſativam incompletam dicere velit, ubi vel omnia antecedenter requiſita deſunt, vel deſunt antecedenter requiſita, non tamen omnia: Interim apparens con-

tradi-

tradictio erit, ſi alius quiſpiam illam potentiam cauſativam, cui omnia ac ſingula antecedenter requiſita deſunt, nec completam, quia non adſunt omnia antecedenter requiſita, nec incompletam, quia nulla antecedenter requiſita adſunt, dicere velit. Utrumque enim, ſi diverſus modus loquendi attendatur, defendi poteſt, & quod omnis potentia cauſativa ſit completa vel incompleta, & quod potentia cauſativa detur, quæ ſit nec completa nec incompleta: Quocunque vero modo quis loquatur, certiſſimum relinquitur, potentiam cauſativam in ſe ſpectari poſſe, nullo plane habito reſpectu ad antecedenter requiſita, adeo ut ne quidem attendatur, num adſint, an abſint? num adſint omnia, an non omnia? & ſi hoc, num unum deſit, an plura?

II. Opus eſt, ut præſens §. diſtinctius explicetur, quia nequit ſatis intelligi, quid ſit potentia completa, quid incompleta, niſi ſciamus, quænam vocentur antecedenter requiſita.

§. 4. Diſtingvunt *Metaphyſici* (in præſenti doctrina de requiſitis neceſſariis potentiæ cauſativæ) inter *antecedenter requiſita* & *concomitanter requiſita*: Et quidem

*ante-*

*antecedenter requiſita* vocant, *quæ* (ut *Scholaſtici* loqvuntur) *ſeſe tenent ex parte potentiæ cauſativæ*: Contra *concomitanter requiſita* appellant, *quæ ſeſe tenent ex parte cauſalitatis*. E. gr. ex parte viſus, ſi ſpectetur ut potentia cauſativa, antecedenter requiruntur: objectum, medium & organum. Objectum eſt color & lux. Medium eſt perſpicuum, e. gr. aer, aqua, cryſtallus, vitrum &c. organon eſt oculus. Unde niſi hæc omnia ex parte viſus adſint, viſus dicitur potentia cauſativa incompleta: ſi vero omnia antecedenter requiſita adſint, viſus eſt potentia cauſativa completa.

### *NOTÆ.*

I. Non debent confundi antecedenter requiſita cum concomitanter requiſitis. Ita e. gr. ineptus eſſet, qui negaret, voluntatem hominis ideo non eſſe liberam a neceſſitate in agendo, quod poſita actione non poſſit non agere, non poſita actione nequeat agere. Nam

Digitized by Google

Nam hoc quisque ſaniori judicio præditu facile advertit, inepte confundi *concomitanter requiſita* cum *antecedenter requiſitis*. Poſitis enim *concomitanter requiſitis* nulla potentia cauſativa amplius indifferens eſt ad agendum & non agendum, ſive ea potentia ſit naturalis, ſive libera. Quod autem non amplius indifferens ſit poſitis *concomitanter requiſitis*, probatur inde, quia *concomitanter requiſita* ſunt requiſita ipſius cauſalitatis. Cauſalitas vero potentiam cauſativam determinat, ut id, cui potentia cauſativa tribuitur, cauſet, ſeu quod idem eſt, actu fiat vel ſit cauſa.

II. Huc reſpexerunt *Scholaſtici*, quando docent, alia requiſita potentiæ cauſativæ eſſe cauſalitati extrinſeca, alia vero eſſe cauſalitati intrinſeca: Illa veniunt antecedenter requiſitorum nomine, quia potentia cauſativa abſque cauſalitate eſſe poteſt: Hæc ad concomitanter requiſita ſpectant.

§. 5. Differunt ergo *potentia cauſativa* & *actus primus* (prout hoc loco ſumitur) *ut latius & anguſtius*: Omnis enim actus primus eſt potentia cauſativa: Sed non omnis potentia cauſativa eſt actus pri-

primus; quia tum demum potentia cauſativa actus primus dicitur, ſi ſit completa.

NOTÆ.

I. Studio dicitur: *actus primus prout hoc loco ſumitur.* Nam Scholaſtici & non pauci ex Recentioribus, qui illos ſeqvuntur, etiam quasdam cauſas vocant actus primos: e. gr. animam, quatenus eſt cauſa corporis naturalis animati, plantæ vel animalis, dicunt eſſe actum primum, eique potentiam cauſativam tribuunt. Sed hæc ſignificatio non eſt præſentis loci, nec alias eſt ſatis commoda aut accurata, qua de re ſuo loco dicetur.

II. Vulgo in *Metaphyſicorum* libellis definiri ſolet actus primus, quod ſit *forma vel natura aliqua quatenus eſſe poteſt principium operationis*: Sed hæc definitio eſt longe anguſtior ſuo definito. Nam 1. ſi operatio præciſe ſumatur, prout dicit actionem, etiam forma vel natura actus primus dici poteſt, quatenus eſſe poteſt principium paſſionis: Datur enim agens in actu ſecundo & datur quoque patiens in actu ſecundo. 2. Quia non modo datur cauſa efficiens in actu ſecundo & cauſa materialis in actu ſecundo, ſed etiam cauſa formalis & cauſa finalis dantur in actu ſecundo, imo quotcunque dentur cauſæ, tot cauſæ in actu ſecundo dantur, E. quis-

E, quisque videt allatam formulam laborare anguſtia. 3. Ut paucis dicamus, quod rei veritas exigit, tam late patent actus primus & ſecundus, quam late patent cauſa & cauſatum: Ubivis namque, ubi ſcilicet cauſa & cauſatum locum habere poſſunt, ibi etiam diſtinctioni inter cauſam in actu primo & cauſam in actu ſecundo, item inter cauſatum in actu primo & cauſatum in actu ſecundo locus eſt. Omnem igitur potentiam cauſativam completam jure meritoque actum primum vocamus.

§. 6. *Actui primo* ut hoc loco ſumitur, *actus ſecundus* contradiſtinguitur: Eſt vero *actus ſecundus id, quo aliquid actu fit vel eſt vera cauſa.* Reducantur ea, quæ *cap. 8. §. 13. pag. 549.* dicta ſunt.

*NOTA.*

Sunt eruditiſſimi Viri, qui actum ſecundum ita definiunt: *Eſt id per quod potentia cauſativa immediate ſeſe exerit.* Quæ formula ſi recte intellecta fuerit, tolerari poteſt. Ita e. gr. quando ignis eſt cauſa caloris in aqua, ſeu (ut Scholæ loqvuntur) cauſat calorē in aqua, potentia cauſativa completa in igne immediate ſeſe exerit per actum calefaciendi

ciendi ſeu calefactionem, unde calefactio dicitur actus ſecundus. Cæterum potentia cauſativa nunquam ſeſe exerit, niſi ſit actus primus, hoc eſt, potentia cauſativa completa.

§. 7. Notandæ jam veniunt aliquot diſtinctiones ad hanc materiam ſpectantes: Et (1) quidem non confundi debent *actus primus* & *id quod tale dicitur in actu primo*: Pariter diſtingvuntur ab invicem *actus ſecundus* & *id quod tale vocatur in actu ſecundo*. Nam *actus primus* eſt potentia cauſativa: *id* vero *quod tale dicitur in actu primo* non eſt potentia cauſativa, ſed id quod potentiam cauſativam habet: Imo poteſt dari *actus primus*, ut tamen nihil detur, *quod tale dicatur in actu primo*: *Actus primus* eſt ratio cauſandi, *hoc quod in actu primo tale eſt* eſt cauſa potentia vel cauſatum potentia: E. gr. in Sole potentia com-

pleta illuminandi conclave eſt actus primus, Sol vero ſi ipſo meridie feneſtræ conclavis obſtruantur, non eſt actus primus, eſt tamen cauſa luminis in actu primo: Et quando Sol facta remotione valvarum illuminat conclave, datur adhuc actus primus, nempe potentia completa illuminandi, nec tamen datur cauſa luminis in actu primo, ſed in actu ſecundo: Ipſa quoque potentia illuminandi completa in Sole eſt ratio cauſandi, Sol vero, quando ſpectatur ut cauſa luminis in actu primo, eſt cauſa potentia. Nec difficile eſt monſtrare rationem diſcriminis inter *actum ſecundum* & *quod tale eſt in actu ſecundo*: Nam *actus ſecundus* eſt id, quo cauſa eſt cauſa, vel quo cauſatum eſt cauſatum: *Quod tale eſt in actu ſecundo* eſt ipſa cauſa vel cauſatum. E. gr. illumi-

Digitized by Google

uminatio conclavis facta a Sole eſt
ctus ſecundus: at Sol illuminans
onclave non eſt actus ſecundus,
d cauſa luminis in actu ſecundo,
lumen quod in conclavi produ-
itur eſt cauſatum in actu ſecun-
o.

*NOTÆ.*

I. Oritur hic difficultas: Num ſtante hac
xplicatione *actus primi ejusque quod cauſa vel
auſatum eſſe dicitur in actu primo*, cauſa natu-
alis in actu primo dari poſſit? Studio quæri-
ur de cauſa naturali: De libera enim cauſa
ulla eſt difficultas. Nam cauſa libera poſi-
is omnibus antecedenter requiſitis poteſt
otentiam ſuam cauſativam exerere & non
xerere: Ita e. gr. architectus poſitis omni-
us antecedenter requiſitis poteſt ædificare
x non ædificare, fitque ut poſitis omnibus
ntecedenter requiſitis nunc ædificet, ſicque
it cauſa in actu ſecundo, nunc non ædificet,
ſicque ſit cauſa in actu primo: Difficultas igi-
tur eſt de cauſa naturali ſeu neceſſaria. Aut
enim omnia antecedenter requiſita adſunt,
aut minime: Si hoc, cauſa naturalis nec eſt
cauſa in actu ſecundo, nec in actu primo:
quia ad cauſam in actu ſecundo & quoque
ad cauſam in actu primo ſemper requiritur,

ut omnia adſint antecedenter requiſita, ceu ex hactenus dictis liquet; Si illud, cauſa naturalis ſemper erit cauſa in actu ſecundo. Per hoc enim cauſa naturalis h. e. neceſſaria dicitur, quod poſitis omnibus antecedenter requiſitis non poſſit non actu eſſe cauſa h. e. neceſſario ſit cauſa in actu ſecundo: E. gr. Sol eſt cauſa naturalis ſeu neceſſaria luminis in conclavi producti: Videtur autem ac ſi Sol nunquam poſſit dici cauſa luminis in actu primo. Aut enim omnia antecedenter requiſita adſunt, ſicque neceſſario illuminat conclave, adeoque eſt cauſa luminis in actu ſecundo: aut unum vel alterum antecedenter requiſitorum deeſt, & ſic in Sole potentia illuminandi conclave eſt incompleta, adeoque quia illa potentia non eſt actus primus, utpote qui ſemper eſt potentia cauſativa completa, nec Sol quamdiu non omnia adſunt antecedenter requiſita, cauſa in actu primo ſalva veritate dicetur.

II. Ad tollendam hancce difficultatem diſtinctione opus eſt. Scilicet duplicem hæc locutio ſenſum habet, ſi dicatur: potentia cauſativa eſt completa. Primo enim hic poteſt eſſe ſenſus: Omnia antecedenter requiſita adſunt, quæ ſe tenent ex parte potentiæ cauſativæ active ſpectatæ, h. e. quæ antecedenter requiruntur ad hoc, ut aliquid poſſit cauſare alterum. Secundo ita intelligi poteſt:

Digitized by Google

eſt ; Omnia antecedenter requiſita adſunt, cum quæ ſe tenent ex parte potentiæ cauſativæ, h.e. quæ antecedenter requiruntur ad hoc, ut aliquid poſſit cauſare alterum; tum quæ ſe tenent ex parte potentiæ cauſativæ paſſive ſpectatæ h. e. quæ antecedenter requiruntur ad hoc, ut aliquid poſſit cauſari. Si poſteriori modo intelligatur aſſertio, falſum eſt, quod cauſa naturalis ſeu neceſſaria in actu primo dari poſſit. Nam quando hoc modo omnia antecedenter requiſita adſunt, non poteſt non cauſa naturalis ſeu neceſſaria in actu ſecundo poni : e. gr. quando omnia, quæ antecedenter requiruntur ad hoc, & ut Sol conclave poſſit illuminare, & ut conclave a Sole poſſit illuminari, tunc neceſſario Sol eſt cauſa luminis in actu ſecundo : Si vero de priori modo ſermo ſit, omnino cauſa naturalis ſeu neceſſaria in actu primo defendi poteſt : Ita e. gr. quando quis ipſo meridie omnes feneſtras rimasque obſtruit, ne conclave illuminetur, rectiſſime dicimus, Solem tunc eſſe cauſam illuminandi conclave in actu primo, quia ex parte potentiæ cauſativæ active ſpectatæ omnia antecedenter requiſita adſunt, h. e. nihil deeſt eorum, quæ antecedenter requiruntur ex parte Solis ad hoc, ut Sol poſſit illuminare conclave, quamvis ex parte conclavis non omnia antecedenter requiſita adſint, quia ad hoc ut conclave

illuminari poſſit, neceſſarium eſt, ut valvæ a ſpecularibus dimoveantur.

III. Antecedenter requiſita ex parte potentiæ cauſativæ tripliciter ſumi poſſunt: 1. Ex parte potentiæ cauſativæ active & paſſive ſpectatæ ſimul. Conf. *not. 1. ad §. 15. cap. 8. pag. 556.* 2. Ex parte potentiæ cauſativæ active ſpectatæ tantum. 3. Ex parte potentiæ cauſativæ paſſive ſpectatæ tantum. Secundo modo ſumuntur antecedenter requiſita, quando diſtinguitur inter id quod revera cauſa eſt in actu primo & id quod revera cauſa eſt in actu ſecundo.

§. 8. (2) Differunt: *habens actum primum*, & *id quod tale eſt in actu primo*: Nam ab hoc ad illud, non vero ab illo ad hoc ſtatim valet conſequentia: Nam ſive aliquid ſit cauſa vel cauſatum in actu primo, ſive ſit cauſa vel cauſatum in actu ſecundo, ſemper tamen dicit actum primum: e. gr. potentia illuminandi conclave in Sole poteſt eſſe completa, ſicque Sol habet actum primum, licet Sol ſolummodo ſit cauſa luminis in actu primo:

da-

Digitized by Google

datur quoque in Sole potentia illuminandi conclave completa, quando Sol actu illuminat conclave, hoc eſt, quando eſt cauſa luminis in actu ſecundo.

*N O T A.*

Id cui potentia cauſativa tribuitur, rectiſſime diſtinguitur in cauſam in actu primo & cauſam in actu ſecundo.

§. 9. (3) *Cauſa in actu primo & cauſa in actu ſecundo* differunt ut id quod non eſt vera cauſa & id quod eſt vera cauſa. Idem eſto judicium de diſcrimine inter *cauſatum in actu primo* & *cauſatum in actu ſecundo.*

*N O T Æ.*

I. Quæ ſupra *cap. 1. not. 2. p. 52.* de diſcrimine entis poſſibilis ab ente potentia diximus, hæc de diſcrimine cauſæ potentia a cauſa in actu primo dicta ſunto. Scilicet quemadmodum omne ens potentia eſt ens poſſibile, non vero omne ens poſſibile eſt ens potentia: Ita omnis cauſa in actu primo eſt cauſa potentia, ſed non omnis cauſa potentia eſt cauſa in actu primo. Et quemadmodum

dum ens poſſibile poteſt ſimul eſſe verum ens; Ita cauſa potentia poteſt ſimul eſſe cauſa in actu primo. Sunt enim in ſenſu diviſo veræ hæ propoſitiones: Ens poſſibile eſt ens, cauſa potentia eſt cauſa in actu primo. E contrario utut de ente poſſibili dici poſſit in ſenſu diviſo, quod ſit verum ens, tamen de cauſa potentia aſſeri nequit, quod ſit vera cauſa. Nam ut aliud eſt ens poſſibile, aliud ens potentia: Ita aliud eſt cauſa poſſibilis, aliud cauſa potentia: Et quemadmodum ens poſſibile poteſt eſſe verum ens, & ſuo modo ut animal ſe habet ad hominem & brutum, ſic ſe habet ad ens actu & ens potentia: Ita cauſa poſſibilis poteſt eſſe vera cauſa, & ſuo modo ut animal ſe habet ad hominem & brutum, ſic ſe habet ad cauſam potentia & cauſam actu. Cæterum cauſa potentia rurſus diſtinguitur in cauſam potentia incompleta, & cauſam potentia completa, quæ etiam cauſa in actu primo dicitur: Cauſa actu etiam cauſa in actu ſecundo vocatur.

II. De cauſato poſſibili, cauſato, potentiali in actu primo & in actu ſecundo, proxime ſequenti *capite decimo* agetur.

III. Antecedenter requiſita alia ſunt abſolute neceſſaria, alia ex hypotheſi: E. gr. ad hoc, ut in igne ſit completa potentia (cauſativa) comburendi ſtipulas, abſolute ac ſimpliciter neceſſarium non eſt, ut ignis admoveatur

ut ſtipulis, quia ignis cauſa combuſtionis ſtipularum in actu primo eſſe poteſt, licet non admoveatur ſtipulis: eſtq; cauſa in actu ſecundo, modo ſtipulæ admoveantur igni. Ex hypotheſi vero ad hoc, ut ignis ſit cauſa combuſtionis ſtipularum in actu ſecundo neceſſarium eſt, ut ignis admoveatur ſtipulis, ſi nempe ponamus, nunquam futurum eſſe ut ſtipulæ admoveantur igni. Interim abſolute neceſſarium eſt ad hoc, ut potentia cauſativa completa detur, ut unum ex utroque alterutri admoveatur.

IV. Ampliſſimum uſum invenit hæc doctrina in omnibus diſciplinis & Facultatibus: Eousque enim ſeſe extendit, quousque uſus doctrinæ de cauſis & cauſatis extenditur. Uno vel altero exemplo veritatem hujus afferti liceat illuſtrare, & quidem primo ſumamus exemplum Philoſophico-Theologicum: Quæritur a Philoſophis & Theologis hujus & illius partis: Num in nobis notitia quædam natura inſita de Deo detur? Affirmativam omnes orthodoxi Theologi defendunt, nec quisquam accuratiorum Philoſophorum eam facile negaverit aut in dubium vocaverit. Nec de eo dubium eſt, quin ſi ita formetur quæſtio: An notitia aliqua de Deo homini innaſcatur aut connaſcatur? affirmativa ſit omnium Theologorum orthodoxorum:

rum : Omnes namque Theologi orthodoxi affirmativæ unanimi conſenſu ſubſcribunt eamque conſtanter aſſerunt, & probant ex variis Scripturæ Sacræ locis, inprimis ex Rom. I, 18. ſeq. ubi gentiles ἀλήθειαν *veritatem & quod de Deo manifeſtum eſt* ἐν αὐτοῖς *in ipſis, detinere dicuntur in injuſtitia.* Item ex *Rom. II. 14.* ubi *Gentes* dicuntur *φύσει natura facere, quæ legis ſunt, & opus legis ſcriptum in cordibus ſuis oſtendere. 3. ex teſtimonio conſcientiæ, & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus*, qua de re *Rom. II. 15.* agitur. 4 Ex *conſenſu veterum Patrum, Tertulliani lib. de teſtimonio animæ, & in Apol. adv. Gentes c. 17. Arnobii lib. I. adv. Gentes, Hieronymi in Job. c. XXVI. 25. & in epiſt. ad Gal. c. I, 15. Damaſceni l. 1. de Orthod. fide c. 1.* Quibus e medio Gentiliſmo præivit, & paria docuit *Epicurus* apud *Ciceronem lib. I. de Natura Deorum*, & *Cicero* aſſerentes, *naturam ipſam impreſſiſſe omnium animis notionem Deorum.* Vocant vero Theologi hanc Dei notitiam inſitam ſive innatam, alii quidem *lucem & perfectionem habitualem potentiæ cognoſcentis connatam ſive natura inſitam*, alii *habitum vel diſpoſitionem, non quidem habitum proprie dictum, ſed κατ' ἀναλογίαν, imperfectum habitum quoddam analogum habitui,* πλείονα *quandam potentiæ intellectualis in homine poſt lapſum reliquam, cujus beneficio homo Deum quadante-*

*num cognoſcere poſſit*, inque eo diſſentiunt ab iſtis Philoſophis, qui potentiam intellectivam pro principio proximo & completo habentes, ſtatuerunt præter neceſſitatem ſtatui ac defendi πλείωον illam ac perfectionem ſive lucem intellectui connatam. De eo interim controverſia eſt: Numne abſque omni heterodoxia ejusque periculo defendi poſſit, nullas dari Dei notitias *in actu primo*, quæ intellectui humano connatæ aut natura inſitæ ſint, nullas quoque dari Dei notitias *in actu ſecundo*, quæ intellectui humano connatæ aut natura inſitæ ſint? Utut vero hanc controverſiam Theologicam dirimere noſtri nec ſit officii nec inſtituti, nihilque minus nunc nobis propoſitum ſit, quàm hanc materiam Theologicam ſub diſquiſitionis noſtræ incudem revocare: Hoc tamen certo certius relinquitur, & quisque Philoſophiæ primæ ac Theologiæ ſtudioſus, imo vel cæcus videt, eos, qui in hiſce talibus feliciter ac rite verſari volunt, operam vel perdituros vel infeliciter collocaturos eſſe, niſi ex *Philoſophia prima*, ad quam ex profeſſo ſpectat, quid *actus primus* ſit, quid *actus ſecundus*, quid *tale in actu primo*, quid *tale in actu ſecundo* vocetur? didicerint. Nam *Phyſicus* quoque quando ex inſtituto & accurate tractat, quænam neceſſario requirantur ad notitiam? quid no-

notitia ſit in *actu primo*? quid notitia *in actu ſecundo*? num detur notitia connata *in actu primo*, vel *in actu ſecundo*? diſtinctionem inter *actum primum* & *ſecundum* e *Metaphyſica* petere, ſuisque dogmatibus idonea ratione applicare neceſſum habet. Unde non miramur, ſi quis terminorum Metaphyſicorum non ſatis gnarus ex eo, quod ab hoc vel illo Theologo audiat defendi, non dari Dei notitias *in actu primo vel ſecundo* intellectui humano connatas vel natura inſitas, ſtatim colligat, ſic defendi nudam potentiam ſine omni perfectione ſive luce intellectui connata inque homine poſt lapſum reliqua, ſine omni habitu ſive proprie ſive minus proprie ſumto, cujus beneficio homo Deum quadantenus cognoſcere poſſit, nullumque diſcrimen admitti inter connatam notitiam principiorum & acquiſitu facilem notitiam concluſionum. Quod tamen nemo ſolidæ doctrinæ Philoſophicæ aſſvetus ex eo ſolo colliget, niſi velit manifeſto errare ac contra ſolida primæ Philoſophiæ fundamenta ac principia ſtatuere. Nam qui negant dari notitiam *in actu ſecundo*, quæ nempe intellectui humano connata ſit, iſti rationem ſuæ negationis hanc dant, quia notitia *in actu ſecundo* ſemper arguit actum cognoſcendi ab intellectu elicitum, atque adeo ab ipſo homine ut cauſa efficiente *in actu ſecun-*

*do* poſita, ipſiusque intellectu ut *actu primo*, ſeu potentia cauſativa completa in genere potentiæ activæ, procedentẽ, qui actus, hoc ipſo, quod ab homine ejusq; intellectu revera efficitur, natura homini ejusq; intellectui inſitus ſive connatus non eſt: Nec vero qui negant dari notitiam *in actu primo*, quæ ſcilicet intellectui hominis poſt lapſum natura inſita vel connata ſit, dum hoc negant, id propter ſtatim negant dari lucem intellectui ingenitam ſive natura inſitam, ſeu perfectionem potentiæ intellectivæ natura inſitam ſive innatam, habitui analogam, habitum imperfectum, cujus beneficio homo Deum quadantenus cognoſcere poſſit. Nam negant hoc ſenſu notitias in actu primo natura inſitas ſive connatas, quia accuratiorum *Metaphyſicorum* & *Phyſicorum* conſenſu *actus primus* dicit potentiam cauſativam, eamque completam, quæ certe nunquam datur, niſi omnia antecedenter requiſita adſint: Inter omnia vero antecedenter requiſita ad hoc, ut intellectus *in actu ſecundo* poni poſſit, eſt quoque omnium Philoſophorum conſenſu ſpecies impreſſa, quæ vulgo ſpecies intelligibilis dici ſolet: Si igitur oſtendi poteſt, quod ſpecies impreſſa ſit inter antecedenter requiſita, ſique ſolide ac ſufficienter una evinci poteſt, quod ſpecies impreſſa, quæ ad actum cognitionis

eli-

eliciendum prærequiritur, natura inſita ſeu connata ſit, nondum ex eo, quod quis negat Dei notitiam in actu primo intellectui connatam aut natura inſitam, colligi poteſt, quod ipſe per Dei notitiam innatam intellexerit nudam potentiam cognoſcendi, prætereaque nihil.

V. Multis aliis exemplis *Theologicis* uſus hujus diſtinctionis commendari poterat. Ita quando controvertitur. *Num Scriptura Sacra ſit perpetuo efficax, nec ne?* Quis non videt diſtinctione inter actum primum & actum ſecundum, nempe inter efficaciam Scripturæ Sacræ in actu primo & actu ſecundo opus eſſe. Nam ſi dicatur, Scripturam neminem convertere, niſi legatur vel audiatur: Reſpondent orthodoxi Theologi ad efficaciam in actu ſecundo requiri, ut accedat legitimus uſus, h. e. lectio & ſcrutinium, utpote ſine quo nemo convertatur, non item ad efficaciam in actu primo quæ tamen a Scriptura Sacra ſeparari nequeat. Rurſus quando quæritur, *quo ſenſu intelligendum veniat dictum Salvatoris Marc. XIII, 32. De die illo* (extremi judicii) *nec ipſe filius novit* maxime dum verſionem aliqui melius ſonantem & textui magis congruam credunt: *Filius hominis ignorat diem extremi judicii? Reformati* namque ex hoc dicto probare conantur omniſcientiam humanæ naturæ Chri-

ſti

ſti non fuiſſe communicatam: Quidam vero ex *Theologis* ſunt, qui ſtatuunt adhibita diſtinctione inter actum primum & actum ſecundum, facile omnem difficultatem tolli poſſe, ſi nempe dicatur, quod actus primus, nempe omniſcientia, humanæ Chriſti naturæ omnino convenerit, hocque effato indigitetur ſaltem ſuſpenſio actus ſecundi eo tempore, quo filius hominis in ſtatu exinanitionis degebat. Sane noſtrum quidem non eſt de genuino ſenſu hujus dicti nunc agere, hoc tamen quisque facile advertit, quod ignorantia harum notionum Metaphyſicarum, quas nunc expendimus, laborans non poſſit judicium ſatis feliciter ferre de recenſita allati dicti interpretatione. Iterum quando in *Theologia* disquiritur, *num ſapientia primo homini in ſtatu innocentiæ concreata, etiam fuerit actus ſecundus, an ſolummodo actus primus?* Quisque videt hic opus eſſe accurata notitia diſtinctionis inter *actum primum* & *actum ſecundum*. Sic quando nonnulli orthodoxi *Theologi* contra *Bellarminum* noſtrates Theologos exagitantem, quod motus concupiſcentiæ inordinatos uſumq; rationis omnem antevertentes peccato originis annumeraverint, docent peccatum originis ſumi dupliciter, vel in actu primo vel in actu ſecundo, inque actu primo nihil aliud eſſe quam

me-

meram concupiſcentiam pravam: in actu ſecundo autem eſſe motus illos inordinatos, qui tanquam fructus ex peccato originis quaſi ex arbore proxime propullulent etiam repugnante voluntate. Sane quam bene hæc ſeſe habeant, ipſaq; concupiſcentia peccatum originis ſit non tantum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo? nemo rite ac decenter judicabit, niſi recte prius intellecta inter actum primum & ſecundum Metaphyſica diſtinctione omnibus accuratioribus Theologis conſentientibus. Ita omnium accuratiorum Theologorum conſenſu fides juſtificans nunc ſumitur pro actu primo, nunc pro actu ſecundo. Longe plura exempla poſſent adduci, ſed hæc, quæ adduximus, vel obiter indicaſſe ac vix tetigiſſe ad præſentem ſcopum ſufficiat.

VI. Exempla Juridico-Politico-Moralia quoque tangamus: Magni nominis JCti quando nempe ipſis (ea quæ communis de primæva communione eos credere vult ſententia, ſcilicet res omnes excluſa penitus proprietate patuiſſe promiſcuo uſui, ipſaque dominia diviſione demum & occupatione eſſe exorta, negantibus) *l. poſſeſſio 1. §. dominiumque 1. D. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione* objicitur, ubi expreſſis verbis aſſeritur *dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpiſſe*, ex quo ſcilicet ſequatur, quod

quod poſſeſſio a dominio non potuerit cœpiſſe; reſpondent, legem intelligendam eſſe de *actu ſecundo*, adeoque minime obſtare ſententiæ de dominio ſumto pro *actu primo*. Scilicet iſtis JCtis, qui a priſcorum JCtorum ſententia diſcedunt, nihil aliud eſt dominium, quam *actus primus*, h. e. plena poteſtas occupandi & poſſidendi, per quam in poſſeſſionem, & a poſſeſſione in dominium, quod eſt *actu ſecundo*, venitur. Et quis non videt eos uti diſtinctione Metaphyſica inter *actum primum* & *ſecundum*, dum allegatam legem ſic explicant: Si Cajus inſtituit Accium hæredem, recta & immediate dominium hæreditatis Accio defertur, ſine apprehenſione, ſtatim a morte teſtatoris, de *actu primo*: Simul atque accedit poſſeſſio, ſimul incipit dominium in *actu ſecundo*. Itaque naturalis poſſeſſio nihil aliud ſignificat, quam dominium *in actu ſecundo*, dominio *in actu primo* oppoſitum. Hæc illi celebres Viri, de quorum ſententia nemo feliciter diſpicere poterit, niſi notiones Metaphyſicas ac diſtinctiones hactenus traditas ſibi ſatis ſuperque perſpectas reddiderit. Innumera exempla Juridico-Politico-Moralia pauciſſimis verbis comprehendens *Hugo Grotius* nervoſiſſime *l. 1. de Jure Belli & Pacis cap. III. §. 24.* ſic diſſerit: *Diſtingvendum non minus in imperio, quam*

*in dominio, jus ab uſu juris, ſive ACTUS PRIMUS ab ACTU SECUNDO. Nam ſicut Rex infans jus habet, ſed imperium exercere non poteſt; ſic & furioſus, & captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur: omnibus enim his caſibus curatores ſive prodici dandi ſunt. Itaque Demetrius cum in poteſtate Seleuci non ſatis libere viveret, vetuit aut ſigillo aut literis ſuis credi, ſed omnia quaſi ſe mortuo adminiſtrari voluit.* Hæc *Grotius.* Certe ſi de *actu primo* ſermo ſit, nullum dubium eſt, quin Rex talis Majeſtatem habeat: Nam ſi eam non haberet, aut in ejusmodi Republica adhuc eſſet vera Majeſtas, aut non eſſet. Poſterius dici nequit, quia implicat contradictionem, dari veram Rempublicam ſine Majeſtate. Nec prius locum inveniet. Ubi enim eſſet illa Majeſtas? Aut eſſet penes populum, aut penes curatorem. Non penes populum, qua ei unice uniceque gloria obſequii adhuc relicta eſt. Non penes curatorem, utpote qui omnia non ſuo, ſed curatorio nomine regit. Imo utut veriſſimum ſit, quod e.gr. Rex infans, amens, furioſus &c. non poſſint exercere Majeſtatem, ſicque Majeſtas ut dicit *actum ſecundum*, ipſis a *Grotio* veriſſime denegetur, nulli tamen dubitamus Majeſtatem actualem ſive *actu ſecun-*

*do*

do oppoſitam regimini in *actu primo* tribuere? Nam facimus etiam, quod per alios facimus. Unde quod per tutores & curatores agitur, qui perſonam Regis interim ſuſtinent, perinde æſtimandum venit, ac ſi nihil egiſſet tutor vel curator agens, quod eum decebat agere, ſed Rex egiſſet per tutorem vel curatorem.

# CAPUT DECIMUM

## *De* POSSIBILI.

### ejusq; neceſſariis & uſu frequentioribus acceptionibus & diviſionibus.

§. I.

EGimus *præcedenti capite* de potentia, unde quia nihil eſt ac ſalva veritate dicitur *poſſibile*, niſi dicat reſpectum ad *potentiam*, haud incommode *præſenti capite* tractabitur de poſſibili: Maxime vero meretur nomen *poſſibilis*, quod reſpectum dicit ad *potentiam cauſatiuam*, hoc eſt, *cauſatum poſſibile*.

## NOTÆ.

I. Hic redit quæſtio illa: Num ab æterno fuerit cauſatum poſſibile, ſeu quod eodem redit: Num creatura aliqua ab æterno potuerit cauſari? (paſſive ſumta voce *cauſari*) ſunt certe non ſolum ex *Scholaſticis*, ſed etiam, & cumprimis quidem ex Patribus Eccleſiæ, qui id negant. Argumenta eorum potiſſima bona fide recenſebimus: I. Si creatura e.gr. angelus ab æterno habuit eſſe poſſibile in Deo, ſeu quod idem eſt, ab æterno a Deo potuit produci, ſequitur, quod ab æterno potuerit creari. Sed conſequens eſt abſurdum E. & antecedens. Conſequentia probatur, quia duo tantum ſunt productionis modi: creatio & generatio: Jam vero contradictionem implicat, angelum, qui Spiritus eſt, poſſe generari, cum generatio ſit productio ex materia: angelus vero ſecundum ſuam eſſentiam eſt omnis materiæ expers. Neceſſum ergo eſt angelum, quando producitur, creari. Abſurditas conſequentis patet, quia creatio eſt productio ex nihilo: Si igitur angelus ab æterno fuiſſet productus ex nihilo, aut prius duratione fuiſſet ſub nihilo, quam ſub eſſe ſuo, aut non fuiſſet prius duratione ſub nihilo, quam ſub eſſe ſuo: Si fuiſſet prius duratione ſub nihilo, quam ſub eſſe ſuo, tunc non productus fuiſſet ab æterno, quia æternitas omnem exclu-

dit

dit prioritatem & poſterioritatem durationis: Si vero angelus non fuiſſet prius duratione ſub nihilo, quam ſub eſſe ſuo aut nihil angeli & eſſe angeli fuiſſent ſimul, & ſic ſequeretur, angelum in eadem duratione fuiſſe & non fuiſſe: hoc vero eſt abſurdiſſimum & omnium primum impoſſibile: aut nihil angeli plane non fuiſſet, & ſic angelus non poſſet dici ex nihilo productus. II. Si creatura ab æterno fuit in potentia objectiva reſpectu Dei, ſequeretur, eam, ſi fuiſſet producta ab æterno, fieri debuiſſe aut ſucceſſive, aut in certo inſtanti. Non ſucceſſive: quia ſic habuiſſet aliquid qua durationem ſeipſo prius, nempe motum, qui creaturam tanquam terminum duratione anteceſſiſſet, & conſequenter creatura non fuiſſet producta ab æterno. Non in inſtanti: Nam ſic in certo inſtanti facta fuiſſet, ita, ut antea non fuiſſet, & ſic non fuiſſet ab æterno. III. Si omnis creatura, quæ nunc actu eſt, ab æterno fuit in potentia objectiva reſpectu Dei, ſane ſi ab æterno fuiſſet producta, aut fuiſſet producta, quando fuit, aut quando non fuit. Si fuiſſet producta quando fuit, utique omnis creatura eſſet ens ſucceſſivum, & ſic nihil in mundo fixum fuiſſet & permanens, quia omne, quod extitiſſet, ſemper fuiſſet in fieri & in fluere: imo nihil potuiſſet a Deo conſervari, ſed ſemper fuiſ-

ſet ſaltim creatum. Si non fuiſſet ſemper producta, quando fuiſſet, ſequeretur, ipſam aliquando ſaltim fuiſſe productam, & ſic non fuiſſet producta ab æterno, ſed in tempore. IV. Si creatura ab æterno fuit in potentia objectiva reſpectu Dei, ſane ſi fuiſſet ab æterno producta, aut fuiſſet natura poſterior Deo, aut non fuiſſet natura Deo poſterior. Si hoc, ergo non fuiſſet creatura DEI, quia omne cauſatum natura poſterius eſt ſua cauſa. Si illud, ergo etiam poſterior fuiſſet duratione, quia natura Dei & duratio Dei quoad rem ſunt unum & idem in Deo: Si igitur Deus fuiſſet prior natura, etiam fuiſſet prior duratione. V. Si creatura fuiſſet ab æterno in potentia objectiva reſpectu DEI, ſane ſi producta fuiſſet ab æterno, fuiſſet ipſe Deus. Jam vero creatura producta non poteſt eſſe Deus. E. creatura non potuit fuiſſe producta ab æterno. Conſequentia probatur: (1) quia ſi fuiſſet ab æterno producta, fuiſſet æterna, & ſic habuiſſet attributum DEI, nempe a[illegible]tem. Jam vero quicquid habet attributum Dei, eſt ipſe Deus: imo Doctores veræ Eccleſiæ contra *Anti-Trinitarios* hac maxima utuntur præ aliis: Quicunque eſt æternus, eſt verus Deus; ut divinitatem Chriſti adſerant & defendant. (2) quia ſi creatura fuiſſet æterna, fuiſſet immutabilis: Jam vero immu-

immutabilitas creaturæ repugnat. VI. Si creatura ab æterno fuiſſet in potentia objectiva reſpectu Dei, ſeu, ſi ab æterno habuiſſet eſſe poſſibile, ſane ab æterno realiter extitiſſet. Sed Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens. Conſequentia probatur 1. quia potentia & actus dividunt verum & reale ens. 2. quia habuiſſent verum eſſe in potentia Dei creatrice.

II. Nec tamen pauci ſunt, qui affirmativam tuentur nixi ratione, quam *precedenti capite pag. 574. & ſeq.* notavimus: Et ex horum ſententia, ſi reſponſionibus locus eſt, fortaſſis ſic reſpondendum eſſet ad modo allata argumenta. Ad 1. Negando abſurditatem conſequentis. Abſurdum non eſt, angelum ab æterno potuiſſe produci ex nihilo. Ad probationem dicendum, quod nihil angeli plane nunquam fuerit: inde tamen nondum ſequitur, angelum non poſſe dici ex nihilo productum. Obſervandum enim, particulam *ex* alias dupliciter accipi (1) Ut notat temporalem ſucceſſionem, ſeu conſecutionem unius ad alterum: ſic dicimus: *ex* mane fieri meridiem, *ex* nocte fieri diem, quia meridies ſequitur mane, & dies ſuccedit noctem. (2) Ut notat materiam: Nam inter omnia cauſarum genera ſoli materiæ proprium eſt, ut *ex* ea aliquid fiat: eſt enim id, ex quo inſito aliquid

ſit: Neutro modo hic accipitur vocula *ex*, ſed ex nihilo fieri h. l. idem eſt atque non fieri ex aliquo, tanquam ex materia præjacente: Nam quod creatio proprie & ſecundum communem loquendi modum idem notet ac productio ex nihilo, id eſt, ex nulla præjacente materia *Auguſtinus in lib. de Geneſi ad literam c. 1. & 12. de Civitate Dei c. 25. Juſtinus Martyr in admonitorio ad gentes*, ubi ex *Platone* diſtinguit inter opificem & creatorem, quod opifex ſit, qui aliquid producit ex materia: creator vero, qui ex nihilo aliquid condit: *Anshelmus in monologio cap. 6. 7, & S. Thomas 1. part. q. 45. artic. 1. Sententiarum Magiſter, Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis 2. diſt. lib. diſt. 1. edit. Colon. Anno 1567. pag. 135.* ubi expreſſe dicit: *creator eſt, qui de nihilo aliquid facit: & creare proprie eſt de nihilo aliquid facere: facere vero, non modo de nihilo aliquid operari, ſed etiam de materia: unde & homo & Angelus dicitur aliqua facere, ſed non creare: vocaturque factor ſeu artifex, ſed non creator. Hoc enim nomen ſoli Deo proprie congruit, qui & de nihilo quædam & de aliquo aliqua facit: ipſe eſt ergo creator & opifex & factor, ſed creationis nomen ſibi proprie retinuit: In Scriptura tamen ſæpe creare accipitur tanquam facere ſine diſtinctione ſignificationis.* Idem docent *Scotus, Durandus, Hervæus*, uno verbo *omnes Scholaſtici in hac diſtinctione*. Conſequentia erat talis:

Si

Digitized by Google

Si Angelus ab æterno productus nunquam fuit nihil, ſequitur, eum non eſſe productum ex nihilo, h. e. ſequitur, eum eſſe productum ex præjacente materia: quis non videt falſitatem hujus ſequelæ? Ad II. R. ſi creatura ab æterno fuiſſet producta, producta fuiſſet in inſtanti. Quando in probatione dicebatur: Si in certo inſtanti, antea non fuiſſet, & ſic non fuiſſet ab æterno. Ad hoc reſpondet *Hervæus in 2. diſt. 1. q. 2. usque ad 7. inſtans* eſſe duplex: unum *ſtans*, quod eſt ſine novitate eſſendi: alterum *fluens*, quod eſt cum eſſendi novitate: Valet conſequentia de hoc inſtanti; jam vero creatura, quæ ab æterno fuiſſet producta, producta fuiſſet in illo inſtanti, quod dicebatur ſtans inſtans, de quo non procedit conſequentia. Ad III. Reſp. Si creatura ab æterno fuiſſet producta, fuiſſet producta, quando erat, h. e. in ea duratione, in qua erat. Ad utramq; probationē reſponderi ſolet. Ad priorem reſpondent *Capreolus & Durandus* negando, illam creaturã, quæ tota producitur in ea duratione, quando eſt, eſſe Ens ſucceſſivum: quia ens ſucceſſivum non eſt totum ſimul, ſed datur novitas in partibus eſſendi, quæ fluunt, & quæ ſibi invicem ſuccedunt. Damus inſtantiam: Si ab æterno Petrus intuitus fuiſſet ſpeculum, tota imago Petri ab æterno fuiſſet objecta ſpeculo, nec tamen imago Petri in ſpe-

culo fuiſſet fluxum & ſucceſſivum quid. Ad poſteriorem probationem *Thomas de Aquino 1. part. q. 104. art. 1. & de potent. q. 5 art. 1. Henricus Gandavenſis quodlib. 1. quæſt. 7. & 9. quæſt. Ægidius Romanus in tract. de eſſe & eſſentia quæſt. 7. Ferrarienſis 3. contra gentes cap. 65. Vatzquetz part. 1. Summ. diſp. 172. n. 11. Becanus l. 1. Theol. Scholaſtic. tract. 1. c. 18. n. 10. Suaretz diſp. Met. 21. ſect. 2.* prolixe reſpondent, oſtendentes, *creationem quoad rem eſſe ipſam conſervationem:* Et rectiſſime quidem: Nam conſervatio nihil aliud eſt, quam creatio continuata, potuiſſet igitur Deus creationem alicujus creaturæ ab omni æternitate factam in omnem æternitatem continuare. Ad IV. Reſp. Si creatura ab æterno fuiſſet producta, fuiſſet natura Deo poſterior. Quando in probatione ita colligebatur: Si creatura ab æterno facta Deo fuiſſet poſterior natura, fuiſſet etiam Deo poſterior duratione: dicitur vana iſta collectio. Porro probatio, qua dicitur, durationem Dei & naturam Dei eſſe unum idemque in Deo, nihil evincit aliud quam quod ea duratione, qua Deus dicitur æternus, creatura æterna dici nequeat. Ut res fiat clarior, notamus ad manuductionem *Thomæ Aquinatis in opuſculis, & quidem opuſc. 27. de æternitate mundi*, atque *Durandi a Sancto Perciano 2. diſt. 1. q. 2.* Durationem creaturæ, quæ ab æter-

æterno fuiſſet (poſito quod fuiſſet) dupliciter poſſe ſpectari: 1. quoad eſſe commune, quatenus involvit aliquid, in quo Deus cum creaturis convenit: Sic conceditur facile, durationem creaturæ, ſi ab æterno fuit, fuiſſe ipſam naturam ſive eſſentiam Dei: Sic enim duratio creaturæ ſpectatur, ut abſtractum quid eſt ab utraque duratione, Dei & creaturæ. 2. Quoad eſſe proprium, ſeu quatenus concipitur in creatura reſtringi ad ipſam creaturam, ſeu ut eſt talis vel talis: & ſic abſurdum eſt, durationem creaturæ, ſi vel maxime creatura fuiſſet ab æterno, fuiſſe ipſam naturam ſive eſſentiam Dei: Sicut enim hæc non eſt formaliter in Deo, ita nec eſſe poteſt Dei natura: Nam duratio creaturæ ſecundum eſſe ſpecificum & proprium ſpectata dicit talem durationem, qua creatura ita durat, ut etiam poſſit non durare: Duratio vero Dei, ut eſt Dei duratio, dicit talem durationem, qua Deus ita durat, ut non poſſit non durare: Stant igitur hæc duo: Creatura ſimul duratione poteſt eſſe cum Deo: & creaturæ duratio, ut talis, non poteſt eſſe Dei duratio, ut talis: Utriusq; ſenſum exponit *Doctor Angelicus in* citato *opuſculo* ſequentibus verbis: *Si intelligatur, quod aliquid præter Deum potuerit ſemper fuiſſe, quaſi poſſit eſſe aliquod æternum præter eum ab eo non factum, error abominabilis eſt non ſolum in fide, ſed etiam apud philoſophos, qui profiten-*

*ſi-entur & probant, quod omne, quod eſt quo-quo modo, eſſe non poſſit, niſi cauſatum ab eo, quod maxime & veriſſime habet eſſe: Si autem intelligatur, aliquid ſemper fuiſſe, & tamen cau-ſatum a Deo, hoc ſtare poteſt* &c. Hoc vult dicere: Duratio creaturæ ſtare poteſt cum duratione Dei, nec tamen duratio creaturæ, quatenus eſt cauſata, eſt duratio Dei, quæ nequit cauſari, multo minus Dei natura. Ad V. reſp. negando conſequentiam, quæ talis fuit: ſi creatura producta fuiſſet ab æterno, fuiſſet ipſe Deus. Prima probatio profecto non procedit: Si creatura habuiſſet æternita-tem, habuiſſet attributum Dei: Nam inter æ-ternitatem Dei & æternitatem creaturæ datur diſtinctio & formalis & realis: æternitas Dei formaliter eſt æternitas, cui abſolute repu-gnat non eſſe, non fuiſſe, non fore: æterni-tas creaturæ eſt æternitas, cui abſolute lo-quendo non repugnat, non eſſe, non fuiſſe, non fore: æternitas creaturæ ſupponit per-petuo aliquid creatura prius prioritate natu-ræ; æternitas vero Dei omnem prioritatem naturæ, a qua cauſative dependeat, ſimpli-ciſſime excludit. Sic tandem quid ſequere-tur, ſi ita colligeres: Si creatura fuiſſet æter-na æternitate Dei, h. e. intrinſece & per eſ-ſentiam, creatura ab æterno producta fuiſſet Deus: Sic autem prius aperte falſum eſt. Fru-ſtra quoque provocatur ad teſtimonium Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiæ: Vera ſtat & inconcuſſa hæc Theologorum propoſitio: Quicunque re ipſa & actu eſt ab æterno, is eſt verus Deus: probat eandem ſacer codex, quando adſerit, quamlibet creaturam revera fuiſſe factam in tempore, & actuale initium habuiſſe ſuæ durationis. Dicis; ſi quicquid actu æternum eſt, eſt verus Deus, ſequitur, creaturam, quia potuit eſſe actu ab æterno, potuiſſe eſſe verum Deum. Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens Reſp. limitando: Si quicquid actu æternum eſt, intrinſece ſc. & per eſſentiam, eſt verus Deus, ſequitur, creaturam, quia potuit eſſe actu ab æterno, potuiſſe eſſe verum Deum; negatur conſequentia. Æternitas enim quæ intrinſece & per eſſentiam denominat creaturam, naturæ creatæ abſolute repugnat. Altera probatio habetur pro nulla, niſi ſub hac prolata fuerit limitatione: Si creatura fuiſſet æterna intrinſece & per eſſentiam, fuiſſet immutabilis; Jam vero creatura non poteſt eſſe immutabilis. E. nec potuit eſſe æterna intrinſece & per eſſentiam. Conceditur totum argumentum: non enim eſt contra nos. Ad VI. reſp. negando connexionem & duplicem probationem ejus. Ad (1.) reſp. falſum eſſe quod potentia & actus formaliter dividant ens: aut enim ſermo eſt de actu & potentia in recto, ut ſenſus ſit: ens dividitur in actum & potentiam, ſed

ſic

ſic diviſio manca eſt: nam corpus naturale eſt Ens, & tamen nec eſt potentia, nec actus, ſed aliquid ex potentia & actu conſtans: aut ſermo eſt de actu & potentia in obliquo, ut ſit ſenſus: Ens dividitur in Ens potentia & ens actu: Hæc vero diviſio itidem non eſt bona, quia ens, cum ſit id, quod exiſtit, de ente potentia prædicari nequit. Ad (2) reſp. ſequelam eſſe nullam: nam habere verum eſſe in potentia Dei creatrice, nihil aliud eſt, quam poſſe creari a Deo, antequam creetur: perinde eſt, ac ſi vellet quis argumentari: Quicquid poteſt creari, nondum tamen eſt, illud revera eſt: Nam quæcunque creatura eſt, demum per creationem eſt. Vel argumentabimur ita: Quicquid eſt in potentia Dei creatrice, illud eſt verum Ens. Angelus qui nondum exiſtit, creandus tamen poſt triduum eſt a Deo, ſecundum exiſtentiam eſt in potentia Dei creatrice. E. angelus qui nondum exiſtit, creandus tamen poſt triduum eſt a Deo, ſecundum exiſtentiam eſt verum Ens. Minor eſt manifeſta: Concluſio eſt falſa. E. major erit falſa, major autem fuit adducta probatio.

III. Facile nobis fuiſſet adducere plura argumenta e *variorum Scholaſticorum*, *Reformatorum*, aliorumque *ſcriptis*, ſicut inter *Reformatos recentiores Paulus Voet*, *Gisberti Filius*, *Juris in Academia Ultrajectina Anteceſſor* ple-

plerisque inter *Reformatos*, qui ſunt alicuj
notæ Theologi, negativam tribuit, & ſecu-
dum communiorem *Reformatorum* ſententi-
am prorſus inconceptibile eſſe cenſet, ut
creatura dicatur Deo coæterna, hinc in *Theo-
logia ſua naturali reformata* c. 10. *per totum* §.
3. *n.* 7. *p.* 209. *& ſeqq.* edita *Anno* 1656. tre-
decim adducit argumenta, quibus ſtantibus
peſſum iret ſententia noſtra defenſa: ſic quo-
que varias contra æternum eſſe poſſibile crea-
turarum rationes adducit *Thomas Campanella
in tomo* 4. *ſuorum operum, h. e. metaphyſicorum
ſuorum dogmatum part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 5. *artic.*
3. *p.* 25. *& ſeq.* Verum aut ex iis, quæ hacte-
nus diximus, facile pendet ſolutio, (aut fru-
ſtra ſperatur) quam traderemus lubentiſſime,
modo charta & tempus nunc non ſvaſiſſent
aliud. Sufficiat hæc dixiſſe pro creatura cir-
ca priorem modum eſſendi in Deo ab æterno.

IV. Interim ſi dicendum quod res eſt, ſa-
ne ſi omni dubitatione majoribus argumen-
tis affirmari non poteſt, creaturam quandam
potuiſſe ab æterno eſſe: nec tamen pertinaci-
ter hoc debet negari. Nam *licet in ſubſtan-
tia, quæ ab intrinſeco & per eſſentiam æterna
eſt, non differant eſſe & poſſe eſſe, manifeſto ta-
men in ea differunt facere & poſſe facere. Ne-
que enim ſicut Deo eſt ſuum eſſe, ita eſt ſuum fa-
cere. Unde omnia facere poteſt, quæ ſunt poſ-
ſibilia, vel quæ fieri poſſunt, non tamen omnia*

*iſta*

*iſta facit, ſicut ex Chriſti dicto patet, Matth. XXVI. 54. An putas, me non poſſe rogare Patrem & exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones angelorum? ubi tamen nec Chriſtus rogavit, nec pater exhibuit angelos. Ita Matth. III. 9. & Luc. III. 8. Deus de lapidibus excitare poteſt filios Abrahæ, quod tamen nunquam feciſſe legimus. Quo manifeſtum redditur, neceſſe non eſſe nec ad rationem potentiæ Dei pertinere, ut ſi creatura poſſibilis ab æterno fuit & ipſe Deus eam ab æterno producere potuit, eam etiam produxerit.* Ita diſſerit *B. Slevogtius Vol. diſpp. Academ. part. 1. diſp. 8. §. 18.*

§. 2. Differunt vero *cauſatum poſſibile* & *cauſatum potentia*, quia ab hoc ad illud, non vero ab illo ad hoc valet conſequentia, hoc eſt: *omne cauſatum potentia eſt cauſatum poſſibile*, ſed *non omne cauſatum poſſibile eſt cauſatum potentia*.

*NOTA.*

Sicut ſe habent ens poſſibile & ens potentia ad ens: Ita ſe habent cauſatum poſſibile & cauſatum potentia ad cauſatum. Scilicet quod verum cauſatum eſt, ſi præciſe ſpectetur ut poteſt eſſe cauſatum dicitur cauſatum poſſibile: quod vero cauſatum eſſe poteſt, nec tamen

tamen eſt, dicitur cauſatum potentia. Unde quemadmodum ens potentia non eſt verum ens: Sic cauſatum potentia non eſt verum cauſatum.

§. 3. *Oppoſitum poſſibilis* (ſi nempe poſſibile ſumatur, prout idem notat ac cauſatum poſſibile) eſt *impoſſibile*: Dicitur vero impoſſibile *non ens, quod nequit eſſe cauſatum poſſibile.*

*NOTA.*

Duo requiruntur ad impoſſibile: 1. ut ſit non ens. 2. ut nequeat eſſe cauſatum poſſibile. Unum horum ſine altero non ſufficit, quia hic loci agitur de impoſſibili, ut præciſe ſpectatur in oppoſitione ad cauſatum poſſibile.

§. 4. Utrumque, cum poſſibile tum impoſſibile, prout in præcedd. §§. ſumebantur, rectius & diſtinctius cognoſcere volenti incumbit ſedulo diſpicere, ex quanam parte id quod impoſſibile vocatur, dicat repugnantiam? *Nihil* enim *vocatur impoſſibile, niſi dicat repugnantiam.*

§. 5. Datur vero *triplex taliſmodi repugnantia*: (1) *ex parte cauſati*: e. gr. lapis non poteſt eſſe filius hominis, h. e. lapis nequit dici cauſatum poſſibile reſpectu hominis ut patris, quia repugnat lapidi ea generatio paſſiva, unde aliquid hoc habet, quod dicatur filius, cum talis generatio ſemper dicat originem viventis a vivente in ſubſtantia ſibi ſimili. (2) *Ex parte cauſa*: e. gr. lapis non poteſt eſſe pater hominis, h. e. lapis nequit vocari cauſa poſſibilis reſpectu hominis ut filii, ac adeo ut cauſati poſſibilis, quia repugnat lapidi ea generatio activa, unde aliquid hoc habet, quod fiat vel ſit pater. (3) *Ex parte utriusque*: e. gr. lapis nequit eſſe pater lapidis, nec lapis eſſe poteſt filius lapidis.

*NOTÆ.*

I. Talismodi repugnantiæ aut non repugnan-

gnantiæ inquiſitio ſæpe magnam diligentiam deſiderat, ceu ex doctrinis cauſarum in ſpecie rectius conſtare poterit. Nam non modo in genere cauſæ efficientis, ſed & omnium aliarum cauſarum generibus uſus hujus diſtinctionis ſeſe exerit. Ita e. gr. in genere cauſæ objectivæ datur repugnantia ex parte cauſæ, ſi dicamus, ab homine completa potentia videndi prædito non poſſe videri ſaporem aut ſonum, quia ſapor aut ſonus prorſus non eſt in numero viſibilium: Contra ſi aſſeramus ab homine cœco non poſſe videri coloratum ac lucidum, hoc non ita accipiendum eſt, quaſi coloratum ac lucidum non ſit viſibile, ſed quia in homine cœco nulla potentia eſt, quæ ad illud ipſum, quod alias objectum viſus eſt, hoc eſt, coloratum & lucidum, extrinſece terminari queat. Tandem ſi dicam, poſſibile non eſt, ut a cœco videatur ſapor, hic ex utriusque parte repugnantia datur.

II. Habet inprimis in *Philoſophia Morali* & *Theologia* cum *Naturali*, tum *Revelata* hæc doctrina plane eximium uſum: Sumamus unicum hujus rei exemplum: Ita quando agitur de Jure naturæ accurate & recte ſic dicto, illudquè a Philoſophis non modo, ſed & Theologis ac JCtis adeo immutabile ſtatuitur, ut ne a Deo quidem mutari queat, inveniamus nimis jejunos hujus aſſerti æſti-

matores, qui non erubeſcunt imperitioribus fucum facere ac perſuadere, quaſi hoc ipſum deroget gloriæ & Majeſtati divinæ, cum ſolus Deus ſit æternus, adeoque ſolus Deus ſit immutabilis, Deus quoque ſit omnipotens, adeoque hoc modo aſſerere immutabilitatem Juris Naturalis ſit detrahere omnipotentiæ divinæ, eamque certis limitibus circumſcribere, quaſi manus Domini eſſet abbreviata aut præciſa, cum tamen quisque legislator humanus, quia autor legis eſt, eam ſi velit, mutare poſſit, quidni Deus qui Juris Naturalis autor eſt, ſi vellet, mutare poſſet Jus naturæ? Dicunt, hoc ipſum etiam derogare abſolutæ ac omnimodæ libertati Dei cum Deus uti omnia, ita & hominem ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito condiderit, cui conſequens ſit in beneplacito ejusdem fuiſſe, qualem homini naturam vellet aſſignare, atque adeo nulla ratione in hominem jus cadere poſſe, quod ex neceſſitate intrinſeca & abſoluta extra Dei beneplacitum eundem obliget, cum nullæ actiones ui homini naturaliter honeſtæ aut turpes dicantur, niſi quod eas fieri aut omitti quam maxime requirebat conditio naturæ, quam homo ſortitus ſit non ex immutabili quapiam neceſſitate, ſed ex beneplacito divino; u adeo moralitatem quoque actionum ipſi, u rationali & ſociali convenientium vel diſconveni-

venientium, ex eodem fonte derivari parſit, ſicque dictum illud, quod multis in ore; jus naturæ eſt immutabile, limitandum, ut ne iſta æternitas ultra impoſitionem divinam ac liberrimum voluntatis divinæ beneplacitum, aut originem generis humani, quam nemo non poſſit liberrimæ voluntati Dei adſcribere, protrahatur.

III. Sed de eo jamjam non diſputabimus, num iſti homines primum ſibi ipſis, deinde aliis hæc talia perſuaſerint, an vero contra proprium conſcientiæ teſtimonium iſtiusmodi nugamentis incauti ac imperiti lectoris oculos faſcinare ſatagant, ut occaſionem habeant cavillandi receptas doctrinas ac celeberrimis Viris inſultandi, ſufficiat in præſenti ſuppeditaſſe argumentum, quo facilius de ignorantia idoneorum adminiculorum, quam iſtiusmodi homines aut affectant aut ſimulant, idonei Metaphyſices cultores exiſtimare poſſint. Scilicet quando dicitur jus naturæ adeo eſſe immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat, tantum abeſt, ut hoc ipſo quicquam derogetur gloriæ & Majeſtati divinæ, ut potius ea illuſtri ac evidentiſſimo argumento abunde confirmetur. Nulla enim repugnantia eſt ex parte DEI tanquam cauſæ, qui utique jus naturæ poſſet mutare, modo illud eſſet mutabile h. e. poſſet mutari: æque atque nulla repugnan-

tia eſt ex parte hominis perfecto viſu atque omnibus iis, quæ ad hoc ut viſus ſe exercere poſſit præditi, quo minus videre poſſet ſaporem aut ſonum, modo ſapor aut ſonus eſſet ex numero viſibilium, hoc eſt, modo poſſent videri. Igitur omnis repugnantia eſt ex parte juris naturalis, de quo eadem veritate negatur, quod poſſit mutari, qua nempe veritate de ſapore aut ſono dicitur, quod nequeat videri. Quis enim ſaniori judicio præditus diceret quemlibet hominem laborare ex oculis, eo quod nullus videre poſſ: hunc vel illum ſaporem aut Sonum. Quidni igitur dixerimus eos laborare judicio, qu: ſomniant Deo quicquam perfectionis detrahi, ſi aſſeratur, jus naturæ eſſe immutabile. Certe uti perfectioni viſus nequicquam derogat, quod inviſibilia apprehendere nequeat, ita nec cum perfectione Dei pugnat, quod non poſſit mutare immutabilia. Cæterum πρῶτον ψεῦδος in eo poſitum eſſe credimus, quod contradicentes aut nolint aut nequeant aſſequi verum & genuinum ſenſum hujus propoſitionis: Jus naturæ eſt adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. Senſum enim hunc habet, & nullum alium: Adeo verum eſt, in Jure naturæ non poſſe diſpenſari, nec Jus naturæ poſſe derogari, nec Jus naturæ poſſe abrogari, ut ne quidem DEUS in eo diſpen-

Digitized by Google

penſare, aut ei derogare, aut iſtud abrogare queat, h. e. quamdiu homo exiſtit & ratione ac voluntate ſua, modo ſibi ipſi impedimento eſſe nolit, uti poteſt, fieri nequit, ut ab eo tollatur obligatio ad actuum cum natura ejus rationali ac ſociali neceſſario convenientium (diſconvenientium) electionem ac commiſſionem (averſationem ac omiſſionem.) Nam implicat manifeſtam contradictionem, Deum homini dediſſe naturam rationalem ac ſocialem, cum qua neceſſario conveniant quidam actus, tamen velle, ut hi actus fugiantur ac omittantur ſub ratione illius neceſſariæ convenientiæ, quod idem eſt, ac Deum velle, ut averſatio detur ſub ratione boni, ac e contrario velle, ut actus, qui neceſſario diſconveniunt cum natura rationali ac ſociali, eligantur ac committantur, quod idem eſt ac Deum velle, ut appetitio detur ſub ratione mali, quod abſolute ac ſimpliciter eſt impoſſibile. Nam hoc fieri quidem poteſt, ut nulla appetitio aut averſatio a creatura fiat, ſi nulla creatura exiſtat, quæ appetitu, hoc eſt, potentia appetendi aut averſandi gaudeat. Illud tamen prorſus impoſſibile eſt, ut appetitio ſub ratione mali aut averſatio ſub ratione boni detur, idque æque voluntati increatæ atque appetitui ac voluntati creatæ repugnat. Vana ergo ac frigida perſvaſiuncula

uncula hæc eſt, quando dicitur: Quia ſolus Deus eſt æternus, ergo ſolus Deus eſt immutabilis, adeoque Jus naturæ non eſt immutabile. Quid faciemus iſtis diſputatoribus, qui ne terminos, quibus ad diſputandum utuntur, intelligunt? Quis enim unquam hoc ſenſu Jus naturæ dixit eſſe immutabile, quaſi ſcilicet etiam illos obliget, qui nunquam extiterunt, nec exiſtunt, nec extituri ſunt. Perinde eſt, qui ejusmodi rationem urgent, ac ſi ſic colligerent: Solus Deus nec initium ſuæ durationis habuit, nec finem habebit, adeo ut nec initium aut finem habere potuerit, quia eſt expers omnis mutationis E. fieri poteſt, ut quamvis homo ſua ratione & voluntate pleniſſime uti poſſit, tamen ſub ratione neceſſariæ & accuratæ ac ſufficienter cognitæ convenientiæ cum natura rationali, quam a Deo habet, aliquid valeat averſari vel etiam debeat, & ſub ratione neceſſariæ & accurate ac ſufficienter cognitæ diſconvenientiæ cum natura rationali, aliquid valeat appetere, vel etiam debeat. Imo ne hilo quidem melior eſt illa nimis jejuna philoſophia, quando dicitur: Nullum hominem exiſtere niſi ex libero voluntatis divinæ beneplacito, inde igitur ſequi dictum illud jus naturæ eſt immutabile, ultra impoſitionem divinam aut generis humani originem non eſſe protrahen-

Digitized by Google

hendum. Frigida ac jejuna eſt hæc ſophiſticatio, ac ſimilis illi, ſi colligeres: Nullum ignem exiſtere niſi ex libero voluntatis divinæ beneplacito, inde igitur ſequi, dictum illud: Ignis eſt calidus, ultra impoſitionem divinam aut ignis originem non eſſe protrahendum. Quis quæſo unquam dixit, ignem exiſtere calidum, priusquam exiſtat, aut dari jus naturæ immutabile, priusquam detur. Paucis: confunditur neceſſitas exiſtentiæ cum neceſſitate eſſentiæ: ſufficit, quod verus ignis a Deo libere conditus exiſtere nequeat, niſi exiſtat calidus: Satis eſt, quod jus naturæ actu dari nequeat in homine libere condito a Deo, niſi ſit immutabile. Regerunt novi Philoſophi: Deus efficere poteſt, ut nullum amplius ſit Jus naturæ, quod hominem obliget, ſi nullus amplius eſſet homo; ſicuti nullum jus naturæ obligaturum fuiſſet hominem, ſi eum non condidiſſet. O miſeram collectionem: Quaſi vero fuiſſent, qui obligationem Juris Naturalis in homine ſtatuiſſent, antequam exiſteret homo, qui obligari poſſet Jure Naturæ. Provocamus ad communem *Philoſophorum*, *JCtorum* & *Theologorum* conſenſum: Omnes certe, dum Jus Naturale in homine ſtatuunt eſſe immutabile adeo ut ne a Deo quidem mutari queat, præſupponunt & exiſtentiam Juris Naturalis & ex-

iſtentiam hominis, hocque & nihil aliud volunt, quam quod quamdiu homo exiſtit, (hoc eſt, animal rationale ac ſociale exiſtit) quem Deus obligavit Jure Naturæ, (hoc eſt, ut ipſi contradicentes definiunt, *tali lege, quæ ex generali conditione humanæ naturæ fluit, cujusque rationes ab univerſali humani generis conditione petendæ ſunt, quæque ex viribus ingenii hominibus congeniti, & ex conſideratione humanæ naturæ in univerſum inveſtigari & cognoſci & conſiderari poſſit*) tamdiu etiam fieri nequeat, ut maneat homo, (ut maneat animal rationale ac ſociale) nec tamen amplius maneat obligatus ad Jus Naturæ. Et hoc ipſi contradicentes ſive velint ſive nolint fateri neceſſum habent, nihilque inveniunt, quo tam apertam rem pallient. Expreſſis enim verbis ſcribit *Grotius lib. 1. de I. B. & P. cap. 1. §. 10. n. 5. Eſt autem Jus Naturale adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. Quanquam enim immenſa eſt Dei potentia, dici tamen quædam poſſunt ad quæ ſe illa non extendit: quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, ſenſum autem qui rem exprimat, nullum habent, ſed ſibi ipſis repugnant.* (Hoc eſt, quod Deus non poſſit mutare Jus Naturæ, repugnantia non datur ex parte Dei, qui omnia, quæ modo mutabilia ſunt, mutare poteſt, ſed repugnantia datur ex parte objecti.) Pergit ibidem

*Grotius*

Digitized by Google

*Grotius: Sicut ergo ut bis duo non ſint quatuor ne a Deo quidem poteſt effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinſeca ratione malum eſt, malum non ſit. Et hoc eſt, quod ſignificat Ariſtoteles, cum dicit:* ἔνια εὐθὺς ὠνόμασαι συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. *Nam ut eſſe rerum poſtquam ſunt (NB. POSTQVAM SUNT) & qua ſunt (NB. ET QVA SUNT) aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſario conſeqvuntur; talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſana ratione utentem. Itaque & DEUS ipſe ſecundum hanc normam de ſe judicari patitur, ut videre eſt Gen. XVIII. 25. Eſai. V. 3. Ezech. XVIII, 25. Jerem. II, 9. Mich. VI, 2. Rom. II, 6. III, 6.*

IV. Interim nos nequaquam terrent ſequentia: *Non ſatis expendit hanc rem Grotius, dum inter illa, ad quæ divina potentia ſe non extendit, eo quod contradictionem involvant, refert malitiam quorundam actuum humanorum. Equidẽ non poſſunt non bis duo eſſe quatuor, quia bis duo & quatuor reipſa ſunt unum & idem, vocabulis tantum differunt, aut modo contradicendi: manifeſtiſſima autem contradictio eſt idem ſimul eſſe idem & non eſſe idem. Aſt talis ſane contradictio non adparet in actibus Juri naturæ adverſantibus. Unde Idem mox eam malitiam derivat um it ex comparatione ad naturam ſana ratione utentem. Atqui in ipſo vo-*

cabulo

*cabulo ſanæ rationis, quando homini tribuitur, ineſt reſpectus ad legem Socialitatis a creatore homini injunctam. Sicuti etiam ibid. §.12. aliquid Juris Naturalis eſſe, probari ait, ex convenientia aut diſconvenientia neceſſaria cum natura rationali ac ſociali. Atqui ſocialem naturam homo ſortitus eſt, non ex immutabili quapiam neceſſitate, ſed ex beneplacito divino. Igitur moralitatem quoque actionum ipſi, ut ſociali, convenientium vel disconvenientium ex eodem fonte derivari par eſt. Ut adeo iſta his competat non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica, poſita ea conditione, quam homini præ reliquis animalibus Deus libere aſſignavit. Neque in dictis Sacræ Scripturæ, quæ dicto loco allegantur, alterius ſententiæ defenſoribus aliquid eſt præſidii. Nam ſine dubio ab initio Deus humano generi denunciavit ſe bonis fore remuneratorem, malis vindicem. Ebr. XI, 6. & ſe cuique daturum ſecundum ſua opera. Rom. II, 6. Abs quo cum veracitas eum ſua diſcedere non patiatur, recte huc provocat Abrahamus Gen. XVIII. 25. add. Ezech. XVIII. 25. Rom. III. 6. Aſt quomodo inde ſequitur, moralitatem ineſſe actionibus humanis per ſe citra impoſitionem divinam? Sicuti nec dum adparet, quomodo eadem concluſio elici queat ex ſententia illa apud Eſai. c. V. 3. merito omitti culturam ejus rei, in qua oleum & opera nequidquam perit. Denique Mich. VI. 2. dicitur*

Digitized by Google

*tur quidem, proprio ex judicio mortales intelligere, par eſſe, ut pro beneficiis reddatur gratia. Sed ex hoc non licet colligere; ergo quod homines, quibus eſt beneficiorum ſenſus, debeant eſſe grati, id ipſis non eſt aliqua lege injunctum, ſed idem ante omnem legem per ſe eſt neceſſarium.*

V. Satis expendit hanc rem *Grotius*: Nam contradictio adparet in actibus juri naturæ adverſantibus, vi cujus a Deo tales actus nunquam poſſunt lege aliqua ulli agenti, quod alias legis capax eſt, permitti aut præcipi. Implicat namque, ut ante monebatur, manifeſtiſſimam contradictionem, actum cum natura rationali neceſſario disconvenientem vera lege præcipi aut permitti. Nam quod excipitur, *ad illud ut res numerari poſſit, non opus eſſe certa ejusdem diſpoſitione, nec præcepto aliquo Superioris, ſed eo ipſo, quo qualiscunque res exiſtit, unam eſſe, ſique juxta hanc alia res exiſtat, unum & unum eſſe, quod compendii cauſa duo vocemus, unumque & unum ſi bis ſumatur ſicut unum, unum, unum & unum, quod compendii cauſa quatuor appellamus, ut adeo qui neget bis duo eſſe quatuor, neget idem eſſe idem: Ad turpitudinem vero, quæ in actionibus humanis Juri naturæ adverſantibus conſpicitur, ut reſultare poſſit, requiri, tum ut peculiari modo natura hominis ſit formata, tum ut lex tanquam nor-*

*norma actionum ipſi ſit poſita, ex cujus relatione demum illa qualitas moralis proveniat, cum ad hoc, ut res numerabilis ſit, nihil aliud requiratur, quam ut quocunque modo exiſtat.* Ad hoc facilis eſt reſponſio. Nam 1. hoc nunquam intendit *Grotius*, quod qua ratione bis duo ſunt quatuor, ea & nulla alia ratione jus naturæ ſit immutabile adeo, ut ne a Deo quidem mutari queat. Sed huc redit mens *Grotii*: Quemadmodum Deus per hoc non fit impotens, licet nequeat efficere, ut bis duo non ſint quatuor, cum hoc ipſum nequeat effici, quia veram contradictionem implicat: Ita nec quicquam detrahitur omnipotentiæ divinæ, ſi ſtatuatur, Jus naturæ eſſe immutabile adeo, ut ne a Deo quidem mutari queat, quia itidem veram contradictionem implicat, quæ contradictio ſupra a nobis oſtendebatur. Igitur nihil aliud voluit *Grotius*, quam ut oſtenderet, in eo convenire hæc duo: bis duo non eſſe quatuor, & jus naturæ mutari, h.e. abrogari, ei derogari, in eo diſpenſari, quod utrumque a Deo fieri nequeat, non quaſi Deus per hoc fiat impotens, ſed quia Deus utrumque, & ut bis duo non ſint quatuor, & ut Jus naturæ mutetur, efficere poſſet, modo poſſet fieri. Hanc mentem *Grotii* fuiſſe, & nullam aliam, qui deprehendere non poſſit, eum ingenio valde infelici oportet eſſe.

2. Quod

Digitized by Google

2. Quod ad turpitudinem, quæ in actionibus humanis Juri naturæ adverſantibus, ut actu adhæreat aut competat actionibus, prærequiratur natura hominis actu exiſtens, & peculiari modo a Deo formata, nemo unquam fuit qui negavit, idemque ſignificatur communi Metaphyſicorum effato: *Agere præſupponit exiſtere*: ſed quid inde? Sufficit, manifeſtiſſimam contradictionem monſtrari poſſe, ob quam ab homine, hoc eſt, animali rationali, poſtquam a DEO creatus eſt, obligatio ad omiſſionem quorundam actuum tolli nequeat, quamdiu iſte exiſtit, hoc eſt, animal rationale manet. Interim aliud eſt agere de actuum turpitudine actuali, aliud de actuum turpitudine poſſibili. Repetantur ea, quæ ſupra *axiomate I. cap. I.* prolixe diſſeruimus. 3. Affingitur *Grotio*, ac ſi ipſe ad meliorem mentem venerit, eo quod mox eam malitiam derivatum iverit ex comparatione ad naturam ſana ratione utentem. Sed hoc eſt fallaciam diviſionis committere, eaque, quæ *Grotius* voluit eſſe conjuncta, dividere, ne materia cavillationis deſit. Perinde eſt, ac ſi quis negare velit manifeſtiſſimas rationes contradictorias importare hominem & brutum, eo quod talis contradictio inter hominem & brutum non ſit, qualis datur inter ens & non ens, cum homo & brutum impor-

importent rationes contradictorias reſpectu animalis, quo tamen reſpectu ad contradictionem, quæ datur inter ens & non ens, neutiquam opus ſit. Cæterum quo ſenſu relatio ad legem naturæ moralitate poſterior ſit ac dici poſſit & debeat, itidem ſupra (*in uſu practico axiomatis primi capitis primi*) oſtenſum fuit.

VI. Quod in ipſo vocabulo *ſanæ rationis*, quando homini tribuitur, inſit reſpectus ad legem ſocialitatis a creatore homini injunctam, hoc ſi ita accipiatur, ac ſi moralitas nequeat ſe habere antecedenter ad legem pro decreto ſuperioris ſumtam, hoc ipſum *ſupra eodem loco* refutavimus. Quæ amplius de neceſſitate hypothetica & abſoluta adferebantur, *ibidem* diſcuſſimus. De cætero quod allata *Scripturæ dicta* attinet, ſatis præſidii in illis defenſores veræ ſententiæ inveniunt. Veriſſimum eſt Deum humano generi denunciaſſe, ſe bonis fore remuneratorem, malis vindicem, & ſe cuique daturum ſecundum ſua opera: Hic vero amplius diſquiritur, num Deus contrarium denunciare potuiſſet? Et quia hoc Deus ſalva juſtitia non potuit, ideo datur omnino natura immutabilis juſtitiæ, quæ Deo cum hominibus communis eſt. Ergo facile liquet, quomodo inde ſequatur, moralitatem competere actionibus humanis citra reſpectum ad decretum Superioris. Sed hanc quoque rem

citato

*citato axiomate* ut & *proxime ſequenti ejusdem capitis* expendimus. *Eſa. V, 3.* Deus Optimus Maximus de actionibus ſuis judicium hominibus (utpote quos rationales produxit & injuriæ capaces, atq; tales, ut inter Deum & homines juſtitia locum poſtulet) permittit, quid ſupereſſet faciendum populo Judaico, quod non feciſſet. Scilicet comparat Propheta populum Judaicum vineæ & Deum cultori ejus, oſtenſurus, Deum ea omnia præſtitiſſe populo, quæ a cultore vineæ exiguntur, ut vinea rite culta dicatur. Ex quibus patet, quam frigide afferatur, nihil de moralitate colligi poſſe ex ſententia illa apud *Eſai. c. V. 3.* Ejusdem fere tenoris eſt locus apud *Michæam c. VI. 2.* ubi Deus, cum ſit omnium ſummo jure Dominus, tamen hominibus, id eſt, vermibus terræ, ſi ipſi comparentur, probare vult actionum ſuarum æquitatem. Verba textus *præcedenti verſu* ſic ſe habent: *Audite, quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adverſum montes,* Tu Propheta cauſam meam age contra Judæam, *& audiant colles vocem tuam.* Sequitur jam a *Grotio* citatus verſus: *Audiant montes judicium Domini*, hic Propheta incipit quod ſibi injunctum erat exſequi, *& fortia fundamenta terræ*, colles, qui velut columnæ ſunt terræ: per montes autem & colles inhabitatores eorum συνεκδοχικῶς intelligun-

Ss tur,

tur, *quia judicium Jehovæ cum populo ſuo*, lis eſt Domino cum populo ſuo, Græci κρίσις τῷ κυρίῳ, *& cum Iſrael diſputabit.* Verſ. 3. *Popule mi, quid feci tibi? & quo fatigavi te, teſtificare contra me.* Quam egregie vero (*ſcilicet!*) cum iſtis conveniunt ſequentia, quæ novus iſte commentator hunc in modum profert: *Denique Mich. VI. 2. dicitur quidem, proprio ex judicio mortales intelligere, par eſſe, ut pro beneficiis reddatur gratia, ſed ex hoc non licet colligere; ergo quod homines, quibus eſt beneficiorum ſenſus, debeant eſſe grati, id ipſis non eſt aliqua lege injunctum, ſed idem ante omnem legem per ſe eſt neceſſarium.* Sed hæc obiter tetigiſſe ſufficiat, quorum ſolidum examen præſentis loci non eſt.

VII. Tantum de allato exemplo Morali. Libet unum alterumve exemplum Theologicum huc transſcribere: Ita e. gr. *Chriſtus Joh. VIII.* de Phariſæis dicit: *Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum.* Et *Paulus 1. Cor. III, 1. ego,* ait, *fratres, non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus.* Utroque ſane dicto exemplum rei impoſſibilis manifeſto indicatur: At cognoſcere volenti repugnantiam, vi cujus utraque res impoſſibilis vocatur, facile patebit, eam non eſſe unius generis. Nam in priori exemplo repugnantia ex parte potentiæ, non vero ex parte objecti; in poſterio-

riori vero ex parte objecti, non ex parte potentiæ datur. Nam quod prius exemplum attinet, omnino ſermo Chriſti erat ex numero eorum, quæ objectum auditus eſſe poſſunt: Quod tamen eum Pharisæi audire non poterant, propterea fiebat, quia auditus (ſeu potentia audiendi) eorum erat impeditus odio veritatis, ut indicatur *verſu ſequenti 44. Erant enim ex Patre Diabolo; & deſideria Patris ſui volebant facere, qui eſt mendax & Pater mendacii.* E contrario in poſteriori exemplo omnino loqui Corinthiis tanquam ſpiritualibus erat ex numero poſſibilium, in ordine ad potentiam loquendi, qua Paulus pollebat: Quod tamen iis, ut ſpiritualibus loqui non potuerit, defectus interceſſit ex parte objecti: Nondum enim capaces erant ſolidioris cibi, quem defectum ipſe indicat v.2. & 3. *Lactis potu vos alui, & non eſca: nondum enim poteratis eam ferre: Imo ne nunc quidem adhuc poteſtis. Nam adhuc carnales eſtis &c.* Sumamus duo alia exempla: Ita 1. Joh. III, 9. dicitur: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, ac ne poteſt quidem peccare.* Eſt utique peccatum ex eorum numero, quæ homini ſunt poſſibilia: Quod autem iſtud homo ex Deo natus committere nequeat, ex parte agentis aliquid intervenit & propterea fit, quia eſt ex Deo natus & ſemen ejus in ſe habet, adeoque qua talis



Digitized by Google

non tantum non peccat, ſed etiam non poteſt peccare, quod ſemen Dei & Spiritum S. in ſe habere, ejusque ductum ſequi, & peccare, adeoque Spiritus S. ductum non ſequi, ſint contradictoria. Ex oppoſito *Gal. VI, 15.* ſcribit Paulus: *Teſtimonium perhibeo vobis, quod, ſi poſſibile eſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Poſſibile eſſe, ut quis oculos ſuos eruat, diffiteri nemo poteſt: quod tamen Galatæ ſuos eruere non poterant, ex parte objecti hoc impediebat, quod id cum exitio eorum eſſet conjunctum. En repugnantiam hinc ex parte objecti, illinc ex parte potentiæ. Talismodi exempla fere innumera in Sacris occurrunt.

§. 6. Præcipuæ diſtinctiones cum poſſibilis, tum impoſſibilis, ſunt ſequentes: I. Communiter diſtingvunt Philoſophi poſſibile in *Phyſicum* & *Logicum*: *Illud* vocant *quod tale eſt in ordine ad potentiam finitam*: *Hoc* nuncupant, *quod tale eſt in ordine ad potentiam infinitam*, hoc eſt, omnipotentiam Dei. E. gr. Petrus antequam generetur, poteſt generari, ſicque

Digitized by Google

ſicque eſt poſſibile quid: Dicitur vero poſſibile phyſicum, quia accipit denominationem ſuam a potentia generandi, quam habent parentes ejus, antequam gignant, & hæc potentia eſt finita. E contrario mons aureus, quem Deus forte nec creavit nec creabit, poteſt a Deo creari, ſicque eſt poſſibile quid: Vocatur autem poſſibile logicum, quia denominatur a potentia Dei creatrice, quam Deus habet, etiam antequam creet, quæque ipſa potentia infinita Dei eſt. Ex dictis facile liquet, quid vocetur *impoſſibile phyſicum*, quid *impoſſibile logicum?*

*NOTÆ.*

I. Habet hæc diſtinctio inſignem uſum in *Philoſophia* Morali omnique *Theologia*, ut e mox ſequenti §. pluribus patebit. Nec fieri aliter poteſt, quam ut ſæpius judicio labantur, qui hanc diſtinctionem ex oculis penitus dimittunt.

II. Circa poſſibile Phyſicum notetur,

quodipſum, uti reſpectu ejus potentiæ, ad quam ordinem dicit, poſſibile eſt, ita reſpectu alius potentiæ, ad quam ordinem non dicit, ſit impoſſibile: E. gr. volare poſſibile eſt avi, quia potentiam volandi habet, poſſibile autem non eſt homini, quia licet potentiam locomotivam habeat, non tamen habet ad volandum: Et albedinem videri poſſibile eſt reſpectu viſus ſeu potentiæ viſivæ, ſed non eſt poſſibile reſpectu auditus ſeu potentiæ auditivæ. Sicut enim implicat, videri, quod non comprehenditur ſub objecto viſus: Ita eadem ratione repugnat audiri, quod ſub objecto auditus non continetur.

III. Poſſibile Logicum dupliciter ſpectari poteſt: 1. præciſe ut dicit non repugnantiam, hoc eſt, ut nondum ſit vel eſt, poteſt tamen eſſe vel fieri, aut non implicat contradictionem ad hoc, ut ſit vel fiat. 2. ut connotat habitudinem ad potentiam Dei, a qua poteſt produci. Igitur Poſſibile Logicum tria dicit 1. quod non ſit. 2. quod poſſit eſſe vel fieri. 3. quod poſſit eſſe vel fieri a Deo.

IV. Nec hoc prætereundum eſt, quod poſſibile, prout diſtinguitur in Logicum & Phyſicum, plerumque ſic ſumatur, ut idem ſit quod potentia tale, quamvis alias laxior ſit ſignificatio τῶ poſſibile, ceu §. 2. monebatur.

§. 7 Pro-

§. 7. Probe notandum venit, multa eſſe poſſibilia, quæ *Deus non poteſt*, *creatura poteſt*: & e contrario, multa eſſe poſſibilia, quæ *Deus poteſt*, *creatura non poteſt*: e.gr. reſpectu creaturæ poſſibile eſt edere, bibere mentiri, reſpectu Dei eſt impoſſibile: Reſpectu Dei poſſibile eſt creare h.e. ex ſimpliciter nihilo aliquid producere, ex lapide ſemen Abrahæ excitare, reſpectu creaturæ eſt impoſſibile.

*NOTÆ.*

I. Operæ pretium eſt accurate expendere, quid poſſibile reſpectu Dei vocari oporteat? Nam licet Chriſtus ipſe profiteatur, *Matth.* XIX. 26. & *Marc.* X. 27. παρὰ τῷ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι, *apud Deum omnia ſunt poſſibilia*: & Angelus Luc. I. 37. dicit; οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα, *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, hæcque cœleſtis veritatis effata omnino veriſſima ſint, ac a nemine ſanæ piæque mentis negari poſſint: Certiſſimum tamen eſt, quod inter ea etiam, quæ poſſibilia ſunt, quædam a Deo



Digitized by Google

Deo fieri nequeant, ut mox pluribus demonſtrabitur. Tantum enim abeſt, ut infinitæ potentiæ Dei per hanc aſſertionem quicquam decedat, ut potius ea magis magisque confirmetur ac evidentius demonſtretur. Interim non poſſumus, quin graviter improbemus eorum merito deteſtandam audaciam, qui neſcio quam gloriolam in decidendis ſupervacuis ac petulantibus quæſtionibus de potentia Dei quærunt, qualismodi ſunt etiam illæ Scholaſticorum: Utrum Deus loco Chriſti potuiſſet ſuppoſitare mulierem? Utrum Deus potuiſſet ſuppoſitare cucurbitam, & ſi ſuppoſitaſſet, quomodo illa fuiſſet concionatura, quomodo miracula editura, quomodo crucifigenda? & ſexcentæ aliæ, quarum vanitatem, petulantiam & impietatem nemo non deteſtatur acerrime. Vid. *B. Joh. Gerhardi*, Theologi de Academia noſtra univerſaque Chriſti Eccleſia longe meritiſſimi, *Method. Stud. Theol. c. 4. p. 304 & ſeqq.*

II. Inter ea, quæ reſpectu Dei non ſunt poſſibilia, *primo* ſunt ea, quæ manifeſtiſſimam ac veriſſimam contradictionem ſimpliciter implicant, adeoque ſunt ſimpliciter & abſolute, in ſe ac ſua natura impoſſibilia. Non enim vera, implicant contradictionem, niſi quæ abſolute ſunt impoſſibilia, h.e. in ſe talia, ut fieri non poſſint. Sed

qua

qua quæſo ratione ea quæ abſolute ac ſimpliciter ſunt impoſſibilia, cadere poterunt ſub potentiam Dei? Sane ſi ſub potentiam Dei caderent, caderent omnino ſub aliquam potentiam, ſicque quia ſub aliquam potentiam caderent, non eſſent abſolute impoſſibilia. Quam impoſſibile igitur eſt (omnibus veræ contradictionis requiſitis adhibitis ac obſervatis) idem ſimul eſſe & non eſſe, tam impoſſibile eſt ea, quæ ſimpliciter & abſolute impoſſibilia ſunt, Deo eſſe poſſibilia. Eſt hæc conſtans *Metaphyſicorum* ac *Theologorum* ſententia: videantur *B. Jacobus Martini exercit. Metaphyſ. lib. II. exercit. IV. theor. XX.* & *B. Scheiblerus oper. Metaph. lib. II. c. 3. tit. 16. artic. 3. Thomas part. 1. quæſt. XXV. artic. III.* ſic diſſerit: *Dicendum quod communiter confitentur omnes, Deum eſſe omnipotentem: Sed rationem omnipotentiæ aſſignare, videtur difficile. Dubium enim poteſt eſſe, quid comprehendatur ſub iſta diſtributione cum dicitur: Omnia poſſe Deum. Sed ſi quis recte conſideret (cum potentia dicatur ad poſſibilia) cum Deus omnia poſſe dicitur, nihil rectius intelligitur, quam quod poſſit omnia poſſibilia, & ob hoc omnipotens dicatur. Poſſibile autem dicitur dupliciter ſecundum Philoſophum in V. Metaph. Uno modo per reſpectum ad aliquam potentiam: Sicut quod ſubditur humanæ potentiæ, dicitur eſſe poſſibile homini. Non au-*

tem poteſt dici, quod Deus dicatur omnipotens, quia poſſit omnia quæ ſunt poſſibilia naturæ creatæ, quia divina potentia ad plura extenditur; Si autem dicatur, quod Deus ſit omnipotens, quia poſſit omnia quæ ſunt poſſibilia ſuæ potentiæ, erit circulatio in manifeſtatione omnipotentiæ: Hoc enim non erit aliud, quam dicere, quod DEUS eſt omnipotens, quia poteſt omnia quæ poteſt. Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens, quia poteſt omnia poſſibilia abſolute: quod eſt alter modus dicendi poſſibile. Dicitur autem aliquid poſſibile vel impoſſibile abſolute, ex habitudine terminorum. Poſſibile quidem, quia prædicatum non repugnat ſubjecto, ut Socratem ſedere. Impoſſibile vero abſolute, quia prædicatum repugnat ſubjecto, ut hominem eſſe aſinum. Eſt autem conſiderandum, quod cum unumquodque agens agat ſibi ſimile, unicuique potentiæ activæ correſpondeat poſſibile ut objectum proprium ſecundum rationem illius actus in quo fundatur potentia activa, ſicut potentia calefactiva refertur ut ad proprium objectum ad eſſe calefactibile. Eſſe autem divinum, ſuper quod ratio divinæ potentiæ fundatur, eſt eſſe infinitum non limitatum ad aliquod genus entis, ſed præhabens in ſe totius eſſe perfectionem. Unde quicquid poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens.

Hoc

*Hoc igitur repugnat rationi poſſibilis abſoluti, quod ſubditur divinæ omnipotentiæ, quod implicat in ſe eſſe & non eſſe ſimul. Hoc enim omnipotentiæ non ſubditur, non propter defectum divinæ potentiæ, ſed quia non poteſt habere rationem factibilis, neque poſſibilis. Quæcunque igitur contradictionem non implicant, ſub illis poſſibilibus continentur, reſpectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero, quæ contradictionem implicant, ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non poſſint fieri, quam quod Deus non poſſit facere. Neque hoc eſt contra verbum Angeli dicentis, non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Id enim quod contradictionem implicat, verbum eſſe non poteſt: Quia nullus intellectus poteſt illud concipere.* Hæc *Thomas*, cujus verba poſtquam *B. Joh. Gerhardus* bonam partem *Exeges. Tomi I. loci II. de natura Dei & attributis divinis* §. 199. allegaſſet, tandem adjecit hanc ſuam ἐπίκρισιν: *Implicatio contradictionis nihil aliud eſt, quam repugnantia; ſed quod repugnat fieri, hoc impoſſibile eſt fieri. Nos concedimus, Deum non facere ea quæ contradictionem implicant, & quæ ſunt ſimpliciter impoſſibilia.* Vid. pluribus cit. loco. Idem poſt alia plura huc apprime facientia tandem ſic diſſerit: *Atque ex his facile apparet, quanta ſit protervia, quod Photiniani Calvinia-*

*vinianorum veſtigiis inſiſtentes dicunt, contradictionem implicare ac ſimpliciter impoſſibile eſſe, Deum eſſe in eſſentia unum, in perſonis trinum: Deum ab æterno ex ſua eſſentia generare filium; Divinam & humanam naturam in Chriſto perſonaliter uniri &c.*

III. Secundo, ea reſpectu Dei non ſunt poſſibilia, ſed impoſſibilia, quæ ex hypotheſi deſinunt eſſe poſſibilia: e. gr. facta a DEO non poſſunt fieri aut reddi infecta: Nam facta, quatenus talia, deſinunt eſſe poſſibilia ex eo, quod alioquin quæ vera ſunt, eo ipſo, quod vera ſunt, eſſent falſa. Neceſſaria enim, licet ex hypotheſi talia ſint, non poſſunt non eſſe. Unde quæ facta ſunt, ea ratione, qua facta ſunt, non poſſunt non eſſe facta. Laudat hanc ipſam ſententiam, quam etiam *Agathonis* fuiſſe dicit, *Ariſtoteles VI. Nicom. c. 2.* ſequentibus verbis: *Quod factum eſt, qua factum ſit, fieri nullo modo poteſt. Id propter recte Agatho dixit:*

Μόνου γὰρ αὐτοῦ, καὶ Θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.
*Re namque ſola hac ipſe privatur Deus,*
*ut facta minime infecta poſſit reddere.*

Idem & tempori omnium parenti negatum ait *Pindarus in 2. hymno Olympiorum.* Vid. & *Sophocles in Trachiniis.* Inde *Euſtratius, Epiſcopus Nicenus,* Ariſtotelis locum hac paraphraſi illuſtrat: *Fieri non poteſt, ut quod factum*

*ctum eſt, non ſit factum. Tragicus Poeta fuit Agatho, cujus hic meminit Ariſtoteles, quod conſentientia cum ipſo ſcripſerit, unde etiam dictum ejus laudat. Quia enim, inquit, hæc ita ſe habent, propterea etiam Agatho recte dixit, adeo neceſſe eſſe, ut quod jam factum eſt, non poſſit eſſe non factum, ut de Deo etiam ipſo dicere audeamus, quod licet omnia poſſit, utpote omnium cauſa, eo ſolo tamen privetur, ut quod factum eſt, facere, quin factum ſit, nequeat. Nam vel Deus eſt cauſa etiam rei factæ: omnium ſiquidem tam quæ ſunt, quam quæ fuerunt, cauſa eſt, unde ſi id quod factum eſt, ita tolleret, ut factum non eſſet, tollere etiam, ne ipſe eſſet cauſa illius, poſſet: Vel ſi rei factæ non eſt cauſa, cauſa omnium non erit, quæ utraque abſurda ſunt, fierique nullo modo poſſunt.* Tractant hanc materiam Metaphyſicam etiam JCti: Ita *Decius ad l. verum eſt 31. D. de Reg. Jur. n.2.* & *Jaſon ad l. poſſeſſio 1. D. de acquirenda poſſeſſione* diſputant, num defloratæ virginitas reſtitui poſſit? dictumque *Hieronymi* in *c. ſi Paul. 22. q. 5.* *Audacter*, inquientis, *dicam, cum omnia Deus poſſit, virginem poſt ruinam ſuſcitare non poteſt*; approbant. Hoc tamen alii *JCti* negant, voluntq; Hieronymum hyperbolice loqui, inde diſtinguentes *inter ſtatum virginum integritatis & dignitatis*, cenſent, *Deum poſſe reducere virginem ad ſtatum integritatis per amotionem omnis corruptionis, cum ei nihil ſit impoſſibile;*

Digitized by Google

*ſibile; ſed non poſſe eam revocare ad ſtatum dignitatis, qui in eo conſiſtat, quod nunquam fuerit corrupta: Non enim poſſe Deum facere, ut corrupta non ſit corrupta, quod implicet contradictionem, Deum autem contradictoria non poſſe.* Et huc trahunt illud: *Valet quidem Deus liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam.* Hanc contrariam ſententiam tuetur *Hieron. Cagnol in cit. l. verum eſt 31. D. de Reg. Jur.* Videri poſſunt *Scipio Gentilis in notis ad Apolog. Apuleji n. 911. & Kornman. tr. de jur. Virginit. qu. 29.* Quicquid vero ſit de utriusque partis argumentis, (hanc enim quæſtionem abſit ut noſtram faciamus,) hoc tamen quisque facile advertit, ab utraque parte provocari ad commune ac veriſſimum *Metaphyſicorum* aſſertum, cujus ſcilicet ſummam huc usque expreſſimus.

IV. Tertio, quamvis Deus ſit poſſibile quid, in quantum ſcilicet nullam dicit repugnantiam, non tamen DEUS cadit ſub omnipotentiam, cum Deus nec factus ſit, nec fieri potuerit aut poſſit, adeo ut recte dicatur eſſe in numero abſolute impoſſibilium, Deum fieri, ſicque iterum reſpectu Dei etiam impoſſibile eſt Deum fieri.

V. Quarto, reſpectu Dei omnes illi actus ſunt impoſſibiles qui pugnant cum perfectionibus Dei, quas Philoſophi & Theologi ſano veriſſimoque ſenſu Phyſicas appellant.

pellant: e.gr. fieri non poteſt ut Deus edat, bibat, localiter ſe moveat &c. item ut capiat nutrimentum augmentum, moriatur &c. quia hæc omnia pugnant cum perfectionibus Dei naturalibus ſeu competentibus Deo in genere naturæ, quales ſunt: æternitas, immutabilitas, immaterialitas, immenſitas &c. imo ipſa omnipotentia. Si enim Deus edere, bibere, localiter ſe movere poſſet, tunc eſſet corporeus: ſi nutriri, augeri poſſet, non eſſet immutabilis ac immaterialis: ſi mori poſſet, non eſſet incorruptibilis & immortalis. Unde quæ ideo reſpectu Dei impoſſibilia dicuntur, quia cum perfectione DEI phyſica pugnant, ea profecto infinitam Dei perfectionem ſimul arguunt ac confirmant. Poteſt tamen Deus ſalva perfectione ſua efficere, ut talia a creaturis, quarum reſpectu poſſibilia ſunt, fiant: e.gr. Deus non poteſt edere, mori, efficere tamen poteſt, ut homo edat, moriatur &c.

VI. *Quinto*, reſpectu Dei quædam in tantum impoſſibilia dicuntur, in quantum utut fieri a Deo poſſint, non tamen fieri ſine concurſu creaturæ ab eodem poſſunt: e.gr. intellectio creata, quæ eſt operatio vitalis, effici quidem a DEO poteſt, ſed non niſi mediante potentia vitali, nempe intellectu. Implicat enim contradictionem, eſſe operationem intellectus, & tamen fieri

fieri absque intellectu: Si non fit ab intellectu, certe non eſt operatio intellectus. Id movit accuratiores *Philoſophos* & *Theologos*, ut virtutes illas Theologicas; uti ſunt: fides, ſpes, charitas, dicerent formas non immateriales, qualis eſt anima hominis ut eſt ſpiritualis eſſentiæ, ſed materiales, quia nempe a Deo produci nequeunt niſi dependenter a ſubjecto; e.gr. fides in Chriſtum nequit a Spiritu Sancto produci niſi dependenter ab intellectu, uti quidem dicit notitiam & aſſenſum, atque dependenter a voluntate, ut notat fiduciam. Nulla enim ratione fieri poteſt, ut Spiritus Sanctus excitet fidem in Chriſtum Redemtorem in homine, niſi dependenter ab anima rationali hominis.

VII. *Sexto*, reſpectu Dei impoſſibilia ſunt ſimul & collective, quæ tamen ab ipſo fieri poſſunt ſigillatim & ſucceſſive: Ita una eademque creatura a Deo conſervari poteſt & (quæ Metaphyſicorum dictio eſt) annihilari: Utrumque tamen ſimul fieri ex eo non poteſt, quia manifeſtam involvit repugnantiam.

VIII. *Septimo*, reſpectu Dei impoſſibilia ſunt, quæ manifeſto pugnant cum morali Dei perfectione: e.gr. abſolute impoſſibile eſt Deum mentiri, Deum ſeipſum abnegare, Deum promiſſo cadere, agere contra juramentum ſuum &c. quia hæcce talia & longe

ge plura neceſſario pugnant cum perfectionibus Dei moralibus h.e. iis,quarum conſideratio ad *Theologiam moralem*, cum *naturalem*, tum *revelatam* per ſe ſpectant, qualismodi morales perfectiones Dei ſunt: veracitas,juſtitia, miſericordia,bonitas, ſanctitas &c. Nã licet hæc poſſibilia ſint homini e.gr. poſſibile eſt mentiri hominem, negare ſeipſum homo poteſt, a Deo tamen fieri non poſſunt. Si enim Deus negare ſeipſum, atque adeo mentiri poſſet, eſſet ille prima & immutabilis veritas, hoc ipſo quod Deus eſſet: & non eſſet prima & immutabilis veritas, hoc ipſo, quod mentiri poſſet. Eſſe autem primam & immutabilem veritatem & non eſſe primam & immutabilem veritatem, uti per ſe manifeſtum eſt, contradictionem implicat. Hic notandum ducimus, quod cum his quæ cum perfectionibus DEI moralibus pugnant, longe aliter comparatum ſit, quam cum illis, quæ pugnant cum perfectionibus Dei Phyſicis, de quibus præcedenti *quintâ nota* agebatur. Nam ea quæ cum perfectionibus Dei Phyſicis pugnant ac idpropter immediate a Deo fieri nequeunt, poſſunt adhuc a Deo fieri mediate ſeu mediante cauſa ſecunda vel creatura: Quæ vero cum perfectionibus Dei moralibus pugnant, ea qua talia nec immediate nec mediate a Deo fieri poſſunt: E.gr. Deus nec mentiri ipſe

Tt poteſt,

poteſt, nec efficere, ut homo vel angelus mentiatur: Deus nec contra promiſſum aut juramentum agere, nec efficere poteſt, ut homo contra promiſſum vel juramentum agat.

IX. Hæc, & fortaſſis plura etiam inter τὰ ἀδύνατα & ea, quæ reſpectu Dei aut Deo poſſibilia ſunt, nemo ſaniori judicio præditus referet, neque tamen quicquam inde potentiæ divinæ decedit, quod defectus hac in parte non eſt in potentia divina, quæ utique infinita manet potentia, ſed potius in objectis. Unde rectius ea dicimus non poſſe fieri, quam Deum ea non poſſe facere. Conf. quæ ſupra præſentis *capitis* §. *not.* 3. & *ſeqq. pag.* 629. & *ſeqq.* prolixius hanc in rem adduximus. Omnia igitur apud DEUM ſunt poſſibilia, ſicut CHRISTUS dixit, quæ ſcilicet non implicant eſſe & non eſſe, & propterea non repugnat fieri: In iſto autem Angeli pronunciato quemadmodum loquendi forma Hebraica eſt, ita etiam ſenſus ex Ebraismo eruendus erit. Nam *πᾶν ῥῆμα* reſpondet כל דבר Et דבר modo verbum vel ſermonem ſignificat, modo rem. Si priori modo accipiatur, id innuit angelus, quod impoſſibile Deo non ſit facere, quæ promiſerit & ſe facturum dixerit: Si poſteriori iſte ſenſus erit, quod nulla res Deo impoſſibilis

Digitized by Google

ſibilis ſit, quam quidem fieri non repugnet. Videatur *B. Slevogtii diſſertatio de eſſe poſſibili*, quæ in *editionis novæ part. 1.* eſt numero VIII. *pag. 157. & ſeqq.* Cujus inſpectio una docere poterit, quousque veſtigia laudatisſimi viri a nobis lecta fuerint.

X. Aut ruditatem craſſam affectatumque ſtuporem aut magnam malitiam prodit, quisquis huc usque traditam doctrinam, utpote quam communis accuratorum *Philoſophorum* ac *Theologorum* conſenſus probat, tanquam ſtolidam aut impiam rejicit, ac conviciis atrocibus proſcindit. Specimen talis vel ruditatis vel malitiæ ſi quis deſiderat, forte luculentum præbebunt ſequentia nuper natæ Philoſophiæ verba: *Non eſt, quod aliquem moveat illa dubitatio: Si omnis actuum humanorum moralitas a lege dependet, annon Deus potuerit legem naturæ ita formare, ut contraria forent præcepta illis, quæ jam ſunt, verbi gratia ut inter officia hominis mutua eſſet occidere, furari, mœchari, calumniari; inter vetita autem, gratum animum exhibere, pacta ſervare, mutuum reddere & ſimilia. Nam ſupervacuum ac petulans videtur, quærere quid Deus facere potuerit, cum conſtet quid fecerit.* Quisque enim cui ſana mens eſt in corpore ſano, facilime advertit, eo ipſo utilem ac neceſſariam doctrinam Philoſophicam conviciis coinquinari. Nam primo ſi vanita-

tis ac petulantiæ notam nequit effugere, qui quærit, quid Deus potuerit facere, cum conſtet quid fecerit, irrita ac inutilis erit omnis doctrina de potentia Dei abſoluta ac ordinata, voluntate Dei antecedente & conſequente, decretis Dei abſolutis & ordinatis, quorum ſane utiliſſimorum & neceſſariorum dogmatum notitia adverſus Reformatos & qui eorundem ſputa lingunt, idonei *Philoſophiæ* ac *Theologiæ Cultores & Doctores* carere neutiquam poſſunt. Deinde omnino in iis etiam, quæ Deus fecit, diſtinguendæ ſunt quæſtiones: Num fecerit? Et num facere potuerit? Easque nemo confundet, aut diſcrimen earum ſupervacuum ac petulans vocabit, niſi ridiculorum hominum *Megaricorum* veſtigia legere non erubuerit, qui ſicut autor eſt *Ariſtoteles IX. Metaph. cap.* 3. docebant, potentias non præcedere ſuos actus, ſed tum tantum eſſe, quando actus eorum ſunt, velut eum, qui non ridet, ridere non poſſe, ſed tantum eum, qui ridet, quando ridet quam tamen ſententiam explosit *B. Stalius*, qui *Regg. Philoſoph. part.* 2. *diſp.* 2. *reg.* 1. videatur. Tertio turpiter etiam confunduntur hæ duæ quæſtiones: Quid Deus facere potuerit? & quid aliter facere potuerit? Imo ſi quicquam aliud, ſane frivola hæc aſſertio (qua ſcilicet ſtatuitur, ſupervacuum ac petulans eſſe, quærere, num

Deus

Deus actus, quos Philoſophi, Theologi & JCti, unanimi conſenſu ſuapte natura ac per ſe turpes vocant, homini ſalva juſtitia præcipere, aut in liberrimo hominis arbitrio relinquere potuiſſet? frivolo ac impio commento de *indifferentismo*, ut vocant, patrocinium (vel volente vel nolente aſſertionis patrono) præbet. Nam ſi quispiam inter officia hominis mutua legeque naturæ homini injuncta eſſe gratum animum exhibere, pacta ſervare, mutuum reddere & ſimilia; inter vetita, homicidium committere, furari, mœchari, calumniari &c. non poſſunt non eidem oboriri hujusmodi cogitationes: Annon cum objecto legis naturalis æque comparatum ſit ac cum aliarum legum objectis, ut quemadmodum aliæ leges pro materia agnoſcunt actus per ſe & ſuapte natura neque honeſtos, neque turpes, hoc eſt, neque per ſe ac neceſſario convenientes cum natura rationali qua tali, neque per ſe ac neceſſario cum ea diſconvenientes, ſed ex ſua natura indifferentes, ſic quoque legum naturalium objecta ſint tales actus, qui in ſe & ſua natura indifferentes atque liciti ſint, quibusque Deus neceſſitatem ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito ſuperaddiderit, ut niſi liberrimæ & ſupra omnem juſtitiam poſitæ voluntati Dei

ita viſum fuiſſet, nihil retuliſſet, an ſic vel aliter fierent? Jam ſi hic non liceret Moralium Doctori demonſtrare negativam hujus quæſtionis,& quidem ex eo fundamento, quod ob intrinſecam ac abſolute neceſſariam actuum voluntariorum, de quibus lex naturæ diſponit, convenientiam aut disconvenientiam Deus non potuerit legem naturæ ita formare, ut contraria forent præcepta illis, quæ jam ſunt v.gr. ut inter officia hominis mutua eſſet occidere, furari, mœchari, calumniari &c. inter vetita autem gratum animum exhibere, pacta ſervare, mutuum reddere & ſimilia, qua quæſo ratione omne periculum, ne Moralium Cultor in errorem de indifferentismo incidat, avertere poſſet. Quod enim dicitur, ad avertendum iſtud periculum ſufficere, ſi oſtendatur, *jam poſtquam a Deo creatus eſt homo animal quod citra obſervationem legis naturalis ſalvum eſſe nequit, hautquicquam fas eſſe credere, Deum velle legem naturæ tollere aut immutare, quamdiu naturæ humanæ nullam mutationem inferat. Adeoque poſita humanæ naturæ conſtantia, etſi ex beneplacito divino ab initio ſic formata fuerit, legem naturæ firmam & immotam perſiſtere: ſecus atque leges, quæ ita abs divina voluntate dependent, ut abs hominum conditione in univerſum ita neceſſario deſiderari non videantur*; fruſtra dicitur.

Quip-

Quippe (1) redeunt quæſtiones: Annon Deus hominem recte & proprie ſic dictum potuerit condere, ut citra legis naturalis obſervationem ſalvus eſſe poſſet? An DEUS, ſalvo manente homine, naturæ humanæ mutationem inferre poſſit? Niſi enim impoſſibile eſſet hominem dari, qui non ſit animal rationale, nec impoſſibile eſſet, a Deo naturæ humanæ mutationem inferri. (2) Niſi ſimpliciter & abſolute impoſſibile eſſet hominem dari, qui non ſit animal rationale, ſane diſcrimen legis naturalis ab aliis legibus in eo poni non poſſet, quod illa abs hominum conditione in univerſum ita neceſſario deſideretur, hæ non item. (3) Si ſupervacuum & petulans eſſet quærere, num Deus legem naturæ aliter formare potuerit, quam nunc eſt? vaniſſima ac petulantiſſima etiam erit illa quæſtio: num lex naturæ abs hominum conditione in univerſum ita neceſſario deſideretur? (4) In voluntate divina quidem poſitum fuit animal rationale producere vel non: At quando talis nectitur conſequentia: Si in voluntate divina poſitum fuit animal rationale producere vel non, ſequitur, quod in voluntate divina poſitum fuerit lege naturæ homini hoc præcipere illudque prohibere; Aut illum habet ſenſum, Deus libera ſua voluntate potuit efficere, ut lex naturæ nul-

 lum

lum hominem actu obligaret, ſi nempe effeciſſet, ut nullus homo actu exiſteret: Aut hunc ſenſum poſt ſe relinquit: DEUS libera ſua voluntate potuit efficere, ut contraria forent præcepta legis naturæ illis quæ jam ſunt. In illo ſenſu allata propoſitio eſt veriſſima, ſed fruſtra adferebatur, quia nemo eſt, qui eam negaverat: In hoc vero ſenſu falſiſſima manet, uti vel cœcus videt. Quarto, non mireris talismodi diſputatori ſordere omnem ſolidam Philoſophiam, utpote qui non erubeſcit corrigere linguam Spiritus Sancti *2. Tim. II, 12.* expreſſe dicentis: *Si non credimus, ipſe fidelis eſt, ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται, negare ſeipſum NON POTEST.* Et *Ebr. VI, 17. 18.* Spiritus Sanctus *promiſſionem & jusjurandum* vocat δύο πράγματα ἀμετάθετα, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι θεόν, DUAS RES IMMUTABILES, IN QUIBUS IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEUM. Eum, qui non videt hic ab ipſo Spiritu Sancto moveri quæſtionem, quid Deus facere poſſit? oportet tanta caligine obſeptum eſſe, ut neque ea videre videatur, a quorum conſpectu nec initiati ipſi prohibentur. Annon enim ad has quæſtiones: Num Deus ſeipſum negare poſſit? Num Deus mentiri poſſit? rectiſſime reſpondet, qui verbis Spiritus S. uſus ſic reſpondet: Deus non poteſt ſeipſum negare, impoſ-

impoſſibile eſt Deum mentiri. Quid igitur faciemus iſti, qui in controverſia hac, in qua nihil niſi cucurbitas lippit, ſe ſolum videre credit. Nec ſatis fuit ei, ſi inſcitiam, qua ipſe laborat, non Grotio ſolum, ſed plerisque etiam ex noſtratibus Theologis & JCtis exprobraret: etiam oracula cœleſtis veritatis ſuſpecta fecit, & qvum aliud non haberet, dixit: *Quod Deus quædam non agit, aut non omnia ſemper agit, illud non eſt ex defectu libertatis, ſed ex proprio beneplacito.* Hocque tandem ſic explicuit: *Cum DEUS ſit liberrimus & omnipotens, & abyſſus ejus potentiæ & bonitatis nondum ſit exhauſta, quæritur, quare tamen quædam non agat, aut non ſemper agat, quæ alias a perfectione ipſius abhorrere non videntur? Ego heic nihil aliud habeo quod reſpondeam, quam quod beneplacitum Dei ita ferat; & ſolam hanc rationem reddere ſimplicius & in divinam majeſtatem reverentius duco, quam ſubtilia commenta adornare, quibus omnipotentia divina in ordinem redigitur, & judicii noſtri anguſtiis circumſcribitur. Et hanc rationem niti arbitror non ſolum ſana ratione, ſed etiam dictis Scripturæ Pſal. CXV. 3. Eph. I. 11.* Poſtea hæc addidit: *Quod autem Deus quædam non poſſe agere dicitur, id non provenit ex aliquo impedimento extrinſecus accedente naturali aut morali, ſed ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & præſtan-*

*tiam ipſius attemperatum concipimus.* In quæ verba poſtmodum commentatus eſt: *Ulterius rationem reddo, quare Deus non poſſit quædam, nempe peccata, agere. Scilicet quod Deus non poſſe peccare dicitur, id non eſt ex impedimento extrinſecus accedente naturali, id eſt, vi majore validioris, nec morali, id eſt, obligatione a Superiore profecta: Neutrum enim cadit in eum qui ſuperiorem non habet. Sed provenit hoc ex placito ſeu voluntate rectiſſima, & quæ convenit enti maximo & præſtantiſſimo. Ubi quod placiti ſeu voluntatis Dei, tanquam entis ſupremi & perfectiſſimi, potiſſimum mentionem fecerim, rationem hanc attuli, quod ubi de libertate Dei ſermo eſt, convenientius videatur ejusdem perfectioni exprimendæ, voluntatem qualis in perfectiſſimum ens cadere poteſt, velut principium ipſius actionum aſſignare. Tum ut ea perfectio, qua DEUS peccare non poſſe intelligitur, cum ſumma libertate conjuncta exprimeretur, & non pro tali impoſſibilitate peccandi haberetur, qualis in brutis & rebus inanimatis eſt, quæ ideo peccare non poſſunt, quia rationali voluntate deſtituuntur. Denique quia in attributis divinis, quæ ad analogiam facultatum in homine utcunque ſolemus concipere, perfectiſſima unio & velut conſpiratio eſt intelligenda: Sic ut voluntas Dei ejusdem magnitudini, præſtantiæ, juſtitiæ, ſanctitati, bonitati nunquam repugnare poſſit, adeoque illa huic nunquam ſit opponenda.* Sed jure meri-

meritoq; hic ingeminamus verba alii adverſario *a B. Slevogtio in diſſertatione laudata de eſſe poſſibili* oppoſita: *Repugnat aliquid fieri a Deo, quod tamē fieri poteſt a creatura. Ita Paulus 2. Timoth. II, 12. ſcribit: Si non credimus ipſe fidelis eſt, ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται negare ſeipſum non poteſt: Et Ebr. VI. 18. impoſſibile eſt mentiri Deum. Hæc etſi poſſibilia ſunt homini, a Deo tamen fieri non poſſunt. Si enim Deus negare ſe ipſum, atque adeo mentiri poſſet, eſſet ille prima veritas, hoc ipſo, quod Deus eſſet: & non eſſet prima veritas, hoc ipſo, quod mentiri poſſet. Eſſe autem primam veritatem, & non eſſe primam veritatem, uti patet, contradictionem implicat. Atque hæc veriſſima ratio eſt, cur Deus neque ſe negare, neque mentiri poſſit, longe rectius aſſignata, quam ab adverſario factum videmus, qui quum aliud non haberet, NON POTEST SE NEGARE idem eſſe dixit, atque NON VULT SE NEGARE.* Nec me terrent calumniatoris verba ſequentia: *Verbo notanda eſt calumnia Velthemii, qui fingit propoſitionem hanc: Impoſſibile eſt Deum mentiri, ex mente mea hunc habere ſenſum: DEUS non vult mentiri. Sed iſte eſt meus ſenſus: mentiri repugnat voluntati Dei tanquam entis perfectiſſimi, repugnat perfectioni divinæ, cum qua voluntas divina ſemper conſpirat, & quidem ut id non proveniat ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, ſed ut nihilominus ipſi omnimoda libertas omnis vinculi ex-*

Digitized by Google

*expers conſtet.* Nam 1. quid clarius eſſe poterat his verbis: *Omnimoda libertas, & omnis impedimenti aut defectus neſcia in ſolum DEUM O. M. cadit, quæ tanquam nobiliſſimum attributum ipſius eſſentiæ concipitur. Quæ & ipſa nullam circumſcriptionem admittit, & cum omnipotentia eſt conjuncta. Unde quod DEus quædam non agit, aut non omnia ſemper agit, illud non eſt ex defectu libertatis: Sed ex proprio beneplacito. Quod autem idem quædam non poſſe agere dicitur, id non provenit ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, naturali aut morali, ſed ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & præſtantiam ipſius attemperatum concipimus. In quem ſenſum interpretandum eſt illud tritum: Deus ſibi ipſe eſt lex.* Sane nemo tam coecus eſt, quin videat, adverſario ſermonem fuiſſe de actionibus, quas omnes ſaniores *Philoſophi* ac *Theologi* DEO impoſſibiles dicunt, eo quod pugnant cum perfectionibus DEI, quæ moralis ac practicæ conſiderationis ſunt. Nam hoc nihil novi, ſed iſtiusmodi nugatoribus ſolenne & perpetuum eſt, ut contra proprium cordis & conſcientiæ teſtimonium ac manifeſtiſſima verba tandem aliud quid aſſerant, ſaltem ut imperitioribus, item alicujus judicii viris, quibus ſcilicet poteſtas ſedato animo ea ſcripta perſpiciendi & expendendi data non eſt, fucum faciant, contrarium tamen iterum alibi

bidefendant. Quæſo inſpiciat quis antece-
dentia & conſequentia in contextu, videbit
facile, ſermonem de illis actibus Dei eſſe,
quos ſaniores *Philoſophi* & *Theologi* Dei per-
fectioni repugnare aſſerunt. Imo ſi in ver-
bis conſequentibus: *quod autem idem* &c. ſer-
mo eſſet de peccatis, num Deus peccare poſ-
ſit? verbis vero antecedentibus: *Quod Deus
quædam non agit* &c. ſolummodo ageretur de
iis, quæ alias a perfectione ipſius abhorrere
non videntur; ubi manerent illi actus, qui nõ
ſunt peccata, ſed alias cum perfectionibus Dei
phyſicis pugnant, aut quia manifeſtam con-
tradictionem involvunt, aut alias ob cauſas,
quas in præcedentibus notis attigimus, a Deo
fieri nequeunt. Et quid hæc ad me? Ad decli-
nandã calumniã, cujus calumniator me argu-
it, & fortiter repellendam ſufficit, quod ipſe
expreſſe poſuerit ſequentia: *Quod Deus quædam
nõ poſſe agere dicitur, id provenit ex proprio pla-
cito.* Nam quod 2. notamus, licet adjecta le-
gantur verba: ex proprio placito, *quod morta-
les ad magnitudinẽ & præſtantiam ipſius attem-
peratum concipimus*; hæc tamen verba auto-
rem a manifeſtiſſima abſurditate liberare
nequeunt. Hic enim in diſquiſitionem
venit, quid per magnitudinem & præſtan-
tiam, ad quam proprium Dei placitum at-
temperatum concipit, intellectum velit?
Reſpondet ipſe, *intelligendam eſſe perfectio-*

*nem*

*nem Dei, ut ſenſus hic ſit: Deus propter perfectionem ſuam quædam non poteſt non agere, & quædam propter eandem non poteſt non omittere.* Sed nunc amplius quæritur, qualis ſit illa perfectio, num phyſica, an moralis? Secutus accuratiores *Philoſophos* & *Theologos* dico eam perfectionem eſſe moralem. Quæſtio namque hic loci eſt de actionibus in genere morum ſpectatis ſeu uti moralis conſiderationis ſunt: Quiſque enim ſanæ mentis videt, hoc loco de hujus generis actionibus quæri, quales ſunt mentiri, promiſſo cadere, perjurium committere; ut ſenſus ſit: Num Deus ſalva ſua perfectione morali mentiri, promiſſo cadere, perjurus fieri poſſit? Regerit iſte: *Male a Velthemio appellatur perfectio aliqua Dei moralis, cum omnes perfectiones in Deo ſint eſſentiales, & quantum mihi conſtat, ex uſu omnium Philoſophorum perfectio moralis vocetur, quæ uſu, & diſciplina adquiritur, & tanquam habitus animo inhæret.* Sed quid quæſo facilius eſt, quam ad has rationes reſpondere. Primo dicitur male a me appellari perfectionem aliquam DEI moralem, cum omnes perfectiones in DEO ſint eſſentiales: At detur ratio, cur perfectio in DEO eſſentialis nequeat dici moralis, hoc eſt, nequeat dici talis perfectio, quæ per ſe ac directe moralis conſiderationis ſit. Nam omnium & *Philoſo-*

*loſophiæ Moralis* & *Theologiæ Doctorum* unanimi conſenſu hæc conſequentia in genere morum bona eſt : Hic vel ille actus Dei veracitati, aut juſtitiæ, aut bonitati ac ſanctitati repugnat. Ergo Deo diſplicet, ergo Deus illum vetat fieri, ergo eſt contra legem DEI æternam. Omnes quod ſciam agnoſcunt veritatem hujus propoſitionis: Quæcunque actio voluntaria perfectionibus Dei moralibus qua talibus repugnat, illa non poteſt non moralitet mala eſſe, peccatum eſſe. Omnes *Philoſophi Morales* ; ſi *Scepticos* ac *indifferentismi patronos* excipiamus, habent has propoſitiones pro reciprocis: Quicquid cum Dei perfectione in genere morum pugnat, eſt moraliter inordinatum & cum natura rationali qua tali diſconveniens : Et quicquid eſt moraliter inordinatum & cum natura rationali qua tali diſconveniens, illud cum Dei perfectione in genere morum pugnat Imo ſi vel maxime nõ liceret ad unanimem Philoſophorum ac Theologorũ conſenſum provocare, res ipſa tamen hoc loqueretur. Qnæſo judicet ab affectibus liber & ſolidæ eruditionis amans lector, quid cauſæ ſit, cur ex illo, quod quia poſſe mentiri, poſſe promiſſo cadere, pejerare cum perfectione Dei pugnat, recte inferatur, hominem peccare ſi mentiatur, & non item ex hoc, quia edere bibere poſſe cum perfectione Dei pu-

pugnat, inferre liceat, hominem peccare, ſi edat, bibat. Omnes ſaniores hactenus reſponderunt cauſam eſſe diverſitatem ſeu duplicem differentiam perfectionum Dei: Edere, bibere, pugnare cum perfectionibus Dei naturalibus e. gr. cum ſpiritualitate, ut vocant, quia ſunt actiones, quæ nequeunt fieri niſi in materia ejus, a quo fiunt: Mentiri vero, item promiſſo cadere, pejerare eſſe actus pugnantes cum perfectionibus Dei moralibus. Accedit, quod nemo accuratiorum Doctorum dicere poſſit, doctrinam de Dei juſtitia, veracitate; ſanctitate &c: item de promiſſionibus divinis, de judiciis divinis &c. per ſe ſpectare non niſi ad Philoſophiam theoreticam: Si ergo ad Moralem Philoſophiam, inque ſpecie ad doctrinam legis æternæ atque ad Theologiam naturalem practicam ſeu moralem per ſe ſpectat, numne ideo a recepta & communi ſententia recedemus, nec amplius inter phyſicas & morales perfectiones DEI diſtinguemus, ne adverſarius habeat occaſionem ulterius receptas ac cognitu neceſſarias utiliſſimasque doctrinas cavillandi. Sane quicquid perfectionis Deo tribuitur, hoc ſenſu eſſentiale eſt & dicitur, omnibus ſanioribus id confitentibus, in quantum a Deo nec receptum fuit, nec recipi potuit, ſed quoad rem ipſe Deus adeoque ipſa eſſentia Dei eſt, utut formaliter a

Deo

Digitized by Google

Deo ipſiusq; eſſentia diſtinguatur, nec eſſentialis perfectionis nomen amittit, ſive Metaphyſicæ ſive Moralis conſiderationis ſit. Quid? quod ipſæ actiones Dei ad extra etiam perfectionum Dei nomine veniant, nunc naturalium, ut: creare, conſervare; nunc moralium, ut: pacta cum hominibus inita ſervare, ſcelera punire; quæ tamen perfectiones in Deo non ſunt eſſentiales, eo quidem ſenſu, quo veracitas, juſtitia, ſanctitas &c. eſſentiales dicebantur. Secundo numne ignorantiam an impudentiam adverſarii accuſabimus, quando aſſerit ex uſu omnium Philoſophorum nullam perfectionem moralem vocari, niſi quæ uſu & diſciplina acquiritur, & tanquam habitus animo inhæret? Sed hoc πρῶτον adverſarii ψεῦδος eſt. Quantum mihi conſtat, ex uſu omnium accuratiorum *Philoſophorum & Theologorum* perfectio moralis vocatur omnis illa perfectio, quæ qua talis moralis conſiderationis eſt, quæ qua talis principium eſt actionum cum natura rationali neceſſario ac per ſe convenientium, imo quælibet convenientia neceſſaria actuum voluntariorum cum natura rationali qua tali, quousque non phyſicæ ſed moralis conſiderationis eſt, perfectionis moralis nomine cenſetur. Equidem imperitis omnis ſolidæ Philoſophiæ oſoribus roſoribusve jejunæ ſophiſticatio-

nes adverſarii arrident atque apud eos facilem approbationem inveniunt, ſed rudium multitudo ruditati patrocinium non parit: Satis eſto ab omnibus accuratioris Philoſophiæ ac Theologiæ Cultoribus Doctoribusve hæc aliter tractari ac æſtimari. Et quid tandem dicturus eſſet adverſarius, ſi negaremus ſapientiam eſſe perfectionem Dei, Deumque male appellari ſapientem, cum ex uſu Philoſophorum ſapientia ſit habitus animo inhærens, qui uſu & diſciplina acquiritur? Procul omni dubio jubebit diſtinguere inter ſapientiam creatam & ſapientiam increatam, hancque objectiunculam jejunam vocabit: Sed hoc ſibi reſponſi loco capiat ad objectionem ſuam. Nam & hic locum habet diſtinctio inter perfectiones increatas morales, quæ Dei ſunt, & inter perfectiones morales creatas, quæ ſunt hominum. Aſt adhuc habet adverſarius, quod regerat: Dicit enim mendacium (ſolummodo hoc exemplum aſſumit) Deo repugnare, non quatenus eſt imperfectio moralis, ſed quatenus phyſica eſt: Verum falſiſſimum hoc eſt, quia quicquid imperfectionis eſt in mendacio, ratione cujus Deo repugnat poſſe mentiri, inde originem ducit, quia mendacium eſt inordinatum ex intentione mala & inordinata: Si enim tollas malam fallendi intentionem, & ſubſtituas in-

tentio-

Digitized by Google

ventionem bonam, qualis eſt: ut doceatur alius, falſum eſſe quod profertur; tum falſum proferre aut ſigno exprimere minime malum eſt, nec Deo ullatenus repugnat. Fixum itaque & in confeſſo maneat, mendacium Dei perfectioni non phyſicæ, ſed in genere morum repugnare. Obiter hoc addimus, forte non ſine cauſa, ſed ut eo facilius fucum tegeret, adverſarium ſubſtituiſſe hanc quæſtionem: Cur Deus non poſſit peccare? Scilicet ut haberet, quod diceret, fruſtra quæri, cur Deus peccare, hoc eſt legem a Superiori latam transgredi nequeat, cum non habeat Superiorem, a quo ſibi lex ferri potuiſſet? Interim non eſt, quod quis exiſtimet, ac ſi quæſtionis: Cur Deus mentiri nequeat? deciſio nihil commercii habeat cum illa: Cur Deus legem naturæ in homine aliter formare nequiverit, quam nunc eſt? Omnino enim hujus veritas in illa fundatur, quia Deus naturam rationalem humanam aliter condere non potuit, quam ea ratione, ut quicquid Dei veritati, juſtitiæ & perfectionibus aliis in genere morum repugnat, id omne etiam creaturam intelligentem dedeceat, ipſaque ratio in homine æque ac in Deo nihil poſſit probare, nihil faciendum dictare, quod perfectionibus moralibus ut ſic, item Dei perfectionibus in genere morum repugnare viderit.



Digitized by Google

§. 8. Poſſibile II. diſtinguitur *in Phyſicum* & *Morale*: *Illud reſpicit* δύναμιν, potentiam, uti Phyſicæ conſiderationis eſt, ſumta notione Phyſici in oppoſitione ad morale: *Hoc* ἐξουσίαν, potentiam, prout objectum moralis æſtimationis eſt, ſeu uno vocabulo dictam poteſtatem: e.gr. Phyſice latroni poſſibile eſt, innocentem ac inermem viatorem ſpoliare ac occidere: Moraliter viatori innocenti ac inermi poſſibile eſt cæde latronis vitam ſuam defendere. Inde diſcitur facile, quid *impoſſibile Phyſicum*, quid *impoſſibile Morale* dicatur: e.gr. Moraliter latroni impoſſibile eſt, innocentem ac inermem viatorem ſpoliare ac occidere: Phyſice inermi ac innocenti viatori impoſſibile eſt, armati ac robuſti latronis cæde ſe in periculo vitæ conſtitutum tueri.

*NO-*

Digitized by Google

## N O T Æ.

I. Diſtinctio hæc cum apud *Theologos*, tum apud omnis omnino *Juris Doctores* uſu recepta eſt: Suntque commodiſſima vocabula: δύναμις & ἐξουσία, potentia Phyſica & potentia moralis, quamvis δύναμις in ſenſu latiori quandoque accipi ſoleat, prout in phyſicam & moralem diſtinguitur: Latini autem Græcos ſecuti diſtinxerunt inter potentiam & poteſtatem. Quod igitur potentia & poteſtas in abſtracto, poſſibile phyſicum & poſſibile morale, phyſice poſſibile & moraliter poſſibile in concreto ſignificant.

II. Ordo inſtituti noſtri ſuadet utramq; diſtinctionem inter poſſibile & impoſſibile, cum phyſicum, tum morale, exemplis illuſtrare: Et quidem (1) lubet adferre exempla e *Sacris Pandectis* petita: Ita qvum dicitur *Gen. XLIII, 32. Non poſſunt Ægyptii comedere cum Ebræis panem, quia hoc abominatio eſt ipſis;* NON POSSUNT ÆGYPTII, nihil aliud eſſe, quam NON LICET IPSIS, cum per ſe & ex contextu patet, tum ſuo etiam calculo comprobat *Vulgatus Interpres*, quando hunc locum ſic exprimit: *Illicitum eſt Ægyptiis, comedere cum Ebræis, & profanum putant ejusmodi convivium.* Et B. *Lutherus* itidem לא יוכלון, *non poterunt*, ſcitiſſime reddit: Sie dürffen nicht: Resque lo-

quitur ipſa, verba Spiritus Sancti de poſſibili morali, non de poſſibili phyſico accipi oportere: Nam phyſice potuiſſe, nullum plane eſt dubium: quod autem non poſſe dicuntur, intelligendum eſt, ſalva religione vel etiam ſalva lege. Aliud ejusdem ſenſus exemplum ſuggerit *Paulus* 1. *Cor. X*, 21. dum ſcribit: οὐ δύνασθε, NON POTESTIS *poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum:* NON POTESTIS *menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Bene *Flacius*, NON POTESTIS, pronunciat ſic intelligendum eſſe, non poteſtis *ſcilicet juſte.* Adjicit melioris explicationis loco ſequentia: *Nam de facto poterant, & reipſa nimium præſtabant. Non igitur de impoſſibilitate facti, ſed juris Apoſtolus ibi loquitur.* Iterum aliud exemplum occurrit *Act. X*, 47. ubi *Petrus* ait: Μήτι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναταί τις, *num quis probibere POTEST, quo minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?* quæ verba ſic interpretatur *Flacius: Num aquam quis prohibere poteſt eis? id eſt, non juſte ac licite poteſt, alioqui de facto poteſt.* Evidens iterum exemplum habetur *Act. XXV*, 9. 10. 11. ubi *Paulus*, Feſto oblique ſuadente, ut ſe judicio ſiſtat Hieroſolymæ, iſtud forum appellatione ad Cæſarem declinans, οὐδείς, ait, με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι: Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. NEMO POTEST

POTEST *me illis* (intellige *Judæis*, quibus Feſtus gratificari voluerat) *donare: Cæſarem appello.* His verbis denegabat Apoſtolus Feſto moralem potentiam ſeu poteſtatem, negabat Feſto moraliter poſſibile eſſe Judæis Paulum donare, hoc eſt, juſte fieri non poſſe, ut innocens a Feſto traderetur ſuis adverſariis: Alias omnino Feſtus hoc poterat, ſi non de potentia morali ac jure, ſed de potentia phyſica ac facto loquamur. Ita 2. *Cor. XIII,* 8. *οὐ γὰρ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, non enim poſſumus quicquam adverſus veritatem, ſed pro veritate:* ſcilicet jure ac juſte Deoque probante. Rurſus *Proverb. XX,* 7. legitur: *Quis POTEST dicere: mundavi cor meum?* id eſt, quis hoc vere affirmare poteſt? Etiam his verbis indicatur MORALITER IMPOSSIBILE, quia quod VERE affirmatur, JURE affirmatur. Et huc omnino referimus etiam loca *not. 8. ad præced. §. 7. pag. 604.* allata, quando *Spiritus Sanctus 2. Tim. II. 13.* expreſſe aſſerit: *Ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν ὁ Θεὸς οὐ δύναται, negare ſeipſum* Deus NON POTEST. Et *Ebr. VI, 17. 18. Ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεόν, impoſſibile eſt mentiri Deum,* DEUS non poteſt mentiri. Nulli enim dubitamus, quin utriusque loci hic ſit ſenſus: Salva ſua veracitate & juſtitia Deus NON POTEST negare ſeipſum, non poteſt mentiri. Si Deus ſeipſum ne-

garet, ſi promiſſo caderet, ſi contra juramentum ageret, Deus injuſtus foret, ſicque non eſſet Deus. Gaudeo me in eo habere conſentientes optimos ac orthodoxos Scripturæ Sacræ Interpretes, quod hic ſermo ſit de iis, quæ cum phyſicis Dei perfectionibus non pugnant, pugnant cum moralibus Dei perfectionibus. Bene *B. Albertus Grawerus*, Theologus de orthodoxa Eccleſia Chriſti inſigniter meritus: *Dicunt quidam: Profanus error & ridiculum delirium illorum eſt, qui cenſent & dicunt: Si Deus hoc vel illud imperaret, injuſtus eſſet: Verum ipſi delirare videntur, dum hæc ſcribunt: neſcire videntur, quid ſit ſyllogismus διὰ ἀδυνάτου, de quo Ariſtoteles in 2. prior. Analytic. Quemadmodum recte concludo: Si homo non haberet animam rationalem, ne homo quidem eſſet: Ita etiam recte concludo: Si Deus mendacium, ſcelera, injuſtitiam &c. vellet, injuſtus eſſet, & ne ſic quidem Deus eſſet.* Vid. *cent. Illuſtr. quæſt. Theolog. diſp. 10. de prima cauſa & natura mali, quæſt. 7. p. 420.* Conferantur, ſi placet, ea, quæ in *Introductione ad Hug. Grotii Opus de Jure Belli & Pacis lib. 1. cap. 1. quæſt. 1.* de his Spiritus Sancti aſſertis ex mente & conſilio Venerandorum Theologorum Orthodoxorum *a pag. 209. usque ad pag. 214.* diſſeruimus.

III. E *Scriptura Sacra* modo attulimus, placet (2) e *Corpore Juris Civilis* adducere teſtimo-

ſtimonia & exempla: Utraque enim notio: POSSIBILE & IMPOSSIBILE cum in ſenſu Phyſico, tum in ſenſu Morali uſu frequens & recepta eſt in *Jure Civili.* Ita enim Imperator *Juſtinianus §. curare 32. Inſt. de actionibus* ait: *Curare autem debet Judex, ut omnino quantum* POSSIBILE *ei ſit, certæ pecuniæ vel rei ſententiam ferat: etiamſi de incerta quantitate apud nos actum eſt.* Pariter *ſecundo Feudorum libro, titulo ſexto* dicitur: *Qui domino ſuo fidelitatem jurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet: incolume, juſtum, honeſtum, utile, facile,* POSSIBILE. Et paulo poſt: *Ne id bonum, quod* POSSIBILE *domino erat, faciat* IMPOSSIBILE. Ita *Ulpianus l. ea quæ 135. D. de reg. juris* diſſerit: *Ea, quæ dari* IMPOSSIBILIA *ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adjectis habentur.* Huc ſpectant verba *§. 1. Inſtit. de inutilibus ſtipulationibus: At ſi quis rem quæ in rerum natura non eſt, aut eſſe non poteſt, dari ſtipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus ſit, quem vivere credebat, aut hippocentaurum qui eſſe non poſſit, inutilis erit ſtipulatio.* Verba ſequ. *§. 11. ejusdem tituli* ſic habent: *Si* IMPOSSIBILIS *conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet ſtipulatio:* IMPOSSIBILIS *autem conditio habetur, cui natura impedimento eſt, quo minus exiſtat, veluti ſi quis ita dixerit: Si digito cœlum attigero, dare ſpondes? At ſi ita*

ſtipuletur, ſi digito cœlum non attigero, dari ſpondes? pure facta obligatio intelligitur, ideoque ſtatim peti poteſt. Pariter *Macianus l. non ſolum 31. D. de obligationibus & actionibus* pronunciat: *Non ſolum ſtipulationes* IMPOSSIBILI *conditione adplicatæ nullius momenti ſunt: Sed etiam cæteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes,* IMPOSSIBILI *conditione interpoſita, æque nullius momenti ſunt: quia in ea re, quæ ex duorum pluriumve conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectetur: quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment, appoſita conditione, quam ſciant eſſe* IMPOSSIBILEM. Sic *l. Paulus 3. D. quæ ſententiæ ſine appellatione reſcinduntur;* Paulus reſpondit, IMPOSSIBILE *præceptum Judicis nullius eſſe momenti. Idem reſpondit ab ea ſententia, cui pareri rerum natura non potuit, ſine cauſa appellari.* Ita *Julianus l. hæc conditio 39. D. de conditionibus & demonſtrationibus: Hæc conditio ſi in Capitolium aſcenderit, ſic recipienda eſt, cum primum* POTUERIT *Capitolium aſcendere.* Et *Ulpianus l. conditionum 2. eod. tit. Conditionum quædam ſunt, quæ quandoque impleri* POSSUNT *etiam vivo teſtatore: ut puta, ſi navis ex Aſia venerit: nam quandoq. venerit navis, conditioni paritum videtur. Quædam, quæ non niſi poſt mortem teſtatoris: Si decem dederit: Si Capitolium aſcenderit: nam* ...

*ut paruiſſe quis conditioni videatur, etiam ſcire debet hanc conditionem inſertam: nam ſi facto fecerit, non videtur obtemperaſſe voluntati:* Et *l. obtinuit 3. D. eod. tit. Obtinuit* IMPOSSIBILES *conditiones teſtamentis adſcriptas pro nullis habendas.* Item *Celſus l. impoſſibilium 185. D. de Regulis Juris:* IMPOSSIBILIUM *nulla obligatio eſt.* Innumeris aliis legibus idem confirmari poſſet. Obiter addimus, quod *Labeo* in *l. mulier 20. D. de conditionibus inſtitutionum* & *Julianus l. ab omnibus 104. §. in teſtamento 1. D. de legatis 1.* JCti, quamvis optime latini, hanc vocem IMPOSSIBILE vitarint & ἀδύνατον dixerint. Eam tamen *Quintilianus l.5. cap.10.* aliique JCti, ut ex hactenus allatis liquet, uſurparunt.

IV. Utut vero ex *nota proxime præcedenti* abunde conſtare poſſit diſcrimen inter *Phyſice & moraliter poſſibile & impoſſibile:* magis tamen liquere poterit, ſi ſignificationem τοῦ *moraliter poſſibile* & τοῦ *moraliter impoſſibile* illuſtribus JCtorum teſtimoniis confirmemus. Inſigne vero teſtimonium præbent verba *Papiniani l. filius 15. D. de conditionibus inſtitutionum: Filius, qui fuit in poteſtate, ſub conditione ſcriptus hæres, quam Senatus aut Principes improbant, teſtamentum infirmet Patris, ac ſi conditio non eſſet in ejus poteſtate: Nam* QVÆ FACTA LÆDUNT

PIE-

PIETATEM, EXISTIMATIONEM, VERECUNDIAM NOSTRAM, ET (UT GENERALITER DIXERIM) CONTRA BONOS MORES FIUNT: NEC FACERE NOS POSSE CREDENDUM EST. In quam legem *Dionyſius Gothofredus* JCtus ſic commentatur: IMPOSSIBILIA *dicuntur, quæ non niſi cum dedecore poſſumus, quæ ſalva fama & existimatione non poſſumus. Paria ſunt;* IMPOSSIBILE & TURPE; IN NOSTRA POTESTATE NON ESSE & INJUSTUM. Idem ad verba *l. avus 79. §. pater 1. D. de jure dotium* ſic ſe habentia: *Pater filiæ nomine, centum doti ita promiſit, cum commodiſſimum eſſet. At ejus ſcripſit, Servium reſpondiſſe, cum primum ſine turpitudine & infamia dari poſſit, deberi;* hæc notat: POSSE *infert* HONESTUM, NON POSSUMUS FACERE, QVOD HONESTE NON POSSUMUS. Ita *Ulpianus l. ſi vinum 1. §. licet autem 3. D. de periculo & commodo rei venditæ: Licet venditori effundere vinum, ſi diem ad metiendum præſtituit, nec intra diem admenſum eſt, effundere autem non ſtatim poterit, priusquam teſtando denunciet emptori, ut aut tollat vinum, aut ſciat futurum, ut vinum effunderetur. Si tamen* CUM POSSET *effundere, non effundit, laudandus eſt potius. Ea propter mercedem quoque doliorum* POTEST *exigere, ſed ita demum, ſi interfuit*

*ejus*

*ejus inania eſſe vaſa, in quibus vinum fuit, veluti ſi locaturus ea fuiſſet, vel ſi neceſſe habuit talia conducere dolia.* Utrumque igitur in tali caſu venditori moraliter eſt poſſibile: Nempe moraliter ei eſt poſſibile effundere vinum ſeu alii vendere, & priſtini emtoris gratia asſervare: Item moraliter ei (ſi aſſervavit, tamen interfuit ejus inania eſſe vaſa) poſſibile eſt, mercedem doliorum exigere, & mercedis gratiam facere.

V. Moralis poſſibilitas iterum *duplex* eſt: *Una conjuncta cum libertate morali, altera conjuncta cum neceſſitate morali: Illa κατ' ἐξοχὴν licentia* dici ſolet, hæc ſi qua talis h. e. quatenus conjuncta eſt cum neceſſitate morali, ſpectetur, etiam *debiti moralis* nomine venit. Huc ſpectat diſtinctio *Moraliſtarum* inter *licitum* & *debitum*. Illud etiam vocari ſolet Jus in ſenſu negante tantummodo tale: Hoc vero jus in ſenſu affirmante. E. gr. promittere hoc vel illud dicit moralem poſſibilitatem conjunctam cum libertate morali, hoc eſt, promittere hoc vel illud eſt licitum: Contra promiſſo iſto ſtare, arguit moralem poſſibilitatem conjunctam cum neceſſitate morali, hoc eſt, promiſſo ſtare eſt debitum. Utramque ſignificationem egregie expreſſit Valentinianus Imperator militibus, qui ſe Imperatorem fecerant, poſtulantibus quod ipſi non probabatur,

batur, reſpondit: *Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate, o milites; at poſtquam me elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi quæ facienda ſunt cogitare.* Hæc Imperator, ut ſignificaret moraliter poſſibile fuiſſe militibus eligere Imperatorem, moraliter poſſibile eſſe illis parere electo Imperatori: illud licitum, hoc debitum. Eo reſpexerunt cujusvis Juris Doctores diſtinguentes inter illas conſtitutiones, quarum effectus perpetuo pendet a voluntate conſtituentium, & eas quæ ab initio ſunt voluntatis, poſtea effectum habent neceſſitatis: quomodo mulier ſibi virum conſtituit, ut parere ſemper neceſſe habeat. Exemplum *poſſibilitatis moralis cum libertate conjunctæ* ſuggerebat *Ulpianus l. ſi vinum 1. §. licet 3. D. de periculo & commodo rei venditæ,* cui e *Sacris Pandectis* adjici poteſt illud *Pauli 1. Cor. VII, 38.* dicentis: *Qui dat nuptum filiam ſuam, bene facit: qui vero non dat nuptum, melius facit.* Idem Apoſtolus cum *poteſtatem* ipſe haberet æque cum cæteris Apoſtolis *vivendi ex evangelio*, & de ſumtu eccleſiæ: Satius tamen duxit, *poteſtate iſthac ſua non uti*, ceu prolixe docet *1. Cor. IX.* quemadmodum & *capite ſequenti*, *verſu 23.* ſcribit: *Omnia mihi* LICENT, *ſed non omnia expediunt: omnia mihi* LICENT, *ſed non omnia ædificant.*

VI. Ca-

VI. Cæterum ex hactenus dictis liquet, cum *moraliter poſſibile*, tum *moraliter impoſſibile*, dicere reſpectum ad legem. Prout igitur leges variant, ita utriusque notio iterum varia eſt: Et quidem quia maxime ac primario nomen legis meretur lex naturæ, illud maxime dicitur *moraliter impoſſibile*, quod ſalva lege naturæ fieri nequit; Nam quod ſalva alia lege fieri nequit, nec ſalva lege naturæ fieri poteſt, quia lex naturæ præcipit legibus poſitivis obſequium præſtare, lexque poſitiva cum lege naturæ pugnans, ſi rem moraliter æſtimemus, non eſt lex. Pariter moraliter poſſibile ſimpliciter dicetur, quod ſalva lege naturæ fieri poteſt, licet multa fiant moraliter impoſſibilia ex hypotheſi, in quantum contingit ea prohiberi legibus poſitivis, quibus obſequi lex naturæ præcipit.

VII. Si lex præciſe ſumatur pro decreto Superioris, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat, tunc omnino dicendum venit, dari moraliter poſſibile & moraliter impoſſibile citra reſpectum ad legẽ: e.g. mentiri, ſeipſum negare, promiſſo cadere, contra juramentum agere, ſano ac vero ſenſu dicuntur Deo moraliter impoſſibilia, quia veracitati & juſtitiæ, quæ utique moralis conſiderationis ſunt, neceſſario repugnant: Nec vero dubium eſt, quin mora-

moraliter poſſibilia & impoſſibilia creaturæ rationali, ut talia, citra reſpectum ad legem conſiderari poſſint, de quibus ſupra *cap. 1. axiom. 1.* egimus.

VIII. Etiam hoc notatu dignum cenſemus, quod quandoque *moraliter poſſibile cum libertate conjunctum* in Politicorum Scholis & foro civili in adeo laxa ſignificatione ſumatur, ut eo nomine veniat, quod quidem non licet, tamen impune (prout quidem impune idem eſt, ac ſine omni pœnæ humanæ periculo) licet: Et huc facit illa regula Juris, quam *Paulus* JCtus *l. non omne 144. D. de reg. Juris* commendat: *Non omne quod licet honeſtum eſt.* Sane leges civiles quandoque verum jus perſonæ non præſtant, ſed tantum inter homines impunitatem. Dubium enim non eſt, utrumvis legem facere poſſe in certis caſibus. Utrum autem voluerit, partim ex verbis legis, partim ex materia intelligendum eſt. Nam ſi tantum dolori lex indulget, pœnam humanam tollit, non vitium, ut in marito qui adulteram uxorem aut adulterum occidit. Habet quoque hoc ſenſu licitum (prout ſcilicet licentia meram notat impunitatem apud homines) ſuos gradus: Summæ enim licentiæ exemplum ſuppeditabat Julia noverca Antonino Caracallæ ſinum nudans, ac dicenti: *Vellem, ſi liceret*: reſpondens: *Si libet licet. Spartianus in Antonino Caracalla.*

IX.

Digitized by Google

IX. Tantum de hac diſtinctione inter poſſibile phyſicum & poſſibile morale: Nec vero hæ notiones: δύναμις & ἐξουσία, in ordine ad quas definiebantur, uſu adeo infrequentes ſunt. Locus eximius eſt apud Lucam c. IX, 1. ubi Evangeliſta conjungit utramque notionem: *Convocavit Jeſus duodecim diſcipulos, deditque illis δύναμιν καὶ ἐξουσίαν, potentiam & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut morbos ſanarent.* Sed de his aliisque utriusque notionis ſignificationibus in Theologia omnique Jure receptis ſuo loco dabitur occaſio agendi in ſubſeqventi doctrina de cauſa efficiente & potentia activa.

§. 9. III. Variæ adhuc, eæque uſu itidem probatæ, dantur ſignificationes τοῦ poſſibile: Ita poſſibile quandoque tam *large* ſumitur, ut Deus ipſe, quia poteſt eſſe, numero poſſibilium contineatur: Non raro poſſibile idem eſt, quod *facile, gratum, decorum, conveniens*, cui opponitur impoſſibile, prout nihil aliud ſignificat, quam *difficile, moleſtum, indecorum, diſconve-*

 *niens:*

niens: Illas interim, pluresque alias ſignificationes nunc ſuo relinquimus loco.

*NOTÆ:*

I. Paſſim hujusmodi ſignificationes in Sacris approbationem inveniunt: Libet uno alterove exemplo iſtud confirmare. *Ita Marcus c. VI, 5.* ſcribit: ὀυκ ἠδύνατο ὀυδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, *non poterat ibi* (Chriſtus in patria ſua) *virtutem ullam edere, niſi quod, cum paucis ægrotis impoſuiſſet manus, eos ſanavit.* Numne manus Domini abbreviata erat, aut potentia edendi miracula Chriſtum apud ſuos deſtituebat? Abſit. Igitur NON POTUISSE dicitur, quod *convenienter ac abſque tædio* non potuit apud homines incredulos, & apud quos in nullo honore erat, ceu ex præcedenti *verſ. 4.* patet. Pariter apud *Lucam c. XI, 7.* ditior reſpondet: *Noli mihi moleſtias exhibere: jam oſtium clauſum eſt, & pueruli mei mecum ſunt in cubili:* ὀυ δύναμαι ἀναστὰς δȣ̃ναί σοι. NON POSSUM *ſurgere & tibi dare.* Abſolute loquendo poterat ſurgere & dare, ſed quoniam quieti ſe cum ſuis dederat, & propterea omnia erant clauſa, *commodum* ipſi & *conveniens* non erat. *Non poſſe* igitur ſeſe dixit, quod *commode* & *abſq; moleſtia* non poterat. Plura exempla *Scripturæ* adducere nec opus nec otium eſt.

II. Nec

Digitized by Google

II. Nec vero deſunt exempla Juridica: Apprime huc facit *l. Nepos Proculo 125. D. de verborum ſignificatione: Nepos Proculo ſuo ſalutem: Ab eo qui ita dotem tibi promiſit, cum commodum erit, dotis filiæ meæ tibi erunt aurei centum, putasne protinus nuptiis factis dotem peti poſſe? quid ſi ita promiſiſſet*, CUM POTUERO, *doti erunt? quod ſi aliquam vim habeat poſterior obligatio*, POSSIT, *verbum quomodo interpretaris, utrum ære alieno deducto, an extante? Proculus: Cum dotem quis ita promiſit*, CUM POTUERO, *doti tibi erunt centum: exiſtimo ad id, quod actum eſt, interpretationem redigendam eſſe: nam qui ambigue loquitur, id loquitur, quod ex his quæ ſignificantur, ſenſit: propius eſt tamen ut hoc eum ſenſiſſe exiſtimem, deducto ære alieno* POTERO: *poteſt etiam accipi illa ſignificatio, cum ſalva dignitate mea* POTERO: *quæ interpretatio eo magis accipienda eſt, ſi ita promiſſum eſt, cum commodum erit, hoc eſt cum ſine incommodo meo* POTERO. Ad hanc legem *Gloſſa* habet ſequentia: *Et* POSSE *facere promiſſor intelligitur ære alieno deducto: Alias ære non deducto* POSSE *facere, promiſſio eſt* ἈΔΥΝΑΤΟΣ: *nec enim* POSSE *videtur, qui non* POTEST, *niſi inhoneſte.* Ita *Alciatus in commentario: Qvum quis daturum ſe ſpondet*, QVUM POTERIT, *interpretatione promiſſionem moderamur, quoniam non videtur*

 promi-

*promiſiſſe, quod cum ſummo incommodo facere poteſt: Qvum Pontifex Romanus ſe* NON POSSE *diſpenſare ait, intelligitur, niſi ex juſta cauſa. Qvum id, quod ad ſuam notitiam perveniſſet,* NON POTUISSE *vicinos latere affirmat, accipiemus* NON POTUIT, *id eſt* NON POTUISSE *præſumitur.* Placet addere *l. ſuus quoque 4. §. puto 1. D. de hæredibus inſtituendis: Puto recte generaliter definiri, utrum in poteſtate fuerit conditio, an non fuerit, facti poteſtas eſt: poteſt enim & hæc, ſi Alexandriam pervenerit, non eſſe in arbitrio per hyemis conditionem: poteſt & eſſe, ſi ei, qui a primo milliario Alexandriæ agit, fuit impoſita: poteſt & hæc, ſi decem Titio dederit, eſſe in difficili, ſi Titius peregrinetur longinquo itinere: propter quæ ad generalem definitionem recurrendum eſt.* Conf. *l. cum ſervus 39. §. conſtat 7. & ſeqq.* Hinc & *difficile* pene impoſſibile eſſe dicitur ab *Ulpiano in l. ſi familiæ 55. D. familiæ erciſcundæ.* Huc forte ſuo modo trahas reſponſum olim ab Andriis Themiſtocli pecuniam poſcenti redditum. Cum enim hic allegaſſet Athenienſes duobus magnis Numinibus fretos, ſuadela & neceſſitate, iſti reſponderunt: *Andriorum inſulam totidem propitia Numina nunquam derelinquere, ſed ſemper incolere, inopiam &* IMPOSSIBILITATEM, *quibus Diis obnoxios ſe pecuniam non daturos, nunquam enim Andriorum* IMPOS-

POSSIBILITATE *validiorem fore Athenienſium potentiam. Herodotus lib. 8. num. 217. pag. 484.*

III. Si ulla diſtinctio τοῦ impoſſibile adhuc notari meretur, ea eſt, qua diſtinguitur inter *impoſſibile ratione exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis*, & inter *impoſſibile ratione eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis*. E.gr. quæritur: num ſimpliciter & abſolute impoſſibile ſit adulterium eſſe non turpe? Reſpondemus affirmando iſtud. Eſt, qui hanc aſſertionem, quam tamen unanimis Philoſophorum, JCtorum & Theologorum conſenſus probat, ſtoliditatis ac impietatis arguit, utpote quæ Deum Optimum Maximum munere creatoris dimoveat. Stante enim eo, quod actus humani dentur, qui non poſſint eſſe non turpes, ſequi aſſerit, Deum nequaquam libera voluntate hominem creaſſe. Ita enim ille: *Fatentur omnes, Deum uti omnia, ita & hominem liberrima voluntate creaſſe. Cui conſequens eſt, in beneplacito ejusdem fuiſſe, qualem homini naturam vellet aſſignare. Qua ratione igitur actioni hominis poſſit competere aliqua affectio, quæ ex neceſſitate intrinſeca & abſoluta, extra* DEI *impoſitionem & beneplacitum promanet? Sic ut revera omnes motus & actiones hominis, remota omni lege, tam divina quam humana, ſint indifferentes: earum autem aliquæ ideo tan-*

*tum naturaliter honeſtæ aut turpes dicantur, quod eas fieri aut omitti quam maxime requirebat conditio naturæ, quam creator homini libere attribuit.* Et alibi: Deum legem naturæ ſic & non aliter formare poſſe, *ſupponit creationem animantis rationalis, quam nemo eſt, quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat.* Item, *quod quædam dicantur neceſſario in genere morum impoſſibilia homini, hoc ſemper eſt intelligendum cum relatione ad naturam hominis tanquam animalis rationalis & ſocialis, conſequenter cum relatione ad voluntatem DEI, qui uti omnia, ita & hominem, & quidem tale animal liberrima ſua voluntate creavit.* Imo propter hæc non dubitat dogmata (quibus traditur ſimpliciter & abſolute impoſſibile Deo eſſe legem naturæ aliter formare, quam nunc eſt, propoſitiones has: adulterium, homicidium, furtum non ſunt turpia, eſſe ſimpliciter & abſolute impoſſibiles) vocare frigida, ſtolidiſſima, fœda ſummeque injuſta & horribiliter blaſphema. At quid facilius eſt, quam nebulas veræ & apud omnes ſaniores receptæ ſententiæ offuſas detergere? Sane unica diſtinctione adhibita, quæ quibusvis incipientibus nota eſſe debebat, omnis difficultas expirat. Nam quando e. gr. dicitur, ſimpliciter & abſolute impoſſibile eſſe, ut adulterium non ſit turpe, ut homo non ſit obligatus lege naturæ, qua nunc obliga-

tus

tus eſt, ut Deus homini legem naturæ non ferat, hoc, ut neque Metaphyſicorum & Logicorum pueri neſciunt, intelligendum eſt de ſimpliciter & abſolute impoſſibili non reſpectu exiſtentiæ, exercitii aut contradictionis, ſed ratione eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis. Qua fini igitur noſter egregius cenſor: *Impoſſibilitas, ait, non eſt abſoluta, ſed hypothetica, ſupponens nimirum creationem animantis rationalis & ſocialis, quam nemo eſt quin liberrimæ Dei voluntati adſcribat?* Quaſi ſummus vir, *Hugo Grotius* (omnesque Theologi, JCti & Philoſophi) creationẽ actionem liberam Dei eſſe neget. Eo ineptiarum redegit cenſorem, quod de abſoluta ac hypothetica impoſſibilitate auſit diſſertare, cum ne quidem quid diſcriminis inter utramque intercedat, intelligat. Patiatur igitur ſe hoc doceri a nobis, vel potius ab omnibus Logicis & Metaphyſicis: aut ſi nolit, deſinat ea convitiis proſcindere, quæ non intelligit. Nolit ridere, quæ diſcere adhuc debet. E.g. quis tam ineptus eſt, ut audita hac aſſertione: Hæ propoſitiones: homo non eſt animal rationale, ignis non eſt calidus, ſunt propoſitiones abſolute & ſimpliciter impoſſibiles; ita colligere auſit: Ergo defenſores hujus aſſerti creationem animantis rationalis & elementi calidiſſimi liberrimæ DEI voluntati non adſcribunt, Deumque a munere creato-

ris dimovent. Hoc quisq; novit actu non eſſe ſeu exiſtere animal rationale, elementum calidiſſimum, niſi homo & ignis libere a Deo creentur: Verum hic nulla quæſtio eſt de impoſſibilitate exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, quia non quæritur: num ſimpliciter impoſſibile ſit animal rationale elementumque calidiſſimum non exiſtere? Num homo actu eſſet animal rationale, ignis actu eſſet elementum calidiſſimum, licet a Deo non fierent? Sed quæſtio eſt de eo: An non ſimpliciter impoſſibile ſit, talis eſſentiæ aut ſpeciei ens dari, quod hominem aut ignẽ recte & proprie vocamus, quod tamen non ſit animal rationale aut elementum calidiſſimum? Nec eſt, quod excipiatur, hæc non eſſe moralis, ſed phyſicæ conſiderationis: hic vero ſermonem eſſe de prædicatis & affectionibus, non phyſicis, ſed moralibus. Credasne hominem tantum ſtuporem ſimulare poſſe? Numne ideo, quia quando dicimus: ignis eſt calidus, hic nec de actione, quæ referri ad legem poſſit, nec de prædicato morali agitur; at quando aſſerimus: adulterium eſt turpe, hic de actione, quam lege naturæ prohiberi conſtat, deque turpitudine tanquam morali affectione ſermo eſt; Numne, inquam, ideo non amplius in uno tertio hæc duo conveniunt, ut quemadmodum ſimpliciter & abſolute impoſſibile manet ignem non eſſe

calidum

Digitized by Google

calidum, non impoſſibilitate exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, tamen impoſſibilitate eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis: Ita quoque ſimpliciter & abſolute impoſſibile maneat, adulterium non eſſe turpe, non impoſſibilitate exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, (ſi enim plane non exiſtit, nec turpe exiſtit, æque ac ignis, ſi plane, non exiſteret, nec calidus exiſteret, nec frigidus) tamen impoſſibilitate, quam vocant, eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis. Quid igitur acuminis aut ἀκριβείας ineſt hiſce verbis: *Quod Velthemius aliam quæſtionem ſubſtituerit, cui iſte terminus metaphyſicus non quadraret, culpa nulla penes me eſt?* Quid candoris aut prudentiæ huic aſſerto: *Quid inde, ſi vel maxime ego terminum aliquem Scholaſticum aliter accepiſſem, quam tabulis Sthalianis, velut æterna Parcarum lege ſancitum eſt?* Non tantum *Stalius*, ſed etiam omnes eruditi hactenus hunc terminum aliter, quam novus iſte cenſor, acceperunt. Quidque probitatis tandem huic effato: *Num tamen ideo tam inaceto more inſultari par erat* VIRO? *An tantus ideo tumultus excitandus, ac ſi de Eccleſiæ & Reipublicæ ſalute ageretur?* Amon enim iſte primus fuit, qui *ſententiam*, qua illæ propoſitiones: Adulterium eſt turpe, Deum colere eſt honeſtum, ſimpliciter & abſolute neceſſariæ; & e contrario hæ propoſitiones: adulte-

rium non eſt turpe, colere Deum non eſt honeſtum, ſimpliciter & abſolute impoſſibiles dicuntur', dixerat *eam qua nihil ſtolidius fingi poſſe videatur, ex qua horribile abſurdum conſequatur, ut ſæpe* (cenſor) *miratus fuerit, non Grotium ſolum, ſed pleroſque ex noſtratibus Theologis iſtam aſſertionem citra ullam dubitationem paſſim aſſumere.* Et quomodo hæc conſpirant cum illis: *Quid illi ſentiant aut non ſentiant, mea nihil refert.*

IV. Interim exempla impoſſibilium ratione exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis deſideranti exhibere facile eſt: Ita hæ propoſitiones: Deus eſt impotens, Deus eſt finitus &c. Deus eſt injuſtus, Deus eſt mendax &c. ſunt non modo impiæ, ſed etiam ſimpliciter & abſolute impoſſibiles, cum reſpectu contradictionis, tum reſpectu contrarietatis. Pariter hæc propoſitio: Idem ſimul eſt & non eſt; eſt ſimpliciter & abſoſolute impoſſibilis, cum reſpectu contrarietatis, tum reſpectu contradictionis. Huc forte facit exemplum, quod Marcianus JCtus ſuggerit *l. ſi Titius 16. D. de conditionibus inſtitutionum: Si Titius hæres erit, Sejus hæres eſto: Si Sejus hæres erit, Titius hæres eſto. Julianus inutilem eſſe inſtitutionem ſcribit, cum conditio exiſtere non poſſit.* Aliud fortaſſis exhibet *Pomponius l. ſi Titius 9. D. de verborum obligationibus,* ubi perplexum atque ideo

im-

Digitized by Google

impoſſibile eſſe dicitur; ſi tibi fundum promittam, ſi eum Titio non dedero, & promittam eundem fundum Titio, ſi tibi eum non dedero. Cui ſimilis eſt iſte caſus: Promiſit juramento Titius ſe Cajo centum daturum, ſi & totidem eidem det Sempronius: Sed & juravit Sempronius ſe centum Cajo daturum, ſi nihil omnino illi det Titius. Cum enim hæ conditiones perpetuo in ſe recurrant, exitum habere poſſe non videntur.

# CAPUT UNDECIMUM
## De NOTIONIS METAPHYSICÆ cauſæ GENUINO DISCRIMINE A NOTIONE cauſæ ANALYTICA.
## Item de CAUSA VIRTUALI, quam vocant.

### §. I.

NOtio *cauſa* duplex eſt: Una *Metaphyſica*, altera *Analytica*. Illa ſupra fuit expoſita *capite octavo*, quando cauſa in communi

ni dicebatur, *unde aliud in eſſe ſuo procedit:* Hæc eſt *ratio illa a priori, quæ analyticam reſponſionem ad quæſtionem ſcientificam* (*hoc eſt, ſolidam omnibusque numeris abſolutam probationem*) *deſideranti exacte ſatisfacere poteſt & debet.*

*NOTÆ.*

I. Hæc res eo diligentius tractanda eſt nobis, quod minus intellecta omnem ἀπαιδευσίαν peperit, totque perverſos omnis generis doctrinæ æſtimatores cultoresque relinquit. Et hoc ſane in progreſſu hujus capitis conſtare poterit, de hac duplici notione recte & ſolide percipienda cumprimis ſollicitos quoque eſſe debere, qui ſolidam eruditionem ac ſcientiam moralem & politicam atque adeo de univerſa juris naturalis ac gentium prudentia (ut nihil de ſcientia juris civilis ac Theologica dicam) affectant. Hujus namque rei gratia potiſſimum talia a nobis hic loci tractantur. *Etiam in* moralibus & *politicis nimirum tum demum vere aliquid ſcimus, quando rei cujusque* moralis & *civilis cauſſam plene cognoſcimus,* ceu judicat *Hermannus Conringius*, Vir maximi judicii, *in* aureo ſuo *libro de prudentia civili c. 10. p. m. 200. Ut in ſcientiis aliis, ita in* moralibus & *politicis quam* opti-

Digitized by Google

optime habent ſeſe omnia, quando cauſas moralium officiorum civiliumque eventuum per demonſtrationes intelligimus. p. 206. Si unā quæſtionem AN EST excipias, reliquæ omnes in ſingulis diſciplinis, etiam in moralibus ac politicis, quæſtiones agunt aut de omnibus illis quatuor cauſis in univerſum, aut de earum aliqua. Etenim quando quæritur, AN QUID EXISTAT, non ſtatim de cauſſarum aliqua quæritur: eoque quæſtionem hanc licet expedire etiam ab effectu aut ſigno aliquo duntaxat accepto. Sunt autem tales quæſtiones in Moralibus & Politicis rariores: ingens vero numerus eſt aliarum. p. 209. Præter quæſtiones de cauſis, nullam ſane in Moralibus & Politicis adferre eſt, quæ moralis & politici ſit uſus: & quæcunque tandem inciderit quæſtio, nullo temporis diſcrimine, quærit omnes aut aliquam cauſam. Ut & dubitatio omnis eſt ſaltim de aliqua cauſarum: ſemper tamen excipio quæſtionem aut dubitationem de eo, an ſit res. Quæſtionibus vero & conſultatio omnis annumeranda eſt. Etſi enim non omnis quæſtio ſit conſultatio, conſultatio tamen quæſtio eſt. Qui conſultat enim quærit. Et vero de ſingulis quatuor cauſarum conſultatio quælibet ſolet inſtitui non minus ac quæſtio. Et p. 214. Etiam quando non in promptu ſunt vere idonea demonſtrationi ac ſolidæ doctrinæ principia, ſed tantum veriſimilia, quam optime tamen & commodiſſime peti illa poſſunt ex locis cujuslibet cauſæ. Ita ſane pro-

*probabiles collectiones demonſtrationibus reddi maxime affines queunt. Id quod obſervaſſe, intereſt veritatis.* Conf. integrum *caput decimum* laudati *libri*. Idem de ſolidis doctrinis Theologorum ac JCtorum judicandum eſſe, accuratiori judicio præditi Theologiæ & Jurisprudentiæ Doctores haud inviti pronunciabunt.

II. Notionem priorem, nempe Metaphyſicam, cauſæ in communi dicto capite ſuperiori expendimus, & quia intereſt ſtudioſorum cujusvis diſciplinæ ac Facultatis, inprimis earum Facultatum, quas vulgo ſuperiores vocant, *poſteriorem notionem cauſæ in communi*, hoc eſt, analyticam aggredimur, ejus explicationi paulo diutius inſtituri. Quia vero in Analyticis *cauſa* (uti modo diximus) vocatur genuina ac ſolida ratio, qua Doctor πεπαιδευμένος πεπαιδευμένῳ ſolidamque ſcientiam quærenti Auditori ex aſſe ſatisfacere inque animo ejus ſolidam ſcientiam generare valet; antequam doceamus qualis illa ratio eſſe debeat, præmittendum omnino venit aliquid de ipſa quæſtione, ad quam ſi Auditori πεπαιδευμένῳ per talem rationem, quam *Analytices Magiſtri* cauſam vocant, reſpondeatur, Doctor, qui reſpondet, ſolide docuiſſe, auditor, cui reſpondet, ſolide didiciſſe, uterque de ſolida eruditione ac ſcientia ſibi gratulari poſſe cen-

cenſetur. Nam quicunque ſolidam informationem quærit, ſcientiam quæſtionis, aut, ſi ita malis loqui, ejus quod eſt in quæſtione, deſiderat. Nam ſi ad quæſtionem, priusquam informaretur, ſciviſſet recte ac ſolide, hoc eſt, per cauſam analytice ſumtam reſpondere, nihil cauſæ fuiſſet, cur peteret informationem. Auditor ad quæſtiones inſtar Doctoris reſpondere paratus ſuæ perfectionis numeros abſolviſſe dicitur. Ubi quæſtioni locus non eſt, ibi nec ſolidæ doctrinæ, informationi, ſcientiæ. Etſi enim non omnis quæſtio ſit ſcientifica, ſcientia tamen præſupponit quæſtionem.

III. Ante omnia igitur obſervetur, quæſtionem quamcunque hiſce duobus abſolvi: eo, quod quæritur, eoque, de quo quæritur, hoc eſt, ut *Scholæ* loqui amant, prædicato & ſubjecto. Cavendum autem ſedulo ut alibi, ita & in practicis diſciplinis, ne quis terminos, e quibus quæſtiones fiunt, ſumat ut libet, ſed ut uſu licet, quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi; Quis enim ſolidam ſcientiam moralem aut politicam amantes coget, ut teneantur quoad nudam intelligentiam quæſtionis terminos accipere in ea ſignificatione, quam quis pro mero arbitrio ſuo prius finxit. Tantum abeſt, ut ei, qui terminorum novis acceptionibus ludere vult, calcar addi debeat, ut ne

au-

Digitized by Google

audiendus ſit. Loquatur oportet conſueto & quem Viri hujus ſcientiæ peritiſſimi prudentiſſimique receperunt, probarunt, ſervarunt, modo, ſi velit audiri & intelligi, ſique nolit in ſuſpicionem inſidioſæ contentionis de modis loquendi vel alius machinationis adduci. De rebus fiunt quæſtiones, non de terminis, terminis ſaltem utimur in quæſtionibus tanquam notis rerum, ceu ſcite differit *Ariſtoteles 1. Elench. Sophiſt. c. 1.* Utamur ergo terminis, ut uſus loquendi Dominus optimusque Magiſter admittit. Et quia merito gaudemus hanc eſſe communem ſententiam omnium, qui veram Analyticam docent ſolidamque philoſophiam amant, etiam omnium Præceptorum noſtrorum, imo quorumvis, qui ſolide eruditi eſſe malunt quam videri, ceu monſtrari facile poſſet adhibitis cujusque facultatis prudentum ſuffragiis, certi ſumus fore, ut ſi quis incommodam iis nulloque uſu receptam ſignificationem vocibus quæſtionibusque impoſuerit, ſuo periculo & fortaſſis non ſine anxietudine experturus ſit, quam periculoſæ plenum opus aleæ aggrediatur, ſi primo velit Logicorum juſtam cenſuram effugere, notamque ἀπαιδευσίας declinare; Præterea ſi moralis quæſtio eſt, foro morali cedere. Suis enim utuntur terminis Grammatici, ſuis morales Philoſophi: & id quidem com-
mune

Digitized by Google

mune omnium fere eſt artium, ut veriſſime dicit *Cicero Academicarum primo*. Cavendum etiam, ne quis utatur terminis barbariem infelicis ſeculi ſine neceſſitate aut ſtudiorum emolumento redolentibus: In univerſum vero notandum firmiterque tenendum eſt, talia eſſe debere prædicata, qualia permittuntur a ſuis ſubjectis, & talia ſubjecta, qualia permittuntur a ſuis prædicatis.

IV. Et hæc de quæſtionibus, quarum partes præcognitas eſſe oportet, ut ſciant, cum alibi, tum etiam in Moralibus & Politicis, in Theologia & Jure, Doctores & Auditores, quid docendum diſcendumque veniat. Enimvero quæſtiones & reſponſiones quoad rem terminosque non differunt, eædem quippe partes, quæ quæſtionis ſunt, reſponſionis ſunt. Ita *quæſtio moralis* eſto *de obligatione, quæ ex natura promiſſionis oritur*: *An promiſſa naturaliter*, ſecluſis pactis ac legibus, quæ volunt duas partes concordare, *obligent*, hoc eſt: *an huic actui, quo ſervare quis promiſſum dicitur, inſit neceſſitas moralis adeo, ut per ſe ac ſuapte natura ſit debitus abſoluteque neceſſarius in genere morum? Quæſtio* eſto *Politica de cive primario & ſimpliciter dicto*, num jus ſuffragiorum ipſi *debeatur*, hoc eſt, *num in civitate, cujus ſocius eſt, ſuffragiorum particeps eſſe debeat, ita ut verus civis non ſit, niſi deliberationibus publicis & ſuffragiis ad-*

 bibea-

*bibeatur?* Haſce quæſtiones ſi *Ethices & Politices auditor* πεπαιδευμένος prudenti *Moralium Magiſtro* proponat, vel hic iſtius gratia ipſe eas moveat, re ipſa terminorumque ratione reſponſiones ad hujusmodi quæſtiones non differunt a quæſtionibus. Hæ enim ſunt quæſtiones: *An promiſſa ex natura ſua obligent? An civis debeat eſſe ſuffragiorum particeps?* Hæ vero reſponſiones: *Promiſſa ex natura ſua obligant. Civis debet eſſe ſuffragiorum particeps.* Iidē termini quæſtionum, iidem reſponſionum: Eædē res utrobiq; ſignificatæ. Hoc diſcrimen licet obſervare, nulla quæſtio quicquam affirmat, quicquam negát, reſponſio vero formaliter affirmat vel negat, ipſa enim formalis affirmatio eſt vel negatio. Pariter nulla quæſtio formaliter vera eſt vel falſa: Omnis autem reſponſio formaliter aut vera eſt aut falſa: & quidem ſolida reſponſio vera eſt.

V. Reſponſiones ergo ſunt propoſitiones, quæ id affirmant vel negant, quod in quæſtione erat, ſalva tamen veritate. Notari igitur porro meretur, quod reſponſiones analyticæ quæſtionibusque ſcientificis atque adeo πεπαιδευμένοις auditoribus accommodæ non ſint, niſi ut *Piccarti* ſtilo utamur, lardatæ ſint, hoc eſt, una cum ratione proferantur. Locum enim hic maxime habet, quod dicunt *Philoſophi*, veritatem non pendere a ſubjecto, ſed ab objecto.

Cu-

Cujuscunq; igitur eruditionis auctoritatisq; fuerit, qui ad propoſitam quæſtionem reſpondet, ſi reſpondeat non adjecta genuina ac ſolida ratione, nullã ſcientiam demonſtrativam adeoq; nullam doctrinam, nullam ſolidam eruditionem in animo auditoris relinquit, nec genuini doctoris officio recte fungitur. Idem *Logicorum* probatur auctoritate. Nam argumenta artis expertia dicuntur illis argumenta non ex ipſa quæſtione eruta, ſed extrinſecus aſſumta, cujuſcunque tandem auctoritas argumenti vicem ſuſtineat.

VI. Et hanc rationem, cum qua propoſitio, ut ſolida reſponſio (quæ auditori πεπαιδευμένῳ ſatisfaciat) dicatur, ſtare debet, *præſenti* §. 1. CAUSAM diximus ſuoque modo determinavimus. Sed ut melius analytica CAUSÆ notio meliusque intelligatur, dicemus paulo accuratius, quomodo ea comparata eſſe debeat. Et primo quidem loco idque maxime omnium notari meretur, hanc rationem debere eſſe *propriam*. Eam vero rationem dicimus propriam, quæ ita ſe habet, ut ſyllogiſmo includi poſſit, (Dicimus: includi poſſit: ſive includatur, ſive minime. Omnes quippe rationes ſyllogiſmis includere, utut poſſibile ſit, non tamen eſt abſolute neceſſarium, nec eſt uſitatum, nec decorum, cum arguere videatur, illum, cujus gratia ſyllogiſationes inſtituuntur, tardi eſſe ingenii

minusque exercitatum, quo de in Logicis agitur) cujus effectus, hoc eſt, concluſio ſit reſponſio a Doctore allata, ita tamen, ut ad idem genus doctrinæ ſyllogiſmus (qui nobis hoc loco idem notat, quod præmiſſæ, ſic enim ſyllogiſmi pars, ut ex *Logicis* cuivis liquet, non eſt concluſio) pertineat, ad quod concluſio. Exempli cauſa: Quæſtionem ſcientificam ante diximus illam moralem: *An promiſſio ex ſua natura obliget?* Nam ſcientifice reſpondet *Moralium Doctor*, dum reſpondet: Omnino promiſſio ex ſua natura obligat, quia promiſſario, ut vocant, hoc eſt, ei, cui promiſſio facta eſt, ex promiſſo qua tali jus adverſus promiſſorem quæſitum eſt. Modo enim in gratiam minus exercitati Moralium cultoris redigamus rationem in formam ſyllogiſticam, apparebit cuivis facile, eam propriam eſſe. Argumentum eſto tale: Ex quocunque qua tali, *ſecluſis omnibus pactis legibusque poſitivis*, alteri jus quæſitum eſt, hoc ex ſua natura obligat eum, adverſus quem jus quæſitum eſt. Atqui ex promiſſo qua tali, ſecluſis omnibus pactis legibusque poſitivis, adverſus promiſſorem ei, cui promiſſio facta eſt, jus quæſitum eſt. Ergo promiſſum ex ſua natura promiſſorem obligat. Major propoſitio nititur principio juris naturalis per ſe notiſſimo: Unicuique ſuum jus tribuendum eſt, adeoque Major

pro-

Digitized by Google

propoſitio per ſe ad Moralia ſpectat. Minor propoſitio uti Philoſophiæ morali propria eſt, ita ex ea ſufficienter poterat probari forſan ſequentem in modum: Voluntate ſufficienter ſignificata jus ad transferendum jus quæſitum eſt. Atqui promiſſo qua tali voluntas ſufficienter eſt ſignificata E. ex promiſſo qua tali jus *adverſus promiſſorem* ad transferendum jus quæſitum eſt. Major propoſitio vulgo juris naturalis eſſe dicitur. Hoc enim ineſt in ipſa juris, pleni ſcilicet, natura, ut qui habet illud, aut totum aut ex parte transferre poſſit: Juris autem naturalis eſt, eo quidem ſenſu, quo ejus juris reductive, ut *Scholæ* loqui amant, ea quoque eſſe dicuntur, quibus jus naturale non repugnat. Jam rurſus poteramus argumentari: In quemcunque voluntate ſufficienter ſignificata jus translatum eſt, ei voluntate ſufficienter ſignificata adverſus alterum jus ad transferendum jus quæſitum eſt. (Ex ſingularibus enim jurium experimentis facta inductione liquet, eum qui juſte poteſt majus, poſſe etiam minus, quod ſub majori comprehenditur. Qui ergo jus poteſt transferre, quidni transferre jus ad transferendum jus poſſet?) Atqui *in alterum e. gr. donatarium*, ceu appellant, voluntate ſufficienter ſignificata *e. gr. donatione* jus translatum eſt, omnibus id admittentibus, maxime ſi traditio rei acceſſerit. E. adver-

ſus alterum e. gr. promiſſarium, uti nuncupant, voluntate ſufficienter ſignificata *nempe promiſſione* jus ad transferendum jus quæſitum eſt. Promiſſio quippe nihil aliud ſignificat, quam ſignificationem voluntatis noſtræ factam de re futura alterius gratia, eſtque omnibus gradibus numerisque abſoluta, quæ alteri, ei ſcilicet, cui promiſſio facta eſt, plenum jus dat ad exigendum promiſſum a volente nolente promiſſore, hoc eſt, eo, qui promiſerat. Aut enim fuit promiſſum dandi, aut fuit promiſſum faciendi. Illud dicit jus ad alienandam rem, hoc arguit jus ad alienandam libertatem, aut ejus particulam. Dantur tamen etiam promiſſa, ut obligatio ſit in promiſſore, & nullum jus in promiſſario, ut vocant, hoc eſt, ejus naturæ, ut obligent quidem promiſſorem, ipſeque ſalva naturali æquitate voluntatem ſuam mutare nequeat, nec tamen iſte, qui promiſit, ad impellendam fidem cogi jure naturæ poſſit, nec ex tali promiſſione res promiſſoris contra voluntatem ejus retineri, quæ vulgo promiſſa ſecundi gradus nuncupant. Quid? quod quis promittere potuiſſet cum reſervato ſibi jure mutandi ſuam voluntatem, ſicuti ſæpe teſtator ſibi reſervat jus mutandi ſuam voluntatem, non raro mutat, ſalvis officiorum moralium regulis, quæ promiſſa dicuntur promiſſa primi gradus, & vix, imo

imo ne vix quidem, merentur nomen promiſſionum, cum ad ea, ut vitio careant, veritas cogitationis ſufficiat.

VII. Tantum de *morali* exemplo propriarum propoſitionum: Alterum, idque *politicum*, aſſumamus. Quæſtio erat: *Num civis debeat eſſe particeps ſuffragiorum in civitate?* Reſponſio hæc: *Omnino debet eſſe particeps ſuffragiorum.* (Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi omnes cives de quibuslibet negotiis ferre ſuffragia debeant, hoc enim & immenſum laborem, & liberalius, quam in quosvis promiſcue cadit, otium exgeret, ſed poteſt a civibus in quibusdam, minoris præſertim momenti, negotiis, aliquibus poteſtas definiendi & decidendi committi, qui ea auctoritate armati univerſum populum repræſentant.) Ratio, cur civis debeat eſſe particeps ſuffragiorum in civitate, hæc datur, quia ſalutem civitatis ope conſilioque pro viribus juvare tenetur. Jam ſi hanc rationem ſyllogiſmo includas, præmiſſas ſane æq; ac concluſionem unius prorſus ejusdemque generis doctrinæ eſſe deprehendes. Argumentum erit tale: Quicunque ſalutem civitatis ope conſilioque pro viribus juvare tenetur, is debet eſſe particeps ſuffragiorum civitatis. Atqui civis ſalutem civitatis ope conſilioque pro viribus juvare tenetur. E. civis debet eſſe particeps ſuffragiorum civitatis.

tis. Utraq; præmiſſarum facillima eſt probatu, nequit vero aliunde probari, niſi ex *doctrinæ politicæ genere*. Major nititur hoc axiomate *Politico: Neceſſitas finis facit jus in Politicis;* ſeu quod eodem redit: Qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media prorſus & ſimpliciter ad illum finem neceſſaria. Ea quippe, quæ ad finem ducunt in morali materia, æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine: quare quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria, neceſſitate ſumta non ſecundum phyſicam ſubtilitatem, ſed moraliter, ad ea jus habere intelligimur. Quomodo vero ſuppetias feret Reipublicæ, qui morbos ejusdem ignorat? Et quomodo quis membrum Societatis audiret, qui ad ſententiam de rebus ad Societatem pertinentibus dicendam non adhiberetur? Sane plebs Romana, antequam ad ſuffragia & honores admitteretur, conqueritur, ſibi nec in conſortio, nec ſocietate Reip. eſſe licere apud *Livium VI. Cap. 37.* Minor propoſitio itidem *Politicæ* propria ſufficienter doceri poteſt. Nam civilis ſocietas ad tuendam tranquillitatem inſtituta eſt, verusque civis omnem operam, cogitationes, bona, ipſum denique ſanguinem in uſum civitatis ſuæ convertere tenetur, id quod omnis inter homines ſocietatis initæ exemplo liquet. Quo magis igitur magisque ſalutem civitatis ope conſilioq;

ſuo

Digitized by Google

ſuo civis juvare valet, eo magis magisque nomen perfecti civis meretur. Equidem plurimi ſunt, & inter eos *doctiſſimi Viri*, qui hanc rationem tantum abeſt ut pro genuina ac propria habeant, ut potius eam penitus rejiciant, exiſtimantes ſuffragiorum jura a civibus abeſſe poſſe, ſed hi ſane vix omnem ἀπαιδευσίας notam poterunt effugere. Nam in *Analyticis* bene verſato cognitum eſſe debet, civem eſſe ex numero communium πρὸς ἕν, & quidem illorum, de quibus *Grotius* ſcribit certiſſimum eſſe, nomen generis ſæpe ſpeciei præſertim excellentiori peculiariter adhæreſcere. *Analytici* ita efferunt: *Commune πρὸς ἕν abſolute poſitum ſtat in ſignificatu famoſiori.* Non ergo de cive quocunque modo tali quærebatur, num particeps eſſe debeat ſuffragiorum, ſed de perfecto omnibusque numeris abſoluto cive. Nam qui rationem hanc aſſequi neſciunt, non tam rem ipſam & definiti ab *Ariſtotele* civis perfectionem ſpectant, quam normam ſuæ civitatis vel etiam vulgo uſitatam loquendi conſuetudinem. Non paucis certe ſtatus Reipublicæ Romanæ impoſuit, ut ſplendore & magnitudine ejus decepti, mores ejusdem pro communibus & univerſalibus præceptis venditare non erubuerint.

VIII. Nunc ad alia requiſita progrederemur, niſi metuendum nobis eſſet fore, ut

difficultas lectorem premere queat, & quæ forte plures hactenus preſſit, quam ut pro viribus nitamur tollere, ratio inſtituti poſtulat. Scilicet ita conſtitutum eſſe docuimus, eam rationem, quæ vel alibi, vel in *Moralibus* & *Politicis* adfertur, CAUSAM in *Analyticis* dici poſſe, ſi propria ſit, hoc eſt, quæ in formam Syllogiſticam redacta talem ſyllogiſmum arguat, qui proprius ſit, hoc eſt, cujus præmiſſæ & concluſio per ſeſe, non autem per accidens ad unum idemque genus doctrinæ ſpectent. Adeſt ergo difficultas haud facilis fortaſſis expeditu, ea quidem, unde ſcilicet conſtare ſatis poſſit præmiſſas & concluſionem unius eſſe ejusdemque generis? Nam communiter in *Scholis* ad quæſtionem: Unde Auditores Doctoresque πεπαιδευμένοι ſcire poſſint ea, quæ allata perceptaque fuerant, propria eſſe? reſponderi ſolet, inde hoc conſtare, ſi præmiſſæ & concluſio ſint unius ejusdemque generis, hanc vero difficultatem relinqvunt, unde conſtet, quod præmiſſæ & concluſio ſint unius ejusdemq; generis? Hoc enim eſt ζητούμενον, & prius ſane definitum oportuit hoc ipſum, unde videlicet conſtet, præmiſſas & concluſionem ejusdem eſſe generis. Atque eo intimius expendenda venit ea quæſtio, cujus felix aut infelix deciſio quot æquitatum aut iniquitatum mater hactenus fuerit & eſſe etiamnum

poſſit,

poſſit, nemo ſolidam eruditionem ſolidaque ſtudia Academica recte æſtimare volens non videt. Unde enim tot querelæ, tot indignationes, tot ſæpe ſiniſtra judicia oriuntur, dum nempe alter de alterius vitioſis ſaltibus de genere ad genus querimonias habet, easque ultro citroque jactat, alter accuſat alterius πολυπραγμοσύνην & curioſitatem, quod exceſſerit limites ſui objecti & falcem miſerit in alienam meſſem, aut extra choreas ſaltaverit, inde acerbitatem animorum, odia, contentiones videas. Sed hujus quæſtionis ſolida ac recta deciſione provideri poterat, ne qua juſta querela eſſe poſſet, quisque enim habet, quod domi ſuæ curet. Naturam concluſionis quisquis ſedulo expendit, admittit facile, eam, hoc quod ſit concluſio, habere a præmiſſis, unde concluſio vulgo effectus ſyllogiſmi (ut hic dicit præmiſſas) audit: Præmiſſas vero, hoc, quod ſint præmiſſæ, non habere aliunde, niſi a ratione illa, quæ ſtat loco medii termini, ut cognoſcitur tanquam medius terminus. Sicut ergo præmiſſæ & concluſio hoc, quod ſint præmiſſæ & cõcluſio, habent a medio termino: Itẽ hoc quod ſint veræ præmiſſæ veraq; concluſio: Ita huic conſequens eſt, ut ſi recte judicare velis de toto ſyllogiſmo, ut præmiſſas ſimul & concluſionem dicit, num conſtet ex propriis? judicare debeas ex medio termino, ſic ut hic ſyllogiſmus per ſe

mo-

*moralis* ſit, cujus medius terminus per ſeſe ad *Moralem Philoſophiam* ſpectat & inde petebatur; hic *politicus*, cujus medius terminus per ſeſe ad *Politicam Philoſophiam*; hic *Theologicus, Juridicus* &c. cujus medius terminus per ſe ex *Theologia* aut *Juriſprudentia* depromitur.

IX. Id ſuis rationibus conabimur perſuadere: Igitur ſequentia aſſerimus. *Primum* eſt: medium terminum eſſe formam totius ſyllogiſmi. Nam concluſio, non ſpectata, ut reſpicit medium terminum, eſt nuda propoſitio, nulla concluſio: Idem judicare quiſque tenetur de qualibet præmiſſarum ſeorſim conſiderata. Ut ab albedine paries hoc habet, quod albus ſit: Ita a medio termino præmiſſæ & concluſio hoc habent, quod perfectus ſyllogismus ſint. Forma enim dat eſſe rei. *Alterum*: Medium terminum ſpectari, ut ab eo ratio præmiſſarum & concluſionis, maxime vero habitudo ejus, quod concluditur, ad id, de quo concluditur, pendet: hac enim ratione eſt medius terminus. *Tertium*: Medium terminum reduci debere ad illud fundamentum, quod ejus generis eſt, cujus totum argumentum, hoc eſt, præmiſſæ & concluſio, eſſe dicuntur. In eo enim cardo rei vertitur. nec ſuperaveris facile difficultatem ante motam, niſi ad fundamentum unius ejuſdemque generis, cujus præmiſſæ

&

& concluſio eſſe debent, recurras. Exempli gratia: Revocentur in memoriam duæ quæſtiones ſuperius traditæ: Una *Moralis*, *Politica* altera. *Moralis* erat: Cur promiſſum ex ſua natura obliget promiſſorem? Medii termini loco ponebatur, quia *promiſſario, hoc eſt, ei, cui promiſſio facta eſt, jus adverſus promiſſorem quæſitum eſt.* In alterius quæſtionis: Cur civis debeat eſſe particeps ſuffragiorum ſuæ civitatis? deciſione hic medius terminus adducebatur, quia *ſalutem ſuæ civitatis ope conſilioque pro viribus juvare tenetur.* Quando dicis, argumenta per hoſce medios terminos illata, unum *mere morale*, alterum *mere politicum* fuiſſe, verum quidem dicis, in eo tamen nondum acquieſcere datur, ſi ideo prius *mere morale*, poſterius *mere politicum* argumentum dixeris, quod illius præmiſſæ & concluſio ad *genus Philoſophiæ, quæ omne juſtum naturale exponit*, hoc eſt, *moralis Philoſophiæ*; hujus autem argumenti præmiſſæ & concluſio ad *genus civilis Philoſophiæ*, quam *Politicam* appellant, ſpectet. De eo quippe certiſſimus eſſe debebas, quod illæ præmiſſæ unice ad *illud*, hæ tantummodo ad *hoc Philoſophiæ genus* ſpectent. Sed, uti diximus, ſalvo meliori judicio, liquere poteſt, facta præmiſſarum reductione ad genuinum ac ſolidum fundamentum, quo genus iſtius doctrinæ nititur. Ita hoc eſt verum ac genuinum fun-

fundamentum univerſæ philoſophiæ, quæ omne juſtum naturale exponit, quod detur per ſe ac ex ſua natura honeſtum, item per ſe ac ex ſua natura turpe, quodque per ſe ac ex ſua natura honeſtum ſit expetendum, per ſe ac ex ſua natura turpe ſit fugiendum. Unde conſequitur, quæcunque propoſitiones non niſi de per ſe ac ex ſua natura honeſto aut per ſe ac ex ſua natura turpi enunciant, non poſſe non inter propoſitiones *Morali Philoſophiæ* proprias numerari. Jam vero per ſe ac ex ſua natura honeſtum eſt, omnibus, qui modo ſaniori judicio præditi ſunt, id fatentibus, ſuum jus alteri tribuere. Pariter ex *Morali Philoſophia* liquet in hoc conſiſtere naturam perfectæ promiſſionis, ut fundet jus quæſitum ad transferendum jus. Quis ergo dubitaret amplius huncce ſyllogiſmum, quo hæc quæſtio: Num promiſſum ex ſua natura obliget promiſſorem? per hunc medium terminum inferebatur, quia promiſſario, hoc eſt, ei, cui promiſſio facta eſt, jus adverſus promiſſorem quæſitum eſt, eſſe mere moralem. Major enim propoſitio erat notitia juris naturalis, h.e. de actu per ſe ac ſuapte natura honeſto adeoque debito. Minor propoſitio erat notitia promiſſionis, ut tandem inde concluderetur, promiſſum ſervare eſſe actum per ſe ac ſuapte natura debitum. Sic quoque verum ac genuinum fun-

da-

Digitized by Google

fundamentum *Philoſophiæ de prudentia civili* eſt, quamvis perfectam ſocietatem ad αὐταρκείαν καὶ εὐδαιμονίαν inſtitutam eſſe, eaque omnia eſſe juſta, quæ per ſe ad obtentum αὐταρκείας καὶ εὐδαιμονίας, ut hæc tamen illius mater ſit, faciunt. Quia igitur civis neutrum finem ſat feliciter, utque juſtum ac par eſt & officio ſuo conveniens, procurare valet, ſuaque munia dextre obire nequit, (de perfecto cive ſermo erat) niſi magni momenti deliberationibus & ſuffragiis ferendis adhibeatur, inde deducebatur hæc mere politica concluſio, quod civis debeat eſſe particeps ſuffragiorum, quam mere politicam eſſe inde cognoſcere datur, quia præmiſſæ, ex quibus hæc concluſio eliciebatur, ipſaque ratio locum medii termini tenens, unde unio extremorum hujus concluſionis pendebat, in genuinum ac adæquatum fundamentum univerſæ doctrinæ politicæ abit. Ex profeſſo hanc materiam & pro dignitate tractavit Vir exquiſiti maximique judicii *Dn. D. Johannes Muſæus*, plane eximio ſuo *libro de uſu principiorum rationis & Philoſophiæ in controverſiis Theologicis contra Vedelium*, qui *libro ſecundo, integro capite primo* videatur conſulaturque.

X. Et tantum de primo requiſito. Ad alia properamus. Secundo requiritur, ut hæc ratio ita comparata ſit, ut ſyllogiſmo in-

incluſa arguat præmiſſas ac concluſionem *veras*, & quidem *neceſſario ac certo veras*. Vera debet eſſe concluſio, quia ſi quis id, quod falſum eſt, verum arbitretur, is non erit ſciens, ſed deceptus aut ignorans: Imo poteſt quidem ejus, quod falſum eſt, haberi opinio, nunquam vero ſcientia. Neceſſario vera debet eſſe concluſio: Non enim ſcientia omnibus numeris abſoluta & perfecta dabitur de eo, quod aliter ſe habere poteſt. Certo vera debet eſſe concluſio: Nam ſi de incerto poſſet haberi ſcientia, quidni etiam de falſo? Et annon communi conſenſione ea cognitio maxime meretur nomen ſcientiæ, quæ omnem formidinem oppoſiti debebat excludere: Maxime vero hæc duo ab invicem diſtinximus: neceſſario verũ & certo verum. Determinatio enim & neceſſitas veritatis aut falſitatis ſaltem reſpicit objectum: Contra certitudo reſpicit ſubjectum, h.e. eum, qui propoſitionem aut ipſe efficit, aut ab alio effectam percipit, ſicque tum demum neceſſario vera propoſitio certo vera dicitur, quando alicui de neceſſaria conformitate propoſitionis cum objecto infallibiliter conſtat. Jam quia concluſio debet eſſe vera E. & ratio præmiſſis incluſa, quia verum non ſequitur ex falſo, cum in omni conſequentia ſyllogiſtica proprie tali non ponatur conſequens, niſi poſito antecedente. Remoto igitur conſequente,

te, removetur antecedens. Paucis: Ex quo
verum ſequi debet, illud debet eſſe verum.
Ex ratione, quam præmiſſis incluſam CAU-
SAM in ſenſu Analytico diximus, verum
ſequi debet. Ergo ratio, quam præmiſſis
incluſam CAUSAM diximus, debet eſſe ve-
ra, Porro quia concluſio debet eſſe neceſſa-
rio vera E. & præmiſſæ. Nam ſi ex contin-
genti poſſet concludi infallibilis ſcientia, cur
non etiam ex falſo, cum contingens poſſit
eſſe falſum. *Ariſtoteles* ita diſſerit: *Si id,
quod certo ſcimus, non poteſt ſe aliter habere, il-
lud profecto ſequitur non niſi neceſſarium ſub
ſcientiam demonſtrativam cadere: At ſcientiam
demonſtrativam tum demum obtinemus, quando
mente aſſequimur ipſam demonſtrationem, quare
demonſtratio erit ratiocinatio, quæ neceſſario
conſtat ex neceſſariis: 1. Poſter. Analyt. c. 4.*
Pariter quia certa debet eſſe concluſio, ratio
præmiſſis incluſa, quam CAUSAM dicimus,
certa eſſe debet. Nam quocunque aliquid
certo probare volo, de eo certus eſſe debeo.
Præmiſſis ſcientificis aliquid certo probare
volo. E. de præmiſſis ſcientificis certus eſſe
debeo. De quo autem certus eſſe debeo, il-
lud debet eſſe certum: Nam ſi ex incerto cer-
tum, quidni etiam ex contingenti neceſſa-
rium, ex falſo verum ſequi poſſet. Equi-
dem negari nequit plures ut alibi, ita etiam
in *Moralibus* & *Politicis* dari rationes & con-

cluſiones non neceſſario ac certo veras, haud exiguus tamen earum numerus rationibus ſcientificis, &, quæ iis reſpondent, concluſionibus, maxime affinis reddi poteſt. Nam *primo* præſtat ex veriſimilibus concluſiones inferre, quam ex nullis propoſitionibus, quando non in promtu ſunt veræ CAUSÆ, quas *Analyticus* alias ad demonſtrationem requirit. *Deinde* ſequioris ordinis eſt hæc CAUSA, quæ in formam ſyllogiſticam redacta arguit præmiſſas vel plerunque veras, vel neceſſario veram concluſionem, quamdiu ſc. præmiſſæ veræ manent. Nihil enim obſtat, quo minus contingentium ut plurimum, in quantum ſunt contingentia ut plurimum, determinata veritas habeatur. Sicut in *Phyſicis* ratio dari poteſt, cur aliquando aliter contigerit, cum plerumque ita contingere ſciamus: Ita idem in *Moralibus* & *Politicis* obtinet, ubi ſæpe ſufficit ad concluſionem ſcientiæ proximam, ſi docere aut diſcere poſſis, quod hæc plerunque damna, pericula, corruptiones pariant, nixus illo axiomate: Omne, quod rei damnum infert, periculum, ipſum interitum, vitandum eſt.

XI. Tertio neceſſum eſt, ut ratio, quæ in *Analyticis* CAUSA dici debet, ſit immediata. Quod enim certum eſt, de eo non amplius dubitatur. Ratio, quæ in *Analyticis* cauſa dicitur, certa eſt. Ergo de ea amplius non du-

dubitatur. De quocunque non amplius dubitatur, illud non eget probatione. Quodcunque non eget probatione, illud eſt primum. Quod primum eſt, illud non habet prius, quo probetur, quia primo non datur prius. Quod non habet prius, quo probetur, illud eſt immediatum. E. ratio, quæ in formam ſyllogiſticam redacta DEMONSTRATIO audit, eſt immediata. Hic tamen notandum adhuc ducimus, quod CAUSA analytice ſumta duobus modis immediata dici poſſit: *Primo*, in quantum eſt ratio propria, neceſſario ac certo vera, quæ proxime & ſimpliciter ſatisfacit auditori ſolidam ejus, quod in quæſtione erat, ſcientiam quærenti, ut ita propior certiorque ratio dari nequeat. *Secundo*, in quantum ea ratio propria, neceſſario ac certo vera nequit fieri concluſio ſcientifica, h. e. fieri nequit, ut per aliam rationem, quæ veræ CAUSÆ analytice ſic dictæ nomen ſibi vendicet, inferatur. Priori modo ſi cauſa immediata ſumatur, omnis certe ratio, quam *Analytici* cauſam vocant, immediata eſt: Poſteriori modo ſi cauſam immediatam accipias, non neceſſum eſt, ut omnis cauſa, quæ *Analyticis* ita dicitur, ſit immediata. Nam CAUSA analytice ſumta eſt duplicis generis: Alia non habet cauſam analytice ſumtam: Alia agnoſcit aliam cauſam analytice ſic dictam.

 Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt: Quævis talismodi ratio vel per aliam rationem cognoſcenda venit, vel per aliam rationem cognoſci nequit, ſed vel ex ſingularibus experimentis facta inductione, vel per ſe ſatis πεπαιδευμένῳ liquet.

XII. Denique neceſſe eſt, ut qui ſolidam ſcientiam in ſuo vel alterius animo relinquere vult, ſatis certus ſit, quod hæc ratio, quam CAUSÆ analytice ſic dictæ loco adfert, ſit ratio propria, neceſſario ac certo vera & immediata. Nam ſi vel maxime rationem ſciat aut adferat, ex qua propoſita quæſtio ſequitur, rationem domeſticam, aliis certam, neceſſario veram, immediatam, ſi tamen ipſe vel auditor neſciat eam rationem eſſe domeſticam, certam, neceſſario veram, immediatam, ſane ea ratio non poteſt eſſe CAUSA Scientiæ, hoc eſt, ſcientiam in ipſius vel auditoris animo parere nequit. Inde fit, ut ſæpe quis ramentum pro argento ſibi patiatur objici, ſi neque docere volens, nec auditor, contingens a neceſſario, probabile a certo, commune a genuino, immediatum quocunque modo ab eo, quo ſimpliciter ac ex aſſe ſatisfit ſolidam ſcientiam quærenti ac ſimul πεπαιδευμένω, ſciat diſcernere. Sæpenumero efficitur, ut qui imprudentia docendi laborant, inſtar malorum coquorum optima jura confundent, um etiam ſolidiſſimas maximeque neceſſarias doctrinas ſic

pro

proponant auditoribus, ut in nullum, quod ajunt, ſuccum nullumque ſanguinem ab iis verti queant. Nam ſæpe illi, qui accurate docent, non tamen accurate docent, quia neſciunt, quid docuerint, aliosque docendo demum ſeipſos docere, & inter docendum, quid ſit docere, diſcere voluerunt. Perſæpe evenit, ut ἀπαίδευτος auditor etiam doctrinam rectiſſime ac convenienter & ſatis apposite traditam nequeat capere, utque minus prudentem & cui maximus eruditionis theſaurus in lingua ſedet, prudentiſſimo præferat. Quid? quod Moralium inprimis Auditores ἀπαίδευτοι ſæpiſſime auditis vocibus: *demonſtratio moralis, demonſtratio politica*, talia monſtra ſibi fingant, quæ ſuperare queant. Ut in rebus civilibus optima cauſa male agendo perditur: Sic fit indies, ut ſcientia, doctrina, labor, ſtudium male ſe habeant, nunc ob docentis, nunc ob diſcentis ἀπαιδευσίαν. Nec amplius ſubeat mirari, cur prudentes diſcipuli magiſtrique h. e. prudentia diſcendi docendique inſtructi (qua qui gaudent, norunt exacte, quomodo ſingula prudenter h. e. perſpicue, ordinate, rebus congruenter doceri diſcique debeant) tantum uno anno præſtare valeant, quantum alii, qui τρόπον ἐπιστήμης ignorant, tribus pluribusve annis præſtare nequeunt.

XIII. Poſſent quidem plura nunc adferri

de notione analytica CAUSÆ, maxime contra *Recentiores*, qui Ariſtotelici videri volunt, nec tamen ſunt. Qua enim ratione hi ipſi ſæpius judicio labantur, dum Analyticas *Ariſtotelis* doctrinas jactant, quæ ne per ſomnium quidem *Ariſtoteli* in mentem venerant, & quomodo eorum pravo exemplo diſciplinarum practicarum Cultores, qui eos ſectantur & admirantur, fallaces inſtituant ἀναλύσεις, tempusque ac operam ludant, more ſuo, hoc eſt, ſuccincte & accurate docuit *Dn. Conringius libro de prudentia civili* c. 10. *p.m.* 197. *& ſeqq.* qui cum judicio legatur. Sed quia unicum noſtrum propoſitum erat diſcrimen CAUSÆ metaphyſice ſumtæ ab Analytica notione indicare, plus ſatis pro ratione inſtituti actum eſſe videbitur.

§. 2. Quia duplex datur *notio cauſæ: Metaphyſica & Analytica*, nullum dubium eſt, quin duplex quoque *notio cauſati* admitti debeat. Et quidem quæ ſit *notio cauſati Metaphyſica*, ex *cap. 8. §. 6. & 7.* abunde patere credimus: *Cauſatum* vero *analytice ſumtum* nihil eſt aliud, quam *Concluſio quæ demonſtratur.*

NO-

## NOTÆ.

I. Exempla repetantur e *notis ad præcedentem §. primum hujus capitis.*

II. Habemus hac in re præeuntem Dn. *D. Fridemannum Bechmannum*, qui more ſuo, hoc eſt, maxima perſpicuitate veram ſententiam & ſimul *Ariſtotelis* mentem exponit *Inſtit.* Logic. *lib. 4. c. 1. §. 13. Ad hoc, ut quis ſciat aliquid, requirit Philoſophus, ut ſciat rem aliter ſe habere non poſſe; quæ verba de* CONCLUSIONE, QUAM QUIS SCIRE DESIDERAT, *intelligenda ſunt, ut ſenſus ſit eum qui accurate aliqud ſcire vult, certum eſſe debere, quod* CONCLUSIO, CUJUS SCIENTIAM INTENDIT, *ſit neceſſaria, & aliter ſe habere non poſſit, ſeu quod concluſionis prædicatum neceſſario ſubjecto competat.* HANC ESSE MENTEM ARISTOTELIS *facile oſtenditur. Inſtitutum enim Ariſtotelis eſt, tradere ſcientiam certam, immotam & conſtantem, ad quam requiritur, ut id, quod ſcitur, ſit conſtans, ita ut aliter ſe habere non poſſit:* ILLUD *autem* QUOD SCITUR EST CONCLUSIO. *Ergo de concluſione intelligendum eſt, quod aliter ſe habere non poſſit.* Add. *§. 24.* In hoc ſolido judicio merito acquieſcimus. Eandem ſententiam prolixe tuetur *D. Petrus Muſæus*, deque ea ex *Fonſeca* & *Mendoza* nervoſe diſſerit *Inſtitut. Metaph.* c 20. §. 14.

III. Interim non negatur, ſi ſubjectum,



Digitized by Google

concluſionis ſit ens ſimpliciter neceſſarium ac immutabile, eo perfectiorem ſcientiam ſperari poſſe.

III. Eſt hæc communis ac recepta probatiſſimorum *Doctorum Analyticorum* ſententia, quam deducere eſſet ſoli lucem affundere.

§. 3. Porro uti *cauſa metaphyſice ſumta*, ita etiam *cauſa analytice* accepta agnoſcit ſua neceſſaria requiſita. Quidnam vocetur *materiale cauſæ in ſenſu Metaphyſico*, conſtat ex *cap. 8. §. 10. & 11.* *Materiale* vero *cauſæ in ſenſu Analytico* erit *illud, quod medium eſſe poteſt, a quo tanquam principio proprio, certo, neceſſario, vero ac immediato unio extremorum concluſionis, cujus ſcientia quæritur, pendere queat.*

*NOTÆ.*

I. Recurrere libet ad exempla *notis ad §. 1.* allata. Ita quia ex eo, quod de promiſſo aſſeritur, iſtud fundare poſſe jus quæſitum adverſus promiſſorem, deduci poteſt naturalis obligatio promiſſi, qua promiſſor obligatus dici queat, ſic ut medium eſſe poſſit, a quo

a quo tanquam a principio proprio, certo & neceſſario, vero ac immediato unio extremorum hujus concluſionis: E. promiſſum ex ſua natura promiſſorem obligat; pendere queat, inde adeſſe volumus *materiale notionis Analyticæ* CAUSÆ. Idem judicium eſto de hoc, quod de cive affirmari poteſt, ac ſi ſalutem civitatis ope conſilioque pro viribus juvare teneatur, in ordine ad hanc propoſitionem: Civis debet eſſe particeps ſuffragiorum.

II. Quemadmodum vero *cap. 8. §. 11.* notabatur, *materiale cauſæ metaphyſice ſumtæ* poſſe eſſe ens & non ens: Ita hic notandum ducimus, quod *materiale* CAUSÆ *analytice ſumtæ* poſſit eſſe affirmativum & negativum quid, licet affirmativa negativis præpolleant. Videatur Dn. *Conringius lib. de prudentia civili c. 10. §. Igitur cum multiplex p. m 194.* & *§. qvum porro p. 214.* ut & *ſeqv. §. p. 215.*

III. Quid? quod particulares rationes quandoque medii loco eſſe poſſint, quæ tamen univerſalibus rationibus comparatæ non mereri poſſunt Analyticam CAUSÆ denominationem: Sicut enim alias negativa & particularis partes debiles dicuntur, ita ſi qualiscunque ſcientiæ cauſa eſſe poſſunt, imperfectæ & debilis ſcientiæ cauſa erunt.

§. 4. *Ratio cauſandi* ex parte

cauſæ in ſenſu Metaphyſico ſpectatæ *cap. 8. §. 12.* explicabatur: At *vi cujus aliquid poſſit eſſe cauſa analytice ſumta*, hujus ratio in eo conſiſtit, *ſi poſſit ſolidam ſcientiam quærenti ex aſſe ſatisfacere.*

*NOTÆ.*

I. Ex quibus autem talis aptitudo dijudicari queat, fuſius notis ad *§. 1. præſentis capitis* diſſeruimus.

II. In *Metaphyſicis* quod nullam plane dicit rationem cauſandi, aut qua tale eam non dicit, aut plane non eſt aut qua tale non eſt vera *cauſa metaphyſice accepta*: Pariter in *Analyticis* quod plane non aptum eſt, ut ſit vel fiat medium demonſtrationis, aut quod qua tale demonſtrationi idoneum non eſt, ei vera *notio analytica* CAUSÆ nequit competere. Exempli gratia: Si quis inde, quod dicebatur ex promiſſo ei, cui promiſſio facta eſt, jus adverſus promiſſorem quæſitum eſſe, inferre ac demonſtrare vellet, quod etiam promiſſor, eo caſu, quo alter, cui promiſſio facta erat, eum liberaverat, ſtare promiſſo debeat. In hoc ſane actu, quamvis alias jus naturæ de promiſſo diſponat, imago quædam mutationis fallit incautum, ut exiſtimet, ſecus ſi pronuncietur, mutari

Jus

Jus naturæ, cum revera hæc concluſio Juris naturalis: promiſſio ex ſua natura promiſſorem obligat; non mutetur, ſed promiſſio, de qua jus naturæ conſtituit, quæque mutationem recipit. Nam ſi is, cui promiſi, me liberet a promiſſione, jam ſervare promiſſum non teneor, non quia Jus naturæ deſierit præcipere ſervandum, quod promitto, ſed quia quod ex promiſſo debebam, deberi deſiit.

§. 5. *Formale cauſa metaphyſice ſumta cap. 8. §. 13.* explicabatur: In *Analyticis cauſa per hoc eſt cauſa, quod ſolidam reſponſionem ad quæſtionem ſcientificam quærenti ex aſſe ſatisfaciat.*

*NOTA.*

Cæterum quemadmodum in *Metaphyſicis* multa occurrunt, quæ licet nec cauſa ſint, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas, neceſſaria tamen ad hoc ſunt, ut aliquid actu fiat vel ſit cauſa: Ita in Analyticis varia ſane dantur requiſita & gradus, ut vocantur, propoſitionum, de quibus videri poſſunt *Ariſtoteles in libris poſteriorum Analyticorum, Dn. D. Zeidlerus in Analyſi, libro primo a capite tertio usque ad decimum quintum, Dn. D. Bechmannus Inſtitut. Log. libro quarto*

capite

*capite ſecundo* & *tertio*. Nec dubitamus, quin alia ex illis requiſitis *primaria*, alia vero *ſecundaria* dici mereantur, quod obiter tetigiſſe ſufficiat: Quippe hæc talia ex profeſſo ad *Analyticam* ſpectant.

§. 6. *Cauſa virtualis* a Metaphyſicis Doctoribus, qui nempe ea notione utuntur, communiter ſic definiri ſolet: *Cauſa virtualis eſt id, quod realiter non differt ab eo, cujus cauſa virtualis dicitur, quoad noſtrum tamen cognoſcendi modum ita ſe habet, ut ſi realiter ab ipſo diſtingueretur, vera ejus cauſa eſſet*. Exempli gratia: Deus, immutabilitas Dei, æternitas Dei, ſunt a parte rei unũ numero idemque, quia in Deo ſunt: quicquid vero in Deo eſt, ipſe Deus eſt. Interim ſi per impoſſibile æternitas Dei, Deus ipſe atque immutabilitas Dei realiter ab invicem diſtinguerẽtur, adeo ut aliud nemine cogitante eſſet Deus, aliud vero eſſet æternitas in Deo,

&

& iterum aliud eſſet immutabilitas in Deo, hac poſitione per impoſſibile facta, utique immutabilitas in Deo futura eſſet cauſa æternitatis, hinc immutabilitatem cauſam virtualem æternitatis nuncupant.

§. 7. *Cauſatum virtuale* quid ex mente iſtorum Doctorum dicendum ſit, per ſe manifeſtum eſt. Scilicet *hoc, quod realiter non differt ab eo, quod ipſius cauſa virtualis vocatur, quoad noſtrum tamen cognoſcendi modum ita ſe habet, ut ſi realiter ab ipſo diſtingueretur, hoc ipſum ejus cauſa eſſet*. Recurratur ad exemplum præcedenti §. propoſitum. Si enim daretur, quod ſine maxima falſitate dari nequit, æternitatem in DEO non eſſe immutabilitatem in Deo, nec eſſe ipſum Deum, ſic ea futura eſſet cauſatum comparatione immutabilitatis, hancque ob poſitio-

nem

nem per impoſſibile cauſatum virtuale appellant.

N O T Æ.

I. Hoc ſenſu *Scholaſtici* in Deo, angelis, & animabus quæ & quatenus ſunt ſpiritualis eſſentiæ, eſſentiam attributi, & unum attributum alterius cauſam virtualem appellant: e.gr. in Deo independentiam cauſam virtualem infinitatis, infinitatem abſolutæ ſimplicitatis, abſolutam ſimplicitatem immutabilitatis, immutabilitatem æternitatis &c. Nec in ſubſtantiis ſimplicibus ſolummodo, ſed etiam in compoſitis tales cauſas virtuales agnoſcunt: e. gr. in homine rationalitatem, docilitatis, in quantitate extenſionem diviſibilitatis &c. Quid? quod haud vulgaris eruditionis viri inveniantur, qui ſtatuunt omnia propria ἀκριβῶς & in rigore ſic dicta eſſe, cauſata virtualia, h. e. referri poſſe ad alia, quæ ipſorum comparatione cauſæ virtuales dici poſſint.

II. Nec *Scholaſtici* ſolūmodo attributa ad invicē & comparatione eſſentiæ cauſata virtualia virtualesq; cauſas, ſed in divinis etiā hanc vel illam actionem internam alterius cauſam virtualem appellant: E.gr. cognitionem, qua ab æterno Deus ſeipſum cognovit ut, ſummum, perfectiſſimum ac infinitum bonum, vocant cauſam virtualem amoris, quo

ab

ab æterno Deus ſeipſum amavit. Præviſionem finalis fidei in Chriſtum cauſam virtualem æternæ electionis hominis finaliter credituri in Chriſtum.

III. Qua ratione cauſa virtualis in *Scholis* diſtingui ſoleat in cauſam per virtualem emanationem & cauſam citra emanationem, hac de re in doctrina de forma dicemus.

§. 8. Inde facile eſt varia *cauſæ virtualis* a *cauſa formaliter tali* diſcrimina a Scholæ Doctoribus hinc inde adnotata recenſere: (*a*) *Cauſa virtualis* non differt realiter a *cauſato virtuali*: *Cauſa formaliter* talis differt realiter a *cauſato formaliter tali*. (*b*) *Cauſa virtualis* & *cauſatum virtuale* non ſunt ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud & aliud: *Cauſa formaliter talis* & *cauſatũ formaliter tale* ſunt ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud & aliud. (*c*) *Cauſa virtualis* non eſt vera cauſa, quia realiter non differt ab eo, cujus comparatione eſt cauſa virtualis; Nihil enim eſt cauſa ſuiipſius: *Cauſa formaliter talis*

*lis* eſt vera cauſa ejus, cujus reſpectu cauſa formaliter talis eſt & vocatur. (*d*) *Cauſa virtualis* (quæ ſunt *Scholaſticorum* locutiones) *non cauſat rem, cauſaret tamen, ſi res ab ea cauſari poſſet*: *Cauſa vero formaliter talis cauſat rem: res enim talis eſt, ut ab ea cauſari poſſit.* Eadem diſcrimina inter *cauſatum virtuale* & *cauſatum formaliter tale*, mutatis tamen mutandis, advertere licebit.

NOTÆ.

I. Notio cauſæ *virtualis* & notio *cauſati virtualis* originem *Scholaſticæ Philoſophiæ* debent, primusque quod ſciam autor diſtinctionis inter cauſam formaliter talem & cauſam virtualem, item inter cauſatum formaliter tale & cauſatum virtuale, *Thomas de Vio Cajetanus* Cardinalis eſt, qui ad *l.1. Poſter. Analyt. c.2.* videatur. Egerunt de cauſa virtuali præ aliis *Paulus Soncinas IV. Metaph. quæſt.17.* & *XII. Metaph. quæſt. 28. Johannes Sanchiez comm. Log. tom. 1. quæſt. 7. proœm.* Quibus adjungantur *Franciſcus Suarez diſpp. Metaph. 1. ſect. 1. n. 27. Michael Zanardus*

*dus Bergomas ex Urgnano comment. in Log. Ariſtotelis* & quidem *1. Poſterior. Analyt. c. 2. lect. 9. n. 3.* & *Bernardus Moriſanus, Derenſis Ibernus, 1. poſter. Analyt. quæſt. 4.*

II. E noſtris *Doctoribus* doctrinam hujus diſtinctionis, ut rectius liceret mentem *Scholaſticorum* aſſequi, propoſuerunt in *Inſtitutionibus ſuis Metaphyſicis Stalius cap. III. concl. 2.* & *Petrus Muſæus c. 13. §. 10. & ſeqq.*

III. Qua vero occaſione excogitata fuerit hæc diſtinctio, forte conjici poteſt. Nempe quia videtat *Cajetanus*, per cauſam virtualiter talem tam ſolide reſponderi poſſe ad quæſtionem ſcientificam, ac ſi cauſa formaliter talis eſſet, nec accuratius ac ſufficientius quenquam reſponſurum fuiſſe, ſi vel maxime (quod per impoſſibile ponimus) cauſa formaliter talis locum habitura fuiſſet, cauſam vocare voluit, per quod accurate & ſolide reſponderi potuit ad quæſtionem ſcientificam, ſive (ut *Cajetanus* loqui amat) cauſaret, ſive minime. Exempli gratia: *Quæſtio ſcientifica eſt: An Deus* ſit æternus? *Reſpondetur: Omnino, Deus eſt æternus, quia eſt immutabilis. Inde tale fluit argumentum, cujus præmiſſæ & concluſio ſunt ejusdem generis, nempe ad Metaphyſicam ſpectant. Argumentamur enim hoc modo: Omne immutabile eſt æternum, æternitate ſcilicet intrinſeca. Deus eſt immutabilis. E. Deus eſt æternus. Medius terminus in*

*hac demonſtratione eſt cauſa, quia eſt ratio vera, neceſſaria, certa, propria & immediata, per quam reſpondetur: non tamen eſt cauſa formaliter talis, ſed virtualis: Nam Dei immutabilitas & æternitas Dei realiter ab invicem non differunt, nec realiter differunt a Deo: Immutabilitas tamen Dei eſt cauſa virtualis æternitatis in Deo, quia ſi* (NB. ſi) *immutabilitas Dei non eſſet quoad rem ipſe Deus, nec eſſet quoad rem ipſa æternitas Dei, Deus tamen eſſet immutabilis, tunc immutabilitas formaliter cauſaret æternitatem in Deo, & eſſet formaliter cauſa æternitatis.* Hæc ex *Cajetani* mente. Adeſſe volumus alia exempla: Ita cum in *Moralibus*, tum in *Theologicis Scholis* recepta eſt hæc propoſitio: *Quia Deus ſeipſum ſeque ſolum cognoſcit ut ſummum, perfectiſſimum ac infinitum bonum, ideo ſeipſum ſuper omnia amat.* Dicitur ergo, ut *nota ſecunda ad §. 7.* docebatur, cognitio, qua Deus ſeipſum ut ſummum, perfectiſſimum ac infinitum bonum cognoſcit, cauſa virtualis amoris, quo Deus ſeipſum ſuper omnia amat. Certe ſi quis ex *Moralium* ac *Theologiæ Cultoribus* ſcire aveat, cur homo recta ratione utens Deum amet ſuper omnia? hanc rationem a priori, loco reſponſi accipiet; quia cognoſcit Deum ut ſummum, perfectiſſimum ac infinitum bonum. Hæ igitur duæ propoſitiones: *Quia Deus ſeipſum ſeque ſolum cognoſcit ut ſummum, perfectiſſimum ac*

*infi-*

*infinitum bonum, ideo ſeipſum ſuper omnia amat:* Et, *Quia homo recta ratione utens Deum eumque ſolum cognoſcit ut ſummum, perfectiſſimum ac infinitum bonum, ideo Deum ſuper omnia amat*; ab omnibus profecto *Ethicis* & *Theologis* cauſales appellantur: At hoc diſcrimen inter utramque intercedit: In priori cognitio, qua Deus ſeipſum cognoſcit ut ſummum, perfectiſſimum & infinitum bonum, realiter non differt ab amore, quo Deus ſeipſum amat: In poſteriori cognitio, qua homo recta ratione utens Deum cognoſcit ut ſummum, perfeperfectiſſimum & infinitum bonum, realiter differt ab amore, quo homo Deum ſuper omnia amat. Unde nec in priori, cognitio amoris, nec Deus cognitionis & amoris cauſa formaliter talis eſt: In poſteriori vero, cum cognitio amoris, tum homo cognitionis & amoris cauſa formaliter talis eſt. Interim quia utraque propoſitio rationem veram, neceſſariam, certam, immediatam ac propriam exprimit, jure meritoque utraque cauſalis a *Philoſopho Morali*, qui eam ex *lumine naturæ*, & a *Theologo*, qui eandem rationem ex *Scripturæ Sacræ lumine* haurit, vocatur. Pariter ſi *Theologos* conſulamus, omnes ac ſinguli unanimi conſenſu pronuntiabunt, has prædicationes: *Quia Deus ab æterno prævidit hos vel illos usque ad finem vitæ in Chriſtum credituros, ideo eos elegit: Quia ab æter-*

*no prævidit paucos in Chriſtum credituros* *ad finem vitæ, ideo paucos elegit*; in *Schol* eſſe quam maxime receptas tanquam c les: At quia in eo quoque *Theologi* co tiunt, quod decretum electionis ſive p ſtinationis, ut vocant, ſit actio Dei inte & quidem voluntatis divinæ, quodque ſcientia ſeu prævifio itidem ſit actio D terna, nempe intellectus divini: Act vero Dei internæ (ſermo jam eſt de ac bus Dei internis ſpectatis in oppoſitio actiones Dei ad intra) nec inter ſe, nec a ſentia divina realiter diſtingvuntur: enim ad eum modum actio intellectu vini cauſa actionis voluntatis divina poteſt, quo in creatura rationali actio in ctus cauſa actionis voluntatis dici ſolet in creatura rationali aliud nemine cogi a parte creaturæ rationalis eſt actio in ctus, aliud vero nemine cogitante a p creaturæ rationalis eſt actio voluntatis que vere ac formaliter hujus cauſa eſt: quoad noſtrum cognoſcendi modum eſt in Deo prævifio fidei, quam electi quæſtioni: Cur Deus ab æterno elege æternam ſalutem homines in Chriſtum ad finem vitæ credituros demum aliqu iis conferendam? Cur paucos ita eleg hæ reſponſiones: quia Deus ab æterno vidit eos in Chriſtum usque ad finem

credituros, quia Deus ab æterno prævidit, paucos in Chriſtum usque ad finem vitæ credituros; ſolide ſatisfaciunt, non ſecus ac ſi in Deo prævifio finalis fidei in Chriſtum cauſa electionis, cauſa formaliter talis ab æterno fuiſſet. Unde quia in omnibus *Theologorum Scholis* tanquam cauſales receptas eſſe hujusmodi propoſitiones diximus, idque nulli Theologiæ Studioſo incognitum eſſe poteſt aut debet, aſſequi quisque valet ex antea dictis, quo nempe ſenſu prævifionem finalis fidei cauſam virtualem prædeſtinationis ſeu electionis ad æternam ſalutem dixerint.

IV. Uſum doctrina hæc ſi in *Theologia*, etiam in *aliis diſciplinis*, cum *Theoreticis*, tum *Practicis* præſtat: Ita e.gr. in *Moralibus* reatus peccati moralis demonſtratur ex culpa morali, obligatio, ut vocant, coactiva ex obligatione directiva: Ita e. gr. in *Politicis* obligatio legis civilis demonſtratur ex decreto Majeſtatis: Ita in *Jurisprudentia* e. gr. ex contractu emtionis venditionis demonſtratur obligatio ad transferendum dominium & ſolvendum pretium.

§. 9. Ad *diſcrimen cauſæ Metaphyſicæ a cauſa Analytica* rectius percipiendum notentur ſequentia:

Nunc *cauſa Metaphyſica & cauſa Analytica coincidunt*: Exempli gratia: Vera cauſa Metaphyſica ſerræ eſt ferrum, cũ ſane conſtet ex ferro; Vera etiã cauſa Analytica, cur ſerra ſit dura? eſt, quia conſtat ex ferro. Pariter vera cauſa Metaphyſica ſerræ eſt ſectio lignorũ, utpote cujus gratia ſerra eſt; Vera quoq; cauſa Analytica, cur ſerra debeat eſſe dura? eſt, quia eſt ſectionis lignorũ gratia. Nunc *cauſa Metaphyſica non eſt ſimul cauſa Analytica*: e.g. cauſa Metaphyſica itineris, quod Titius pedibus conficit, ſunt: Titius peregre abiens, ipſius anima & pedes, non autem Titius peregre abiens, ipſiusque anima ſenſitiva & pedes ſunt cauſa Analytica, quia ad quæſtionem: cur Titius iter faciat? reſponderi nequit tanquam per rationem a priori: quia peregre abit, ipſius anima ſenſitiva principium

itineris

Digitized by Google

itineris exiſtit, pedibusque iter conficit. Nunc *cauſa Analytica non eſt ſimul cauſa Metaphyſica*: e.gr. immutabilitas in Deo eſt cauſa Analytica æternitatis in DEO, cauſa Metaphyſica, non eſt, & quia eſt cauſa Analytica nec ſimul cauſa Metaphyſica, ideo a multis Theologiæ cum naturalis, tum revelatæ Doctoribus cauſæ virtualis nomine nuncupatur.

*NOTA.*

Uſus doctrinæ in *ſequenti capite decimo quarto de uſu Analytico omnium & ſingulorum generum cauſarum* ob oculos benevoli lectoris ac idonei cultoris Metaphyſices ponetur: Hujus namque maxime intereſt (niſi omne judicium prorſus nos fallit) talia ſibi reddidiſſe apprime perſpecta.

§.10. *Exempla cauſarum Metaphyſicarum* attulimus *præcedenti capite octavo & nono*, pluraque in ſingulis capitibus ſingulorum generum cauſarum occurrent: Hæc

namque potiſſima univerſæ prioris partis materia præcipuusque propoſiti noſtri ſcopus eſt: *Exempla cauſarum Analyticarum* interim, ſi placet, ex *capite quarto a pag. 373. usq. ad paginam 383.* petantur hucque reducantur.

## CAPUT DUODECIMUM.

# De CAUSA PER SE ET PER ACCIDENS. Item de CAUSATO PER SE ET PER ACCIDENS.

§. I.

Cauſa in communi diſtinguitur in *cauſam per ſe & per accidens*, hæcque diſtinctio apud quosvis idoneos Doctores Philoſophiæ Primæ uſu recepta eſt ac approbationem invenit.

NO-

NOTÆ.

I. Eam vero diſtinctionem *Philoſophiæ Practicæ, Juris & Theologiæ Studioſis* cognitu maxime neceſſariam & utiliſſimam eſſe, præprimis in Doctrina de cauſa efficiente demonſtrabitur.

II. Singulari ſtudio dicitur, cauſam *in communi* diſtingui in cauſam per ſe & cauſam per accidens. Nihil enim morabimur illos, qui hanc diſtinctionem ad cauſam efficientem reſtringunt, adeoque in nimis arcto ſignificatu eam conſiderant, cum tamen per omnia cauſarum genera hæc diſtinctio vagetur.

III. Progreſſus capitis docebit, diviſionem cauſæ in cauſam per ſe & per accidens fruſtra jactari, ſi cauſa per accidens in latiſſima, tamen genuina ac uſitata ſignificatione ſpectetur. Ideo cauſam in communi diſtingui in cauſam per ſe & per accidens, non dividi diximus.

§. 2. Pariter *diſtinctionem cauſati in communi in cauſatum per ſe & cauſatum per accidens* communis uſus idoneorum Doctorum Metaphyſices admittit & probat.

NOTA.

Eadem lege, quæ ad §. 1. notabantur, hic repeti, quousque oppoſitorum ratio una eſt, poſſunt.

§. 3. *Cauſa per ſe* iterum *diſtinguitur in cauſam per ſe ex parte cauſæ* & *cauſam per ſe ex parte cauſati.* Eodem modo *cauſa per accidens in cauſam per accidens ex parte cauſæ & cauſam per accidens ex parte cauſati* diſtinguenda venit.

*NOTA.*

Hæc diſtinctio ſudes in illius oculis eſt, qui quæſitus, cur quamlibet cauſam per accidens habeat pro vera cauſa? reſpondet, quia realiter influit in effectum: e.gr. cum Muſicus ſanat hominem, vere influit & ſanitatem producit: Muſicus autem in ordine ad ſanationem eſt cauſa per accidens. Quis enim non videt hac probatione nihil amplius evinci poſſe, quam quod cauſa per accidens ex parte cauſæ ſit vera cauſa: Toto autem cœlo cauſa per accidens ex parte cauſæ & cauſa per accidens ex parte cauſati differunt, ut mox demonſtrabitur.

§. 4. *Cauſa per ſe ex parte cauſa & cauſa per accidens ex parte cauſa* ſupra *cap VIII. §. 16 & 17.* definitæ fuerunt: Videamus, quid

*cau-*

*cauſa per ſe ex parte cauſati* & quid *cauſa per accidens ex parte cauſati* dicantur? *Cauſa per ſe ex parte cauſati eſt id, quod alterius vera cauſa eſt, & quidem alterius qua talis*: E. gr. architectus eſt cauſa per ſe ædificii ex parte cauſati, quia architectus eſt vera cauſa ædificii qua talis, hoc eſt, ut ædificii. Pater eſt cauſa per ſe filii ex parte cauſati, hoc eſt, ut filii. Contra *cauſa per accidens ex parte cauſati eſt id, quod vera cauſa eſt alterius, non tamen alterius qua talis, aut plane non eſt vera cauſa ejus, cujus dicitur cauſa per accidens ex parte cauſati ſed eſt ſolummodo vera cauſa alicujus, quod cum eo, cujus plane non eſt vera cauſa, conjungitur, aut illud ſequitur*: E. gr. architectus eſt vera cauſa ædificii flavi, non tamen ut flavi, quia ſic cauſa erat non architectus,

Digitized by Google

chitectus,ſed tinctor: Pater eſt vera cauſa Pontificis Romani, non tamen ut Pontificis, ſed ut filii: Ita Pater, qui filium mittit ad nundinas eo tempore, quo nihil aliud noverat,nec noſſe debuerat, quam iter ſatis tutum a latronibus fore, dicitur cauſa per accidens cædis filii ſui, ſi in itinere a latronibus occidatur.

§. 5. *Conveniunt cauſa per ſe ex parte cauſæ & cauſa per accidens ex parte cauſæ in eo, quod utraque ſit vera cauſa: Differunt, quia illa ut talis eſt vera cauſa: Hæc ut talis non eſt vera cauſa.* Exempli gratia: Architectus per ædificationem eſt vera cauſa ædificii, & quidem Architectus ut eſt talis: Eſt quoque Muſicus per ædificationem vera cauſa ædificii, ſi nempe idem ſimul ſit Muſicus & Architectus, quia alias idem ſimul eſſet

x non eſſet vera cauſa:
nen non eſt vera cauſa
ſt Muſicus. Quantum
unt in ordine ad ædifi-
hitectonica & ars Mu-
eidemque animo in-
antum diſcriminis in-
r cauſam per ſe ex parte
auſam per accidens ex

*veniunt cauſa per ſe
uſati & cauſa per ac-
arte cauſati, quod u-
ra cauſa alicujus cau-
runt, quia illa eſt vera
ti ut eſt tale: Hæc eſt
cauſati, non vero illius
us cauſa per accidens
uſati dicitur, ſed alte-
i, quod tamen cum
o, cujus vera cauſa* non
*gitur aut ipſum con-
ſequi-*

Digitized by Google

*ſequitur; Aut ſi quandoque vera cauſa cauſati illius, cujus cauſa per accidens ex parte cauſati vocatur, ſuo modo dici poteſt, non tamen ut cauſatum illud eſt tale cauſatum, ejus vera cauſa ſalva veritate dicetur, ſed ſolummodo ut aliter ſe habet, h.e. ut cum illo cauſato aliud cauſatum unitum vel conjunctum eſt, unde illud denominationem talis vel talis cauſati accipit.* Exempli gratia: Pater qui filium miſerat ad nundinas, dicebatur ſecutæ cædis filii cauſa per accidens ex parte cauſati, ubi cædes filii nullatenus dici poteſt cauſatum reſpectu patris, nec pater dici poteſt vera cauſa iſtius cædis: Quippe nihil plane contulerat Pater ad cædem filii, quam quod filium amandaverat, & quod ſupponebatur, eo quidem tempore, quo viam ab inſidiis tutam minimeque infeſtam

Pater

Pater ſalva conſcientia exiſtimabat. Interim quia filius ex mandato patris peregre vadens & aliquo usque progreſſus incidebat in latrones ac jugulabatur, pater dicitur cædis filii (quæ nempe mandatum Patris ſequebatur) cauſa per accidens ex parte cauſati: Mandati vero pater erat cauſa per ſe ex parte cauſati, æq; ac latro erat cædis cauſa per ſe ex parte cauſati. Ita ædificii flavi ut flavi cauſa per ſe ex parte cauſati erat tinctor, ædificii vero flavi cauſa per accidens ex parte cauſati dici poteſt architectus, quia licet ædificium hoc, quod flavum ſit, non habeat ab architecto tanquam vera cauſa, accepit tamen hoc ipſum ædificium, quod flavum eſt, eſſentiam ſuam ab architecto: Et quia poſtmodum flavedo uniebatur cum ædificio, ſicque ædificium flavum ut

flavum

flavum nuncupabatur cauſatum reſpectu tinctoris, inde architectus ædificii flavi & quidem ut flavi cauſa per accidens ex parte cauſati appellatur. Ita Pontificis Romani cauſa per ſe ex parte cauſati erant, qui ipſum elegerant ac conſtituerant Pontificem, æque ac filii illius, qui poſtea Pontifex creabatur, Pater cauſa per ſe ex parte cauſati erat: Idem vero pater Pontificis ut Pontificis erat cauſa per accidens ex parte cauſati.

*NOTÆ.*

I. Quia doctrina de cauſa per ſe & cauſa per accidens, cum ex parte cauſæ, tum ex parte cauſati, multis errationibus cauſam dedit, & adhuc dare ſolet, ideo majori diligentia in ejus tractatione opus eſt, eoque magis diſciplinarum practicarum ſuperiorumque, quas vocant, Facultatum ſtudioſis magisque commendanda venit: Liceat igitur, ut jam orſi ſumus, eam ex fundamento perſequi.

II. Et quidem primo loco fecimus mentionem cauſæ per ſe ex parte cauſæ & cauſæ per

per accidens ex parte cauſæ. Utriusque igitur naturam ſi recte cognoſcere velimus, hoc eſt, ſi propoſitum nobis ſit dijudicare, *numne hoc vel illud dici poſſit ac debeat ex parte cauſæ cauſa per ſe, an cauſa per accidens?* incumbit nobis diſpicere: 1. Anne illi, de quo ſcire avemus, num ex parte cauſæ cauſa per ſe aut cauſa per accidens ſalva veritate nuncupari queat, vera potentia cauſativa ſeu ratio cauſandi tribui queat in ordine ad illud, cujus reſpectu quæſtio inſtituitur, utrum nempe ejus cauſam per ſe aut cauſam per accidens dicere liceat? Nam ſi alicui in ordine ad alterum nulla potentia cauſativa ſeu ratio cauſandi competit, hoc certiſſimo indicio eſt, quod illud ipſum, nec fieri nec eſſe poſſit ejus vel cauſa per ſe ex parte cauſæ, vel cauſa per accidens ex parte cauſæ: Quod ſi vero ei ſalva veritate potentia cauſativa in ordine ad alterum tribui poſſit, tunc nullum dubium eſt, quin illud aptum ſit ſubire denominationem vel cauſæ per ſe ex parte cauſæ vel cauſæ per accidens ex parte cauſæ, & quidem reſpectu ejus, in ordine ad quod potentiam cauſativam ſeu rationem cauſandi arguit. 2. Diſpiciendum eſt, num vera detur cauſalitas, per quam illud fiat aut ſit vera cauſa ejus, de quo quæritur, num ipſius reſpectu alterum ſit cauſa per ſe ex parte cauſæ aut cauſa per accidens ex parte cauſæ? Nam hæc

aſſerta perpetuæ veritatis ſunt: *Quicquid non dicit rationem cauſandi in ordine ad alterum, illud alterius nec cauſa per ſe ex parte cauſæ, nec cauſa per accidens ex parte cauſæ eſſe poteſt;* Et, *Quicquid non arguit cauſalitatem in ordine ad alterum, illud alterius nec eſt cauſa per ſe ex parte cauſæ, nec eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ.* Nam ut §. 5. monebatur, nihil eſt alicujus cauſa per ſe ex parte cauſæ aut cauſa per accidens ex parte cauſæ, niſi ſit vera cauſa ejus, cujus cauſa per ſe ex parte cauſæ aut cauſa per accidens ex parte cauſæ vocatur: Unde nec quicquam alicujus cauſa per ſe ex parte cauſæ aut cauſa per accidens ex parte cauſæ eſſe poteſt, niſi ejus vera cauſa eſſe poſſit. Ut igitur accurate nobis perſpectum reddere geſtiamus, numne hoc, quod veram cauſam alterius eſſe cognovimus, ſit cauſa per ſe ex parte cauſæ, an cauſa per accidens ex parte cauſæ, nihil amplius videndum habemus, niſi hoc: Numne iſtud, quod vera cauſa eſt, *ut tale* fuerit vera cauſa, an vero *non ut tale?* Si prius, eſt cauſa per ſe ex parte cauſæ; Si poſterius, cauſa per accidens ex parte cauſæ denominabitur. Exempli gratia: Faciamus hominem aliquem ſimul eſſe architectum & Muſicum, hic ſane nullum dubium eſt, quin iſte gaudeat potentia cauſativa ſeu ratione cauſandi reſpectu ædificii: Nam qui arte architectonica pollet, omni-

omnino aptus eſt ut fiat vel ſit cauſa efficiens ædificii, adeoque vera cauſa: Ponamus amplius ipſum actu nunc extruere ædificium, ſic adeſt cauſalitas, nempe ipſa ædificatio. Jam quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, utique veriſſimum relinquitur, eum, qui ſimul Architectus & Muſicus eſt, dum extruit ædificium, eſſe veram cauſam ædificii, adeo ut utraque propoſitio vera maneat: Architectus eſt vera cauſa ædificii, & Muſicus eſt vera cauſa ædificii; Hoc admiſſo, facillimum eſt judicare, numne iſte ut Muſicus, an ut architectus ſit cauſa ædificii? Prius nemo ſanæ mentis aſſeruerit, quia ars Muſica nullum plane reſpectum dicit ad ædificationem: Poſterius per ſe liquet. Igitur quando dico: Architectus ædificat; ſic propono exemplum cauſæ per ſe ex parte cauſæ: At quando hanc propoſitionem ſalva veritate ſic formo: Muſicus ædificat; adfero exemplum cauſæ per accidens ex parte cauſæ.

III. Nunc judicium ferre quiſque poteſt de eo: *An cauſa per accidens ex parte cauſæ ſit vera cauſa?* Nempe reſpondendum venit hanc quæſtionem ſumi poſſe in duplici ſenſu: (1) *in ſenſu materiali ſeu diviſo*, ut idem ſit, ac ſi quæſitum fuiſſet: An id, quod dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ, ſi non ſpectetur ut cauſa per accidens ex parte cauſæ, ſit vera cauſa? (2) *in ſenſu formali ſeu com-*

 *poſito*

*poſito*, ut quæſtio hæc ſit: An id, quod eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ, quatenus eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ ſit vera cauſa? In priori ſenſu affirmativa eſt veriſſima, hoc eſt, omne quod eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ, ſi non ſpectetur ut cauſa per accidens ex parte cauſæ, eſt vera cauſa: Ratio eſt, quia adeſt formale cauſæ, h.e. cauſalitas in ordine ad iſtud cauſatum, cujus reſpectu dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ. Argumentum eſto tale: Quicquid veram dicit rationem cauſandi aliud veramque cauſalitatem in ordine ad id ipſum, hoc & poteſt eſſe & eſt ipſius vera cauſa. Atqui id, quod eſt alicujus cauſa per accidens in ordine ad id, cujus cauſa per accidens ex parte cauſæ (de qua unice jam agitur) eſt, dicit veram rationem cauſandi veramque cauſalitatem. E. id, quod eſt alicujus cauſa per accidens ex parte cauſæ, & poteſt eſſe & eſt ipſius vera cauſa. Major patet. Minor itidem nulla uberiori indiget probatione. Redigamus, ſi libet exemplum modo propoſitum in formam ſyllogiſmi. Muſicus quando ædificat eſt vera cauſa ædificii, ſicque vera cauſa. Muſicus quando ædificat eſt ædificii cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ, ſicque cauſa per accidens ex parte cauſæ. E. quoddam, quod eſt ædificii cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ eſt vera cauſa efficiens ædificii

cii

cii, adeoque quoddam quod eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ eſt vera cauſa. De cætero omnium omnino cauſarum per accidens ex parte cauſæ una eſt ratio, hoc eſt, in eo omnes cõveniunt, quod in ſenſu materiali ſeu diviſo ſint veræ cauſæ: Utut vero affirmativa in priori ſenſu, hoc eſt, materiali & diviſo, ſit veriſſima, in poſteriori tamen ſenſu, hoc eſt, formali & compoſito, falſiſſima relinquitur, hoc eſt, falſiſſimum manet, quod cauſa per accidens ex parte cauſæ, quatenus eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ ſit vera cauſa. Ratio genuina ac ſolida eſt, quia quod eſt cauſa per accidens alicujus rei ex parte cauſæ; hoc quatenus eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ, non dicit cauſalitatem, imo ne quidem potentiam cauſandi in ordine ad eam rem, cujus cauſa per accidens ex parte cauſæ vocatur. Argumentum iterum eſto tale: Quicquid qua tale nullam dicit veram cauſalitatem, illud qua tale non eſt vera cauſa. Atqui cauſa per accidens ex parte cauſæ qua talis nullam dicit veram cauſalitatem. Ergo cauſa per accidens ex parte cauſæ qua talis non eſt vera cauſa. Major liquet ex terminis: ſi enim id, quod nullam plane dicit veram cauſalitatem, nullatenus eſt vera cauſa, ſequitur, quod etiam id, quod qua tale nullam veram cauſalitatem dicit, qua tale non ſit vera cauſa, hoc eſt, eatenus non ſit

vera cauſa, quatenus non dicit veram cauſa-litatem; Utrobique enim par eſt ratio. Minor patet ex propoſito exemplo, quod in ſequentem formam redigere lubet: Muſicus ædificans, quatenus eſt Muſicus non eſt vera cauſa ædificii. Muſicus ædificans, quatenus eſt Muſicus eſt cauſa (ædificii) per accidēs ex parte cauſæ. Ergo cauſa per accidens ex parte cauſæ (hoc eſt, aliquid, quatenus eſt cauſa per accidens ex parte cauſæ) non eſt vera cauſa.

IV. Pariter *de cauſa per accidens ex parte cauſati* diſpicienti, *numne ea ſit vera cauſa?* facillimum erit aſſequi, eam nunc plane non eſſe veram cauſam, nunc eſſe quidem veram cauſam, nunquam tamen qua talem, hoc eſt, quatenus cauſa per accidens ex parte cauſati dicitur, eſſe veram cauſam. Ratio eſt, quia cauſa per accidens ex parte ejus cauſati ſic dicitur, quod in eſſe ſuo aut nullatenꝰ ab eo, quod cauſa per accidens ex parte cauſati vocatur, procedit; aut ſi ab eo procedit, non tamen ut tale ab eo procedit. Argumentari poſſumus hunc in modum: Unde verum cauſatum aut non procedit in eſſe ſuo, aut ut tale non procedit in eſſe ſuo, illud non eſt vera cauſa, aut quatenus cauſatum ut tale inde non procedit in eſſe ſuo, non eſt vera cauſa. Atqui cauſa per accidens ex parte cauſati eſt id, unde verum cauſatum (cujus ſcilicet reſpectu aliud dicitur cauſa per ſe ex

parte

parte cauſati) aut plane non procedit in eſſe ſuo, aut ut tale non procedit in eſſe ſuo. Ergo cauſa per accidens ex parte cauſati aut plane non eſt vera cauſa, aut quatenus cauſatum ut tale inde non procedit in eſſe ſuo, non eſt vera cauſa.

V. Singularis cautio hic adhibenda venit, ne confundamus *cauſam per accidens ex parte cauſati ſimpliciter talem* cum *cauſa per accidens ex parte cauſati ſecundum quid.* Nam fieri poteſt, ut quidpiam ſit in certo genere vera cauſa ex parte cauſati, ut tamen in certo ordine (aut ſi ita malis loqui, modo) ejusdem generis ſalva veritate pro cauſa per accidens ex parte ejusdem cauſati haberi queat: Ita e. gr. Qui ligna findit & a tergo ſtantem ex ignorantia invincibili & contra omnem intentionem lædit, is vera cauſa eſt læſionis inflictique vulneris: Eſt enim vera cauſa efficiens læſionis: Nec tamen negari poteſt, eum ſuo modo adhuc eſſe cauſam per accidens læſionis. Nam certa quaſi ſpecies, aut, ſi ita malis loqui, peculiaris modus cauſæ efficientis eſt cauſa libera, (ſunt enim cauſa efficiens libera & cauſa efficiens naturalis cauſæ ejusdem quidem generis, quia ſpectant ad genus cauſæ efficientis, non tamen ſunt ejusdem ordinis) unde ſi quæras: Numne fiſſor iſte lignorum ſit ex parte cauſati vera cauſa per ſe fiſſionis lignorum ut & læſionis? Re-

ctiſſime reſponderi putamus, utriusque eſſe veram cauſam per ſe ex parte cauſati, quia & fiſſio lignorum ut talis & læſio a tergo ſtantis ut talis ab ipſo revera procedit: Ipſe enim & findit ligna, & lædit a tergo ſtantem: Interim ſi nunc non ſolummodo tam nude & crude quæratur: Num iſte fiſſor lignorũ ſit ex parte cauſati vera cauſa per ſe læſionis inflictiq; a tergo ſtanti vulneris? ſed ad certum genus cauſæ una oculus intendatur, adeo ut hæc ſit quæſtio: Numne iſte fiſſor lignorum ex parte cauſati ſit vera cauſa efficiens per ſe læſionis inflictique a tergo ſtanti vulneris? Hic rurſus reſpondendum eſſe jure meritoque cenſemus, eum omnino eſſe ex parte cauſati veram cauſam efficientem per ſe læſionis inflictique vulneris: Sed in eo nequaquam idoneo ſolidioris Philoſophiæ cultori penitus acquieſcendum eſſe putamus, ei namque incumbit ad modos aut quaſi ſpecies cauſæ efficientis deſcendere, nuncque amplius ſedulo ac probe ponderare, numne fiſſor lignorum ex parte hujus cauſati, nempe læſionis a ſe factæ, ſit cauſa libera? Certi quippe ſumus, hoc rite ponderato, eum, ſponte ſua faſſurum eſſe, ipſum fiſſorem lignorum eſſe quidem ex parte cauſati cauſam liberam fiſſionis, non vero cauſam liberam læſionis inflictique vulneris, ſicque ſano ſenſu dici poſſe ex parte cauſati cauſam per accidens



Digitized by Google

cidens læſionis inflictique vulneris. Nec eſt, quod dicatur, fiſſorem lignorum ſi adhuc ſit ex parte cauſati vera cauſa vulneris, non ſimul poſſe dici ex parte cauſati cauſam per accidens vulneris, cum implicet contradictionem, ex parte ejusdem cauſati eſſe cauſam per ſe, nec tamen eſſe cauſam per ſe: Nam diverſitas reſpectus tollit omnem contradictionem. Certe uti non ſunt vera contradictoria, aliquid unius ejusdemque ſimul eſſe veram cauſam efficientem, nec tamen eſſe cauſam efficientem liberam: Ita nec implicat veram contradictionem, aliquid eſſe ex parte cauſati cauſam efficientem per ſe, atque ſimul unius ejusdemque reſpectu eſſe ex parte cauſati cauſam per accidens liberam. Imo quisquis Moralia Jurisque ſtudia rite excoluit, non poteſt nec debet ignorare, quod in Morali & civili foro uſus dudum obtinuerit, ut illud agens, quod non fuit liberum agens, habeatur pro non agente, cauſaque actionis non libera morali ac forenſi æſtimatione ſit non cauſa: Voluntas enim diſtinguit morales, civiles, forenſes actiones. Sed hac de re prolixius agetur in doctrina cauſæ efficientis.

VI. Hæc interim de cauſa per accidens in communi dixiſſe ſufficiat. Non enim ratio noſtri inſtituti patitur, ut iis refutandis immoremur, quæ contra receptas verasque

ſententias proferre ſolent, maxime quando non pondere, ſed numero rationum certatur, ſaltem ut imperitioribus imponatur: Quippe nobis nunc propoſitum eſt Metaphyſicam poſitivam ut vocant, non polemicam tradere. Alias nihil facilius futurum fuiſſet, quam oſtendere, quod ejusmodi ratio philoſophandi, quam nunc obiter tetigiſſe juvabit, cum affectata ἀπαιδευσίᾳ ſit conjuncta, ſi nempe *ad oſtendendum, quod cauſa per accidens qua talis ſit vera cauſa, ſequens aſſertum fundamenti nec in dubitationem vocandi nec impugnandi loco aſſumatur:* CAUSA PER ACCIDENS EST PRINCIPIUM INFLUENS IN EFFECTUM NON INTENTUM; *Per accidens enim & indirecte influere eſt* JUXTA NOSTRUM NATURALEM JUDICANDI MODUM *citra intentionem influere.* Quis enim adeo ſtupidus eſt, ut non advertat, ſi vel maxime cauſa per accidens in communi definiri poſſet, hanc tamen formulam, a nemine, qui naturali judicio uti valet ac vult, pro definitione cauſæ per accidens qua talis ac in communi venditari poſſe: Nam hac definitione admiſſa omnes omnino cauſæ, & efficientes, & materiales, & formales, & finales, imo cujuscunque tandem ſint generis, ſi modo cauſas agentes ex intentione excipiamus, erunt cauſæ per accidens & qua tales erunt cauſæ

per

per accidens, quia omnes & ſingulæ cauſæ, ſi cauſas agentes ex intentione exceperis, ſunt principia influentia in effectus non intentos: e.gr. Ignis quando comburit ſtipulas eſt principium influens in effectum non intentum: Materia & forma lapidis influunt in effectus non intentos: Sanitas influit in effectum non intentum: Quis vero, ſi vel maxime errare vellet, tam abſurdam ſententiam auderet defendere? Hic excipi poterat, hanc definitionem fortaſſis non venditari pro cauſæ per accidens in communi, ſed ſolummodo pro cauſæ per accidens in genere cauſæ efficientis definitione. Verum contrarium primo docent ſequentia: *De cauſis concurrunt (1) diſtinctiones in genere, (2) in ſpecie. Inter diſtinctiones generales de cauſis eſt, quando cauſa in genere dicitur alia per ſe, alia per accidens. Illa per ſe & directe influit in effectum intentum: e. gr. cædens ligna reſpectu actus ligna cædendi. Cauſa per accidens influit etiam in effectum, ſed per accidens & indirecte: Ut: quando cædens ligna citra intentionem vulnus infligit ſtanti a tergo, quem ſtare ibi neſcit.* Deinde ſi allata formula pro definitione cauſæ per accidens in comuni non venditaretur, quæſo *juxta quem naturalem judicandi modum* liceret a cauſa efficiente per accidens ad cauſam per accidens in communi argumentari. Annon cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ eſt



Digitized by Google

vera cauſa, ut tamen cauſa efficiens per accidens ex parte effectus non ſit vera cauſa, ſi ſcilicet reſpectu illius, cujus cauſæ efficientes per accidens vocantur, ſpectentur? ceu in præcedentibus demonſtravimus. Si igitur ab una cauſa efficiente per accidens, quæ eſt vera cauſa, non licet argumentari ad omnem cauſam efficientem per accidens, quaſi nempe omnis cauſa efficiens per accidens ſit vera cauſa, multo minus valebit hæc conſequentia: Cauſa efficiens per accidens eſt vera cauſa. Ergo omnis cauſa per accidens eſt vera cauſa. Ergo cauſa per accidens in genere eſt vera cauſa. Ergo diſtinctio inter cauſam per ſe & per accidens eſt generalis diviſio cauſæ. Abſurdum eſt cauſam in genere dividere velle in cauſam per ſe & per accidens, quia cauſa per accidens ſæpe non eſt cauſa ejus, cujus cauſa per accidens dicitur; ſemper qua talis non eſt cauſa ejus, cujus cauſa per accidens vocatur. Unde ſimilis eſſet hæc diviſio iſti, ſi quis hominem in genere dividere vellet in hominem vivum & hominem mortuum. Excipitur: *Ubi nullus plane influxus eſt, quomodo ibi quæſo cauſa eſſe poterit, quamvis per accidens? Qui concipit cauſam per accidens, concipit etiam aliquam cauſalitatem.* Reſpondetur, perinde ſe habere, ac ſi quis diceret: Ubi nulla plane humana natura eſt, quomodo ibi quæſo homo

eſſe

eſſe poterit, quamvis mortuus? qui concipit hominem mortuum, concipit etiam aliquam humanam naturam. Regeritur: *quod τὸ mortuum tollat ſignificationem hominis, quivis videt, qui ſcit, quod homo ſit corpus animatum ſenſitivum rationale. Sed unde quæſo conſtat, quod ſimiliter τὸ per accidens tollat ſignificationem cauſæ? Annon aliquid in effectum influere poteſt, atque cauſalitatem exercere proprie loquendo quamvis per accidens ſaltem ſeu indirecte.* Verum ad hoc facilis iterum eſt reſponſio: Nemo accuratiorum Philoſophorum hoc inficias ivit, quod aliquid poſſit eſſe ſimul cauſa per accidens & vera cauſa: Iſtud tamen negarunt, & quod omnis cauſa per accidens ejus reſpectu, cujus cauſa per accidens vocatur, ſit vera cauſa, & quod cauſa per accidens qua talis ſit vera cauſa. Jam ſi evinci poteſt ſolidis rationibus, quod cauſa per accidens ſæpe non ſit vera cauſa ejus, cujus cauſa per accidens dicitur, quivis videt, qui id demonſtratum videt, quod quis cauſam per accidens concipere poſſit reſpectu ejus, cujus ratione nullam concipit cauſalitatem. Equidem veriſſimum eſt, ibi cauſam eſſe non poſſe, ubi nullus plane influxus eſt: Verum ſi aliquid cauſa per accidens eſſe poteſt ex parte ejus, cujus plane non eſt cauſa, quid prohibet, quo minus concipiatur cauſa per accidens alicujus rei, ut tamen ex parte

parte ejus, quod cauſa per accidens ſalva veritate dicitur, in ordine ad iſtam rem nulla concipiatur cauſalitas. Pariter ſi cauſa per accidens qua talis ex parte cauſæ & cauſa per accidens qua talis ex parte cauſati, (dicitur: qua tales) non ſunt veræ cauſæ, utique τὸ per accidens, ut in præſenti hæc determinatio ſumitur, nequaquam infert cauſalitatem. His ita obſervatis, rem æqui ac prudentis judicii eſſe volumus, judicent omnes, qui prudentia judicandi ullatenus pollent, num quicquam in receſſu habeat argumentum ſequens, quod tantopere commendatur: *Quicquid habet nomen cauſæ, illud merito habetur pro vera cauſa, ſi non poſſit monſtrari prægnans ratio nominis rationem deſerendi. Atqui cauſa per accidens habet nomen cauſæ. E. Stet hoc argumentum talo ſuo firmum tamdiu, quam diu non oſtenditur prægnans illa ratio, quæ nominis rationem urget deſerendam eſſe, ſed talis hactenus monſtrata nondum fuit.* Absque omni affectu dicimus credimusque, eam ab omnibus accuratioribus Philoſophis ſatis evidenter monſtratam fuiſſe. Si enim omni exceptione majoribus argumentis demonſtratum fuit, hanc propoſitionem: cauſa per accidens qua talis non eſt vera cauſa; eſſe perpetuæ veritatis: ſique hæc prædicatio: Quia hoc qua tale eſt cauſa per accidens, ideo qua tale non eſt vera cauſa; veram neceſſariam,

ge-

Digitized by Google

genuinam, ac immediatam rationem continet, unde cauſalis denominari debeat, nullum dubium eſt, quin in ſenſu compoſito ac formali veriſſima maneat hæc propoſitio: Nulla cauſa per accidens eſt vera cauſa. Cæterum qui τὸ per accidens dixerunt determinationem alienantem voci: Cauſa, adjectam eo quidem ſenſu, ut hæc duo: Eſſe cauſam per accidens rei, ſimul tamen ejusdem rei veram cauſam eſſe; nullatenus ſimul ſtare poſſe aſſeruerint, hi, quantum novimus, locuti ſunt de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus ſimpliciter ſic dicta: De ea vero nullum dubium eſt, quin reſpectu ejus, cujus cauſa per accidens vocatur, vera cauſa dici nequeat, ſive in ſenſu compoſito, ſive in ſenſu diviſo ſpectetur, quo de pluribus in doctrina de cauſa efficiente agetur.

§. 7. Huc usque egimus de cauſa per ſe & per accidens, & utriusque diſtinctionibus: Agendum nunc erit *de cauſato per ſe & cauſato per accidens*. Quid *cauſatum per ſe ex parte cauſati & cauſatum per accidens ex parte cauſati* ſint, ſupra *cap VIII.* §. 17. oſtenſum fuit. Reſtat igitur, ut expli-

plicemus, quid *cauſatum per ſe ex parte cauſæ* ſit, item quid *cauſatum per accidens ex parte cauſæ?* *Cauſatum per ſe ex parte cauſæ eſt cauſatum, quod ab alio qua tali eſſentiam accipit aut habet*, hoc eſt, *cujus cauſa eſt alterum qua tale*: e.gr. ædificium eſt cauſatum per ſe ex parte cauſæ reſpectu architecti, quia architectus qua talis eſt vera cauſa ædificii. *Cauſatum per accidens ex parte cauſæ eſt cauſatum, quod ab alio eſſentiam accipit aut habet ſed non ut tali*, hoc eſt, *cujus cauſa eſt alterum, ſed non ut tale*: e. gr. ædificium dicitur cauſatum per accidens ex parte cauſæ reſpectu Muſici, quia Muſicus (ſi nempe ſimul ſit architectus) eſt cauſa ædificii, ædificium vero ab eo non eſt ut tali.

*NOTA.*

Phraſis hæc: *Ab alio qua tali eſſentiam accipere aut habere*, hoc loco in laxiori significa-

tu

Digitized by Google

tu ſumitur, ita ut vocula *ab* non ſolummodo cauſam efficientem, ſed quamcunque etiam aliam cauſam notet, idemque ſit ac aliunde in eſſe ſuo procedere.

§. 8. *Conveniunt cauſatum per ſe ex parte cauſæ & cauſatum per accidens ex parte cauſæ, quod utrumque ſit verum cauſatum in ordine ad id, cujus reſpectu cauſatum per ſe vel per accidens appellatur: Differunt, quia illud procedit ab altero ut tali: Hoc procedit ab altero non ut tali.* E. gr. ædificium eſt verum cauſatum cum reſpectu Architecti, tum reſpectu Muſici, ſi nempe idem ſimul ſit Muſicus & Architectus: At ab Architecto eſt ut tali, a Muſico non ut tali.

§. 9. *Conveniunt cauſatum per ſe ex parte cauſati & cauſatum per accidens ex parte cauſati, quod utrumque agnoſcat veram ſui cauſam: Differunt, quia il-*

*lud eſt verum cauſatum qua tale, & quidem in ordine ad id reſpectu cujus cauſatum per ſe ex parte cauſati dicitur: Hoc in ordine ad id, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſati nuncupatur, aut plane non eſt cauſatum, aut ſi ipſius reſpectu cauſatum eſt, non tamen ut tale cauſatum eſt:* e. gr. ædificium eſt verum cauſatum reſpectu architecti, eſtque ut tale reſpectu architecti cauſatum: Doctor vero, qui ruſtici filius eſt, eſt cauſatum reſpectu ruſtici, ſed non ut Doctor: Ita reſpectu Patris, qui Filium ad nundinas miſerat eo tempore, ubi viam tutam a latronibus abſque peccato crediderat, cædes Filii a latronibus patrata recte dicitur cauſatum per accidens ex parte cauſati, & plane non eſt cauſatum reſpectu Patris.

NO-

## NOTÆ.

I. Quod cauſatum per accidens ex parte cauſæ, ſemper ſit verum cauſatum, patet inde, quia tale dicitur reſpectu ejus, quod vera ipſius cauſa eſt, licet non ut tale. Inde naſcitur tale argumentum: Cujus alterum eſt vera cauſa, hoc eſt verum cauſatum. Atqui omnis cauſati per accidens ex parte cauſæ illud eſt vera cauſa, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſæ dicitur. E. omne cauſatum per accidens ex parte cauſæ eſt verum cauſatum in ordine ad illud, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſæ dicitur. Major propoſitio eſt manifeſta, quia poſita cauſa ponitur cauſatum E. cujus rei alterum eſt vera cauſa, hæc ipſa res omnino reſpectu alterius erit cauſatum. Minor patet ex definitione cauſati per accidens ex parte cauſæ.

II. Quod vero cauſatum per accidens ex parte cauſati non ſemper ſit verum cauſatum in ordine ad id, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſati dicitur, & ſi eſt verum cauſatum, nunquam tamen qua tale, ex eo liquet, quia id, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſati denominatur, aut plane non eſt cauſa ejus, aut non eſt cauſa ejus, ut eſt tale cauſatum. Argumentum eſto tale: Cujus alterum plane non eſt cauſa, aut ejus ut talis (alterum) non

eſt cauſa, hoc iſtius alterius reſpectu aut plane non eſt cauſatum, aut qua tale non eſt cauſatum. Atqui cauſati per accidens ex parte cauſati alterum, cujus reſpectu dicitur cauſatum per accidens ex parte cauſati, aut plane non eſt cauſa, aut ejus, ut talis, non eſt cauſa E. Cauſatum per accidens ex parte cauſati, iſtius alterius reſpectu aut plane non eſt cauſatum, aut, qua tale non eſt cauſatum. Major propoſitio eſt manifeſta, quia ſublata cauſa tollitur cauſatum. Minoris veritas ex definitione cauſati per accidens ex parte cauſati conſtat.

§. 10. Tandem notare libet *diſcrimen, quod inter cauſam per accidens cum ex parte cauſæ, tum ex parte cauſati, & inter cauſam ſine qua non, ut vocant, intercedit.* Et quidem *diſcrimen cauſæ per accidens ex parte cauſæ a cauſa ſine qua non* obſervari facile poteſt: Nam *cauſa per accidens ex parte cauſæ ſemper eſt vera cauſa ejus, cujus cauſa per accidens ex parte cauſæ vocatur, licet non ut talis ſit vera cauſa*: At *cauſa ſine qua*

*non*

*non plane non eſt vera cauſa.*

NOTA.

Conferantur §. 5. & *not.* 2. §. 6. *hujus capitis*, atque §. 14. *una cum notis ad eundem capitis octavi.*

§. II. *Cauſa* vero *per accidens ex parte cauſati & cauſa ſine qua non* variis modis *differunt*: (a) *Non omnis cauſa per accidens ex parte cauſati eſt neceſſaria ad hocce cauſatum, cujus reſpectu cauſatum per accidens ex parte cauſati vocatur*: At *omnis cauſa ſine qua non eſt neceſſaria ad hoc cauſatum, cujus reſpectu cauſa ſine qua non dicitur.* (b) *Cauſa per accidens ex parte cauſati quando neceſſaria eſt ad cauſatum, qua talis non eſt neceſſaria*: At *cauſa ſine qua non & neceſſaria eſt ad cauſatum, & qua talis eſt neceſſaria.* (c) *Cauſa ſine qua non eſt neceſſaria conditio*: At *fruſtra de cauſa per accidens ex parte cauſati hoc dixeris.*



Digitized by Google

## N O T Æ.

I. His ita ſtantibus, non poſſumus quin modeſte diſſentiamus a ſequenti aſſerto: Re- *movens valvas, & ſecernens annatum pus, & diſſecans funem &c. cauſæ ſane ſunt veræ & reales remotionis & diſſectionis: quia tamen per hoc nec ſolem illuminaturum, nec medicamenta ſanitatem reducentia, nec motum lapidis deorſum &c. poſitive & cauſaliter adjuvant: nec illuminationem ipſam, aut ſanitatem, aut lapſum deorſum active producunt: ideo neque cauſæ ſociæ neque cauſæ veræ effectuum illorum dici poſſunt: ſed tantum cauſæ ſine quibus non, eo, quod proximæ & directæ cauſæ, cauſalitates ſuas exercere nequirent, niſi tale quid iis conjunctum fuiſſet. Clarius: Cauſa aliqua ſine-qua-non ad duo referri poteſt: v. gr. removens valvas, vel referri poteſt 1. ad ipſam remotionem, ſeu actionem a ſe, ut tali, provenientem: vel 2. ad id, quod eam proxime conſequitur, junctam cum aliqua vera & phyſica cauſa v. gr. ſole, quæ effectum v. gr. illuminationem ſine illa remotione cauſaliter producere nequiret. Priori conſideratione non tam cauſa ſine qua non eſt, quam vera cauſa, & realis, & phyſica. At poſteriori conſideratione proprie cauſæ ſine qua non nomen obtinet, & hoc modo de ea, in quantum ἀυτὸ ȣ̃ eſt, hoc loco ſermo eſt.* Forſan hæc talia minus *ἀκριβῶς* dicuntur: Aliud enim eſt removens valvas, aliud remotio valvarum reſpectu illumina-

tio-

tionis. Removens valvas utut non ſit vera cauſa phyſica illuminationis, eſt tamen vera phyſica cauſa remotionis: Unde & cauſa phyſica per accidens illuminationis dici ſolet. Facit enim aliquid, ad quod aliud, nempe illuminatio, conſequitur: Remotio vero valvarum nequit dici cauſa phyſica per accidens illuminationis. Nec vero adducimur, ut ob ſequentia ſententiam animi mutemus: *Hoc adhuc hic notandum, quod cauſa ſine-qua-non magnam cognationem habere videatur cum cauſa per accidens ex parte effectus. Et ſane contingit, ut aliquid ſimul ſit talis cauſa per accidens, & cauſa ſine qua non. Ariſtoteles certe ſubruentem columnas ædium & ſubmoventem lapidem ab utre, cauſas per accidens expreſſe nominat, quas ipſas tamen cauſas ſine-quibus-non quoque dici poſſe, nemo quidem ambiget.* Cur non? Imo certe non ambigimus, ſed potius expreſſe negamus ob rationes modo datas. *Eadem ratio eſt, de remotione valvarum & purulentiæ &c. cum quibus tanquam effectibus per ſe, alii effectus, illuminatio v. gr. & valetudo conjunguntur per accidens.* Utique eadem ratio eſt: Unde quemadmodum ſubruens columnas ædium & ſubmovens lapidem ab utre non ſunt cauſæ ſine quibus non, nec cauſæ phyſicæ per ſe, ſed cauſæ phyſicæ per accidens ex parte cauſatorum, nempe ruinæ domus & motus utris ſurſum facti:

Ita & removens valvas atque removens purulentiam non ſunt cauſæ ſine quibus non in ordine ad illuminationem & ſanationem vulneris, nec ſunt cauſæ phyſicæ per ſe, ſed cauſæ phyſicæ per accidens. Et quomodo iſta verba conveniunt cum his, quæ proxime ſeqvuntur: *Diſcriminis tamen non prorſus nihil occurrit. Cauſa enim per accidens ex parte effectus in genere naturæ ſeu ratione influxus ſemper eſt vera cauſa alicujus effectus per ſe, cum quo per accidens alius conjungitur, atque adeo cauſa per accidens tantum dicitur reſpectu hujus adjuncti effectus, in quem ipſa vera cauſa non influxerat: Cauſa autem ſine-qua-non ut talis non ſemper eſt vera cauſa alicujus effectus realis, ut medium v. gr. ſe habet, quod viſionis cauſa ſine-qua-non eſt: at per ſe tamen nihil cauſat.* Omnino multum diſcriminis inter cauſam per accidens ex parte effectus & cauſam ſine qua non occurrit, ceu ex *textu* §. liquet: At quod dicitur, *cauſam ſine qua non ut talem non ſemper eſſe veram cauſam alicujus effectus realem*, diceremus, ſalvo tamen cujusvis meliori judicio ac illæſa contrarium aſſerentis auctoritate, cauſam ſine qua non ut talem nunquam eſſe veram cauſam alicujus effectus realem. Ut nihil dicamus de eo, quod longe latius pateant cauſa ſine qua non & cauſa per accidens ex parte cauſati, quam ut ad ſolum genus cauſæ efficientis reſtringantur.

Plu-

Plura infra in doctrina de cauſa efficiente.

II. Uſum practicum hujus doctrinæ *ſequenti capiti decimo quarto* bono jure optimaque benevoli lectoris pace reſervamus.

# Caput Decimum Tertium
## De
# GENERIBUS CAUSARUM.

### §. I.

VUlgo *quatuor* ſtatuuntur *Cauſarum genera: Efficiens, Materia, Forma, Finis.*

*NOTÆ.*

I. Nonnulli hæc quatuor genera cauſarum ſic efferunt, ut aliam cauſam dicant *cauſam a qua*, aliam *cauſam ex qua*, aliam *cauſam per quam*, aliam *cauſam cujus gratia.*

II. Ut ingenue fateamur, quod res eſt, aut hæ quatuor notiones cauſarum modo enumeratæ nimium quantum extendendæ ſunt, quod num commode ac ſalvis diſciplinæ legibus fieri poſſit, judicent alii: aut plura quam quatuor cauſarum genera omnino admittenda veniunt. Ita e.gr. ad *Materiam* ſeu *genus Cauſæ Materialis* referri ſolent: *Subjectum* & *Objectum*, cum tamen plane diverſæ



Digitized by Google

ſint rationes cauſandi & cauſalitates, quibus non modo Subjectum & Objectum inter ſe, quaſi toto genere differre credas, ſed etiam ab ipſa *Materia ex qua*, ut vocatur. Rurſus ad *Formam* refertur *cauſa exemplaris*, toto tamen quaſi genere diſtincta a *Forma*. Pariter neminem eruditorum latet, quot diſſenſiones non minus difficilis, quam nobilis materia, de *Cauſa impulſiva* cum προηγουμένη tum προκαταρκτικῇ pepererit, dum alii utramque ad illud, alii illam ad illud, hanc ad hoc Genus Cauſæ relatam voluerunt, & forte non peccarent adeo, qui facilioris utiliorisque doctrinæ gratia eidem peculiare Genus Cauſæ aſſignarent. Alia exempla nunc tacemus.

III. Et profecto multa ac circumſpecta, reductione opus erit, ſi quatuor Genera Cauſarum velimus ſtatuere, inque hoc numero quaternario, quia receptior eſt, acquieſcere.

IV. Propoſiti noſtri memores non jam, inquiremus in ſubtilitatem ac rigorem illius diviſionis, quam modo tradidimus, vel potius recenſuimus. Eſt ſane uſu receptus QVATERNARIUS CAUSARUM NUMERUS, & hodie ab omnibus fere pro ſufficienti & adæquato habetur. Interim ſic nos temperabimus, ut diſtinctis capitibus primo omnium de quatuor in rigore ſic dictis Cauſis, mox peculiaribus capitibus de aliis

aliis cauſis agamus ſimulque oſtendamus, qua ratione a Vulgo Metaphyſicorum vel etiam celebrioribus Metaphyſicis reliquæ cauſæ ad dicta quatuor Cauſarum Genera reduci ſoleant, ut & tempori ſerviiſſe, & ſimul quoque occaſionem judicandi reliquiſſe æquo ac benevolo lectori & æſtimatori videamur, numne tali reductione præciſe opus fuerit, an magis ex uſu ſtudiorum Academicorum futurum fuiſſet plura quam quatuor Cauſarum Genera tradere.

§. 2. Quot vero Cauſarum Genera quæruntur aut ſtatuuntur, tot citra omne dubium quærendæ ac ſtatuendæ ſunt rationes cauſandi, totque cauſalitates.

*NOTÆ.*

I. Ratio cauſandi ſupra *capite octavo* §. 12. *pag.* 546. vocabatur *potentia cauſativa*: Sicut ergo *ibidem*, ut & fere integro *capite nono* prolixe docuimus, quod potentia cauſativa ſit id, quo aliquid aptum eſt, ut fiat vel ſit cauſa: Ita quisque hoc facile aſſequitur, quod quemadmodum ſublata potentia cauſativa tollitur cauſa, ita ſublato hoc vel illo genere potentiæ cauſativæ, tollatur hoc vel illud genus cauſæ. Tot ergo erunt genera rationum cauſandi, quot ſunt genera cauſarum:

Digitized by Google

rum: Et niſi hoc admittas, fateri tandem teneris, quod plures cauſæ ſint pluraque genera cauſarum, quam eſſe poſſint, quo nihil abſurdius.

II. Pariter cauſalitatem citato *capite octavo §. 13. pag. 549.* id diximus, quo aliquid eſt vera cauſa. Tot igitur dabuntur cauſæ, quot dantur cauſalitates, & contra.

III. Unde mireris, cur vulgo doceatur duas ſaltem dari potentias cauſativas: Activam nempe & paſſivam, & tamen ſimul quatuor genera cauſarum defendantur. Sane ſi præter cauſam efficientem & materiam ex qua plura dantur cauſarum genera, oportet etiam dari plura potentiarum cauſativarum genera. Aut enim Forma & Finis, ſi ſunt peculiares cauſæ, & peculiaria cauſarum genera conſtituunt, uti certe conſtituunt, per potentiam activam & paſſivam ſunt peculiares cauſæ & peculiaria cauſarum genera, aut per nullam potentiam, aut per plane alias & genere diſtinctas potentias a potentia activa & paſſiva. Non illud, quia ſic non eſſent peculiares cauſæ & peculiaria cauſarum genera: Non iſtud, quia ſic plane non eſſent cauſæ. E. plura, quam duo dantur genera rationum cauſandi. Nec eſt, quod dicatur, potentiam cauſativam realiter exiſtentem ſic diviſam fuiſſe: nam etiam illa potentia, per quam forma pri-

ma-

Digitized by Google

eſt forma, utique realitér ex-
ſi excipiatur, eam potentiam,
æ non realiter differre a forma:
d ſit, ſufficiat jamjam repoſuiſ-
potentia activa a cauſa efficien-
tinguatur.

*Quatuor Potentiarum*
*arum Genera* in Scholis
fferri ſolent: *Potentia*
, *Potentia Paſſiva*, *Po-*
*formativa*, *Potentia al-*
*ſeu metaphorice motiva.*

*N O T A.*

ffectiva *cauſæ efficienti*, Potentia
*Materiali*, Potentia Informati-
*nali*, Potentia allicitiva ſeu me-
otiva *Cauſæ Finali* reſpondet.

pſa vero *Genera quatu-*
*litatum* a Scholæ Do-
ſic traduntur: *Vera &*
*ectio*, *Paſſio*, *Informatio*,
*rica Motio.*

*N O T Æ,*

*Ariſtotelis* & apud pleroſque,
cepta ſententia eſt, ceu §. 1. mo-
atuor dari cauſarum genera: 1.
ῆς κινήσεως h.e. *unde primus mo-*
*tus*

*tus* ſeu CAUSAM EFFICIENTEM. 2. ὕλην καὶ ὑποκείμενον, MATERIAM & *ſubjectum, ex quo aliquid ſit*. 3. τὸ τί ἦν εἶναι, *quod quid erat eſſe* ſeu FORMAM. 4. τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τὸ ἀγαθὸν, *id cujus gratia & bonum* ſeu CAUSAM FINALEM: (Videri poteſt *Ariſtoteles* ipſe *l. I. Metaph. c. 3. & V. Metaph. c. 2*. It. *lib. II. Phyſic. c. 7. textu 68*. Conferantur, ſi placet, *Conimbricenſes l. I. Metaph. c. 7. q. 1. Carolus Franciſcus d'Abra de Raconis diſp. 12. p. 2. art. 7. Petrus Fonſeca l. 1. Metaph. c. 7. q. 1. ſ. 4*. & qui poſt *Ariſtotelem* primo nominandus erat *Franciſcus Suarez diſp. Metaph. 12. ſect. 3.*) ideo *effectionem* vocant id, quo cauſa efficiens eſt efficiens, ſeu cauſalitatem efficientis: *Paſſionem*, hoc eſt, formæ receptionem ejusq; retentionem, id quo Cauſa materialis eſt materialis: *Informationem* id, quo cauſa formalis eſt formalis ſeu cauſalitatem formæ: *Metaphoricam motionem* id, quo cauſa finalis eſt finalis ſeu cauſalitatem finis.

II. Sed de his quid ſentiendum ſit, ex ſingularum cauſarum doctrinis rectius conſtare poterit.

§. 5. Non paucis dichotomia placet, unde primo *cauſam dividunt in internam, quæ ejus, cujus cauſa eſt, conſtitutionem ingreditur*:

*tur*: Et *externam*, *quæ non ingreditur ejus*, *cujus cauſa eſt*, *conſtitutionem*. Ad illam poſtea referunt *materiam* & *formam*: Ad hanc *cauſam efficientem* & *finalem*.

*NOTÆ.*

I. Uſu recepta eſt hæc diviſio; Hac autem formula: *hoc ingreditur alterius conſtitutionem*; nihil aliud ſignificatur, quam ſi dictum fuiſſet: Ex eo alterum componitur ac conſtat.

II. Communiter dici videas, quod *duæ* ſint *cauſæ internæ*: *Materia* ſcilicet & *Forma*; & *duæ cauſæ externæ*: *efficiens* & *finis*. Enimvero ſi ad materiam ſeu cauſam materialem referre velis ea, quæ a quaternarii Cauſarum numeri patronis ac defenſoribus eo reducuntur, non poterit Cauſa materialis in ſua latitudine haberi pro cauſa interna: Nam etiam ſubjectũ dicitur materia ejus, cujus ſubjectum eſt, nec tamen ſubjectũ eſt in eo, cujus eſt ſubjectum, ſed potius id, cujus eſt ſubjectum, in eo eſt, quod ſubjectum appellatur: E.gr. paries eſt ſubjectum albedinis, non autem paries eſt in albedine, ſed albedo eſt in pariete. Pariter objectum non eſt ei, cujus objectum in rigore Philoſophico vocatur, in-

Digitized by Google

intrinſecum, ſed extrinſece iſtud, cujus objectum dicitur, terminat: E. gr. objectum viſionis eſt paries, paries vero extrinſece viſum terminat. Ut nihil dicamus de materia, quæ formis materialibus tribuitur, & unde eæ materiales denominantur: nam conſtitutionem formæ materialis materia nunquam ingreditur, quia alias forma non eſſet ſimplex, qua de re pluribus in doctrina de forma. Sic ad formam referri ſolet exemplar, ſed iſtud non ingreditur exemplati, ut vocatur, conſtitutionem. Ita magni Judicii celeberrimique Viri alii utramque cauſam impulſivam, cum προηγουμένην, tum προκαταρκτικὴν, referunt ad cauſam efficientem; alii illam ad cauſam efficientem, hanc ad cauſam finalem; iterum alii illam ad cauſam formalem, hanc ad cauſam finalem reducunt, tamen & illi, & iſti & hi cauſam impulſivam in internam & externam dividunt, atque προηγουμένην cauſam impulſivam internam, προκαταρκτικὴν vero cauſam impulſivam externam vocant.

III. Cæterum de aliis cauſæ in communi cum diviſionibus, tum meris diſtinctionibus, poſt doctrinam de ſingulis cauſis demum agere decrevimus, & fortaſſis hæc methodus non adeo incommoda videri poterit, quandoquidem hæ diviſiones diſtinctionesque per ſingula cauſarum genera vagantur.

CA-

Digitized by Google

DECIMUM QVARTUM

DE

# PRACTICO

## CTRINÆ DE
## US CAUSARUM IN
## IBUS DISCIPLINIS

mprimis vero

## ICIS ET FACUL-
## TATIBUS,

ceu vocantur,

## PERIORIBUS.

§. I.

trinæ de quatuor gene-
cauſarum conſiſtit in
ſatisque decenti ac ge-
ionum in cauſarum do-
currentium applicatio-
rias diſciplinarum ac fa-

*NOTÆ.*

enda hic veniunt ea omnia, cum
e præliminari *§. 39. & ſeqq.*
rali & ſpeciali dicta fuerunt.
mis trahi poſſunt tum quæ de
*aphyſicæ cauſæ genuino diſcrimi-*

 *ne*

Digitized by Google

*ne a notione cauſæ analytica* per totum *caput undecimum*, inprimis vero *nota prima ad §. 1. p. 701. & 702*, diſſeruimus.

II. Rectiſſime & propriiſſime ſic dicta quatuor cauſarum genera ſubſtantiis naturalibus, quæ in Scholis corpora naturalia vocantur, attribuuntur: Nam ſi corpus naturale e.gr. hominem conſideres, ſic datur materia hominis propriiſſime talis, nempe corpus, datur forma propriiſſime ſic dicta, nempe anima: Pariter propriiſſime dictam cauſam finalem cujus ſcilicet gratia homo generabatur, ut & propriiſſime dictam cauſam efficientem nominare facile eſt.

III. De cætero ſi rem ad ſtateram veritatis recte velimus expendere, alias nullibi omnia & ſingula in adeo rigoroſo ſignificatu ſumta quatuor genera cauſarum ſimul invenies.

IV. Jam judicent Moralium, Jurisprudentiæ ac Theologiæ Cultores, nullum certe dubium eſt, quin judicio ſuo aſſecuturi ſint, quod analogica cauſarum tractatione opus ſit, ſi in Moralibus, Theologia & Jurisprudentia velimus quamcunque rem ad quatuor cauſas revocare. Equidem fateor, ſtatui ac admitti poſſe ſive *actuum*, ſive *aliorum negotiorum ac operum* Moralium, Politicorum, item eorum, quæ Juridicæ aut Theologicæ conſiderationis ſunt, QUATUOR CAUSAS, ad imitationem quatuor cauſarum

rum

rum in Naturalibus ſeu Phyſicis, ſed lima judicii adhibita id fieri debet, ſi non modo *finalem* & *efficientem*, ſed quoque *materialem* & *formalem* cauſam actionum, negotiorum, operum, Moralium, Civilium, Juridicorum, Theologicorum invenire, percipere, memoria tenere, tradere aliis ea, qua par eſt, dexteritate & ἀκριβείᾳ velimus.

§. 2. Quia vero recte diſcere (docere) eſt rerum cauſas recte percipere (tradere) ideo præcipuus labor curaque præcipua ſtudiorum Academicorum inveſtigatione, cognitione, conſideratione ac explicatione ſingularum cauſarum cujusque rei e. gr. Theologicarum, Juridicarum, Moralium, Politicarum &c. abſolvitur. Nulla igitur doctrina in tota Philoſophia Prima occurrit, quæ vel amplior vel commendatione major dici poſſit ea, quæ præſentis eſt argumenti.

*NOTÆ.*

I. Dum omnem ſcientiam ex cauſis haberi aſſerimus, ſupponimus omnibus ſatis de eo conſtare, quod hic ſermo ſit de ſcien-

tia demonſtrativa, quæque ex prioribus haberi poteſt ac debet.

II. Nec eſt, quod diverſa notio cauſæ, utpote quam aliter in Metaphyſicis, aliter in Analyticis accipi diximus, ſcrupulum injiciat, ac forte unus vel alter minus exercitatorum ſtudioſorum credat, hæcce talia, quæ mox propoſituri ſumus, nequaquam ad Metaphyſicam ſpectare, quam difficultatem quotidiana inſpectio librorum, qui omniū incipientium oculis exponuntur, manibusq; teruntur, augere facile poterat: Quippe omni exceptione majus teſtimonium credimus illud, quod omnium Profeſſorum ac Doctorum Academicorum (quibus ſalus Academicæ & ad altiora ac ſolidiora tendentis Juventutis curæ, cordique eſt) unanimi ac continuo conſenſu ex dignitate ac præcipuo præſentiſſimoque commodo cujusvis Academici Studioſi Practici (hoc eſt, Moralium, Theologiæ, Jurisprudentiæ idonei cultoris, ad idoneam ac ſolidam eruditionem adſpirantis) fuerit ſemper, quamdiu orbis doctiſſimorum Virorum, & idoneorum Profeſſorum ac Doctorum ſtetit, adhuc ſit, nulloque non tempore futurum ſit, *noſſe modum feliciter reducendi quamvis idoneam ſolidamque doctrinam, cujuscunque tandem argumenti ea fuerit, ad certum cauſarum genus, unum plurave, prout doctrinæ indoles exigit,* & quidem ad cauſarum genus,

uti

uti causæ in Metaphyſicis accipiuntur, & ex profeſſo notiones earundem ad Philoſophiam primam ſpectant.

III. Hæc noluiſſem publicis typis mandare, niſi certo ſcirem, hanc rem eo diligentius cujusvis Facultatis ac Diſciplinæ, inprimis vero Theologiæ & Jurisprudentiæ, item Moralium Studioſis Academicis commendandam & inculcandam eſſe, quod confuſio ejus ac ratio hujus doctrinæ aut plane non, aut minus feliciter intellecta multis ſtudiorum Academicorum damnis, tamque triſti ac noxiæ jacturæ aurei ac irreparabilis temporis cauſam dederit, inque poſterum datura ſit.

§. 3. In eo ſane gaudeo quosvis prudentes ac cordatos Profeſſores ac Doctores, ſingulosque exacti judicii Viros doctiſſimos me ſemper & habuiſſe & in poſterum habiturum eſſe præeuntes ac conſentientes, quod ſi unam quæſtionem: An ſit? excipiamus, reliquæ omnes quæſtiones: ut: Morales, Politicæ, Theologicæ, Juridicæ; quæ ſolidæ doctrinæ ac informationis gratia ab idoneis ac probatis Doctori-

 bus

bus proponi poſſunt ac ſolent, aut de quatuor cauſis in univerſum, aut de earum una aliqua intelligi poſſint ac debeant.

*NOTA.*

Et hoc inprimis ſciant ſibique commendatum habeant, qui in Academiis fructum e ſtudiis carpere geſtiunt,

§. 4. *Uſus* ergo *triplex* doctrinæ de generibus cauſarum, cum in diſciplinis aliis, tum in Practicis, atque Superioribus, ut vocantur, Facultatibus, potiſſimum ſeſe exerit: *Unus* eſt, quod *diſcentes* (docentesve) *in Academiis ſibi* (aliisque) *decenter & ſolide perſpectum reddere teneantur, quæ res ſit hujus vel illius generis cauſa? Alter* eſt, quod *ipſis incumbat in notitiam vocare modum per cauſam ejusdem alteriusve generis probandi cauſam hujus iſtiusve generis. Tertius* eſt, quod *ſolliciti eſſe debeant de modo per cauſam*

*demon-*

*demonſtrandi concluſiones, quæ de nulla cauſarum agunt.*

*NOTA.*

Quia hiſce tribus momentis magna pars eruditionis Academicæ totaque Scientia demonſtrativa abſolvitur, noſtrum erit ſingula tria requiſita Academici Studioſi (Doctorisve) paulo diſtinctius tradere, ac facilibus, utiliſſimisque exemplis illuſtrare.

§. 5. Primus uſus erat, ſibi (aliisq;) perſpectum reddere, quæ res ſit hujus vel illius generis cauſa? Hic igitur ut probe percipiatur, tria iterum requiruntur: (a) Opus eſt decenti ac idonea recte ac ſufficienter intellectarum notionū cujusvis cauſæ (b) feliciter cognitorum requiſitorum (ex parte cujusvis cauſæ) omnium & ſingulorum, cum primariorum, tum ſecundariorum, applicatione. (c) Notitia requiritur variarum quæſtionum in Practicis Diſciplinis ac Superioribus, ut appellantur, Facultatibus adhiberi ſolitarum,

quibus nunc de certo genere cauſæ, nunc de certo requiſito ex parte certi generis agitur.

*NOTA.*

Hæc ſingula iterum paulo intimius ponderabimus, nulli dubitantes, quin labor noſter nec prorſus inutilis nec adeò ingratus benevolo Studioſo eſſe poſſit.

§. 6. Ad decentem ac idoneam notionum cujusvis cauſæ applicationem Moralium, item Jurisprudentiæ ac Theologiæ Studioſos opus habere diximus antegreſſa recta ac ſufficienti ipſarum notionum cujusvis cauſæ cognitione. Jam quia communis opinio de quaternario cauſarum numero radices fere in omnium animis egit, abſit, ut incipientium inprimis conceptus turbemus, eos potius juvabimus, memoriam diſtinctionis utiliori methodo adhibentes: Scilicet in diſciplinis Practicis & Superioribus (ut vocantur)

tur) Facultatibus Efficiens, Finis, Materia & Forma ſic explicantur: Efficiens Causa eſt ipsum Agens ſeu ipsa Persona Agentis, ceu diſciplinarum Practicarum & Jurium ac Theologiæ Doctores loqui amant: Finalis causa notat id, cujus gratia eſt actus aut negotium: Materialis Causa *eſt* Obiectum, *h. e. illud, circa quod actus, negotium aut opus verſatur*: Formalis Causa *eſt ratio formalis ſive* Modus actionis aut negotii.

*NOTÆ.*

I. Non modo *Ethica* & *Politica*, uno verbo, *tota Philoſophia Practica*, ſed & *univerſa Jurisprudentia* ac *Theologia*, potiſſimum verſantur circa actus: Moralis Philoſophia verſatur circa actus morales, Politica circa actus civiles: quinam eorum vel exercendi, vel omittendi, vel permittendi ſint. Pariter Jurisprudentia forenſis circa actus & negotia forenſia, Theologia circa actus & negotia Theologica occupata eſt.

II. Cætera vero omnia ac ſingula, quæ

quacunque tandem ratione in disquiſitionem Moralem & Politicam, Juridicam aut Theologicam veniunt, illa ut natura ſua ac per ſe ordinata ſunt ad actus Morales & civiles, forenſes aut ſacros ac alia ratione Theologicos, & propter talismodi actus aut negotia ſunt, ita in conſiderationem moralem & Politicam item Juridicam ac Theologicam, vocari deſiderantur ac veniunt præcipue actuum ac negotiorum illorum gratia.

§. 7. Certiſſimi ſint cum Philoſophiæ Moralis & Civilis, tum Juriſprudentiæ & Theologiæ Studioſi, & EFFICIENTEM & FINALEM & MATERIALEM & FORMALEM aliquam CAUSAM etiam in actibus omnibus moralibus & civilibus, forenſibus aut Theologicis reperiri, atque ad plenam cujuſlibet actionis aut negotii ſcientiam omnium (illius) ac ſingularum cauſarum cognitionem requiri.

*NOTÆ.*

I. Hic non poſſumus, quin ſine omni vel partium ſtudio vel affectu obiter notemus,

Digitized by Google

mus, non raro inveniri privatos manuductores, qui quidem (quod laudandum eſt) auditoribus ſuis ſerio inculcant, plenam rei cujuslibet ſcientiam in omnium illius cauſarum cognitione eſſe conſtitutam: Ita vero notiones uſu communes cauſarum (quod dolendum eſt ac non refutatione, ſed ſæpe nuda commiſeratione dignum) explicant ac applicant, ut quandoque ſatius fuiſſet magisque conſultum admiratoribus eorum, nihil interea temporis didiciſſe, quia omnium idoneorum Doctorum ac Studioſorum conſenſu difficilius eſt dediſcere, quam diſcere. Hi vero ſibi primum, ac poſtmodum aliis ita imponunt, qui perverſi *αὐτοδίδακτοι* exiſtunt, ut demum inter docendum, h.e. dum omnes cauſas rei tradere fatagunt, diſcere velint, quid ſit hæc, quid illa, quid alia cauſa. Nam doctrina de cauſis Metaphyſico-Analytica, ut auctor eſt Euſtratius, eundem fere uſum docere volentibus adfert, quem architectis adfert regula & perpendiculum. *Hoc* igitur *eſt initium pravorum dogmatum nihil de cauſis prius eſſe contemplatum, ſed una cauſas inquirere, & tanquam ſcires, quid ſint cauſæ & demonſtrationes ex cauſis, tentare demonſtrationes adferre,* ceu *Galenus* accurate judicat, qui alibi ſeveriſſime notat eorum arrogantiam, qui ſine doctrina de cauſis Metaphyſica & Analytica ſcientias ac ſuperiores,

ut

ut vocantur, facultates aggrediuntur, multaque incommoda commemorat, in quæ neceſſe eſt incurrant, qui ſine hoc lumine philoſophantur, cœci cœcorum duces: *nam neque nota*, inquit, *aſſumunt, neque ignota demonſtrant: Sed veluti legiſlatores, id quod placet, conſtituunt: denique progreſſu orationis inſtar Euripi cujuſdam, ſummam inconſtantiam præ ſe ferunt.*

II. Nec eſt, quod dicatur, rem non adeo magni momenti, ſed fere puerilem eſſe, ſibi perſpecta reddere quatuor vocabula generum cauſarum: Nam (1.) eſto res non adeo magni momenti & fere puerilis doctrina Metaphyſica de quatuor generibus cauſarum, quid quæſo aliud quam propriam ἀπαιδευσίαν flagellant, qui ita judicant, inque his, quæ pro puerilibus habuerant, tam facile ſeſe proſtituunt. Sane prima regula Grammatica, quam Ludimagiſtri pueris ſuis inculcant, eſt: *Adjectivum & Subſtantivum eodem genere, numero & caſu cohærent:* Ergone Priſcianus jure meritoque toties vapulat, quoties docere volens in hanc regulam peccat? Habebitne ejusmodi Doctor, quod in foro Grammatico adverſus Priſcianum, qui actionem ei intendebat, excipiat, rem non adeo magni momenti, ſed fere puerilem eſſe, ſibi regulam: Adjectivum & Subſtantivum &c. perſpectam reddere. Profecto ingenuus

pudor

pudor prohibet, quo minus auſim demonſtrare quod alias demõſtrari facillimo negotio poſſet, qua ratione Studioſi incauti ac imprudentes, ſi in ejusmodi manuductores incidant, pro rebus rerumque cauſis inanes rerum ſpecies & cauſarum umbras conſectentur. Non enim nuſpiam eveniſſe ſcimus; ut quiſpiam admiratoribus ſui, ſuæque methodi caput de cauſa efficiente rei, cujus accuratam tractationem in ſe ſuſceperat, propoſiturus ac ſolide explicaturus in anteceſſum monuiſſet, nunc agendum eſſe *de cauſa efficiente, hoc eſt, de etymologia:* alius vero de cauſa efficiente cum Reipublicæ cujusvis, tum mutationum cujuslibet Reipublicæ, ipſiusque *ἀναρχίας*, ſolide & artificioſe acturus *omnium cauſam efficientem eſſe Deum* dixit, prætereaque nihil. Numne *ἀπειρίαν* redolet, ſi cauſas materiales actus aut negotii enarraturus ea tradit, quæ impulerunt perſonam agentis, ut hunc illumve actum exerceret, aut hoc illudve negotium perficeret? Fortaſſis quia objectum & ob quod agitur, duabus literis: *ob*; conveniunt, aut, quia dum de cauſis tractatio inſtituitur, ex materia tractationis fiunt. Quid multis frequentius eſt, quam cauſas impulſivas cum cauſis finalibus confundere, e.gr. quæritur: Ob quod? reſpondeturque per cauſam finalem: quaſi vero ob quod? &, cujus ergo?

quæ-

Digitized by Google

quæſtiones de eadem cauſa nunquam non dicendæ eſſent. Quot lapſus judicii commiſſos advertere licet, dum multi naturali ſua Metaphyſica ac Analyſi nixi in rei formam inquirere ſtudent? Certe quia firmiter animis ſuis impreſſerunt, materiam & formam eſſe cauſas internas, vix verbis dici poteſt, quantas ſibi ſuisque moleſtias creent in internis cauſis, quaſi corpore & quaſi anima, hujus vel illius actus aut negotii, inveſtigandis ac tradendis, cum ſæpe laterem lavent, & intelligendo faciant ut nihil intelligant. (2.) Et ut ingenue fateamur, quod veritas exigit, res non adeo exigui momenti aut puerilis eſt doctrinam Metaphyſico-Analyticam de cauſis rite ac decenter noſſe. Non enim ſola quatuor vocabulorum notitia ſufficit, ſed idonea ac accurata cognitione tot diviſionum ac ſubdiviſionum, tot requiſitorum primariorum ac ſecundariorum, tot reductionum ad certa cauſarum genera, tot modorum per cauſas demonſtrandi (quæ in Practicis diſciplinis ac ſuperioribus, ut vocantur, facultatibus, ut *Piccartus* diſſerit, maxime habitant) ſimul opus eſt, ut Clariſſimi doctiſſimique Viri ſemper inveniant, quod magis magisque ſibi proſit, ut breviter, perſpicue, ordinate, rebusque congruenter, uno verbo, prudenter doceant: Auditoribus autem, ut doctrinam recte & convenienter

ter traditam admittant. Non enim negotium faceſſere nobis illud hic debet, quod multi, cum ipſi nihil omnium accurate didicerint, tanto apparatu opus eſſe negant: *Imperiti* enim (verba ſunt *Ariſtotelis 1. Sophiſt. Elench. cap. 1.*) *omnia e longinquo tantum ſpeculantur, eſtque ipſis exquiſita ratio docendi moleſtia, ſive quod rem complecti nequeant, ſive quod eam diligentiam nimiam judicent. Habet* namque *tale quiddam id, quod accuratum eſt; unde fit, ut quemadmodum in contractibus, ita in diſputationibus illiberale id quibusdam videatur*, ut iterum ait *Philoſophus 2. Metaph. c. 3.*

III. Igitur deſinamus mirari, cur tam pauci ſatis idoneam cauſarum notitiam ex *Metaphyſicis* ad τὰ πρακτικὰ in univerſum hactenus attulerint, aſſueti proletariæ doctrinæ aut congeſtis hinc inde teſtimoniis & hiſtoriolis: homines ejus ordinis, quos notavit *auctor a min. Metaph.* (ſive is *Paſicrates* eſt) *cap. 3.* qui neminem temere ferunt, niſi exemplis utentem aut teſtem producentem aliquem, quoſque adeo λυπεῖ τὸ ἀκριβές, idq; propter imperitiam Metaphyſices & Analytices. Multis ex illis religio quidem eſt absque teſte bis duo eſſe quatuor pronunciare, non tamen falſis aut inidoneis teſtibus omnes decipere. Adducta enim teſtimonia ſæpenumero videre licet, vel ubi nulla opus erat probatione, vel ubi cauſam, non teſtimonium,

res

res exigebat, vel ubi id quod probandum erat cum illo teſtimonio quod affertur nihil pene niſi unum aut alterum verbulum habet commune. Uno verbo, teſtimonia illorum non raro inania ſunt plebejæ indoctorum laudis aucupia, non rerum & cauſarum pondera ac argumenta.

IV. Atque hæc quidem eminus tantum oſtenſa ſit doctrinæ de cauſis imperitia, cujus origo ſuperiori tempore *Rami Philoſophia* extitit. *Ramus* enim (niſi prorſus judicium nos fallit) primus fuit, qui *Metaphyſicam*, quam ſuis nugis maxime adverſam timebat, radicitus exſcindere & demoliri penitus aggreſſus eſt: Viderat vero iſte probe, futurum non eſſe, ut primo ſtatim impetu omnes Metaphyſicas doctrinas exterminaret penitus ac prorſus abeſſe juberet, unde ſatis callidi, nec minus ingenioſi, quam malitioſi conſilii faber extitit, atque Philoſophiæ primæ copias (quarum excidium deſperaverat) in agellos ſuos Logicos miſere transſcripſit, tantumque non deploranda cum vehementia deportavit: Inprimis hoſpites & exules dicens cauſarum genera generumq; varios modos, ex ſterili ac noxio ſolo Metaphyſico in patriam dulciſſimam (Dialecticam ſcilicet Rami) ſua dicaci lingua revocabat, ſimulque laudis ſuæ caput in Ariſtotelis doctrinarum Metaphyſicarum obtrectatione ponebat.

Sed

Sed hac de re ex profeſſo agere bono cum Deo decrevimus in *Apparatu* noſtro *Metaphyſico*, ubi non modo ortum & progreſſum ſtudii Metaphyſici, ſed & adverſa ac iniquiſſima fata, quæ Philoſophia prima ſæpius experta eſt, quæque eam hodie manent, deſcribemus. Hoc interim obiter notamus, hodiernos cavillatores ac roſores ſtudii Metaphyſici tanto pejores Ramo ejusdemque aſſeclis cenſendos eſſe, quanto peſtilentiores eorum machinationes ſunt: Ille enim in eo utique mitiori cenſura dignus evaſit, quod doctrinas Metaphyſicas, maxime eas, quæ de generibus ac modis cauſarum agunt, non penitus inutiles aut plane noxias pronuncians bonam partem Logicæ adjudicaverat: (Ita enim *Ramus* ipſe *in fine præfationis* ſcribit: *Id præcipue diſſerendum demonſtrandumque mihi propoſui: utrum tota Ariſtotelis Metaphyſica nihil aliud ſit quam Logica: Logicis plurimis & Theologicis quibusdam ſophiſmatis obſcurata.* Idem ante dixerat: *Quatuordecim Metaphyſicos libros Ariſtotelis quatuordecim Logicarum tautologiarum cumulos eſſe ſtatuo.* Alibi de ſe ſcribit ſequentia: *Archimedes ſphæræ & cylindri rationem, in cujus inventione vehementius elaboraſſet, ſepulchro ſuo incidi voluit. Et quidem ſi me de vigiliis ſtudiisque meis interroges, ſepulchri mei columnam e Logicæ artis inſtitutione deſiderem.*) Hi vero

Eee non

non Metaphyſicam modo, ſed & Logicam, ex Academiis in perpetuum exeſſe *volunt*, ac utramque iisdem convitiis proſcindunt, qualia ſunt: utramque nihil prorſus neque ad doctrinam neque ad diſciplinam habere utilitatis; utramque qui ſciat, nihil ſcire; illam qui diſcat, antea doctum dici potuiſſe, nunc ruſtico longe indoctiorem evadere, illaque vix amplius perſpecta habere, quæ ruſticus indoctiſſimus accuratiſſime habeat cognita & habuerit ſemper: illam eſſe artem inſaniendi cum ratione, hanc vero inſanam in Academiis altercandi de ſuis præceptis ſophiſticam, utramque nil eſſe niſi artem ſic loquendi in Academiis, ut a nemine niſi garrulo poſſis intelligi, & quæ ſunt ſexcentæ aliæ ſimilitudines lautæ ac lepidæ, atque ejusmodi reprehenſiones, quæ in omnes, qui aliquid docent, a quovis oſore effundi urbaniſſime & dicaciſſime poſſunt. Numne vero nobiliſſimam doctrinam de cauſis ideo cenſebimus contemnendam ac proſcribendam, quod ita quibusdam videatur? abſit: potius iniquos atque præpoſteros habebimus illos, qui ſic exiſtimant, quique omnes ſui ſimiles eſſe optant, ut privata eorum ignorantia communis ignorantiæ tenebris obtegeretur, nec quisquam ipſorum inſcitiam proderet & redargueret.

IV. In memoriam venit conſilium, quod non-

nonnulli benevoli amiciſſimique Moralium ac Juris Cultores ſibi ſubminiſtratum eſſe plus ſimplici vice teſtati ſunt; de cujus ſententia ſtudio Metaphyſico inſuper habito ſaltem Logicum ſtudium excoluerunt, ut tempus Juris & Moralibus ſtudiis mancipatum lucrarentur: Nec certe diffitebimur, futurum Moralium ac Juris Studioſum, cui breviori via eundum eſt, (maxime ſi fidelem ac ſatis prudentem manuductorem nactus fuerit) una eademque opera ſtudium Metaphyſicum & Logicum excolere poſſe, quantum ad inſtituti ſui rationem ſatis eſſe poterat: Multum enim inter ſe finis doctrinæ aut diſciplinæ, ſcopusque docentis aut diſcentis ſæpiuscule differunt: Ita e. gr. facili felicique ratione tractatio Metaphyſica & Analytica Cauſarum conjungi poterat: Enimvero ſtudia, quæ in horum illorumve ſtudioſorum gratiam ac peculiare commodum & temporis lucrum conjunctim tradebantur, adhuc manent in ſe diſtinctiſſima ac diſtinctis plane ordinibus tractanda ſtudia. Abſit igitur, ut nulla circumſtantiarum ratione habita hocce conſilium improbemus: Interim peſſimum adhuc pronunciamus Rami ejusque aſſeclarum conſilium, qui totam doctrinam Analyticam veraque ac genuina diſcrimina Analytices a Dialectica, locorum Analyticorum a Dialecticis, rationum



Digitized by Google

domeſticarum a communibus, tractationis Metaphyſicæ cauſarum a tractatione Analytica, nugas & pueriles ineptias appellabant profluentes ex Apodictica Idololatria. A quo certe noxio ac craſſo errore quam longe abſint, qui totam doctrinam Metaphyſico-Analyticam de cauſis, quousque Moralium aut Juris Studioſo proficua eſſe poſſit, una vel altera horula abſolvi penitus poſſe cenſent, rem alieni judicii eſſe volumus.

§. 8. Exempla quatuor generum cauſarum actus vel negotii Practicorum Studiorum Cultoribus tot ſuppetere poſſunt, quot deſiderantur, & quam late diſciplinæ Practicæ: Moralis, Politica, Forenſis, Theologica, patent. Sumamus in gratiam minus πεπαιδευμένου Studioſi Politices exemplum perceptu facillimum: *Creatio Magiſtratus eſt actus civilis*: cujus *finis* eſt commodum civitatis regimen, *efficiens* is qui creat, *materia* Perſonæ ex quibus Magiſtratus creandi ſunt, *forma* ipſe modus crea-

creationis, quæ nimirum nunc fit per ſuffragium, idque vel prudens vel imprudens, vel vere liberum vel ambitu corruptum, nunc per ſortem idque itidem varie, nunc partim ſuffragio, partim ſortito.

*NOTÆ.*

I. Adducere libet e ſingulis modo nominatis diſciplinis Practicis exempla unice ea fini, ut captui incipientium nos accommodemus, hique utiliori methodo ſtudia ſua tractandi aſſueſcere diſcant. Ita e. g. in Philoſophia Practica agitur ex profeſſo de lege civili, cujus cauſas ſi quis, nondum aſſuetus ſolidæ doctrinæ, percipere velit, CAUSA EFFICIENS legis civilis eſt *Legiſlator*, CAUSA FINALIS eſt *ſubditos continere ac contineri in officio*, CAUSA MATERIALIS ſunt *actiones* ἀδιάφοροι, CAUSA FORMALIS eſt *modus*, *quo decernit Legiſlator, ut ſubditi ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componant.*

II. Ita *promiſſionis* CAUSA EFFICIENS eſt *promiſſor*, CAUSA FINALIS eſt *commodum promiſſarii quem vocant, hoc eſt, ejus cui fit promiſſio:* CAUSA MATERIALIS eſt *res quæ promittitur*, CAUSA FORMALIS eſt *modus promittendi.*

III. *Pœnæ* CAUSA EFFICIENS eſt *ſuperior*, CAUSA FINALIS eſt *vitæ moralis emendatio*; CAUSA MATERIALIS ſunt *delicta*, CAUSA FORMALIS eſt *modus pœnæ*.

IV. *Judicii primi in homine inter prima naturæ & judicii primi in homine inter ſecunda naturæ* hæ ſunt cauſæ. *Illius* CAUSA EFFICIENS eſt *ſenſus*: Hujus CAUSA EFFICIENS eſt *intellectus*. Illius CAUSA FINALIS eſt *corporis humani vitæque corporalis conſervatio*: Hujus CAUSA FINALIS eſt *moralis perfectio animi*. Illius CAUSA MATERIALIS eſt *jucundum*: Hujus CAUSA MATERIALIS eſt *honeſtum*. Illius CAUSA FORMALIS ſignificatur illa propoſitione (propoſitio namque ſignum eſt judicii actualis, ut vocant, hoc eſt, ejus actus intellectus, qui judicii nomine nuncupatur: quod enim propoſitio extra animum, hoc in animo judicium eſt.) *Ex ſua natura ac per ſe honeſtum expete*: *Hujus* CAUSA FORMALIS indicatur hac propoſitione: *Tuam tuique corporis conſervationem appete.* Eodem tendunt hæ propoſitiones: *Animum moraliter perfice*, &, *Te conſerva.*

V. *Contractuum* CAUSA EFFICIENS ſunt *perſonæ illæ, quæ contrahunt*, CAUSA FINALIS eſt *aliorum hominum utilitas*, CAUSA MATERIALIS ſunt *res vel operæ, vel res*

& *operæ ſimul*, CAUSA FORMALIS eſt *modus contrahendi*.

VI. *Juramenti* CAUSA EFFICIENS eſt *is qui jurat*, CAUSA FINALIS eſt *eum, cui juratur, certum reddere*, CAUSA MATERIALIS eſt *res, quæ juratur*, CAUSA FORMALIS eſt *modus jurandi*.

VII. *Legationis ſolennis* CAUSA EFFICIENS ſunt *ii, qui ſummi Imperii ſunt compotes inter ſe*, CAUSA FINALIS eſt *intereſſe Reipublicæ*, ut loqvuntur: Nempe Reipublicæ maxime intereſt, ut cum eo, cum quo vel ipſe ſummus imperans non vult vel non poteſt agere, per alium agatur. CAUSA MATERIALIS eſt *perſona, quæ mittitur*, CAUSA FORMALIS eſt *modus legationis*.

VIII. *Prædeſtinationis* (ut ab orthodoxis Theologis ſumitur) CAUSA EFFICIENS eſt *tota SS. Trinitas*, CAUSA FINALIS eſt *æterna ſalus finaliter credentium*, CAUSA MATERIALIS ſunt *homines peccatores*, CAUSA FORMALIS eſt *modus prædeſtinationis*.

IX. *Juſtificationis* CAUSA EFFICIENS eſt *is qui juſtificat*, nempe ſolus Deus. CAUSA FINALIS eſt reſpectu *Dei*, ejus *miſericordiæ pariter & juſtitiæ admirandæ demonſtratio*, reſpectu *noſtri*, *ſalus æterna*. CAUSA MATERIALIS eſt *homo peccator, qui tanquam reus coram tribunali DEI ſiſtitur*,



Digitized by Google

CAUSA FORMALIS eſt *modus juſtificationis*, ipſa nempe remiſſio ſeu non imputatio.

X. *Converſionis* tranſitive ſumtæ ſeu regenerationis, item *renovationis* CAUSÆ eadem via quæri poterant.

XI. *Pœnitentiæ* CAUSA EFFICIENS eſt *Spiritus Sanctus, qui in homine per verbum operatur, ut agat pœnitentiam.* CAUSA FINALIS eſt *remiſſio peccatorum.* CAUSA MATERIALIS ſunt *peccata.* CAUSA FORMALIS eſt *modus pœnitentiæ*, dum homo agnitis ex lege peccatis ſuis & ira Dei adverſus illa ſerio dolet, fide autem in Chriſtum ex Evangelio concepta ſe rurſum erigit, certo ſtatuens ſibi propter Chriſtum ejusque meritum peccata remitti.

XII. *Sacramenti Cœnæ* CAUSA EFFICIENS eſt *Chriſtus*, qui ea nocte, qua traditus eſt, inſtituit & diſcipulis ſuis primus S. Cœnam adminiſtravit. CAUSA FINALIS eſt *recordatio* Chriſti & acerbiſſimæ paſſionis & mortis ejus commemoratio, item ſupernaturalis communicantis nutritio &c. CAUSA MATERIALIS ſunt *res terrena & cœleſtis*, nempe panis & vinum, verum corpus Chriſti & verus ſanguis Chriſti. CAUSA FORMALIS eſt *modus actionis*, quatenus ſcilicet verum corpus Chriſti mediante pane, & verus ſanguis Chriſti mediante vino communicantibus exhibetur & diſtribuitur, atq;

ab

ab iisdem illud quidem accipitur & manducatur, hic vero accipitur & bibitur.

XIII. *Extremi judicii* CAUSA EFFICIENS eſt *Chriſtus*, qui in aſſumta humanitate & gloria omnibus conſpicua pro tribunali ſedebit. CAUSA FINALIS eſt *fidelium glorificatio, infidelium condemnatio.* CAUSA MATERIALIS ſunt *omnes homines*, tum pii, tum impii, ut & diaboli. CAUSA FORMALIS eſt *ratio*, ſecundum quam Chriſtus judicabit, pios nempe ex fide, quæ ex bonis, & impios ex incredulitate, quæ ex malis operibus innoteſcit.

XIV. *Adoptionis* CAUSA EFFICIENS eſt *is, qui adoptat*, CAUSA FINALIS eſt *acquiſitio jurium civilium agnationis ſeu familiæ*, CAUSA MATERIALIS eſt *perſona, quæ adoptanda venit*, CAUSA FORMALIS conſiſtit in legitima in filium (ſeu nepotem &c.) aſſumptione.

XV. *In Jus vocationis* CAUSA EFFICIENS olim erat privata autoritate is qui acturus erat; ſecundum Jus novum eſt *Judex, cujus auctoritate, petente Actore, fit vocatio* ſeu citatio, CAUSA FINALIS eſt *ſuſceptio litis*: fit enim in Jus vocatio ſeu citatio litis ſuſcipiendæ cauſa, CAUSA MATERIALIS eſt *reus, qui citari poteſt*, CAUSA FORMALIS eſt *ratio judicialis, ſecundum quam* (reus judicis autoritate, petente

actore, litis ſuſcipiendæ cauſa) *in loco judicii ad diem certum comparere jubetur.*

XVI. *Transactionis* CAUSA EFFICIENS eſt *is qui tranſigit*, CAUSA FINALIS eſt *evitatio judicialis proceſſus*, CAUSA MATERIALIS eſt *res ob litem ſive præſentem ſeu inſtantem vel alias dubia*, CAUSA FORMALIS conſiſtit in *illo actu, qui per. pactum vel contractum peragitur*, hinc transactio formaliter eſſe dicitur rei dubiæ aut litigioſæ aliquo dato vel retento vel promiſſo conventa deciſio.

XVII. *Negotiorum geſtionis* CAUSA EFFICIENS eſt *geſtor negotii*, CAUSA FINALIS eſt *commodum ejus, cujus negotium geritur*, CAUSA MATERIALIS eſt *negotium, quod geritur*, CAUSA FORMALIS conſiſtit in ipſa geſtione *absque ullo mandato ſeu expreſſo ſeu tacito ſuſcepta.*

XVIII. *Actus civilis, quo arbiter compromiſſarius conſtituitur*, CAUSA EFFICIENS ſunt *ii, inter quos lis intercedit*, CAUSA FINALIS eſt *deciſio litis*: electio arbitri compromiſſarii fit litis decidendæ gratia, CAUSA MATERIALIS eſt *perſona habilis*, CAUSA FORMALIS eſt *ipſe modus electionis*, conſtituitur nempe per compromiſſum, quod in eo conſiſtit, ut litigaturi aliquem eligant, & mūtuo promittant, ſe ſtaturos iſti, quod ipſe pronunciaverit, electusque officium hoc ſeu

ar-

arbitrium ſponte recipiat: Compromittitur
autem a litigantibus vel adjecta pœna, ſi ar-
bitrio fuerit contraventum, vel ſimpliciter,
& quidem aut per pactum nudum, aut per
ſtipulationem &c.

XIX. *Querelæ inofficioſi teſtamenti* CAU-
SA EFFICIENS ſunt *ii*, *qui cum neceſſario*
*inſtituendi vel ex juſta cauſa exhæredandi aut*
*quibus ſaltem legitima relinquenda fuiſſet, in-*
*digne ac præter meritum ſunt exhæredati præ-*
*teritive, ne legitima quidem illis relicta*: His
datur actio de inofficioſo ſeu querela inoffi-
cioſi teſtamenti: CAUSA FINALIS eſt *re-*
*ſciſſio teſtamenti tanquam inofficioſi & reſti-*
*tutio hæreditatis*, ut ſcilicet teſtamentum tan-
quam inofficioſum reſcindatur, ac proinde
everſa ita ſola hæredis inſtitutione, actor de-
claretur hæres ab inteſtato, ipſique hæredi-
tas, quam reus tenet, cum omni cauſa reſti-
tuatur. CAUSA MATERIALIS eſt *quili-*
*bet hæres teſtamento inſtitutus* ut & fideicom-
miſſarius hæres, ac alius qui ex teſtamento
hæreditatem pro hærede aut poſſeſſore tenet,
nec non is qui hæredi ſucceſſit, aut loco hæ-
redis eſt, adeoque & contra fiſcum bona ut
vacantia occupans. CAUSA FORMALIS
eſt *modus*, quo rite quidem ſed inique exhæ-
redatus præteritusve petit, ut teſtamentum,
quo is eſt excluſus, reſcindatur, ipſe hæres de-
claretur, ac proinde ſcriptus hæres conde-
mne-

mnetur ad hæreditatem reſtituendam cum omni cauſa. CAUSA MATERIALIS ſeu adverſus quem datur actio de inofficioſo eſt *quilibet hæres* teſtamento inſtitutus, ut & fideicommiſſarius hæres ac alius, qui ex teſtamento hæreditatem pro hærede aut poſſeſſore tenet, nec non is, qui hæredi ſucceſſit, ac loco hæredis eſt. CAUSA FORMALIS eſt *modus querelæ*, quatenus ſcilicet (rite quidem, ſed inique exhæredatus) hanc affert cauſam, quod inique ſit exhæredatus, adeoq; non ſolum petit, ut teſtamentum inofficioſum reſcindatur, ſed & ut ipſe ex cauſa, quod inofficioſum teſtamentum ſit, ab inteſtato hæres declaretur, & per conſequens reus, inſtitutus ſcilicet in illo teſtamento inofficioſo hæres, ad reſtituendam hæreditatem condemnetur.

XX. *Hæreditatis petitionis generalis* CAUSA EFFICIENS eſt *is, qui petit hæreditatem*, nempe is, cui competit jus hæreditarium ex teſtamento vel ab inteſtato per aditionem quæſitum, CAUSA FINALIS eſt, ut is, qui petit, hæres declaretur, & *rerum hæreditariarum reſtitutio*, CAUSA MATERIALIS ſeu adverſus quem hæreditatis petitio generalis competit, eſt *is, qui pro hærede vel poſſeſſore poſſidet*, CAUSA FORMALIS eſt *modus* actionis univerſalis ex acquiſito jure hæreditario competens, quatenus hæres (adver-

verſus eum, qui pro hærede vel poſſeſſore poſſidet) contendit, ſe hæredem declarari, hæreditatem ſuam eſſe, & per conſequens res hæreditarias ſibi ab iſto reſtitui.

XXI. *Rei vindicationis* CAUSA EFFICIENS, isque, cui datur hæc actio, eſt *dominus*, CAUSA FINALIS eſt, ut is, qui rem vindicat, *dominus declaretur & conſequenter res cum omni cauſa reſtituatur*, CAUSA MATERIALIS ſeu adverſus quem rei vindicatio competit, eſt *poſſeſſor rei corporalis*, CAUSA FORMALIS eſt *modus vindicationis*, quatenus (verus dominus certæ rei corporalis adverſus iſtius poſſeſſorem) contendit, ut ipſe rei iſtius corporalis dominus declaretur, & conſequenter res cum omni cauſa reſtituatur.

XXII. *Condictionis indebiti* CAUSA EFFICIENS eſt *is, qui condicit indebitum*, nempe qui indebite per errorem ſolvit, aut indebitam dedit cautionem, ejusque hæredes, CAUSA FINALIS eſt (indebite per errorem ſoluti) *reſtitutio*, nempe ut ſi quantitas ſoluta, tantundem reſtituatur ſine uſuris, aliquando etiam pretium, ſi nimirum ejusmodi res ſit fungibilis, cujus pretium variat: Sin vero ſpecies, ea in ſpecie cum fructibus & acceſſionibus deducta impenſa reddatur, vel ſpeciei conſumtæ pretium ſeu quatenus inde quis locupletior factus. Similiter res in-

Digitized by Google

incorporales indebite translatæ per incerti condictionem repetuntur, ut poſſeſſio. CAUSA MATERIALIS ſeu adverſus quem condictio indebiti cōpetit, eſt, *qui* ipſe *indebitum accepit*, hujusve hæres, item is ſecundum cujus voluntatem alius accepit, CAUSA FORMALIS conſiſtit *in ipſa actione*, qua quis repetit, quod alteri indebite per errorem ſolvit, vel ſaltem ſe ſoluturum cavit.

XXIII. *Actionis inſtitoriæ* CAUSA EFFICIENS eſt *inſtitor*, appellatus ex eo, quod negotio gerendo inſtet, eſtque is, qui tabernæ ſive cuilibet alii negotiationi ad emendum vendendumve ſive certo loco ſive ſine loco eſt præpoſitus, & aliquando habet mandatum generale, aliquando certarum rerum emtioni venditioni eſt præfectus: Extenditur autem inſtitoris appellatio, ut eo nomine veniat, qui cuicunque negotio eſt præpoſitus, CAUSA FINALIS eſt, *acquiſitio ejus quod ex contractu ratione præpoſitionis cum inſtitore inito debetur* e. gr. pretii, ſi venditæ ſint merces, pecuniæ mutuo datæ, ſi mutuum ſit celebratum &c. CAUSA MATERIALIS ſeu adverſus quem actio inſtitoria datur, eſt *Dominus qui præpoſuit* ſeu cujus nomine ab eo, qui facultatem præponendi habet, quis præpoſitus eſt, CAUSA FORMALIS eſt MODUS, quo ex contractu ratione negotiationis, cui præpoſitus eſt, ab inſtitore

inito

Digitized by Google

*inito* convenitur in ſolidum dominus, qui *negotiationi* iſtum præpoſuit ad id, quod *ex* contractu debetur, præſtandum.

XXIV. *Tributoriæ actionis* CAUSA EFFICIENS, nempe ii, quibus datur, ſunt *creditores, quibus minus tributum, quam oportet, eorumque hæredes*, CAUSA FINALIS eſt, *ut* quisque creditorum, *id quod ratione mercium credidit*, ex negotiatione ea, quæ patiente domino a ſervo aut patiente patre a filiofamilias, proprio nomine, quibuscunque fit mercibus, (latius voce mercis ſumta) *capiat*, nec defraudetur, CAUSA MATERIALIS, nempe adverſus quem datur, eſt *dominus paterve*, cujus patientia filius aut ſervus, item is qui bona fide ſervit, negotiatur, & qui dolo & inique creditoribus diſtribuit, in hæredem datur de eo duntaxat, quod ad eum pervenit, CAUSA FORMALIS eſt *modus actionis*, quatenus nempe creditores, quibus nihil vel minus, quam oportet, de iſta peculiari merce tributum, in qua domino vel patre ſciente ſervus vel filiusfamilias negotiatus eſt, adverſus dominum vel patrem agunt, ut id quod ſingulis pro rata debetur, præſtetur.

XXV. *Probationis judicialis* CAUSA EFFICIENS eſt *is, qui probat*: Imponitur autem probandi neceſſitas a judice illi, qui aliquid in judicio dicit, aſſerit aut intendit, ſive

*actor*

Digitized by Google

*actor* ſit, ſive reus: Et actor quidem, cum ſemper quid intendere ſoleat, ideo ſemper probare debet, reus vero non ſemper, ſed nonniſi excipiendo quid aſſerens, vel ſi præſumtio ſit contra eum. CAUSA FINALIS eſt, ut de facto aliquo, de quo in judicio controverſia eſt, *judici ſit fides*, CAUSA MATERIALIS eſt *id quod probandum eſt*, nempe quod aſſeritur in judicio, & proponitur, & quidem non jus, ſed factum. CAUSA FORMALIS eſt *modus probationis, quæ* in judicio ſuſcipitur, dum nempe I. id, quod probandum, includitur articulis probatoriis, qui debent *(1)* ex narratis vel ex viſceribus libelli eſſe depromti *(2)* perſpicui, non obſcuri *(3)* non captioſi *(4)* ſuccincti, ut ſcilicet non plura contineant membra, ſed commode ad illos reſponſio quadrare poſſit. II. id fit poſt litem conteſtatam. III. parte citata. IV. Intra terminum a judice præſtitutum: Jure Saxonico intra terminum Saxonicum.

XXVI. *Teſtamenti* CAUSA EFFICIENS eſt *teſtator*, CAUSA FINALIS eſt *ſucceſſio perſonæ habilis in jus, quod teſtator poſt mortem reliquit*, CAUSA MATERIALIS eſt Jus teſtatoris, quod ipſe poſt mortem relinquit, CAUSA FORMALIS eſt *modus*, quo (teſtator) deſignat habilem ſucceſſorem in univerſum jus, quod ipſe poſt mortem relinquit.

Con-

Digitized by Google

Conditur teſtamentum duplici modo: vel judicialiter, vel extrajudicialiter. Judicialiter, aut in loco judicii ipſo teſtatore comparente, aut domi ad ſe vocatis perſonis & miſſis a judice: vel extra judicium ſcilicet, inſtituto certo hærede, & ſolennitatibus adhibitis in teſtamento ſcripto, vel etiam, non ſcripto, quod nuncupativum appellatur.

XXVII. Hæc exempla attulimus, non quaſi iis perlectis ac perceptis quiſpiam harum rerum alias adhuc ignarus ſolidam ac ſufficientem notitiam nunc habere poſſit, ſed unice ea fini, ut incipientibus de uſu & applicatione Generum Cauſarum in anteceſſum quodammodo conſtaret.

§. 9. Dum vero amplius requiſitorum omnium & ſingulorum, cum primariorum, tum ſecundariorum ex parte cujusvis cauſæ, tum ſufficienti cognitione, tum idonea applicatione quemvis idoneum (cumprimis Moralium, & Superiorum, ceu vocantur, Facultatum) Studioſum opus habere diximus, hoc (1) non ſolummodo



Digitized by Google

de quatuor generibus cauſarum, ſed & (2) ſingulorum generum quibusvis ordinibus intellectum volumus: Sæpe namque intra ſingula cauſarum genera variæ variorum ordinum cauſæ occurrunt, quarum cognitio plurimum utilitatis ad neceſſariam ac maxime idoneam doctrinam ac diſciplinam practicam habet: Id quod vel inde colligitur, quod ob multiplicem cauſarum ejusdem generis varietatem ſæpenumero intra idem genus una cauſa per alteram tradi ac demonſtrari poteſt. Quo de ſuis locis tum in ſpeciali doctrina cujusvis generis cauſæ, tum in capite de diviſionibus per omnia cauſarum genera vagantibus, quantum ad inſtituti noſtri rationem ſufficit, agendum erit. Nec tamen exiſtimandum eſt, ac ſi ad ſolidam ac accuratam hujus vel

iſtius

iſtius doctrinæ Moralis, Politicæ, *Theologicæ* aut Juridicæ tractationem hoc omnino requiratur, ut expreſſa mentio ejusmodi requiſitorum fiat: Tantum enim abeſt, ut hoc neceſſarium credamus, ut potius conſtanter aſſeveremus, iſtud non modo nullius neceſſitatis eſſe, ſed quoque ſi ſæpe aut ſemper id fieret, minus decorum atque laudabili conſuetudini docendi bonæque methodi legibus contrarium fore. Interim (3) requiri credimus, ut practicarum diſciplinarum maxime idoneus cultor doctorve ea modumque eadem applicandi memoria firmiter teneat, & uterque, hic tamen maxime, Speculativam Scholam nimis redolentes ſubtilitates puritate & perſpicuitate ſermonis tegere, omnemque rigorem vel auſteritatem Metaphyſicarum dictionum,



Digitized by Google

quouſque nimis delicatis auribus faſtidium parere poterat, vel gratioribus loquendi modis temperare, vel (re tamen ipſa doctrinæque methodo nequicquam mutata) circumſpecte ſupprimere ſciat.

*NOTÆ.*

I. Haud me latet, nonnullis, qui alias ſat æqui & benevoli doctrinarum Metaphyſicarum æſtimatores ac commendatores jure meritoque audiunt, nimium tot auſterarum ac Scholaſticarum notionum (in quarum numero inprimis continentur quoque *materialium & formalium* cauſæ, *rationum cauſandi, cauſalitatum*, item *fundamentorum ex parte relati & correlati*, ab iis diſtinctarum *rationum fundandi* & *rationum terminandi* notiones) uſum in nitidioribus diſciplinis Philoſophicis, quales ſunt: Moralis & Politica, adeoque ſimul Juris Naturalis & Gentium doctrina, multoque magis in Jurisprudentia forenſi ac Theologia uſibus practicis accommodanda admodum diſplicere: Imo profecto contra proprium cordis & conſcientiæ teſtimonium loquerer, niſi huic & utili & juſtæ cenſuræ perquam meditate ac plene ſubſcriberem: Verum ſi rudi ſimilitudine rem licet explicare, uti ſartoribus ſutoribusve ju-

re

re meritoque iraſcimur, aut ad minimum *tanto* citius calceos ac veſtimenta effecta deſpicimus, minorisque iſta artificum opera æſtimamus, quo craſſioribus filis partes calceorum veſtiumve colligatæ ſunt, quove crebriores ſuturas conſpicere datur: Ita facile ac lubentiſſime largior, doctrinas practicas Metaphyſico pulvere tot notionum Metaphyſicarum plenas aut adeo adſperſas craſſioribus ac indecoris ſuturis admodum ſimiles videri. Certe iſta ſutorum ſartorumque opera artificem commendant, quæ ita conſuta ſunt, ut ſponte ſua nata nullisque ſuturis texta rudis homo crederet: Ita eo magis magisque admiramur, tantoque majorem in modum eruditi commendabunt ingenium circumſpectumq; judicium doctoris, quanto felicius faciliusque, in gratiam ſatis πεπαιδευμένων ac alioqui doctiſſimorum auditorum vel lectorum tradere ſua practica dogmata novit, ut Metaphyſices ac Analytices imperiti ac prorſus ignari oſores roſoresve ne quidem advertere poſſint, metaphyſice & analytice talia tradi. Cæterum quemadmodum illi, qui informationi Sartoris Sutorisve ſe concredere incipiunt, primo omnium craſſiores ſuturas facere filaque craſſa ducere diſcunt, ita non mirari ſubeat, cur incipientibus ac παιδείᾳ adhuc inſtruendis auditoribus vel cultoribus has illasve doctri-

nas practicas ita proponamus, ut hinc inde & adhuc explicatas & ſine ſingulari artificio applicatas doctrinas obſervare liceat. Sed hanc quoque materiam in *Apparatu Metaphyſico* perſequemur.

II. Et ut obiter hoc in præſenti notemus, utut utrumque vitium ſit & nimium uti notionibus Metaphyſicis in Practicis doctrinis, & ſine judicio uti: Illud tamen utilius eſt, hoc pernitioſius. Capiamus hujus rei unũ alterumve exemplum: Ita occaſione notiſſimæ iſtius regulæ Juris: *Nuptias non concubitus ſed conſenſus facit*, quæ habetur *l. nuptias 30. D. de diverſis regulis Juris* multos eosque haud infimæ caveæ Scriptores ſine Philoſophia philoſophari geſtientes magno, vano tamen ac irrito labore defatigari videas, dum accurate determinare volunt: quomodo conſenſus ſe habeat ad nuptias, & quid *Ulpianus* hiſce verbis: *Nuptias conſenſus facit*, proprie & accurate ſignificare voluerit? Alii enim cenſuerunt, conſenſum eſſe *cauſam ſine qua non* conjugii, eum in modum, quo remotio valvarum cauſa ſine qua non reſpectu illuminationis, aut admotio combuſtibilis ad combuſtivum, ligni ad ignem, cauſa ſine qua non reſpectu combuſtionis dicitur, ideo quod ſine conſenſu conjugium fieri nequeat, fieri tamen queat absque concubitu: Alii vero pronunciarunt, conſenſum eſſe *formam con-*

conjugii ex eo fundamento, quod conjugium hoc, quod ſit & dicatur conjugium, formaliter habeat non a concubitu, ſed a conſenſu: Annon vero præſtiterat genuina cujuslibet cauſæ requiſita ſibi perſpecta reddidiſſe, quam adeo pro lubitu & contra receptam philoſophandi conſuetudinem terminis abuti potius, non uti? Videant alii, numne introductionem dicere debeamus hunc modum docendi, an abductionem? Accurati Jurium & Philoſophiæ Practicæ Doctores metaphyſice dicere volentes: Quomodo conſenſus ſe habeat ad nuptias? Reſpondebunt, conſenſum eſſe requiſitum neceſſarium, & quidem primarium ex parte cauſæ efficientis, inque ſpecie ſi vocabulo Metaphyſico exprimi debeat dicendum eſſe *cauſalitatem*, hoc eſt, id quo mas & fœmina fiunt & ſunt actu cauſa efficiens nuptiarum ſeu conjugii. Nam ut per ædificationem architectus fit & eſt cauſa efficiens ædificii, ita per conſenſum in ſocietatem nuptialem ſeu conjugium mas & fœmina fiunt & ſunt cauſa efficiens conjugii. Unde ſi ſic intelligamus verba: *Nuptias non concubitus ſed conſenſus facit*; quibus non JCti ſolummodo, ſed & Politici frequentiſſime utuntur, nulli dubitamus, quin accuratos Jurium & Politices Interpretes ac Doctores habituri ſimus conſentientes, imo certiſſime

Fff 4 habe-

habemus ac dudum habuimus præeuntes. At quis accuratiorum Metaphyſicorum unquam cauſam ſine qua non dixit ædificationem reſpectu domus, aut illuminationem reſpectu luminis in aere, aut calefactionem reſpectu caloris in aqua producti? Aut, ut faciliori exemplo rem demonſtremus, quis generationem dixit cauſam ſine qua non reſpectu hominis geniti, vel actum moriendi reſpectu cadaveris humani? Pariter hi ipſi, qui hanc ἀπαιδευσίαν Metaphyſicā pro ἀκριβείᾳ practica habent, alias in ſuccum, quod vulgo dicitur, & ſanguinem ſuorum dogmatum practicorum vertere ſciunt iſtud commune effatum: *Sublata forma tollitur res ipſa?* Numne vero ſublato conſenſu ſtatim tollitur conjugium? Abſit. Annon fieri poteſt, imo ſæpius evenire ſolet, ut poſtquam ſemel conjuges in conjugium conſenſerunt, aliquando ambo doleant de conjugio contracto, & recuſent diutius cohabitare? Veriſſimum quidem eſt, conjugium, hoc quod ſit conjugium, formaliter habere a conſenſu: Verum hoc eodem modo accipiendum eſt, quo ſalva veritate aſſeritur, ædificium, hoc quod ſit ædificium, formaliter habere ab ædificatione, calorem in aqua hoc, quod ſit calor in aqua, formaliter habere a calefactione. Nempe notione τοῦ *formaliter* hic ſignificatur cauſalitas cauſæ efficientis, unde per extrin-

Digitized by Google

trinſecam denominationem effectus denominatur, quemadmodum e.gr. formaliter viſus dicitur paries a viſione, virgo amata ab amore, per extrinſecam ſcilicet denominationem: Formale tamen cauſæ efficientis cauſalitas ſano ſenſu dici poterat. Conferantur ea, quæ ſupra *cap. 8. not. 5. ad §. 14. pag. 553.* dicta ſunt. Quid igitur damni adferet Politices Cultori, ſi audita quæſtione: Num concubitus, an ſolummodo conſenſus faciat nuptias? ſine monitore cogitet hunc eſſe ſenſum: Num mas & fœmina ſint cauſa efficiens conjugii præciſe per conſenſum? Num cauſalitas ex parte cauſæ efficientis conjugii ſit ſolummodo conſenſus? Pariter, quid eſt, quod rudes Ethices cultores adeo turbat, ſi in compendiis ſuis aut tabulis Ethicis legant, cauſam efficientem virtutis moralis non eſſe naturam, ſed actionem, cum tamen virtutem ab *Ariſtotele* expreſſe φυσικὴν vocari videant? Certe facta requiſitorum ex parte cauſæ efficientis neceſſariorum, & quidem primariorum, idonea applicatione, omnis difficultas, quæ animo ἀπαιδεύτου cultoris Ethices ſuboriri poterat, facile expirabit. Nempe virtutis moralis *cauſa efficiens* accurate loquendo nec eſt natura, nec eſt actio, ſed homo: Sunt tamen natura & actio neceſſaria eaque primaria ex parte cauſæ efficientis requiſita, illa quidem eſt *ra-*

*tio cauſandi*, hæc eſt *cauſalitas*: Quemadmodum enim potentia calefaciendi in igne eſt naturalis potentia & ſano ſenſu natura ignis, ita appetitus rationalis ſeu potentia appetendi in homine eſt naturalis potentia in homine & ſano-ſenſu natura hominis: Unde, ſicut per illam ignis, tamen neceſſario: Ita, per hanc homo, ſed libere, agit. Eſt igitur natura rationalis ex parte hominis tanquam cauſæ efficientis ratio cauſandi. E contrario ut per calefactionem ignis eſt cauſa caloris in aqua, ita per actionem cum natura rationali convenientem homo eſt cauſa efficiens virtutis in ſeipſo. Ex his colligitur, facilius naturam, quam actionem dici poſſe cauſam efficientem virtutis, quia cauſa efficiens agit, actio vero non agit, ſed natura, rationalis per actionem in eſſe agentis conſtituitur, adeoque per actionem eſt cauſa, efficiens virtutis. Unde ſaltem hoc ſenſu negatur, naturam eſſe cauſam efficientem, virtutis, quia a primo nativitatis momento virtus moralis nemini ineſt, ſed homini ejusque naturæ rationali per crebras actiones rectæ rationi conſentaneas acquiritur. Annon igitur captui incipientis, modo iſte ſit terminorum gnarus, facilius conſulit, qui quæſtionis: Num actio ſit cauſa efficiens virtutis moralis? hunc eſſe ſenſum perhibet: Num per actionem homo fiat & ſit cauſa efficiens

ficiens virtutis moralis, an ſine præcedenti-
bus actionibus virtus moralis in homine ef-
ficiatur?

§. 10. Notitiam variarum quæ-
ſtionum in Practicis diſciplinis ac
ſuperioribus, ut vocantur, Faculta-
tibus proponi ac adhiberi ſolitarū
quod attinet, (utpote quæ in uſu
primo practico doctrinæ de gene-
ribus cauſarum tertio loco *præce-
denti* §. 5. requirebatur) certe quem-
admodum vulgo quatuor cauſa-
rum genera: efficientem, finalem,
materialem & formalem dari dixi-
mus, ita hæc quatuor cauſarum ge-
nera communiter hiſce quatuor
quæſtionibus indicari ac efferri ſo-
lent: QVIS? CUJUS GRATIA?
QVID? QVOMODO? *Quis*
CAUSAM EFFICIENTEM, *Cu-
jus gratia* CAUSAM FINALEM,
*Quid* CAUSAM MATERIA-
LEM ſeu objectum, *Quomodo*
CAU-

Digitized by Google

CAUSAM FORMALEM arguit. Ita e.gr. (Repetamus exemplum *creationis Magiſtratus* §. 8. propoſitum) quando quæritur, QVIS? *quisnam creet Magiſtratum?* eſt quæſtio de CAUSA EFFICIENTE. Dum amplius quæritur: CUJUS GRATIA? *cujus* nempe *gratia fiat vel ſit creatio Magiſtratus?* eſt quæſtio de CAUSA FINALI. Porro quæritur: QVID? *Quanam perſona creetur Magiſtratus?* eſt quæſtio de CAUSA MATERIALI. Deniq; quæritur: QVOMODO? *Quomodo Magiſtratus creetur?* eſt quæſtio de CAUSA FORMALI.

*NOTÆ.*

I. Multa hic notanda veniunt, quæ Diſciplinarum Practicarum Cultoribus nondum πεπαιδευμένοις uſum inſignem potius præſtant, quam promittunt: Potiſſima breviſſime perſequemur.

II. Primum, quod notamus, hoc eſt: Metaphyſicæ doctrinæ, quæ quæſtiones de gene-

neribus cauſarum proponi ac adhiberi ſolitas explicat, reſpondet doctrina Moralis, *Politica*, Juridica, Theologica de circumſtantiis. Idem liquet ex illo verſiculo:

QVIS? QVID? ubi? quibus auxiliis?
CUR? QVOMODO? quando?

quem alii ſic efferunt:

QVIS? QVID? ubi? per quos? quoties?
CUR? QVOMODO? quando?

In ſingulis namque actionibus, negotiis operibusve, hæ quatuor quæſtiones inprimis occurrunt: QVIS? *quis agat? quis gerat negotium?* e.gr. quis juſtificet? Quis uſucapiat? Quis judicialiter probet? Quis promittat? Quis contrahat? CUJUS GRATIA? *cujus gratia agatur negotiumque ſuſcipiatur aut geratur*? e.gr. cujus gratia fiant, juſtificatio, uſucapio, judicialis probatio, promiſſio, contractus? QVID? *quidnam agatur?* quisnam juſtificetur? quid uſucapiatur? quid judicialiter probetur? quid promittatur? quid contrahatur? QVOMODO? quomodo juſtificatio fiat? quomodo uſucapio? quomodo judicialis probatio fiat? Quomodo promittatur? Quomodo contrahatur?

III. Alterum, quod „notatu" dignum credimus, huc redit: Quamvis non negemus in gratiam incipientium haſce quatuor quæſtiones enu-

enumerari poſſe, utpote ad quas tandem quomodocunq; reliquas quæſtiones omnes (quæ ſcilicet in eo conveniunt, quod ſint quæſtiones de certo genere cauſarum e. gr. quæſtio QVIS idem valet ac quænam detur cauſa efficiens? Idem de cæteris judicium eſto) reducere licebit, certiſſimum tamen relinquitur, ei, qui reſponſiones ad ſingulas quæſtiones de cauſis deſiderat, ita quidem ut ſingulis cauſis ſingulæ quæſtiones diſtincte reſpondeant, haſce quatuor quæſtiones ſæpenumero haud poſſe ſufficere. Capiamus exemplum aliquod Theologicum: Ita e.gr. ſi inſtituendæ nunc eſſent ſingulæ ac diſtinctæ quæſtiones de ſingulis cauſis æternæ prædeſtinationis, ſane prima quæſtio foret: QVIS? *Quis prædeſtinaverit ab æterno?* Hæc eſſet quæſtio de cauſa prædeſtinationis efficiente? Altera quæſtio eſſet, CUJUS GRATIA? *cujus* nempe *gratia ab æterno facta ſit prædeſtinatio?* quæſtio eſſet de cauſa finali prædeſtinationis. Tertia quæſtio eſſet: QVID? quorumnam prædeſtinatio ab æterno facta fuerit? Seu, *quinam ab æterno fuerint prædeſtinati?* Quæſtio eſſet de cauſa materiali ſeu de objecto prædeſtinationis. QVOMODO? ſub quanam ratione ab æterno facta ſit prædeſtinatio (hominum peccatorum?) eſſet quæſtio de Cauſa formali prædeſtinationis ſeu modo. Cæterum

rum quia QVID notat objectum materiale, & QVOMODO in adeo ſtricta ſignificatione non raro ſumi ſolet, ut præciſe objectum formale arguat, quisque facile videt æque arduas ſcituque neceſſarias quæſtiones ſequentes eſſe: OB QVID? *ob quid facta ſit prædeſtinatio ab æterno?* Nam hic non quæritur de cauſa finali, ſed de cauſa προκαταρκτικὴ ſeu de cauſa impulſiva externa prædeſtinationis? IN QVO? *in quo facta ſit æterna prædeſtinatio ſeu electio?* Hic enim quæſtio eſt de cauſa meritoria prædeſtinationis. QVO ANIMO? *quo affectu* (Deus) *prædeſtinaverit?* Quæſtio eſt de cauſa προηγουμένη ſeu cauſa impulſiva interna prædeſtinationis. Et ſane quisque qui rem ſine affectu æſtimat, videt æque arduas ac neceſſarias eſſe quæſtiones: OB QVID? IN QVO? QVO ANIMO? atque cognitu neceſſariæ ſunt quæſtiones: QVIS? CUJUS GRATIA? QVID? QVOMODO? Dicat aliquis, quæſtiones *ob quid? in quo? quo animo?* ſubintelligi audita quæſtione: QVOMODO? Reſpondetur, hoc veriſſimum eſſe, illas quæſtiones hac quæſtione QVOMODO? comprehendi poſſe: Sed hoc ad præſens neutiquam ſufficit. Eadem namque ratione quæſtiones reliquæ: *Quis? cujus gratia? Quid?* eo referri poterant. Nam quæſtio QVOMODO? ſæpe in ea ſignificatione ex re-

cepta

cepta philoſophandi conſuetudine ſumitur, ut ſit quæſtio de toto ambitu ac complexu omnium & ſingularum cauſarum, omnium & ſingulorum generum: E. gr. ſi quæratur ex Theologiæ Studioſo, *quomodo facta ſit æterna prædeſtinatio?* Iſte recte reſpondebit: *Deus in eſſentia unus in perſonis trinus ſeu tota SS. Trinitas* (QVIS) *ab æterno ex mere gratuito favore* (QVO ANIMO) *in Chriſto* (IN QVO) *conſtituit in gratiæ ſuæ laudem & gloriæ illuſtrationem ſalutem æternam in tempore conferre* (CUJUS GRATIA) *hominibus peccatoribus* (QVID) *quos ab æterno prævidit per gratiam ſuam finali fide meritum Chriſti ſuum facturos* (SUB QVA RATIONE & OB QVOD) *eſſe*. Quis non videt hic reſponderi ad quæſtionem QVOMODO? per omnes & ſingulas cauſas hacque reſponſione totum ambitum ſeu complexum cauſarum contineri: nam & Cauſæ Materialis Subjectivæ ſeu Subjecti fiebat mentio, quia prædeſtinatio Deum reſpicit & ut cauſam efficientem & ut cauſam ſubjectivam. Reducantur, quæ ſupra *cap. 4. per totam notam ad §. 4. p. 287. & ſeqq.* diſſeruimus.

IV. Tertio loco obſervamus, non debere confundi cum phyſicum examen hujusmodi quæſtionum de generibus cauſarum, cum practico earundem examine, tum examen practicum ſimplex talismodi quæſtio-

num

num cum examine comparato. Sæpe namque accidit, ut ab imperitis minusque cautis diſciplinarum practicarum cultoribus hæcce talia non ſine magna ἀπαιδευσίᾳ confundantur: Ita e. gr. quando quæritur: QVIS? ſi ſermo ſit de actione aut negotio humano qua tali, ſenſus abſolute neceſſarius eſt: QVIS HOMO, hoc eſt, cujus ſtatus aut conditionis, eoque pertinent varia vitæ genera ac ſtudia, ordines, ætates &c. ridiculus vero ac plane abſurdus, QVIS? num animal rationale ac ſociale, an ferum & horridum? Pariter multum diſcriminis intercedit inter examen practicum ſimplex & examen comparatum quæſtionum: Ita e. g. dum quæritur: QVIS communicaverit cum altero delictum? ſi reſpondeatur: Sacerdos cum laico, rectiſſime judicatur, illius nempe ſacerdotis, peccatum eſſe gravius hujus delicto. Sed hac de re occaſione ſingulorum *capitum* de ſingulis cauſis accuratius agetur.

V. Quarta cautio ſit, ne confundamus *quæſtionem de genere cauſæ* cum *quæſtione de certo ordine cauſæ:* Ita e. gr. quæſtio: QVIS? & quæſtio: QVIBUS AUXILIIS? poſſunt eſſe quæſtiones de eodem genere cauſæ, ut tamen non ſint de eodem, ſed de diverſo ordine cauſæ: Nam quæſtio QVIS? eſt de cauſa efficiente principali: Quis occiderit Sejum? Titius mandans vel conductor.

 Quæ-

Quæſtio vero: QVIBUS AUXILIIS? eſt de cauſa efficiente minus principali: QVIBUS AUXILIIS ſeu PER QVEM aut PER QVOS Titius occiderit Sejum? Per Cnejum mandatarium vel locatorem. Pariter ſi quæratur: QVIS percuſſerit Sejum? reſpondeatur: ſolus Titius; eſt quæſtio de cauſa efficiente principali: At ſi quæratur amplius, QVIBUS AUXILIIS ipſe ſolus eum percuſſerit? & reſpondeatur, non ſolum gladio, ſed etiam venenato gladio; eſt quæſtio de cauſa efficiente nec principali, nec minus principali, ſed mere inſtrumentali. Verum de hiſce omnibus & ſingulis nobis propoſuimus diſtincte agere in ſingulis, quæ mox ſeqvuntur, capitibus de ſingulis & generibus & generum ordinibus.

§. II. Lubet majoris utilitatis gratia inque commendationem tam nobilis & neceſſariæ materiæ huc tranſcribere verba Summi Conringii, qui *libro aureo de Civili Prudentia* ita diſſerit: *Quandocunque propoſitum eſt integram Scientiam alicujus Civilis* (Addo: *Moralis, Forenſis, Theologici*, idque in gratiam Studioſorum Philoſo-

loſophiæ Moralis, Theologiæ, Jurisprudentiæ: Huic namque eminentiſſimi Judicii Viro unice propoſitum ibi fuit doctrinam de cauſis Metaphyſicam Studioſis Politices ex unanimi ſententia commendare) *actus aut operis inveſtigare, neceſſum eſt, ut quæſtio ad quatuor cauſſas ſeſe exporrigat, utpote cum negotiorum Civilium* (addo iterum: *Moralium, Forenſium, Theologicorum*) *ſcientia ſit demum in omnium illarum cauſſarum accurata notitia collocata: Reliquæ quæſtiones circa unam aliquam cauſſarum ſemper verſantur. Et vero aut quæri ſolet* QVID SIT? *quinam ſcilicet actus ſit ille quo exempli gratia magiſtratus creatur? Ariſtocratia quænam ſit Reſpublica? Omnis autem ejusmodi quæſtio, ut & ex parte qua quæritur* QVALE QVID SIT? *eſt de* CAUSA FOR-

MALI. *Aut quæritur* CIRCA QVOD *vel* EX QVO? *aliquid agendum aut conſtituendum ſit? Ut exempli gratia: quænam res ſint exportandæ, quæ importandæ, aut ex quibusnam debeat fieri magiſtratuum cooptatio? Tales autem quæſtiones occupantur circa* CAUSAM MATERIALEM. *Perinde enim eſt ac ſi quæras, circa quas res exportatio & importatio inſtitui debeat, vel quinam poſſint eſſe materiæ loco in magiſtratuum conſtitutione? Aut quæritur porro* A QVONAM *vel* QVIBUS ADMINICULIS *opus aliquod ſit peragendum? Cuinam ſcilicet prætura, quæſtura, conſulatus ſit conferendus? quibus ſociis, quibus armis, quanta vi pecuniæ, bellum ſit gerendum? Quod genus quæſtionum eſt de* CAUSA EFFICIENTE *ſive principali ſive inſtrumentali. Aut quæritur poſtremo,*

Digitized by Google

*ſtremo*, CUR *hoc vel illud ſive agendum ſive omittendum ſive permittendum ſit? quod eſt de* CAUSSA FINALI *quærere. Præter* QUATUOR HORUM GENERUM QUÆSTIONES, *ſi illas* AN SIT? *exceperis, nullam ſane adferre eſt, quæ Politici* (Addimus: *Moralis, Juridici, Theologici*) *ſit uſus*. Tantum in communi dixiſſe ſufficiat de primo uſu practico generum cauſarum.

*NOTÆ.*

I. Quæſtiones de una eademque cauſa ejusdem ſcilicet non modo generis, ſed & ejusdem ordinis, multoque magis de diverſi ordinis cauſis ejusdem generis, ſæpenumero variant: Exempla ſunto allatæ quæſtiones: *quis?* &, *à quo?* ſunt quæſtiones de cauſa ejusdem generis, nempe *efficiente. Quid? circa quod? ex quo?* ſunt quæſtiones occupatæ circa cauſam ejusdem generis, ſcilicet *materialem. Quomodo? quid? quale quid?* quæſtiones cenſentur de cauſa ejusdem generis, nempe *formali. Cur? Cujus gratia?* arguunt cauſam ejusdem generis, nempe *finalem*. Qua de re promiſſi memores in *ſequentibus capitibus* diſpiciemus.

II. Benevolo Cultori Philoſophiæ Primæ Lectorique non adeo diſplicere poterit, hiſce talibus nos in gratiam incipientium illorum, qui malunt proficientes videri quam eſſe, immorari voluiſſe.

§. 12. Relicto primo uſu practico ad alterum doctrinæ de generibus cauſarum uſum progredimur, qui nempe erat, ſibi perſpectum reddere modum per cauſam ejusdem alteriusve generis probandi cauſam hujus iſtiusve generis. Hoc ut rite cognoſcatur, iterum duo cognitu ſunt neceſſaria: (1) noſſe modum probandi cauſam diverſi generis per cauſam diverſi generis. (2) noſſe modum probandi cauſam ejusdem generis per cauſam ejusdem generis.

§. 13. Modus demonſtrandi cauſam unius generis per cauſam alterius generis iterum variat: Aut enim demonſtratur cauſa unius generis

ne-

neris per omnium reliquorum generum cauſas, aut minime.

*NOTA.*

Quia communem ac receptam docendi conſvetudinem ſecuti (ceu ex *præcedenti* §. 6. inprimis liquet) quatuor cauſarum genera tradidimus, ideo hic loci merito eundem numerum retinebimus.

§. 14. Modus demonſtrandi cauſam unius generis per omnium reliquorum generum cauſas iterum triplex eſt: (1) Demonſtrari poteſt cauſa finalis per cauſam efficientem, materialem & formalem. Exempli gratia: Sit quæſtio, utrum *cauſa finalis* Reipublicæ eſſe debeat omnes civium filios ad parandam eruditionem inſtituere? Negativa ſententia primum demonſtratur per *cauſam efficientem*, quia deficiunt commodi magiſtri inſtitutoresque, hi vero ſunt *cauſa efficiens inſtitutionis*. Secundo demonſtratur per *cauſam materia-*

 *lem,*

*lem*, quia *non poſſunt omnes ita inſtitui*, hi vero (qui nempe poſſunt inſtitui) ſunt *cauſa materialis inſtitutionis*: Quod neutiquam poſſint omnes ita inſtitui, demonſtratur per rationem cauſandi ex parte cauſæ materialis, quia promiſcue omnes non ſunt idonei ad capeſſendam doctrinam. Tertio demonſtratur per *cauſam formalem*, quia ſola inſtitutio non ſufficit ad juventutem ſolida eruditione imbuendam.

*NOTA.*

Demonſtrari cauſa certi generis erudite ac ſolide per reliqua cauſarum genera poteſt, ut nulla prorſus fiat mentio ullius termini Metaphyſici, tacita tamen applicatio feliciter locum inveniat: Ita e. gr. formæt quis eruditæ quæſtionis loco huncce diſcurſum: Quia ſummi ac πολιτικώτατοι Viri: *Plato, Ariſtoteles, Thomas Morus, Hermannus Conringius*, præclare ſcripſerunt de Republica Optima, in diſquiſitionem vocare liceat, num ex uſu Reipublicæ futurum eſſet, ſi decretum promulgaretur de omnibus omnino civiũ filiis

in

in Republica ſine diſcrimine ad ſolidam eruditionem parandam inſtituendis? Alter reſpondet, nequaquam eſſe conſultum, quia & defuturi eſſent commodi magiſtri inſtitutoresque, nec omnes idonei futuri eſſent ad capeſſendam doctrinam, nec ſola inſtitutio futura eſſet ſufficiens ad juventutem ſolida eruditione informandam, deque talismodi inſtitutione prorſus deſperandum. Hic verbulo nullo fit mentio notionis Metaphyſicæ: Interim quisquis hanc quæſtionem formari audit, in Metaphyſica & Analytica doctrina feliciter verſatus mente ſua celeriter formabit quæſtionem de cauſa finali, hoc eſt, cogitabit hic quæri de eo, utrum promiſcua inſtitutio omnium omnino filiorum civium debeat eſſe ſcopus propoſitus civibus commodum ſuæ civitatis omni ex parte promovere volentibus? Item, num ex aliarum cauſarum natura hoc deduci ſicque demonſtrari queat? Pariter audita hac triplici reſponſione, idem facile aſſequitur, negativam hujus quæſtionis de cauſa finali & per cauſam efficientem, & per cauſam materialem, & per cauſam formalem demonſtrari.

§. 15. (2) Cauſa formalis demonſtrari poteſt per cauſam finalem, efficientem & materialem. Ex-

empli gratia: Eſto quæſtio *de cauſa formali creandi Magiſtratus ſeu modo creationis Magiſtratus in ſtatu vere Ariſtocratico, num creatio* ſcilicet *ſola ſorte fieri debeat?* Solam ſortem non debere eſſe *cauſam formalem* creandi Magiſtratus, demonſtratur primo ex *cauſa finali* creationis Magiſtratus in recte ſic dicta Ariſtocratia, quæ eſt creatio Magiſtratus ex ſolis hominibus idoneis. Secundo ex *cauſa efficiente* creationis Magiſtratus, quæ in ſtatu vere Ariſtocratico eſt is, qui judicandi pollet facultate, quali ſors ſolitaria deſtituitur. Tertio ex *cauſa materiali* creationis Magiſtratus, quæ in ſtatu vere Ariſtocratico ſunt perſonæ dotibus Magiſtratui aptis inſtructæ: Non enim eſſet vera Ariſtocratia, in qua non ad minimum pleræque perſonæ, ex quibus crea-

retur

Digitized by Google

retur magiſtratus, virtutibus Magiſtratu dignis inſtructæ forent.

*NOTÆ.*

I. Absque terminis Metaphyſicis eadem quæſtio ſic proponitur & analytice deciditur. Scilicet quæritur: Num in vera Ariſtocratia Magiſtratum ſorte ſolitaria conſtituere conſultum ſit? Et trimembri ſimulq; triplici reſponſione negativa probatur: Non eſt conſultum, quia in vera Ariſtocratia ſolis hominibus idoneis Magiſtratus committendus eſt, ſed hoc ſorte ſolitaria non licet aſſequi, quoniam ut optimi conſtituantur, opus eſt oculo intellectus, quo ſors caret, cui ſi res committenda ſit, dignus & indignus æque ablativum adſciſcent, ceu joci cauſa aſſertio ſeria exprimitur.

II. Forte e. g. ſic quærere licebit, num inter modos promovendi commoda veræ Politiæ recenſeri poſſit matura ad ſolidam eruditionem parandam inſtitutio eorum, quos præ omnibus aliis ſocietati adſcribere, & cum ipſa natura civitatum, & Gentium Jure, & præcipue cum veræ Politiæ indole apprime convenit? De filiis civium maxime talium (iſti enim ſunt cives in Politia) ſermo eſt. Nam de horum erga ſocietatem ſtudio ac favore certius conſtat, eodemque olim Politiæ ſingularem nominis gloriam affe-

ctantes

ctantes permovebantur, ut nullos niſi filios civitate donarent, quo fortaſſis reſpiciens *Ulpianus l. municipem 1. D: ad municipalem* nativitatem primum acquirendæ civitatis modum fecit, noſtros quoque Majores minime aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos fuiſſe aſſeverat *Tacitus libro de moribus Germanorum capite ſecundo*. Occaſionem quæſtionis auget ſpatium illud, intra quod ejusmodi filii ad maturitatem pervenire poſſunt, plerumque certo annorum numero in bene conſtitutis Rebuspublicis definiri ſolitum: Etiamſi enim fortaſſis unus & alter hujus iſtiusve civis filius velocitate ingenii ætatem ipſam transgrediatur, tamen ad præcavendas æmulationes, & tollendam e Politia invidiam ſatius viſum fuit, omnibus promiſcue certum fixumque tempus ſtatuere, ne adoleſcentes, qui in optimam partem cognoſcuntur, ſtupiditatem ingenii tam gravi atque manifeſto dedecore luere cogantur. Et ſane videbatur primo intuitu ex uſu & dignitate Politiæ, ſi ſine diſcrimine cives hi imperfecti, hoc eſt, omnes civium filii, in Politia prius ad ſolidam eruditionem inſtituerentur, quam ipſis nomen Athenienſium more apud populares tabulis Lexiarchicis profiteri, aut ad Romanorum imitationem togam virilem ſumere liceret. Verum enimvero ſalus & cujusvis Reipublicæ & cumprimis

mis Politiæ exigit, ut omnibus pacis & belli artibus cives nullo non tempore ſint inſtructi, cui omnino adverſatur omnes promiſcuè intentos eſſe parandæ accuratæ doctrinæ, multo vero magis illa Politia cives deſiderabit bellicoſos quam literatos, cui propoſitum eſt late fines imperii in alios populos extendere, quod Romanis in votis erat. Accedit, quod qui ingenio ad doctrinam idonei non ſunt, hi inani inſtitutione perdituri eſſent tempus & opes, atquè adeo jam adulti inutiles fere futuri: Qui ab opibus inſtructi ſatis non ſunt, cogerentur ſæpe in curſu medio ſubſiſtere vel ad incitas redigi: Qui corporis non ſunt ea ſanitate, ut meditationibus queant vacare, illi inſtitutione iſthac quod ſupereſt ſanitatis vel amitterent vel ſaltim corrumperent. Nec vero ex quovis ligno fit Mercurius: Et ubi invenies eos, qui omnes reddant eruditos? Ita reſpondebatur ad quæſtionem de *cauſa formali* per cauſam & finalem, & materialem, & efficientem, nulla Metaphyſicarum notionum mentione facta: Hoc tamen erat uti notionibus Metaphyſicis.

§. 16. (3) Cauſa efficiens demonſtratur per cauſam finalem, materialem & formalem. Nam quorum voluntas averſa eſt a *fine*

que-

quodam, illos non eſſe bene aptos ad propoſitum iſtum finem obtinendum, recte colligitur. Similiter qui averſantur *materiam* illam ſeu id, circa quod laborandum forte quid eſt, itidem hos pronunciare licet non ſatis idoneos ad opus peragendum. Par ratio eſt modi ſive *formæ* actus præſtandi, ſi forte acturis ille omnino diſpliceat. Nec enim invitis, quod ajunt, canibus venari commode licet. De facultate id manifeſtum eſt. Non ſane opus eſt ullo hæc exemplo illuſtrare.

*NOTA.*

Cauſa efficiens inſtitutionis omnium ſine diſcrimine filiorum civium in Politia dari nequit: Cui namque fini magiſtri inſtitutoresque operam perderent, ſi plurimi civium filii mallent bellicoſi fieri, inque iis nullum conſequendæ ſcientiæ deſiderium eſſet, ad eruditionem per naturalem inhabilibus complexionem, cumprimis ſi non ſit conſultum extraneos aſciſcere, magno tamen ad defen-

fenſionem numero bellicoſorum populus indigeat. Et annon oleum & opera perdetur in illis, qui melancholia frigida nimis abundant. Hinc *Ariſtoteles* εὐφυΐαν requirit in eo, qui ad eruditionem inſtitui debet, & *Pythagoras* adoleſcentes, qui ſe ad diſcendum offerebant, a principio ἐφυσιογνωμόνει, i.e. *vultum & ſpeciem totius eorum corporis attente conſiderabat*, ut ex eo conjiceret, eſſentne idonei, qui ad philoſophiam, *ſcientiam veritatis*, admitterentur. *Quos enim exiſtimabat ad id ſtudium ineptos eſſe, eos non patiebatur apud ſe operam perdere.* Imo quomodo inſtituentur illi, quibus omnis modus inſtitutionis ſordebat ac diſplicebat, quique nulla παιδείᾳ imbui poterant. Quid fiet cum juvenibus naſutulis & loquaciſſimis & ſcribaciſſimis? Quid cum iis, qui excuſſa omni magiſtrorum poteſtate de ſumma ſapientia judicabant, utut ne pictam quidem ſapientiam unquam vidiſſent? Quid cum iis, qui laborum futuri erant impatientiſſimi, utpote ſomno aut torpori dediti, omnia obiter aut incurioſe agentes? Infundibulo opus erit, per quod in omnium buccas eodem momento ſolida eruditio decurrat. Ita quæſitum attinens *efficientem cauſam* inſtitutionis omnis omnino juventutis ad parandam ſolidam eruditionem, demonſtrabatur per cauſas tres reliquas: Cauſam finalem,

cau

cauſam materialem & cauſam formalem.

§. 17. (4) Cauſa materialis demonſtrari poteſt per cauſam finalem, ~~materialem~~ & formalem. Sic quando juventutem omnem in civili ſocietate non eſſe inſtituendam ad eruditionem, demonſtratur primo ex *fine* ſocietatis civilis, cui hoc repugnat; ſecundo ex *forma* inſtituendi, quam omnis juventus non admittit; & tertio ex *cauſa efficiente*, quod non ſit invenire quenquam, qui omnes reddat eruditos, liquet ineptudinem eorum *circa qua* aliquid erat agendum, definitam ſicque de *cauſa materiali* demonſtrationem factam eſſe, principiis deſumptis ex natura cauſæ finalis, cauſæ formalis & cauſæ efficientis.

§. 18. Ex hactenus allatis percipere facile eſt, quid ſit demonſtrare cauſam unius generis ſolummodo

do

Digitized by Google

do per unam alterius generis cauſam, non per omnes.

*NOTA.*

Exempla in ſingulis *ſequentibus capitibus* ſufficienter monſtrabuntur.

§. 19. Tantum in communi dixiſſe ſufficiat circa ſecundum uſum practicum de modo probandi cauſam diverſi generis per cauſam diverſi generis: Agendum etiam eſt de modo probandi cauſam ejusdem generis per cauſam ejusdem generis. Ubi notationem meretur, quod quemadmodum diverſitas generum cauſa eſt, cur una cauſa per aliam demonſtrari poſſit, ſic etiam mera diverſitas ordinum intra idem genus ſufficiat ad hoc, ut cauſarum ejusdem generis una per alteram demonſtrari queat. Ita in genere cauſæ finalis cauſa alia eſt interna, alia externa: alia porro mediata magis minusve,

alia immediata: alia univerſalis, alia particularis &c. Unde rem recte & ſolide æſtimanti liquebit, quod omnino una cauſa finalis per alteram demonſtrari queat: Sumamus in præſenti unicum exemplum, & quidem illud ipſum, quo in antecedentibus §§. per reliquorum generum cauſas, nempe per cauſam efficientem, materialem & formalem cauſa finalis demonſtrabatur, ceu ex §.14. patet. Nam facile quoque eſt, ibi allatam *cauſam finalem* per *cauſam finalem alius ordinis* demonſtrare: Quando enim hæc quæſtio movebatur: Utrum cauſa finalis Reipublicæ eſſe debeat omnes civium filios ad parandam eruditionem inſtituere? Quæſtio movebatur de cauſa finali propiori ut & particulari: Nullum ergo dubium eſt, quin ea demonſtrari poſſit per cauſam finalem

lem remotiorem, vel etiam omnium ultimam, & maxime univerſalem, ejusdemque negativam nunc demonſtramus hoc modo: Cauſa finalis Reipublicæ non debet eſſe inſtitutio omnium filiorum civium ad parandam eruditionem, ſeu quod (ſuppreſſa tamen notione metaphyſica) eodem redit: In Republica nequaquam ſine diſcrimine omnes civium filii ad parandam eruditionem inſtitui debent, quia ſaluti Reipublicæ adverſatur omnes promiſcue intentos eſſe parandæ doctrinæ, utpote cum ſalus illa exigat, ut omnibus pacis & belli artibus cives ſint inſtructi, multo magis illa cives velit eſſe bellicoſos, ſiquidem Reipublicæ iſti propoſitum ſit late fines imperii in alios populos extendere, qui ſcopus præcipuus erat Romanorum.



Digitized by Google

## NOTÆ.

I. Ita profecto comparatum eſt, ut is cujuslibet particularis operis aut negotii ſcopus demum recte ſeſe habeat, qui & convenit ſcopo univerſali totius, ut ita loquamur, corporis, vel certe illi non adverſatur, quiq; pariter effectu poſſibilis eſt. Nec enim prudens quaſi ſcopum ſibi propoſuerit, quem neutiquam poſſit aſſequi, aut qui noxius eſt toti Reipublicæ. Utrum vero poſſibilis ſit ſcopus aliquis, nec ne? Utrum utilis ſit, nec ne? Si de ſcopo particulari ac propiori quæſtio ſit, accipi omnino poteſt, imo quoque (ſi rem intime perſpectam quiſpiam ſibi reddere velit) debet una a magis univerſali & denique ab ultimo ſcopo. Studio dicitur: Una a magis univerſali & ultimo ſcopo: Nam a reliquis cauſis etiam accipere eſt, non tamen niſi ſecundario a reliquis cauſis; primario vero a magis univerſali & denique ab ultimo ſcopo.

II. Singularibus ex cauſis adduximus cum in præcedentibus §§. tum etiam in hoc ipſo §. exemplum quæſtionis, quo Summus Vir, *Dn. Conringius in ſuo libro de prudentia civili* uſus eſt eo ipſo in loco, ubi ex inſtituto uſum doctrinæ de cauſis idoneis Politices cultoribus commendaverat. Nec vero dubium eſt, quin laudatiſſimus Doctor exemplum quæſtionis perceptu facilis & cujus ne-

gativa

gativa demonſtranda erat, hac ex cauſa adferre voluerit, ut accuratiori methodo minus aſſveti tanto facilius caperent, Metaphyſicas doctrinas de cauſis eſſe apprime neceſſarias & valde utiles illis, qui fructum ſolidæ eruditionis e ſtudio politico carpere geſtiunt. Et ſane una e potiſſimis cauſis (ob quas hoc exemplum a celeberrimo Conringio adductum retinuimus) eſt, ne incurreremus ſuſpicionem, ac ſi neminem e probatiſſimis Philoſophiæ Practicæ Doctoribus habuerimus præeuntem: Unus namque inſtar omnium *Conringius* eſſe poterat. Accedit, quod judice *Conringio*, pauci e Doctoribus Politicis ſibi aliisque præcipere ſategerint, quemadmodũ in ſingulis fere Politicis quæſtionibus de hac vel illa cauſa accurata & certa principia demonſtrationum ex cauſis poſſint accipi: Plures interim ad ſua probanda vel nullis cauſis uſi ſunt, ſed floſculis oratoriis, & rudiore colligendi modo a conſenſu aut vulgi aut ſapientum petito. Et ex iis, qui forte cauſas attulerunt, pauci ſciverunt cauſas accurate & decenter referre ad ea, quorum ſunt cauſæ, idque ob imperitiam Metaphyſices & Analytices. Nam etiam ex illis, qui demonſtrationes in Politicis dari tandem admiſerunt, pauci de eo unquam cogitarunt, quod una cauſa per alias cum diverſi, tum ejuſdem generis demonſtrari poſſit, tantum

 abeſt,

Digitized by Google

abeſt ut multi hancce rem ex dignitate perſecuti fuerint.

III. Quod de Politicis cauſæ per cauſam demonſtrationibus nunquam ſatis laudatus *Conringius* judicat, quousque juſte ſervata ordinis generi cujusvis diſciplinæ proprii varietate, idem de aliis diſciplinis practicis dicere liceat, præſentis judicii eſſe nolumus.

IV. Exempla alia variarum demonſtrationum cauſæ per cauſam in variis diſciplinis, cumprimis Practicis, e *ſequentibus capitibus* haberi poterunt.

§. 20. Sed hæc quoque in communi dixiſſe de altero uſu practico ſufficiat. Tandem ad tertium uſum datur accedere, qui videlicet erat, noſſe modum per cauſam demonſtrandi concluſiones, quæ de nulla cauſarum agunt: Eſt vero hic modus multiplex, quia alia ejusmodi concluſionum, quæ de nulla cauſa agunt, demonſtrari poteſt per omnia cauſarum genera, alia per uno plura cauſarum genera nec tamen omnia, alia per unicum cauſæ genus.

Digitized by Google

genus. *Pariter* alia concluſio quæ de *nulla* cauſarum agit, demonſtrari poteſt intra *idem* genus cauſæ per una plures, alia per unicam cauſam.

*NOTA.*

Noſtrum erit ſufficientibus exemplis, quæ præſenti §. dicta ſunt, in *ſequentibus capitibus* per ſingula cauſarum genera illuſtrare.

§. 21. Unicum interim exemplum concluſionis, quæ de nulla cauſarum agit, demonſtratæ per ſingula quatuor cauſarum genera hic adducere libet, ut de ſenſu præcedentis §. rectius in anteceſſum conſtet. Eſto quæſtio: *Num princeps ſit ſolutus legibus civilibus qua talibus?* Affirmativa demonſtratur 1. quia habet Majeſtatem circa leges civiles qua tales, adeoq; neminem agnoſcit (in terris) ſe Superiorem: Seipſo autem ſuperior dici nequit. 2. quia leges civiles feruntur iis, qui regendi ſunt inque

officio continendi, ut regantur per eas inque officio contineantur: Principis autem eſt ſubditos his mediis adhibitis continere in officio ac regere. 3. quia leges civiles qua tales diſponunt de indifferentibus actionibus: Ubi vero indifferentia, ibi abeſt neceſſitas, adeoque obligatio; Et omnem vim obligandi ſortiuntur ex libera ſuperioris qua talis in terris voluntate, cum nemo principe, nec princeps ſeipſo (ut modo dicebatur) ſuperior cenſeri poſſit. 4. quia leges civiles qua tales Principi latæ non ſunt; quis enim easdem tuliſſet? Ita demonſtratur affirmativa quæſtionis propoſitæ 1. per CAUSAM EFFICIENTEM. 2. per CAUSAM FINALEM. 3. per CAUSAM MATERIALEM & FORMALEM. 4. per CAUSAM MATERIALEM, prout SUBIECTUM ad cauſam materialem peculiari ratione referri ſolet.

NO-

Digitized by Google

## NOTÆ.

I. Nobis propoſitum hic non eſt, ex profeſſo monſtrare modum demonſtrandi concluſiones, quæ de nulla cauſarum agunt, ex ſingulis cauſarum generibus: Non quaſi vanæ ac vulgari opinioni faveamus, quæ alias multorum animos invaſit, ut certo ſibi perſuadeant, Locos cauſarum, quia in *Compendiis Logicis* Dialecticæ annexi conſpiciuntur, ad eam ſolam reſtringendos eſſe. Nam quemadmodum duplex modus docendi diſcendique: nempe διαλεκτικῶς & ἀναλυτικῶς, hoc eſt, methodus dialectica & analytica datur in omnibus diſciplinis: Ita utuntur locis ſuis dialecticis ἐξωτερικοὶ, locis ſuis analyticis ἀκροαματικοὶ auditores, ad quos Doctorum ſuorum doctrinas reducere neceſſum habent, ut propterea loci cauſarum & ad Dialecticam & ad Analyticam ſpectent, atq; cum incipientium tum proficientium & ad ſumma accuratiſſimaque tendentium uſibus pateant. Sed ideo, quia hæcce talia ad Logicam per ſe ſpectant, Metaphyſicæ vero conſiderationis eatenus inprimis eſſe jure meritoq; cenſentur, quatenus REDUCTIO CAUSARUM ANALYTICARUM ad CAUSAS METAPHYSICAS nunc proprie talis, nunc analogica quibusvis ſolidioris eruditionis amantibus non ingrata, iis vero qui incipiunt ad ſolidiora animos præpa-

rare ac præparati tendere, cognitu neceſſaria ac valde utilis æſtimatur, adhibitis accuratiorum Doctorum ſuffragiis.

II. Faciamus periculum hujus rei, in exemplum vocata modo propoſita Politicæ quæſtionis deciſione. Scilicet demonſtrabatur PRINCEPS EXLEX, hoc eſt, *de Principe demonſtrabatur, quod ſit ſolutus legibus civilibus qua talibus.* Demonſtrabatur illud quatuor rationibus, quæ nempe omnes & ſingulæ nitebantur hac maxima Metaphyſica: *Sublata cauſa, tollitur cauſatum*, atque quamlibet earum ad peculiarem titulum Cauſæ ut in Metaphyſicis ſumitur, reducere noſſe & neceſſarium & prorſus utile eſt. Ita quando demonſtrabatur *primo loco*, Principem eſſe ſolutum legibus civilibus qua talibus ex eo, quia habet Majeſtatem circa leges civiles qua tales, adeoque neminem agnoſcit in terris ſe Superiorem: Seipſo autem ſuperior dici nequit, merito hic loci quæritur, ad quemnam titulum cauſæ hæc demonſtratio ſpectet? Reſpondetur, ad *titulum cauſæ efficientis*. Nam *quis eſt CAUSA EFFICIENS metaphyſice ſumta obligationis civilis?* Idem eſt, ac ſi quæſitum fuiſſet: *QVIS obligat lege civili?* Reſpondetur: PRINCEPS, h. e. is qui Majeſtatem habet, ſive ſit unicus, h. e. Rex, ſive ſint plures, nempe Optimates vel totus Populus. Majeſtas hoc loco idem eſt,

quod

quod poteſtas civilis, hoc eſt, facultas moralis civitatem gubernandi: Non tamen quælibet poteſtas civilis Majeſtatis nomine venit, ſed quæ eſt ſumma, hoc eſt, cujus actus juri alterius non ſubſunt, ita ut voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi poſſint. Quia vero legis civilis effectus formalis eſt obligatio, nec dubium eſt, quin autor ſeu CAUSA EFFICIENS legis civilis ſit Princeps, hoc eſt, is qui Majeſtatem habet, ſponte ſua ſequitur, Principem eſſe quoque CAUSAM EFFICIENTEM obligationis civilis. *Ratio cauſandi ex parte Cauſæ efficientis* eſt Majeſtas, ut dicit actum primum, Jus ſummum circa leges civiles qua tales & in eas. *Cauſalitas ex parte cauſæ efficientis* eſt ipſum exercitium Majeſtatis, actus ſecundus, uſus iſtius Juris. SIC VOLO, SIC JUBEO. Nam ſi qui alii in Civitate condunt leges, hoc fit dependenter a principe, adeo ut princeps potius ſolus dicatur eas leges per alios tuliſſe: Facimus enim, quod per alios facimus, quodque quis faciendi alii jus dat, ejus ipſe auctor cenſetur. *Neceſſaria conditio*, vulgo dicta cauſa ſine qua non, eſt perſonarum rerumque notitia, hinc *Ariſtoteli* lex dicitur oratio ex prudentia profecta vim cogendi habens. Eo reſpicit *Grotius*, quando *lib. 2. de I.B. & P. c. 4. §. 12* ex *Politicis* metaphyſice hunc in modum diſſerit: *Ut quis legibus* (ci-

Digitized by Google

(civilibus) *obligetur*, *requiritur in legis auctore & poteſtas*, *& voluntas*. Voluntatem requirit, lex quippe civilis eſt decretum: Poteſtatem requirit, eſt namque lex civilis decretum ſuperioris in civitate, quo ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat. His obſervatis facile datur aſſequi, quod neceſſitas agendi ſecundum legem civilem, (hæc enim eſt obligatio, ut effectus legis civilis eſt) in neminem cadere poſſit niſi in inferiorem, hoc eſt, eum qui in Civitate Superiorem agnoſcit, ex cujus voluntate ſat idoneis ſignis declarata (inferior) agere ipſiusque decretis ſeſe conformare, atque ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componere neceſſum habet: Cum vero Princeps ſit proximus a Deo, & independens ſummumque imperium in terris poſſideat, quomodo quæſo in Civitate dari poterit ſummo ſuperior, alius qui illi inducere neceſſitatem agendi ex lege civili queat? Quia igitur manifeſtiſſimam contradictionem implicat Summo dari Superiorem, atque adeo CAUSA lege civili obligans principem ex parte Principis prorſus deeſt, lex namque civilis hominem ſuperiorem requirit ſui cauſam efficientem, nulla unquam obligatio Principis ex lege civili dabitur, quia nec habet, nec habere poteſt, unde incipiat. Altera ratio, qua PRINCEPS EXLEX demonſtra-

Digitized by Google

ſtrabatur, ita ſe habebat: quia leges civiles feruntur iis, qui regendi ſunt inque officio continendi, ut regantur per eas inque officio contineantur: Hæc vero ratio reducitur ad *titulum Metaphyſicum Cauſæ finalis*. Hic enim ſupponebatur notitia quæſtionis de *CAUSA FINALI*, *quæ* nempe *ſit CAUSA FINALIS obligationis ex lege civili?* Seu quod idem eſt, *cujus gratia ſit obligatio, ex lege civili? quinam ſcopus obligationi civili propoſitus?* Reſpondetur: Salus Reipublicæ: Reipublicæ velut anima eſt ordo ejus, qui regit, hoc eſt, principis, & eorum, qui reguntur. Subditorum enim eſt regi, Principis eſt regere: Regit autem Princeps civitatem partim per ſe, partim per alios. Per ſe autem verſatur aut circa univerſalia, aut circa ſingularia. Circa univerſalia verſatur ferendo leges, ut ſubditi contineantur in officio. Poſito ergo, quod obligatio ex lege civili cadat in Principem, jam omnis ordo imperandi & parendi, quo tamen tota Reſpublica ſubnititur, evertetur, quique princeps eſſe debebat, eſſe deſinet. Hoc enim ipſo quiſpiam princeps eſt in Republica, quod jus imperii quæſitum in ſubditos habeat, eosque in officio continere præſcriptis decretisque ſuis poſſit. Quod ſi concederetur cadere obligationem ex lege civili in principem, hac ratione in ſortem ſubditorum (utpote quo-

rum

Digitized by Google

rum eſt legibus ſuperiorumque voluntati obſequium præſtare) detruderetur. Quæ aſſertio non poterat non magnæ confuſionis mater eſſe. Itaque perpetuum hoc eſto, ſubditis nil præter obſequii legibus civilibus debiti gloriam, principi vero liberum circa leges civiles qua tales arbitrium relinquatur. Tertia ratio, qua PRINCEPS EXLEX demonſtratur, huc redibat: quia leges civiles qua tales diſponunt de indifferentibus: Indifferentia autem tollit obligationem: omnemque vim obligandi accipiunt ex libera Superioris in civitate voluntate; At nemo principe, nec ipſe ſeipſo ſuperior eſt. Hæc ratio reducitur ad *titulos Metaphyſicos cauſæ materialis & cauſæ formalis.* Redit enim quæſtio de *CAUSA MATERIALI legis civilis, & quæ inde originem trahit obligationis, quænam ſit? De quibus leges civiles qua tales diſponant? Circa quid legumlatio verſetur?* Cauſa materialis ſunt actus ex ſua natura ac per ſe indifferentes, h. e. nec ſua natura honeſti, nec ſua natura turpes, ſeu ut ſtilo *Ariſtotelis* efferamus, *ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει, οὕτως ἢ ἄλλως, quod ab initio nihil refert, an ſic vel aliter fiat.* Quæſtio etiam in memoriam revocanda venit de CAUSA FORMALI *legis civilis, & quæ inde originem ducit, obligationis civilis*, & hæc eſt voluntas Superioris ſat idoneo ſigno declarata, juxta illud: SIC VOLO,

LO, SIC JUBEO, STAT PRO RATIONE VOLUNTAS. Idem teſtatur communis loquendi modus, quando cum Alpha JCtorum *Bartolo voluntatem legislatoris* dicunt *ſpiritum & animam legis civilis*. De lege civili qua tali ſermo erat. Nam licet dentur leges civiles mixtæ, (unde diſtinctio orta inter obligationem naturalem tantum, civilem tantum, naturalem & civilem ſimul) in quantum tamen civiles ſunt, eaſdem cauſas habent. Aut igitur obligatio principis ex lege civili ſi daretur, originem duceret ex ipſa actuum, de quibus lex civilis qua talis diſponebat natura, aut ex voluntate Superioris: At ex neutro fonte derivari obligatio legis civilis in Principem poteſt. Non ex ipſa actuum natura, quia actus, in quibus determinandis occupatur lex civilis qua talis, in ſe & ſua natura plane ſunt indifferentes: Quodcunque vero eſt indifferens, in quantum eſt indifferens non poteſt dici neceſſarium, adeoque ad id nemo erit obligatus, indifferentia enim ferre ſecum obligationem, quippe quæ neceſſitatem importat, nequit. Hinc quamdiu ad ejuſmodi actus, qui in ſe nullam in genere morum neceſſitatem committendi aut omittendi includunt, nondum acceſſerit voluntas ſuperioris actus illos ad bonum vel malum determinans, tamdiu nemo alius, adeoque nec Princeps, ad eos committendos, ex

ex lege civili obligabitur. Jam quia a libera voluntate Superioris tota legis civilis pendet eſſentia, iterum ſatis manifeſtum, nullam dari legem civilem qua talem poſſe, cui Princeps obſequium debeat, niſi forte quis auſit ſtatuere eum a ſemet ipſo obligari lege civili, eundemque ſeſe ſimul & ſuperiorem & inferiorem eſſe. Quarta ratio, qua PRINCEPS EXLEX demonſtrabatur, his verbis includebatur: quia leges civiles qua tales principi latæ non ſunt. Reduci meretur hæc ratio ad titulum metaphyſicum *cauſæ materialis ſeu ſubjecti.* Prius enim quæri oportebat, *quænam ſit CAUSA MATERIALIS SUBJECTIVA, hoc eſt, ſubjectum legis civilis, & inde fluentis obligationis civilis?* Seu, *cui lex civilis ferri poſſit? Quorumnam ſit aut eſſe poſſit obligatio civilis?* Reſpondetur: Subjectum legis civilis eſt, qui ſummæ poteſtati civili circa leges civiles ſeu regimini ſubeſt, hoc eſt, ſubditus. Obligat enim lex civilis eos omnes ac ſolos, quibus data eſt: Principi autem data non eſt, quis enim eam, cum lex civilis ſit decretum Superioris in civitate (ceu ex præcedentibus innotuit) dediſſet? Etſi autem legibus civilibus Princeps ſolutus ſit, quo tamen decentior cum membris capiti convenientia ſit quove efficacius ad id ſervandum, quod juſſum eſt, ſubditos inducat, præclare egerit princeps, ſi ultro ſe ſuis legibus conformet,

formet, nec ſubditis quicquam præcipiat, quod ſibi non prius ipſe imperaverit. Nam, ut in veteri verſu eſt,

*Præſulat amptruat, inde & volgu redemptruat olli.*

Quod eleganter expreſſit *Claudianus:*

*In commune jubes ſi quid cenſesque tenendum*
*primus juſſa ſubi, tum obſervantior æqui*
*ſit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum*
*autorem parere ſibi.*

Tantum de hoc exemplo, quod ſi ab incipiente minusque παιδομαθῶς paulo attentius conſideretur, videbit jam facile, quæſtionem, *utrum princeps ſolutus ſit legibus civilibus?* definiri certo potuiſſe propoſitionibus deſumtis a natura *cauſæ efficientis*; a natura *cauſæ finalis*, a natura item *materiæ* & *formæ*, a natura denique *ſubjecti*. Summam ergo totius probationis hoc axioma exhibet, quo tota probatio in univerſum nitebatur: *Sublatis omnibus cauſis obligationis ex lege civili ex parte principis* (ſublata cauſa efficiente, cauſa finali, cauſa materiali tum ſubjectiva tum objectiva, cauſa formali) *tollitur cauſatum, nempe ipſa obligatio ex lege civili ex parte principis.*

III. Quid nunc facilius eſſe poteſt, quam demonſtrare ſubditum quemvis obligari poſſe legibus, quia facillimum eſt principia apodictica arceſſere poſſe & ab *efficiente*, ha-

bet enim quivis ſubditus in civitate ſuperiorem: a *fine*, intereſt, quemvis ſubditum legibus contineri in officio, cum nulla res magis ad regimen civitatis ſit neceſſaria, quam ſumma poteſtas νομοθετικὴ h. e. ea quæ circa univerſalia verſatur condendo leges easque tollendo, tam circa ſacra, quatenus eorum cura ad civitatem pertinet, quam circa profana, unde etiam ars circa hæc *Ariſtoteli* ἀρχιτεκτονικὴ architectalis appellatur: a *materia* & *forma*, pendet namque ab arbitrio & prudentia principis, quosnam actus alias indifferentes velit efficere materiam obſequii decretis ſuis præſtandi, qui ſane actus eo ipſo per extrinſecam denominationem dici merentur actus juris naturalis: nam obſequium decretis ſuperioris, quo ſibi ſubjectos obligabat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componerent, præſtare lex naturæ præcipit.

IV. Quantum momenti hæc, quæ hoc ipſo capite allata ſunt, ad ſolidam eruditionem parandam in omnibus diſciplinis practicis adferre poſſint, rectius poſt totam de ſingulis cauſarum generibus & ordinibus doctrinam conſtabit, ubi ſimul de uſu practico hujus doctrinæ in ſtudio oratorio, cumprimis ſacro, dicetur.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT DECIMUM QUINTUM

## De CAUSA EFFICIENTE IN COMMUNI Deque EFFECTU,

### ut & utriusque cum primariis tum ſecundariis requiſitis.

§. 1.

Cauſa efficiens eſt cauſa per veram ac realem actionem: Ita e. gr. Sol eſt cauſa efficiens luminis, quando illuminat, architectus eſt cauſa efficiens ædificii, quando ædificat: Sunt ergo Sol & Architectus cauſæ efficientes, quando ſunt cauſæ per veras ac reales actiones, nempe per illuminationem & ædificationem.

*NOTÆ.*

1. Recte intelligendum eſt, quo ſenſu cauſa efficiens dicatur cauſa per veram & realem actionem? Nempe quia cauſalitas eſt id, per quod cauſa eſt cauſa, ceu ſupra *cap. 8. §. 13. p. 549.* notabatur, ſano ſenſu cauſa ef-



Digitized by Google

ficiens definietur, quod ſit cauſa per veram & realem actionem, quia vera & realis actio, quæ a cauſa efficiente procedit, eſt id, per quod cauſa efficiens eſt talis generis cauſa, nempe efficiens.

II. Poteſt ergo hæc locutio: *Eſt cauſa per veram & realem actionem*; dupliciter intelligi: 1. ut ſenſus ſit: Id, per quod eſt peculiaris cauſa, eſt vera & realis actio; ſicque ut modo diximus, omnis cauſa efficiens eſt cauſa per veram & realem actionem. 2. hic ſenſus eſſe poterat: Eſt cauſa alterius per veram & realem actionem; ſicut e. gr. Sol dicebatur cauſa luminis per veram & realem actionem nempe illuminationem, architectus cauſa ædificii per veram & realem actionem, nempe ædificationem: Sed hoc poſteriori ſenſu ſi ſumatur, non omnis cauſa efficiens eſt cauſa per veram & realem actionem. Nam ſæpe aliquid eſt cauſa nudæ actionis, ſicque cauſa actionis, non tamen cauſa efficiens alterius præter actionem, niſi dicendum fuerit, per quamlibet actionem produci aliquid realiter ab ea diſtinctum, utut ſæpiſſime peculiari nomine careat, nec ſatis determinari aut diſtincte exprimi poſſit, quo de *ſequenti* §. 3. pluribus agetur.

## §. 2. Oppoſitum cauſæ efficientis eſt *effectus*.

NO-

## NOTÆ.

I. Quæ ſupra cum in doctrina de principiato *pag. 495. & ſeqq.* tum in doctrina de cauſato *pag. 542. & ſeqq.* dicta ſunt de diſcrimine inter principiatum & quod principiatur, inter cauſatum & quod cauſatur, ceu Scholaſtici ὀνομάζουσιν ſolent, idque doctrinæ gratia, hæc facili ratione applicari ad præſentem §. poſſunt, ita ut aliud ſit *effectus*, aliud vero *id quod efficitur*: Exemplum hujus rei huc ex profeſſo ſpectans in *præced. cap. 8. not. 3. ad §. 6.* attulimus, quod videatur.

II. Non debent confundi: *cauſatum* & *effectus*. Nam utut omnis effectus ſit cauſatum, & omne cauſatum effectus, adeoque realiter non differant: Differunt tamen formaliter ſeu noſtro modo concipiendi. E.gr. homo effectus dicitur hominis, a quo generatur: cauſatum vero reſpectu materiæ & formæ, item cauſæ finalis. Non enim materia, forma, finis efficiunt, adeoque ſolummodo in reſpectu ad cauſam efficientem cauſatum meretur nomen effectus rigoroſe loquendo, hocque rigore adhibito reſpectu cæterarum cauſarum cauſatum, non effectus dicetur.

§. 3. Effectus communiter deſcribi ſolet, quod ſit *cauſatum per*

*veram & realem actionem*: e. gr. per veram & realem actionem, nempe illuminationem, a Sole lumen producitur, unde lumen dicitur effectus Solis: per veram & realẽ actionem, nempe ædificationem, producitur ædificium ab architecto, unde ædificium eſt effectus architecti.

*NOTÆ.*

I. In Scholis id, quod producitur per actionem, terminus actionis vocari ſolet: e. g. illuminationis terminus eſt lumen, ædificationis terminus eſt ædificium.

II. Acuti Philoſophi inveniuntur, qui quamlibet actionem habere ſuum terminum cenſent. Potiſſima eorum ratio eſt, quod omnis actio ſit dependentia e. gr. ædificatio dependentia ædificii ab ædificatione: Omnisq; dependentia requirat aliquid, quod dependeat, cum manifeſtiſſimam contradictionem implicet, aliquam adeſſe dependentiam, ut tamen nihil ſit, quod dependeat ab altero.

III. Hac aſſertione ſtante aliud ſemper foret cauſalitas efficientis, aliud effectus, illa (nempe *cauſalitas efficientis*) eſſet actio, hic vero *terminus actionis*.

IV. Eo

IV. Eo ſpectat diſquiſitio illa *Scholaſticorum:* Utrum vera & realis actio, per quam cauſa efficiens eſt cauſa efficiens, dici poſſit effectus? Qui *nota ſecunda* allatam ſententiam tuentur, dicunt diſtinguendum eſſe inter *effectum QVI* & *effectum QVO*, quam diſtinctionem mutilatis terminis ita efferunt, eamque uſus loquendi apud *Scholaſticos* receptus non improbat. Jam docent, qui hac diſtinctione ſibi placent, veram & realem actionem, per quam aliquid eſt cauſa efficiens, eſſe *effectum QVO*, e. gr. ædificationem eſſe *effectum* architecti, *QVO* ædificium producitur: Negant cauſalitatem efficientis eſſe *effectum QVI* (qui ſcilicet producitur per veram illam & realem actionem, per quam architectus erat cauſa efficiens) ſicque (quod ante referebatur) nolunt effectum abſolute ſic dictum cauſæ efficientis agnoſcere, niſi terminum. In has enim ſubtilitates abit hæc *Scholaſticorum* Philoſophia; quarum ſpecimen eſſe poterat quæſtio: Num creatio (ſimpliciter & primario ſic dicta) ſit creator, an creatura? Reſpondent, non eſſe *creaturam QVÆ*, quæ ſcilicet per creationem producatur, quia alias per ſeipſam produceretur, aut progreſſus in infinitum admittendus eſſet, quod utrumque abſurdiſſimum, ſed eſſe *creaturam QVA*. Conf. *not. 7. ad §. ult. cap. 2. p. 247.*



Digitized by Google

V. Alii tamen, ut difficultatem facilius tollant, effectum deſcribunt, quod *ſit omne* illud, quod quocunque modo a potentia activa cauſativa procedit, ita ut per illud potentia activa cauſativa ſe exerat; aut aliquid potentiam ſuam activam cauſativam exerat, ſic ſano ſenſu actio quoque effectus dici poterit, quæ tamen effectus dici nequit, ſi nihil dicatur effectus, niſi quod eſt cauſatum per veram & realem actionem.

VI. Interim notandum probe venit, quod termini actionum varient: Nam alii ſunt *permanentes*, hoc eſt, *finitis actionibus remanere poſſunt*: Ita termini permanentes ſunt ædificium, calor. Nam ceſſante ædificatione ædificium remanet, & extincto igne in fornace, ſicque ceſſante calefactione ignis utpote extincti non ſtatim calor ab ipſo in aqua productus expirat aut deſinit eſſe calor, ſed diutius in aqua durat: Alii ſunt *ceſſantes*, hoc eſt, finitis actionibus remanere nequeunt, adeoque una cum actionibus deſinunt e. gr. terminus ceſſans eſt lumen, nam ceſſante illuminatione ſimul lumen eſſe deſinit, & quo momento Sol deſinit illuminare aerem, nequit non lumen in aere deſinere.

VII. Plura eaque notatu digna & huc quoque ſpectantia notis ad ſequentem §. 6. explicabuntur.

## §. 4. De ſingulis requiſitis cauſæ

ntis agendum venit: Et
nter primaria cauſæ effi-
quiſita locum primum
*materiale cauſæ efficien-*
ſt, *id quod aptum eſt, ut*
*ſit cauſa efficiens, ſicque*
*cientis denominationem*
ex. gr. Sol poteſt fieri vel
efficiens luminis in con-
mo aliquis, Thomas vel
,poteſt fieri vel eſſe cauſa
ædium.

Inprimis circa materiale
fficientis notandum eſt,
nil actu ſit cauſa efficiens,
oſſit, ut aliquid actu ſit
ciens, niſi ſit verum ac rea-
ecte *Ariſtoteles IX. Me-*
*ea,* inquit, *quæ non ſunt,*
*loquentur aut ambula-*
t hoc comprobat commu-
ffatum Metaphyſicorum:
*raſupponit exiſtere.*



Digitized by Google

## NOTÆ.

I. Hæc doctrina primo intuitu apparet facilis demonſtratu omniſque dubitationis expers. Nam quia cauſa efficiens eſt cauſa per veram & realem actionem, veraque & realis actio, prout quidem ea eſt cauſalitas ex parte cauſæ efficientis, hoc eſt, per eam cauſa efficiens eſt cauſa efficiens, omnino procedit a potentia activa cauſativa, quæ utique eſt potentia realiter exiſtens, qua ratione fieri poſſet, ut in aliquo realiter exiſteret potentia, aut aliquid haberet in ſe potentiam realiter exiſtentem, aut a parte rei eſſet ipſa quædam potentia realiter exiſtens, nec tamen illud ipſum realiter exiſteret, ſeu eſſet non ens. Annon ſic poſſibile eſſet idem ſimul eſſe & non eſſe, quod abſurdiſſimum?

II. Habet tamen hæc ipſa res magnam difficultatem, & quæ magni certe judicii Philoſophos ac Theologos diſtraxit inque partes diviſit: Quippe conſtat innumeris exemplis, nunc ante ſui exiſtentiam, nunc poſt ſui exiſtentiam aliquid veram cauſam moralem hujus aut illius veri & realis effectus extitiſſe: Ita e.gr. Jonathan erat cauſa moralis beneficiorum, quibus David mactabat Mephiboſethum, ſed eo ipſo tempore quo David cauſa Phyſica, Jonathan cauſa Moralis erat ejuſmodi beneficiorum, Jonathan dudum abierat ad plures, nec amplius

plius exiſtebat in rerum natura. Hoc igitur cauſæ fuit, cur alii hac ratione moti negarent cauſam moralem eſſe cauſam efficientem: Alii vero exiſtimarent, non requiri ad cauſam efficientem, ut eo tempore, quo eſt cauſa efficiens, realiter exiſtat. Et fatemur certe dubium hoc non eſſe contemnendum, nulli tamen dubitamus, quin reſponſio ad iſtud in mundo ſit. Nam utrumque tuebimur, & quod vera cauſa moralis ſit vera cauſa efficiens, & quod nihil ſit vera cauſa efficiens, niſi ſit verum & reale ens: Iſtius vero gravis ac difficultatibus pleni argumenti ventilationem ſequenti tractationi capitis de cauſa morali reſervabimus.

III. Notatam difficultatem auget doctrina de cauſis impulſivis externis, quæ ſæpiſſime ſunt non entia, tamen ad cauſas efficientes reduci ſolent. Et nullum certe argumentum eſt, quo Reformati orthodoxam doctrinam de cauſa προκαταρκτικῇ decreti prædeſtinationis magis impugnant, cuique majorem in modum fidunt, atque illud ipſum, quod paſſio & mors Chriſti ab æterno non fuerint, ſed demum in tempore obtigerint, adeoque Chriſti patientis & morientis meritum nequiverit ab æterno eſſe cauſa efficiens. Urgent hic Reformati ſolida Metaphyſicæ fundamenta, ſed fruſtra, quandoquidem his ipſis fundamentis adhibitis ſoli-

de

de ab Orthodoxis Theologis refutantur: Hac vero de re in peculiari capite de cauſis impulſivis, quousque ea tractatio *Metaphyſicæ* conſiderationis eſt, & in omni ſtudio practico, cum Theologico, tum alius generis, uſum præſtat; occaſio diſpiciendi dabitur.

§. 6. Ratio cauſandi eſt alterum requiſitum primarium ex parte cauſæ efficientis, & eſt *potentia activa cauſativa*, h.e. id, quo aliquid (verum ſcilicet ac reale ens) aptum eſt producere aliud: Ex. gr. ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis luminis ſolaris eſt potentia illuminandi, quæ datur in ſole, eſtque in ſole id, quo ſol aptus eſt producere lumen. Sic potentia ædificandi in homine exiſtens eſt ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis ædificii, quia per eam homo aptus eſt producere ædificium: eſt vero aliud ens ædificium, aliud ens eſt homo: Ita aliud ens eſt lumen ſolare, aliud ens eſt ſol.

NO-

## NOTA.

Latius patet *potentia activa* quam *potentia activa cauſativa*: Non enim omnis potentia activa eſt cauſativa. Ita quia *Theologi* actionem vocant generationem, qua Deus Pater ab æterno genuit filium, dicunt enim actionem Dei ad intra, nihil obſtat, quo minus potentia generandi, qua Deus Pater genuit filium, ſano ſenſu poſſit dici potentia activa, & quidem eodem jure, quo generatio dicitur actio: Interim quia Deus Pater, dum filium ab æterno produxit, non produxit aliud, ſed ſaltem alium, non enim aliud ens eſt Filius Dei, aliud ens Deus Pater, ſed ſunt unum numero ens, alia tamen atq; alia perſona (idem judicium eſto de potentia ſpirandi, qua ab æterno Pater & Filius produxerunt Spiritum S.) nequaquam mirari ſubeat, cur *B. Stalius* & alii noluerint hanc potentiam dicere activam, cum partim id propter incautos lectores ac imperitos cenſores Metaphyſicarum doctrinarum factum fuiſſe credamus, partim quia uſus obtinuit, ut potentia activa abſolute ſumta non vocaretur, niſi cauſativa. Conferantur ea, quæ ſupra *not. 2. 3. & 4. ad §. 1. cap. 9. p. 566. & ſeqq.* hac de re prolixius dicta fuerunt.

§. 7. *Cauſalitas efficientis* eſt tertium requiſitum primarium ex

par-

parte cauſæ efficientis;eſtque *vera ac realis actio*, uti quidem actio notat verum & reale accidens, per quod potentia activa cauſativa immediate ſe exerit: Ita e.g. tale accidēs eſt illuminatio ex parte Solis, quatenus per eam ſeſe exerit in Sole potentia illuminandi, a qua illuminatio immediate procedit. Tale quoque accidens eſt ædificatio ex parte architecti, quatenus per eam ſeſe exerit in architecto potentia ædificandi, a qua ædificatio immediate procedit.

*NOTÆ.*

I. Non omnis vera & realis actio debet haberi pro cauſalitate ex parte cauſæ efficientis, eamque ob cauſam ad actionem ex parte cauſæ efficientis, ut cauſalitas dici poſſit, ſingulari ſtudio requiſivimus, ut ſit verum accidens: Et certe accuratiores *Philoſophi* nolunt ad conceptum formalem veræ actionis requirere, ut ſit accidens, ſed ad conceptum materialem actionis putant pertinere accidens; ſi nempe actio ſpectetur, ut pro termino habet entitatem (ceu loqvuntur) finitam.

II. Oc-

Digitized by Google

II. Occaſio petitur ex Theologica doctrina de myſterio SS. Trinitatis, absque cujus revelatione ſi fuiſſet, nemo Philoſophorum unquam cogitaturus de hiſce talibus fuiſſet, quaſi nempe non omnis actio ſit accidens, nec omnis vera ac realis actio ſit cauſalitas. Scilicet docent orthodoxi Theologi, dari *actiones Dei ad intra*, quæ ſint veræ & reales actiones, non vero accidentia dici queant, nec cauſalitates: Et duas talismodi actiones ad intra e Scriptura S. docent ac demonſtrant: *generationem*, qua Deus Pater ab omni æternitate produxit Filium: & *ſpirationem*, qua Pater & Filius ab æterno produxerunt Spiritum S. Has actiones vocant, quia productiones ſunt, quibus Deus Pater ab æterno Filium, Pater & Filius ab æterno Spiritum S. produxerunt: Reales actiones eſſe & dici poſſe, inde oſtendunt *Theologi*, quia terminos habent veros ac reales, nempe generationis terminus eſt filius Dei, ſpirationis terminus eſt Spiritus S. Actiones haſce duas: generationem hanc & ſpirationem, nomine actionum Dei ad intra cenſent, cum termini harum actionum intra Eſſentiam Divinam ab æterno ſint producti: Appellant etiam perſonales actiones Dei, cum actionum harum termini ſint Perſonæ, generationis terminus Secunda Perſona Divinitatis, ſpirationis terminus Tertia Perſona Divinitatis.

Sed

Sed quia Filius & Spiritus S. habent unam numero eſſentiam, etiam cum Deo Patre, & utut hæ Tres Perſonæ Divinitatis realiter inter ſe differant, non tamen ab eſſentia divina realiter differunt, ſuntque unius numero DEUS, cum plures Deos eſſe repugnet, liquet faciſſime: *Cur cauſalitas hic locum non habeat?* Ubi enim cauſalitas datur, ibi etiam cauſatum datur. Jam vero in myſterio SS. Trinitatis nullum datur cauſatum, nec dari poteſt. E. nec actiones Dei ad intra vocari cauſalitates poſſunt. major propoſitio eſt manifeſta, cum cauſalitas efficientis ſit ratio formalis, unde cauſa efficiens hoc habet, quod ſit cauſa efficiens ſeu cauſa producens: Poſita autem ratione formali ponitur res ipſa. Minor ex doctrina de cauſa in communi patet. Omne enim cauſatum oſtendimus eſſe aliud ab eo, cujus cauſatum dicitur: At in SS. Trinitatis myſterio (ceu iterum ex Theologia diſcimus) non datur aliud, non datur ibi ἄλλο καὶ ἄλλο, ſed ἄλλος καὶ ἄλλος, ceu *Theologi* loqvuntur. Pariter ex *Metaphyſicis* ſolide demonſtrari poteſt, quod in Deum nullum cadat accidens, quod intra divinam eſſentiam verum & reale accidens dari nequeat. Ergo ſponte ſua relinquitur, actiones Dei ad intra non eſſe accidentia.

III. Hæc in gratiam *Theologiæ cultorum* proponuntur in *Metaphyſicis*, ne doctrina Meta-

Metaphyſica, quam *hoc capite* explicamus, abutantur, quoties ad *revelatam Theologiam* datur accedere.

IV. Interim nec hoc plane prætereundum ducimus, quod quandoque *Theologiæ ſtudioſi actiones Dei ad intra* confundant prorſus cum *actionibus Dei internis*, cum tamen (ſi vel maxime actiones Dei ad intra ſano ſenſu dicere internas poſſimus) non omnis *actio Dei interna* ſit ſtatim *actio Dei ad intra*. Et hoc *Theologiæ Scholaſticæ* ſimulque accuratioris *Philoſophiæ primæ* probe peritos *Theologos* movit, ut *actionem Dei internam* ſtricte ſic dictam contradiſtinguerent prorſus *actioni Dei ad intra*. Pace venerandorum Theologorum lubet recenſere hæc diſcrimina: Nam (1.) *Actio Dei ad intra eſt vera productio, actio* vero *interna Dei ſtricte ſic dicta* minime (2.) *Actio* enim *Dei ad intra* habet verum ac realem terminum intra divinam eſſentiam realiter productum: hoc vero non poteſt dici de *actione Dei interna ſtricte ſic dicta* (3.) *Actio Dei ad intra* non eſt communis omnibus Tribus Perſonis Divinitatis, e. gr. generatio eſt DEO Patri propria, non enim Secunda Perſona Divinitatis, nec Tertia, ſed ſaltim Prima Perſona ab æterno genuit: ſpiratio eſt propria Deo Patri & Filio, non enim Spiritus Sanctus ſeipſum ſpiravit, ſed Pater & Filius ſpirarunt Spiritum S. E contrario *actiones Dei internæ*

Kkk *ſtricte*

*ſtricte ſic dictæ* ſunt communes omnibus tribus Perſonis Divinitatis, e. gr. prædeſtinatio eſt actio Dei interna, eſtque opus totius SS. Trinitatis. Hinc quod dicitur: *Opera DEI ad intra ſunt diviſa;* hoc venerandi Theologi accipere jubent de actionibus Dei ad intra, non de actionibus Dei internis ſtricte ſic dictis, adeo ut ſi quis ita argumentetur: Opera Dei ad intra ſunt diviſa. Prædeſtinatio eſt opus Dei ad intra E. ad hanc objectionem reſpondeant (concedendo Majorem, ſed) negando Minorem (4.) Duæ ſaltim dantur *actiones Dei ad intra:* nempe generatio activa & ſpiratio activa: At plurimæ dantur *actiones DEI* ~~ad intra~~ interna *ſtricte ſic dictæ*, e. gr. omnia decreta Dei ſunt actiones Dei internæ ſtricte ſic dictæ. Et licet actio Dei ad intra, ſi latius vocem: interna; ſumas, poſſit, ut ante monebatur, actio interna dici, non tamen quælibet *actio interna Dei* poterit vocari *actio Dei ad intra* ob rationes jamjam allatas.

V. Nec hoc præterire volumus, utpote notatione dignum, quod ſcilicet omnis actio, quæ eſt cauſalitas, ſimul ſit paſſio: Utut enim actio, quæ eſt cauſalitas, a paſſione formaliter, h. e. noſtro modo concipiendi differat, non tamen actio, quæ eſt cauſalitas, & paſſio realiter differunt: e. gr. una (ut loquuntur) entitas eſt illuminatio, quæ quatenus

nus a Sole procedit, actio, quatenus in aere ſit, paſſio dicitur: Dum enim ſol illuminat aerem, illuminatur a Sole, & profecto una eademque numero illuminatio eſt, qua Sol illuminat aerem, & qua aer a Sole illuminatur: Sed hoc de vera & reali actione, quæ non eſt cauſalitas, quæ non eſt accidens, nullatenus dici poteſt. Unde, quando Theologi diſtingvunt inter generationem Filii Dei (item ſpirationem Spiritus S.) activam & paſſivam, ſuos ſemper dexterrime monent, ne in errorem incidant ac exiſtiment, quaſi generatio Filii Dei paſſiva ſit vera paſſio, & quaſi ſpiratio Spiritus S. paſſiva ſit vera paſſio, cum certe hoc falſiſſimum ſit & impium ſtatuere: Nulla namque paſſio in Deum cadit, ipſeque Deus omnis potentiæ paſſivæ expers eſt, ceu ſuo loco ſolida ratione Philoſophica docebitur. Non ergo hoc ſenſu, ſed grammatice vocabula: activa & paſſiva, intelligi debere ſedulo notant.

VI. Non tamen a reali identitate, quæ inter actionem, quæ eſt cauſalitas, & inter paſſionem intercedit, conſequentia valet ad realem identitatem inter agens & patiens quæ inde denominantur, ſicuti nec ab horum reali diſcrimine conſequentia valet ad actionis & paſſionis reale diſcrimen: Ita manet una numero illuminatio, quamvis Sol, qui illuminat, & aer, qui illuminatur, realiter diffe-



Digitized by Google

rant. Res diſpari exemplo, huc tamen quadrante percipi poteſt: viſum & videns differunt realiter, ſi quis videat ſcamnum, una tamen eſt viſio, unde Petrus videns, ſcamnum viſum denominatur. Non ergo a reali concretorum diſcrimine conſequentia ad reale abſtractorum diſcrimen ſtatim valet.

§. 8. Commodiſſime actiones aliæ per terminos, aliæ per objecta formalia diſtingvuntur: ex. grat. ſi quæratur: quomodo differant calefactio & frigefactio? recte reſpondebitur: ut calor & frigus: nam calor eſt terminus calefactionis, frigus eſt terminus frigefactionis: Contra ſi quæſtio fiat, quomodo differant viſio & auditio? reſponſi loco dicendum erit: ut viſibile & audibile, quia viſibile eſt objectum formale viſionis & audibile eſt objectum formale auditionis. Unde in priori exemplo, quia ſpecie diverſi ſunt termini: calor & frigus, ſpe-

Digitized by Google

ſpecie quoque diverſæ erunt actiones: calefactio & frigefactio: At in poſteriori exemplo, quia objecta formalia ſunt ſpecie diverſa: viſibile & audibile, ſpecie diverſas quoque oportet eſſe actiones: viſionem & auditionem.

*NOTÆ.*

I. Si vel maxime demus, quamlibet actionem, quæ nempe eſt cauſalitas cauſæ efficientis, habere ſuum terminum, h.e. per quamlibet actionem, ut in *præſenti* §. ſumitur, produci verum & reale ens realiter diſtinctum ab ipſa actione & agente, adhuc tamen dicendum fuerit, multas actiones non per terminos commode diſtingui poſſe, utut eos habeant, ſed potius diſtinguendas eſſe per objecta formalia.

II. *Fundamentum* hujus diverſæ rationis, petendi ſcilicet diſcrimen nunc a terminis, nunc ab objectis, eſt notiſſima *diviſio actionum in immanentes & tranſeuntes*: Nempe *immanentes* actiones vocantur, *quæ fiunt in eo, a quo fiunt*: *Tranſeuntes* vero dicuntur, *quæ non fiunt in eo, a quo fiunt*. Rurſus *immanentes* & *tranſeuntes* ſunt duplicis generis: Aliæ nempe vocantur *immanentes in largiori ſignificatu*, & dicuntur illæ actiones, *quæ in eodem ſuppo-*

*ſito, a quo recipiuntur, eduntur:* Ad has non requiritur, ut in eadem potentia, a qua fiunt, fiant, ſed uti dictum eſt, ſufficit, ſi fiant in eodem ſuppoſito, a quo fiunt: Ita e. gr. ambulatio ſeu motus localis alicujus hominis eſt actio immanens, quia licet non fiat in anima, a qua fit, ſed in corpore (non enim anima movetur de loco in locum, nec moveri poteſt) fit tamen in eodem homine a quo fit, quia homo ſe localiter movet, idemque homo localiter movetur: Aliæ vero *actiones* dicuntur *immanentes in ſtrictiori ſignificatu*, eæ ſcilicet, *quæ in eadem potentia fiunt, a qua fiunt:* e.gr volitio fit in voluntate & a voluntate, intellectio fit in intellectu & ab intellectu &c. Ex duplici hac acceptione colligere datur *duplicem actionis tranſeuntis acceptionem:* Nam ſi *actio tranſiens* opponatur *actioni immanenti in largiori ſignificatu*, ea erit, *quæ non fit in eo ſuppoſito, a quo fit:* ex.gr. quando Sol illuminat aerem, architectus ædificat domum, illuminatio & ædificatio ſunt actiones tranſeuntes: Quod ſi vero *actio tranſiens* ſumatur *in oppoſitione ad actionem immanentem in ſtrictiori ſignificatu* acceptam, ſic *actio tranſiens* erit, *quæ non fit in ea potentia a qua fit:* e.g. quando Petrus ambulat, ambulatio erit actio tranſiens. Inde quoque liquet, unam eandemque actionem ſimul immanentem & tranſeuntem dici poſſe: Immanentem in laxio-

Digitized by Google

laxiori ſignificatu, tranſeuntem vero in oppoſitione ad actionem ſtrictius ſumtam: e.gr. quando Petrus ambulat, hæc actio eſt immanens in laxiori ſignificatu, quia nempe fit in eodem ſuppoſito, a quo fit, eſtque ſimul tranſiens, quatenus opponitur actioni immanenti in ſtrictiori ſignificatu, hoc eſt, non fit in ea potentia, a qua fit. De actionibus ergo immanentibus in ſtrictiori ſignificatu ſumtis, & quæ iis opponuntur tranſeuntibus ſermo eſt, quando immanentes actiones commodius per objecta formalia, quam, per terminos diſtingui diximus. Cur vero actiones immanentes nequeant ſatis commode diſtingvi per terminos, ratio eſt in promptu, quia actiones immanentes non ſub ſenſus cadunt, nec termini earum ſatis cognoſci poſſunt: e. gr. quando intellectus creatus intelligit, tria adſunt: Actio, ſpecies intelligibilis, & terminus per intellectionem productus: Actio eſt intellectio, quatenus ab intellectu tanquam a potentia activa cauſativa dependet: Species intelligibilis eſt imago illa, quæ intellectui rem repræſentat & intellectum movet, ut quemadmodum præſente ſpecie viſibili viſus nequit non videre rem objectam, modo adſit intentio animi, quæ illam imaginem in objecto ſuo quaſi defixam tenet: (Nam niſi hæc intentio adſit, oculus etiam ſpecie viſibili ſignatus nihil

videbit ) Ita præſente ſpecie intelligibili intellectus nequeat non intelligere rem, quam ſpecies intelligibilis repræſentat: Terminus eſt qualitas per intellectionem producta, quatenus ad eam intellectio terminatur. Hic terminus habet ſuum peculiare nomen. Vocatur a Philoſophis *ſpecies expreſſa*, eo quod exprimat objectum ſuum, idque velut lineis coloribusque propriis ad vivum repræſentet, opponiturque ſpeciei impreſſæ, quæ modo definiebatur. Dicitur etiam terminus iſte per intellectionem productus *verbum mentis*. Rationem appellationis acutiſſimus Philoſophus, *Petrus Hurtadus de Mendoza*, hanc reddit: *Ut ſoni, quibus ſenſa pandimus, vocamus verba, quia per illa aliis innoteſcimus: Ita & mentis conceptus, quos exprimimus, vocantur verba: quia per illa & nobis loquimur, & objecta innoteſcunt.* Hæc iſte, qui *de anima*, *diſp. 6.* quæ tota *de intellectione* agit, *ſect. V. §. 47. pag. m. 87.* pluribus videatur. Idem *Mendoza* de termino volitionis & nolitionis ſatis erudite ſenſa animi ſui explicat *diſp. 14.* quæ eſt *de actibus voluntatis*: His namque verbis ad præſens apprime facientibus, ſtatim orditur *ſectionem primam pag. 190. De actibus voluntatis in communi ſupponendum eſt, eos eſſe QUALITATES & ACTIONES, ſicut diximus de quovis actu vitali create tota Diſp. VI. Hoc diſcrimen eſt inter cogni-*

*gnitionem & volitionem: Cognitio eſt expreſſio objecti ſui, propter quod dicitur trahere objectum ad potentiam, & illud conſtituere intentionaliter præſens: quia in intellectu ipſum quaſi depingit objectũ: quapropter vocatur imago: at vero volitio id non præſtat, ſed voluntatem in ipſum inclinat objectum, aut ab illo avertit. Propter quod vocatur PONDUS, quia more illius trahit amantem in objectum. Hinc fluxit proverbium: Cognitum eſt in cognoſcente, & amans in amato. Eſt ergo voluntatis actus, quidam in bonum impulſus, & a malo retractio.* Hæc *Mendoza §.1.cit. pag.190.* Ita in affectibus actio & qualitas per eam producta nomine confunduntur: Ex.gr. verbo iraſcendi non modo actio, ipſa commotio animi, ſed etiam terminus ſeu qualitas per commotionem animi producta ſignificatur: Sunt tamen doctiſſimi Viri, qui differentiæ cauſa illam excitationem iræ, hanc *ipſam iram* dicunt. *Mendoza Metaph. diſp. 16.* per integram *ſectionem primam* acute tractavit hanc quæſtionem: *Utrum omnis actio habeat terminum? p.m.588.*

III. Verbo notare libet falſiſſimam definitionem actionis tranſeuntis, quam nonnulli ſic tradunt: *Actio tranſiens eſt, quæ ab agente tranſit in patiens:* hacque nixi ratione negant e.gr. actionem, qua Deus ex ſimpliciter nihilo angelum vel animam rationalem Adami produxit, h.e. creationem ſimpliciter

& in rigore ſic dictam actionem transeuntem dici poſſe, cum ab agente, nempe Deo, transire nequiverit in patiens, eo quod nullum patiens adfuerit. Enimvero utraque ratio nullius eſt momenti. Nam quod priorem attinet, ἄτοπον eſt ad rationem formalem actionis transeuntis requirere, ut prius ſit in agente, & ab eo demum transeat in patiens. Hac namque ratione nemo alteri impingere colaphum poſſet, niſi quem prius accepiſſet. Ad poſteriorem rationem dicendum, quod omnino adſit ſubjectum, in quo recipitur actio, quando Deus creat, nempe illud ipſum, quod per creationem producitur, quia creatio eſt actio inſtantanea, ceu Philoſophi vocant, eoque inſtanti, quo per creationem creatura producitur, creatio in creatura recipitur: Nec poteſt non ibi eſſe creatio, ubi eſt conſervatio, cum creatio & conſervatio realiter non differant. Sufficit ergo ad actionem transeuntem, ſi non fiat in eo, a quo fit.

§. 9. Secundaria requiſita ex parte cauſæ efficientis ſunt neceſſariæ conditiones ex parte cauſæ efficientis, ut tamen nec ſint cauſa, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas: E.gr. quando Sol illuminat conclave,

ve, cauſa efficiens luminis in conclavi eſt Sol, ratio cauſandi ex parte efficientis eſt potentia illuminandi in Sole, cauſalitas ex parte efficientis eſt ipſa illuminatio: At neceſſaria conditio (quæ tamen nec eſt cauſa ipſa, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas) eſt remotio valvarum, quibus feneſtræ conclavis obducebantur, unde vulgo cauſa ſine qua non dicitur.

*NOTÆ.*

I. Repetenda hic ſunt omnia, quæ ſupra de potentia cauſativa completa fere per *totum caput nonum* a §. 2. *pag.* 584. usque ad finem, item de ſecundariis, tamen neceſſariis requiſitis ex parte cauſæ *cap.* 8. per *totum* §. 14. adduximus, utpote quæ ad præſentem doctrinam applicare non minus utilis quam facilis laboris opus erit.

II. Unicum exemplum capiamus, quo præſens §. rectius explicetur. Notiſſima eſt objectio illa, qua *Sceptici* non modo, ſed & *Academici*, tum qui ab *Arceſilao*, *mediæ Academiæ* capite, tum qui a *Carneade tertiæ Academiæ*, quam novam vocant, auctore ortum

tum traxerunt, utebantur, & pro principe argumento adverſus *Dogmaticos* habebant, hunc in modum colligentes: *Quale eſt principium cognitionis, talis eſt cognitio ipſa: Principium autem cognitionis, quod Dogmatici ſenſum eſſe volunt juxta illud Dogmaticorum: Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; eſt fallax & incertum. E. omnis noſtra cognitio talis eſt.* Minorem probaturi provocabant ad experientiam: Ita e.gr. quod unus homo pronunciat amarum, alter dulce eſſe dicit. Odor, qui huic gratus eſt, alteri eſt ingratus. Patina, quæ hunc urit, ſic ut ferre non poſſit, alium plane non urit. Si quis in littore ſtet, navem advertit moveri, ſi vero in navi ſit, tum videntur ipſi urbes & oppida & arces ire, navis autem ſtare. Remus in aqua curvus apparet, qui extra aquam rectus: Et quæ ſunt hujusmodi generis plura & innumera alia. Verum ad hanc objectionem ut reſpondeatur, prænotandum eſt dupliciter poſſe intelligi hanc propoſitionem: *Senſus eſt fallax*; 1. eo modo: Senſus ſæpenumero non recte ſed perverſe judicat. 2. ut hic ſit ſenſus: Fieri poteſt, ut ſenſus intellectui, ni circumſpiciat ſibi, ſit occaſio erroris. Si priori ſenſu ſumatur propoſitio minor in allata objectione, quandoquidem de ſenſu externo ſermo eſt, falſa eſt. Nullus enim ſenſus externus unquam judicat E. nec recte,

recte, nec perverſe judicat, quia ſcilicet plane *non* judicat, ſed ſaltem ſimpliciter tangit aut non tangit objectum per ſpecies repræſentatum: Ex. gr. viſus nunquam de remo, quem in aqua videt, judicat eum eſſe fractum aut curvum, nec vero judicat eum eſſe integrum aut rectum, quia plane non judicat, ſed ſimpliciter tantum remum, prout imago viſui impreſſa eum repræſentat, apprehendit: Imo non potuit aliter ſentire oculus in aqua, nec aliter debuit, quamvis aliter ſenſurus fuiſſet in aere: Hoc igitur priori ſenſu quia ſenſus proprie non judicat, ideo nec proprie dictus error in eum cadit. Quod ſi in poſteriori ſenſu adducta propoſitio accipiatur, negari certe nequit, perſæpe fieri, ut ſenſus intellectui, niſi circumſpiciat ſibi, ſit occaſio ſat magni craſſique erroris: Enim vero jamjam anſa datur monſtrandi uſum præſentis doctrinæ Metaphyſicæ *de ſecundariis iisque neceſſariis requiſitis ex parte cauſæ efficientis*: Nam etſi non raro ſenſus errori occaſionem præbeat, fit tamen id nunquam per ſe, ſed per accidens, nempe ſi non ſint præſto omnia, quæ ad perfectam ſenſus apprehenſionem ut cauſalitatem præter cauſam efficientem & rationem cauſandi requiruntur: Quod ſi autem ea omnia adſint, nullum eſt periculum, quod ſenſus errandi anſam ſit præbiturus. Requiritur itaque ad perfectam

ſenſus

ſenſus cognitionem (1.) *organon recte affe-ctum:* Eſt enim ſenſus facultas organica, quæ per certa organa exercet vim ſuam: e.g. mel vere amarum eſſe cenſendum non eſt, utut febricitanti videatur eſſe amarum, quoniam organon guſtus in eo imbutum eſt pravo adventitioque humore, qui impedimento eſt, quo minus recte apprehenſio a guſtu fiat. Similiter vere rubrum non eſt, quod homini alicui videtur tale, cujus oculi ſuffuſione laborant. Quemadmodum enim ſcriptor male ſcribit, ſi calamus, quo utitur ad ſcribendum, non fuerit bene diſpoſitus, vel etiam ipſa manus male affecta fit: Ita ſi organon ſenſus prava qualitate imbutum, aut non integrum fuerit, ut ſi fuerit compreſſum, aut conſtipatum, aut humidum, aut convulſum, aut everſum, aut diſtortum, aut diſtenſum, aut contuſum &c. a judicio ſenſus ſtandum non erit. Requiritur ad hoc, ut ſenſus in homine per ſatis idoneam ac perfectam cognitionem ſe exerat, (2.) *objectum idoneum*, h. e. tale, quod ſit aptum apprehendi ab hoc aut illo ſenſu. Ita e.gr. minutiſſimæ rerum portiunculæ (quod non ſolum in objectis tactus & viſus, ſed & reliquorum ſenſum ſatis apparet) non percipiuntur: Ratio eſt, quia deficit juſta magnitudo objecti, ut adeo nulla manifeſta qualitate imbuant ſenſoria noſtra. Rurſus e.g. nec odores,

res, nec ſapores, in tranſitu velociſſimo ſatis percipiuntur, imo, quod magis mirum eſt, ne ipſi quidem ſoni. Glans enim bombardaria, ſive ſecundo ſive adverſo vento aerem pervolet, non ſonat, quod audiatur, niſi lacuna aliqua aut aſperitas ſuperficiei glandis, aeri duriuſcule ſe affricans, ſibilum edat. Ita ocyſſime circumacti torres totum, per quod feruntur, ſpatium occupare videntur. Et navigantibus littus moveri, navis ſtare videtur. Sed non mirari ſubeat, cur in iſtiusmodi caſibus res non percipiantur, ut ſunt, utut facultatibus ſentiendi fuerint cognatæ, cauſa eſt defectus debitæ moræ, ſeu quia objecta neutiquam debito tempore commorabantur. Iterum e.gr. typos vel characteres ſi invertamus, falſum profitebuntur judicium: e.g. ſi N invertas, fit litera Z, ſi n litera u, ſi u litera n, ſi p litera d, ſi b invertas, fit litera q, ſi q fit litera b: Item ex limbo rotæ celerrime vertentis reciprocum quendam motum obſervari oculo accidit, unde ire & redire perpetuo videtur, qui ex abſidis parte ſpectatus non evenit. Sic qui piſces quosdam natantes in alto a poſtica tantum parte viderit, non ſatis illos ab invicem diſtinxerit. Plurimi namque piſces non aliter fere, quam ex capite dignoſcuntur. Quid cauſæ eſt? Scilicet deeſt ſitus in objecto commodus. Multum enim refert, a qua parte inci-

incipias, quoniam differt pronus a ſupino, cubans ab erecto, obverſus ab averſo, uterque ab inverſo. Ad perfectam ſenſus notitiam neceſſarium eſt (3.) *medium naturaliter ſe habens, nec aliena qualitate imbutum.* E.gr. nummus in limpidam projectus aquam longe major, quam revera eſt, apparet ob denſius medium. Unde & piſces in aqua majores videntur, quam ſunt. Ita ſi per vitrum viride rem minime viridem intuearis, videbitur tamen viridis ob medium aliena qualitate affectum. Ex caligine quoque & nebuloſo aere res majores, quam revera ſunt, apparent. Per medium enim objectum aliena qualitate aut diſpoſitione immutatum aliter rem apparere ſenſui noſtro atque in ſe eſt, per experientiam quotidianam abunde conſtat. Requiritur ad juſtam & certam ſenſus apprehenſionem (4.) *intervallum debitum.* Si enim ſpatium inter ſenſum & objectum ſenſibile nimis remotum ſit, iſte hoc aliter, atque in ſe eſt, apprehendet. Sic alba res aliquando non alba, ſed alio apparet colore tincta, quoniam a viſu nimis diſtat. Et Solem, quem toto terrarum orbe majorem probat ratio, acies noſtra ſic contrahit, ut quidam etiam ſapientes viri (Epicurei) pedalem eſſe contenderint, teſte *Seneca* 1. *quæſtionum naturalium qu.* 4. Quemadmodum enim oculo ſuperimpoſitum objectum obſtruit

ſtruit viſum: Ita nimis ab oculo abductum ſecundum aliquem ſaltem gradum perceptionis obliteſcit. Sic Sol, aſtra, & ipſæ tandem naves in alto ex remotiori loco viſæ, quaſi loco ſtare videntur, quia partes graduſque motus ex nimia diſtantia haud ſatis percipiuntur. Sed & quieſcere, nedum retrogrado motu moveri exiſtimantur aliquando, quæ tamen revera promoventur. Hæc fere ſunt, quæ ad perfectum ſenſus judicium exiguntur. Quæ omnia ſi recte ſe habeant, certiſſimum illud eſſe pronunciamus. Quod ſi autem aliquod ex iſtis requiſitis deficiat, ſenſus judicio acquieſcendum non eſt, ſed judicium hoc per rationem eſt corrigendum. Corrigere enim debet ea, quæ ſenſus non recte judicat ob defectum alicujus requiſiti, per ea, quæ proprie ac per ſe ſentiuntur, hoc eſt, in quorum ſenſione nullus committitur error, cum præſto ibi ſint omnia, ad perfectum ſenſus judicium requiſita. Nihil igitur a Scepticis & Academicis adverſus ſenſuum externorum certitudinem adferri potuit, vel ab iis, qui nugas Scepticorum e cineribus reſuſcitant, impoſterum adferetur, quin ad illud reſpondeti poſſit, deeſſe in eo aliquod ex requiſitis iſtis, de quibus hactenus: E. gr. quod dicebatur, uni dulce aliquando videri, quod alteri amarum eſſe apparet, hoc fit per accidens, nempe

pe quia in hoc homine ſaliva linguæ iſto ſapore eſt infecta, idque ob flavam bilem, quæ ſe per corpus diffudit. Unde & ægri non in eo falluntur, quod ſe amari quid guſtare exiſtimant, ſed in eo, quod amarorem illum cibi eſſe judicant, non humoris inſiti: Quod autem per ſe uni homini dulce ſapiat, quod alteri homini apparet eſſe amarum, hoc nondum probatum eſt. Id quidem certum eſt, eundem cibum, qui uni ingratus eſt, aliis poſſe eſſe gratum, quod varient hominum temperamenta, & alius dulcis, alius amari capiatur ſapore aut delectetur eo. Odor, qui huic gratus eſt, alteri apparet ingratus, quia organon hujus alia qualitate quam alterius imbutum eſt, vel etiam quod ille capitur illius, hic alterius odore. Ita quod huic, quod intenſe eſt calidum, alteri vix tepidum appareat, cauſa iterum eſt in organo tactus. Hoc enim neque humidum nimis, neque ſiccum, neque calidum nimis, neque nimis frigidum eſſe, ſed æquale temperamentum habere debet, ut omnium exceſſus, quantum fieri poteſt, ex æquo perſentiſcat. Quod ſi ita ſe non habeat, judicium tactus indubitatum non erit: e. gr. ſi caro frigidior ſit, id, quod tepidum eſt, tactus judicabit eſſe calidum: ſi in calore abundet, etiam id, quod calidiſſimum eſt aliis, vix tepidum eſſe judicabit. At ideo judicium tactus in ſe fallax

non

Digitized by Google

non eſt. Imo fit, ut quibusdam partibus corporis humani, quæ in aliqua modo nominatarum qualitatum, cumprimis ſiccitate & humiditate excedunt, prorſus non inſit tactus. E.gr. oſſibus non ineſt tactus, propter naturam nimis ſiccam & terreſtrem. Aliquid enim amplius ſubſtantiæ humentis requiritur, ut in parte aliqua tactus ab anima reſultet. Sed nec partes omnes, quæ plus humidi participant, illico ad reſultantiam tactus ſunt idoneæ, e. gr. cerebrum. Hinc vulnera cerebri mitiſſima ſunt, adeo ut chirurgi tota interdum medullæ cerebri cochlearia ſine ſenſu ſauciatis exhauriant. Ita quod navigantibus littus moveri, navis ſtare videatur, cauſa eſt, quia dum non ſatis figitur obtutus, quaſi errat. Sed de his plus ſatis, quantum ad illuſtrationem præſentis doctrinæ facere poterat, actum eſto. Remittimus lectorem benevolum ad *Dn. D. Zeidleri Analyſin*, ex cujus *lib. 1. capite primo* hoc exemplum, quia adeo illuſtre erat, ſere totum depromere voluimus, ubi plura hanc in rem apprime facientia & accuratiſſime expenſa videantur.

III. Igitur ἀπαιδευσίαν Metaphyſicam *Renatus Des Cartes*, ejusque nonnulli Sectatores, tanto majorem produnt, quanto magis quam *Sceptici* ſtupiditatem affectant, iisque inſipientiores ſeſe data opera mentiun-

 tur,

tur, ut eo facilius præconceptas & periculoſas & quasdam manifeſto impias opiniones animis cultorum admiratorumque ſui ingenerent. Non enim ſolummodo de eo dubitare jubent, *num hoc, quod ſenſibus apparet, ſit tale, quale apparet; numque omnia illa, quæ a ſenſibus accepimus, nempe cœlum, terra & ſimilia, atque etiam noſtrum corpus, quæ omnia eousque in rerum natura eſſe putavimus, revera ſint in rerum natura? Paucis: an ullæ res ſenſibiles aut imaginabiles exiſtant? an ſedeamus, an ſtemus, loquamur, diſputemus, an naſum habeamus & phantaſiam? Eo, quia deprehendimus, ſenſus interdum nos fefelliſſe: Aſt prudentiæ eſt, nunquam nimis fidere iis, qui nos vel ſemel deceperunt.* Sed & id dubium eſſe pronunciant, *an revera ſentiamus, quando ſentire nobis videmur?* ex hac ratione, *quia in ſomnis ſæpe nobis videmur videre aliquid, in quibus poſtea nos deluſos eſſe clariſſime ſumus experti: audivimus ſæpe alios etiam vigilantes affirmaſſe, ſe in membris, quibus dudum tamen caruerunt, ſenſiſſe dolorem: nulla quoque nobis dubitantibus ſigna apparent, quibus ſomnum a vigilia certo dignoſcamus.* Sane qui ſanæ mentis eſt, & novit quid ſit ſentire, novit & hoc, ſe in ſomno non poſſe ſentire; *Qui ſentit*, ait *Ariſtoteles lib. de ſomno & vigilia c. 1. eundem cenſemus vigilare, atque vigilantem omnem cognoſcimus, aut quia externum motum aliquem ſentiat, aut quia* in-

*aliquo feriatur.* Et paulo poſt *hoc*
*te* ait: ὁ ὕπνος πάθος τι τοῦ αἰσθη-
ίου δεῖν οἷον δεσμὸς καὶ ἀκινησία τις: *So-*
*ctio quædam ſenſitivæ partis* (ſenſorii)
*ulum quoddam & immobilitas* (ceſſa-
*rimi ſenſitivi.* Sunt ſane requiſita
a ad ſenſum, ut homo eundem ex-
ne cauſa efficiens cognitionis, quam
m vocare ſolent, fiat: Objectum ſen-
ernum, nempe res ipſa, quam e. gr.
, velut arbor aut flamma: Imago,
objecto inprimitur organo ſenſus
cies viſibilis, quæ ab objecto inpri-
rgano viſus: Animi intentio, quæ
aginem in objecto ſuo quaſi fixam
: Quoties enim plateatim ambu-
nultorum lapidum ſpecies viſibiles
cipimus, & tamen eos averſa inde
as cum ſocio attentione non vide-
ſomno autem non adeſſe tria iſta
nimis eſt manifeſtum. Inde fieri
eſt, ut quis expergefactus inſiſtat
æ iſti, qua ſibi hoc vel illud vidiſſe
viſſe in ſomno viſus eſt. Ei autem,
gilantes ſenſibus externis apprehen-
rmiter inſiſtimus omnes, ipſo facto
judicium certum eſſe oſtendentes.
oque *Ariſtoteles* per *integrum citatum*
nprimis vero *integro capite* allegato
poſuit, per quæ ſufficientiſſime


Digitized by Google

ſomnum a vigilia poſſimus cognoſcere, quæque quærenti *Carteſio, unde probabis*, te hæc *vigilantem pati & non dormientem?* ex aſſe ſatisfacere poſſint? Imo, quid ſi ex *Carteſio* ejusque aſſeclis quæſiverimus: Unde probaturi ſint ſe eſſe dubitantes, ſe eſſe cogitantes? Citius namque ſibi perſuaſerit quispiam, ſe ſentire, ſe videre, audire, olfacere, guſtare, taugere: Citius quoque quis ſibi perſuaſerit ſe vigilare, edere, bibere loqui, quam ſe dubitare, ſe cogitare. Pariter nemo unquam fidem habuerit affirmanti ſe in membris, quibus dudum tamen caruit, ſenſiſſe dolorem, ſi vel maxime vigilans hoc aſſeru erit, nihilque facilius erit oſtendere, quam rationem, cur ita quandoque etiam vigilantibus viſum fuerit. Egimus hac de re cum in peculiari *diſſertatione de ortu primorum principiorum in mente humana ſecundum Ariſtotelis Philoſophiam*, tum in diſſertatione alia, quæ nempe agit *de primis Moralibus*, in qua poſteriori diſſertatione ſub finem prolixiuſcule oſtendimus, quam erronea æque ac periculoſa & profecto impia ſint Carteſianæ Philoſophiæ principia, prout ea ipſe *Carteſius* accommodate ad Moralia expoſuit, idque propter Moralium ac Theologiæ Studioſis cane pejus ac angue fugienda. Docuit ſane triſtis experientia, quid ejusmodi *methodo dubitandi Carteſiana* hactenus ab

uno

uno alterove effectum fuerit, ut preſſius inſiſtentes deteſtandis *Carteſii* veſtigiis, quam minimum didiciſſent illorum omnium, quæ hactenus (antequam ſcilicet *Carteſius* ſuas vendidiſſet nugas) nomine Philoſophiæ inſigniri conſueverant, ſe eo magis idoneos futuros eſſe crederent ad ſolidam eruditionem percipiendam, ſicque nullos audientes idoneos Doctores, nulla ſcripta ad parandam eruditionem vere idonea legentes, tandem nec alios intelligere, nec ab aliis, imo nec ipſi forte a ſeipſis intelligi poſſent, eo prolabentes audaciæ ac impietatis, ut quicquid in buccas veniret quodque vigilantes ſomniaſſent, defendi poſſe exiſtimarent, ſua ſomnia ac nugas hoc ipſo, quod ab aliis non recte intelligantur, excuſantes, quo de in *Apparatu Metaphyſico* pluribus egimus, quo benevolum lectorem remittimus. Eadem occaſione *ibidem* deduximus, quam injurii extiterint Carteſiani iſti adverſus Dogmaticos, dum ipſis affinxerant, ac ſi phantaſiam fundamentum ſcientiarum, vel etiam ſcientias inniti ſingularibus ſenſionibus ſtatuiſſent.

IV. Hoc adhuc circa præſentem §. notamus, hæc vel illa poſſe eſſe intra hoc genus cauſæ requiſita ſecundaria ex parte cauſæ, quæ intra aliud genus vel requiſita primaria ſunt ex parte cauſæ, vel etiam ipſæ cauſæ. Ex-

empla petere e proxime præcedentibus notis facile fuerit.

V. Cæterum quia præcipuus cauſæ efficientis uſus practicus in doctrina de cauſis efficientibus liberis ſe exerit, lectori benevolo non ingratum fuerit, ſi poſt univerſam de cauſa efficiente doctrinam de uſu practico, quem ea in practicis diſciplinis & ſuperioribus, ceu vocantur, Facultatibus præſtat, diſpexerimus.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM

De

# CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI ET CAUSA EFFICIENTE INSTRUMENTALI,

Item

# DE INSTRUMENTO

ejusque diviſionibus.

Præmiſſa eſt doctrina de communioribus notatuq; dignioribus cauſæ efficientis diviſionibus.

§. I.

E præcipuis utiliſſimisque cauſæ efficientis diviſionibus credimus

mus eſſe ſequentes: (1.) *diviſio cauſæ efficientis in principalem & inſtrumentalem* (2.) *in liberam & naturalem* (3.) *in immediatam & mediatam.*

*NOTÆ.*

I. Diviſio cauſæ efficientis in principalem & inſtrumentalem uſu frequentiſſima eſt, omnibus id facile confitentibus: Nec vero quisquam ignoraverit, quod in diſciplinis Practicis agentium nomine non niſi cauſæ efficientes liberæ cenſeantur. Diviſionem cauſæ efficientis in immediatam & mediatam eo ſpectans doctrina de cauſa morali maxime commendat.

II. Alias cauſæ efficientis diviſiones partim *peculiari capite* poſt doctrinam omnium cauſarum, partim alio *capite* poſt harum diviſionum doctrinam explicabimus.

§. 2. Vulgo a Metaphyſicis *Cauſa principalis* & *Cauſa inſtrumentalis* ſic definiuntur: *Cauſa principalis eſt cauſa efficiens, quæ influit in effectum virtute non ignobiliori, quam ad eum producendum requiritur*: ut faber re-

ſpectu clavi: *Cauſa inſtrumentalis eſt cauſa efficiens, qua influit in effectum virtute ignobiliori, quam ad eum producendum requiritur:* ut malleus reſpectu clavi.

*NOTÆ.*

I. *Influere in effectum* idem *Scholaſticis* eſt ac producere effectum, quantum quidem ad præſentes definitiones attinet.

II. Per *virtutem* intelligitur ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis.

III. Dum vero virtus diſtinguitur in *nobiliorem* & *ignobiliorem*, *Scholæ Doctores* in hujus nobilitatis definitione tradenda non conveniunt: Præcipui tamen ac celebriores *virtutem cauſæ efficientis nobiliorem* vocant eam, *qua* nempe *aliquid aptum eſt efficere aliud, ut tamen nulla opus habeat Phyſica motione ſui, facta ab alia cauſa efficiente.*

IV. Inde fit, *ut ignobiliorem virtutem* hi ipſi dicant *eam potentiam, qua aliquid aptum eſt producere aliud, ut tamen egeat motione Phyſica ſui, facta ab alia cauſa efficiente.*

V. Hanc explicationem, uti receptior eſt, ita veriorem cenſemus: E. gr. faber eſt cauſa efficiens clavi, dum nempe cudit clavum, & certe nulla datur cauſa efficiens, quæ

fabrum

fabrum phyſice moveat, unde appellatur faber *cauſa* efficiens principalis reſpectu clavi: E contrario malleo non efficeretur, niſi alia cauſa efficiens eſſet, quæ ſimul phyſice moveret clavum. Unde malleus fit cauſa clavi, quando faber malleum movet, attollit ſcilicet & deprimit, abſque qua motione ſi foret, ut modo diximus, clavus a malleo non efficeretur.

VI. Singulari ſtudio motio illa *phyſica* dicitur, cum varia adhuc dentur motionum genera. Ita *moralis motio* vocatur, quando e.gr. mandans mandato ſuo movet mandatarium, abſque quo ſi fuiſſet, mandatarius idem facturus non fuiſſet: Sic datur *motio metaphorica* ſeu *objectiva*, quæ etiam *finalis* dicitur: ex.gr. quando ſanitas nondum exiſtens movet ægroti appetitum ad ſui appetitionem ac effectionem. Ut nihil de aliis motionibus dicamus, de quibus tamen ut & modo nominatis adhuc ſuis locis agetur.

VII. Senſus igitur propoſitarum definitionum huc redit: *Cauſa efficiens principalis eſt cauſa efficiens, ut tamen phyſice non moveatur ab ulla alia cauſa efficiente:* Cauſa *efficiens inſtrumentalis eſt cauſa efficiens, quæ ab alia cauſa efficiente phyſice movetur.*

VIII. Hanc motionem vocant Scholaſtici *elevationem.*

IX. Bene notetur, *primario ac abſolute* cau-

Digitized by Google

cauſam efficientem principalem dici cauſam efficientem: *Secundario ac minus proprie* cauſæ efficientis nomine cauſam inſtrumentalem cenſeri.

§. 3. *Cauſa principalis dupliciter* ſumi ſolet: (1.) *abſolute*, & ſic omnis cauſa efficiens principalis vocatur, quæ non indiget phyſica motione ab alia cauſa efficiente facta ad producendum effectum. Ita Deus quando creat angelum, homo quando intelligit, ſunt cauſæ efficientes principales (2.) *relative*, & hac ratione cauſa principalis eſt cauſa efficiens, ita ut ſimul phyſice alteram moveat, quam ideo cauſam inſtrumentalem vocamus: Hoc ſenſu Deus quando Angelum creat, homo quando intelligit, non ſunt cauſæ principales, nec tamen inſtrumentales.

*NOTA.*

Jam facile eſt judicare de eo, *num cauſa efficiens media detur inter principalem & inſtrumentalem?* Si enim principalis priori modo ſuma-

ſumatur, non datur media cauſa efficiens: Si poſteriori, omnino datur, quia ſic nihil vocatur cauſa efficiens principalis, niſi reſpiciat cauſam inſtrumentalem. At nulla profecto cauſa inſtrumentalis creationis, item intellectionis datur.

§. 4. Ut cauſæ inſtrumentalis natura ac indoles nobis ſatis perſpecta fiat, plura ad explicationem hujus rei apprime facientia huc referri merentur. Et primo omnium quidem cave confundas *inſtrumentum* cum *cauſa efficiente inſtrumentali*, quod tamen a multis fieri ſolet. Nam ut præcipua monſtremus diſcrimina, differunt in eo cauſa inſtrumentalis & inſtrumentum: (1.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis, qua talis, eſt vera cauſa: Inſtrumentum, qua tale, non eſt vera cauſa* (2.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis ponitur in actu ſecundo: Inſtrumentum* vero *manet verum inſtrumentum, ſive in*

*actu ſecundo ponatur, ſive minime:* e.gr. malleus ſub ſcamno quieſcens manet inſtrumentum artis fabrilis, utut quando ſub ſcamno jacet, nullius rei cauſa efficiens ſit, nullius rei vera cauſa ſit: At quando faber malleo cudit clavum, ſic malleus eſt vera cauſa, ſic tandem eſt vera cauſa efficiens inſtrumentalis, ſic ponitur in actu ſecundo, qui antequam moveretur a fabro, in actu ſecundo poſitus non fuerat. (3.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis uti ſemper in actu ſecundo ponitur, ita actus ſecundus ſemper eſt realis actio vel effectio*, adeoque cauſa efficiens inſtrumentalis, qua talis, ſemper eſt cauſa efficiens: At *hoc nequit dici de quolibet inſtrumento*, cum multa dentur inſtrumenta, quæ licet in actu ſecundo ponantur, neutiquam tamen ſint cauſæ efficientes, ſed cauſæ patientes,

Digitized by Google

tes, h. e. materiales cauſæ: ex. gr. quando faber cudit clavum in officina ſua, ibi imprimis duobus utitur inſtrumentis, malleo nempe & incude: utrumque inſtrumentum eo tempore, quo faber clavum cudit, in actu ſecundo ponitur, non vero utrumque inſtrumentum eſt cauſa efficiens inſtrumentalis, quamvis utrumque in actu ſecundo ponatur? Nam malleus in actu ſecundo poſitus eſt quidem cauſa efficiens, non tamen incus, utut ponatur in actu ſecundo, eſt cauſa efficiens, ſed cauſa patiēs. (4.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis, qua talis, nunquam eſt cauſa principalis reſpectu illius effectus, cujus cauſa inſtrumentalis eſt & vocatur*: At *inſtrumentum utut ſit activum & revera ponatur in actu ſecundo*, h. e. utut ſit agens ſeu efficiens, non tamen id propter ſta-

tim

tim debet haberi pro cauſa inſtrumentali, quia *ſæpe non eſt cauſa inſtrumentalis, ſed cauſa efficiens principalis.* Exemplum ſeminis hic *Ariſtoteli* placet, quod ipſe & pro inſtrumento genitoris, & ſimul pro cauſa non inſtrumentali ſed principali generationis habet. (4.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis ſemper eſt*, ſi rem exacte æſtimes, *inſtrumentum conjunctum ſecundum operationem: Hoc neutiquam de quovis inſtrumento*, utut revera, *agat, dici poteſt* (6.) *Cauſa efficiens inſtrumentalis non agit nec eſt cauſa, niſi elevetur, ſeu moveatur phyſice*: At *hoc de quovis inſtrumento, utut ſit agens, nequit aſſeri.*

*NOTÆ.*

I. Et quis omnia diſcrimina enumerare vellet? Ut certe mireris, cur tam multi in ſuis ſcriptis inſtrumentum & cauſam inſtrumentalem ſæpius confundant. Ex mox ſequen-

quentibus aliquot diſcrimina adhuc colligi poterunt.

II. Exemplum, quo diſcrimen tertium cauſæ principalis a cauſa inſtrumentali illuſtrabatur, libet B. *Zeiſoldi*, Præceptoris & Promotoris ſingulari animi gratitudine & obſervantia colendi, verbis declarare: *Semen animale eſt inſtrumentum generantis* (Vid. *Ariſtoteles l.2.de anim.cap. 4. text. 35. & l.1. de generat. animal. cap. 22.) nec tamen proprie loquendo, eſt cauſa inſtrumentalis generationis, ſed principalis, ut recte tradit D.Jac.Martini b. m. in partit. Metaph. l. 1. ſ. 9. §. 8. p. 375. Semen enim vim generandi obtinet, ab animali generante, cujus loco generat, ſibi communicatam. Ita pulchre Thomas part. 1. Summ. q. 98. art. 1. reſp. ad 3. & Zabarella l.3. de miſti gen. & inter. c.8. col.677. In generatione viventis (inquiunt illi) primum movens eſt animal, aut planta, unde ſemen defluxit: ſemen vero eſt ejus inſtrumentum, quod per vim ab eo receptam generat alterum animatum ſimile.* Hæc *Joh. Zeiſoldus Inſtitut. Phyſ. l. 1. ſect. 2. artic. 2. punct. 3. §.204. pag. 129.*

§. 5. Ex præced. §. colligi poteſt, quam difficile ſit inſtrumentum in ſua latitudine definire, imo experiendo quisque diſcet, quod

illud prorſus impoſſibile maneat ob nimiam hujus notionis communitatem: Si tamen quomodocunq; communem notionem inſtrumẽti inveſtigare velimus, forſan *Ariſtotelis* explicatio nobis apprime ſervire poterit, dum dixit, inſtrumentum eſſe *id, quod aptum eſt ut agens eo utatur ad productionem operis*, ad quod Inſtrumentum determinatum ac ordinatum eſt, ut nempe eo; produci poſſit.

*NOTÆ.*

I. Eximius locus eſt *Ariſtotelis*, quando *lib. IV. Meteor. cap. ult.* ſic de natura inſtrumenti diſſerit: *Omnia ſunt terminata opere: Omnia enim, quæ poſſunt facere ſuum opus, vere ſunt* (inſtrumenta) *ut oculus, ſi videt: Quod* (inſtrumentum) *autem non poteſt* (facere ſuum opus) *æquivoce* (dicitur inſtrumentum) *ut oculus mortuus aut lapideus: Sic quoque lignea ſerra non eſt niſi ſerræ imago.* Hæc *Ariſtoteles*, ex quibus datur cognoſcere, quod quæcunq; poſſunt facere ſuum opus, illa ſint vere inſtrumenta: Et e contrario, quod æquivoce inſtrumenta ſint, quæ ſuum opus facere

re

re nequeunt:Ita oculus mortuus,item ſerra lignea,ab Ariſtotele non habentur pro inſtrumentis, quia non ſunt apta facere ſua opera, cum oculo mortuo aut lapideo nemo videre, ſerra lignea nemo ſecare poſſit,cum tamen ſerræ opus ſit ſectio, oculi opus viſio. Et inprimis attendenda venit vocula: *ſuum*, quando *Ariſtoteles* requirit, quod inſtrumenta debeant eſſe δυνάμενα πρὸς τὸ αὐτῶν ἔργον, *apta ad ſuorum operum productionem*:Ita e.g. lapides hinc inde jacentes, utut apti ſint ad opus producendum: Lapide namque manibus fortuito expoſito clavum parieti impingere poſſumus; Non tamen lapis æque ac malleus poteſt dici inſtrumentum, quia utut lapis aptus ſit ad impingendum clavum, non tamen eſt impingendi clavi gratia ut malleus. Licet igitur, quando ad cudendum lapide utor, lapis inſtrumentum meum dici poſſit, magis tamen proprie & abſolute inſtrumentum, quo ad cudendum utimur, dicitur malleus, qui ad talem actum taleque opus per ſe ordinatus eſt. Et h.e.quod *1. de partibus animalium c.5.* de inſtrumento magis proprie dicto *Ariſtoteles* notat, quando ait: Τὸ ὄργανον πᾶν ἕνεκά του, *omne inſtrumentum eſt alicujus gratia* h.e. primario & magis proprie dictum inſtrumentum eſt, quod per ſe ad certum opus, quod nomine peculiari efferri poſſit, ordinatum eſt.

II. Determinantur vero alia inſtrumenta a natura, alia ab arte. Quo referri poſſunt inſtrumenta a prudentia determinata, utpote cum prudentia cum arte magnam habeat cognationem: Imo non facile negotium morale & civile peragitur absque unius pluriumque inſtrumentorum interventu. Inde diſtinctio deducitur inter *inſtrumenta naturalia, activa & effectiva.*

III. Etymologia inſtrumenti iſtud etiam luculenter confirmat. Nam latinum vocabulum: *Inſtrumentum* ſic dictum credimus in genere ab *inſtruendo*, quia ad opera *ſtruenda* & perficienda ordinatur & adhibetur. Simplici enim voce *Strumentum* pro inſtrumento olim dictum fuiſſe, ex *Tertulliano lib. I. ad uxorem* conſtat, ubi hæc verba, quæ huc tranſtuliſſe forſan non ingratum fuerit, habentur: *Nobis continentia ad ſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt a Domino ſalutis Deo, ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperventuro indumento incorruptibilitatis ad ſuſtinendam noviſſime voluntatem Dei.* Cæterum *Laurentius Valla lib. 6. Elegantiarum cap. 36.* teſtatur inſtrumentum, æque ac Sacramentum, Teſtamentum, lenimentum, munimentum, ſpiramentum, nutrimentum, velamentum &c. olim in *men* exiiſſe, & poſtea progreſſu temporis per paragogen ſyllabam *tum* aſſumſiſſe. Magis ad

Digitized by Google

ad rem facit noſtrumque ſcopum facilitat, ſi ad Græcam & Ebraicam linguam ſimul reſpiciamus. Nam inſtrumentum græce dicitur ὄργανον quaſi ἔργανον, quia uti *Plutarchus* eleganter notat, *αὐτῷ χρώμεθα πρὸς τὸ ἔργον ipſo utimur ad opus.* Ebraice audit כְּלִי a radice כָּלָה *perfecit*, *abſolvit*, procul omni dubio ſic dictum, quia inſtrumenta ordinantur & adhibentur, ceu ex *Ariſtotele* monebatur, ad perficienda opera.

IV. Cum quadam latitudine verba adductæ formulæ, qua inſtrumentum in communi delineabatur, accipi debent, ut inſtrumenta paſſiva ſimul comprehendantur.

V. Interim cur inſtrumentum in genere definiri nequeat, diximus cauſam eſſe nimiam communitatem hujus nominis: Nam Metaphyſici interdum vocant omne illud inſtrumentum, *quod operatur ſeu agit (vel etiam patitur) modo non ſit ſuppoſitum*: qua ratione calor inſtrumentum ignis dicitur: quæ certe ſignificatio nimis laxa eſt. Rurſus vocatur a Metaphyſicis quandoque inſtrumentum, quælibet *cauſa efficiens, quæ in operando ab alia cauſa efficiente dependet*, quemadmodũ multi Philoſophi Veteres dixerunt omnes creaturas agentes inſtrumenta DEI, quæ ſententia ipſi quoque *Mercurio Triſmegiſto* adjudicari ſolet. Iterum frequenter inſtrumentum appellatur *habitus, qui eſt alterius*

*gratia,ut tamen non ſit habitus inſtrumentalis*: Ita Logica dicitur inſtrumentum omnium diſciplinarum,cum ſit aliarum diſciplinarum gratia, & ad eas omnino neceſſaria, ut tamen habitus inſtrumentalis reſpectu aliorum habituũ proprie dici nequeat. Sunt,qui inſtrumentum præciſe ſumunt *pro cauſa inſtrumentali*, cum tamen, ceu ex §.4. videre eſt, longe latius pateat. Alias acceptiones ad Metaphyſicam per ſe non ſpectantes vix conſultum eſt attingere, ut quando pro *Muſico inſtrumento ſumitur*, it. metaphorice, ſicuti Plato aſtra vocavit *organa cœli*, a Politicis & JCtis *pro quacunque ſcriptura, qua voluntas alterius ſatis ſub omni fide manifeſtatur*, ſicuti dici ſolet: inſtrumentum probationis, inſtrumentum litis, inſtrumentum pacis: a Theologis pro *tali ſcriptura, qua Deus inſtruere de eſſentia & voluntate ſua nosmet ſufficienter voluit* &c. Qua ἀκυρολογίᾳ omne quod alicujus gratia eſt, inſtrumentum vocetur, hac de re *B. Stalius Tab. VI. & diſcurſu ad eandem* It. *B. Petrus Muſæus Inſtit. Metaph. c. 15. §. 10. videatur.*

§. 6. Ad inſtrumenti diſtinctiones varias pergimus: Et quidem (1.) *inſtrumentum* aliud eſt *activum*, unde actio qua talis procedere poteſt; ut: malleus, ſemen:

Aliud

Digitized by Google

Aliud vero *paſſivum inſtrumentum* vocatur, *unde actio qua talis procedere nequit*; ut incus, olla.

*NOTÆ.*

I. Studio dicitur: a quo actio qua talis procedere poteſt: e. gr. actus cudendi procedit ab incude, quia incude faber opus habet ad productionem ſui operis, nempe clavi, non tamen actus cudendi inde procedit, ut eſt actio.

II. Diſtinguitur iterum inter inſtrumentum activum tantum, paſſivum tantum, atq; activum & paſſivum ſimul.

§. 7. Inſtrumentum (2.) aliud eſt *animatum*, ut: eqvus, canis venaticus: aliud *inanimatum*, ut: malleus, calamus.

§. 8. Inſtrumentum (3.) aliud eſt *conjunctum*, græce συνδεδυασμένον, aliud *ſeparatum*, græce ἀσυνδύαστον: *Illud* vocatur, *quod cauſæ principali conjungitur ſecundum operationem*, & quidem vel *ſecundum operationem tantum*, vel *ſecundum operationem & eſſe ſimul*: Ita

conjuncta inſtrumenta loquentis ſunt, quæ vulgari diſticho exprimuntur:

*Inſtrumenta novem: ſunt guttur, lingua, palatum,*
*& quatuor dentes & duo labra ſimul.*

Ita malleus eſt inſtrumentum ſecundum operationem cum fabro conjunctum, calamus cum ſcriptore, calor nativus eſt inſtrumentum nutritionis cum ſecundum operationem, tum ſecundum eſſe, cum principali nutritionis cauſa conjunctum: *Inſtrumentum ſeparatum* nuncupatur, *quod neutra ratione cauſa principali conjungitur*, e.gr. tale inſtrumentum eſt ſemen in utero reſpectu generationis, medicamentum reſpectu ſanationis, venenum a ſerpente emiſſum in viatoris pedem reſpectu læſionis.

*NOTA.*

Digitized by Google

## *NOTA.*

*Si inſtrumentum conjunctum ſumatur*, pro eo, quod vel ſecundum operationem tantum, vel ſecundum eſſe & operationem ſimul eſt conjunctum cauſæ principali, quemadmodum e. gr. calamus eſt inſtrumentum ſcriptoris, ſiquidem conjungitur ei ſolum qua operationem: non enim agere poteſt calamus, niſi actu moveatur a ſcriptore: qua ſecundum modum, calor nativus in viventibus eſt inſtrumentum nutritionis, & eſt non ſolum ſecundum operationem, verum omnino ſecundum eſſe conjunctus: Tunc inſtrumentum ſeparatum dicetur, quod neutro modo cauſæ principali conjungitur, ſed ſeparatum ab ea ſine actuali ejus concurſu poteſt operari, & vocatur ejus inſtrumentum, quia tanquam virtus ejus propria operatur: Sic e.gr. ſemen a genitore ad locum generationis applicatum eſt genitoris inſtrumentum, quia tanquam virtus propria ejus operatur: Ita venenum a ſerpente corpori humano aut alicui ejus parti immiſſum eſt inſtrumentum ſeparatum, quod in virtute ſerpentis agit, & vim lethiferam a ſerpente ſibi communicatam exerit: At ſi quis inſtrumentum conjunctum ita ſumeret, ut iſtud ita vocaret, quod ſecundum eſſe ſuum conjungitur agenti, ſive ſecundum operationem agenti ſit conjun-

ctum, ſive minime: ſic iterum diſtingui poſſet inter inſtrumentum conjunctum tantum quoad eſſe, & inter inſtrumentum conjunctum quoad eſſe & operationem ſimul: ſic poſſet quis hac nimia loquendi libertate uſus ſemen dicere inſtrumentum homini generanti conjunctum, non quidem quoad operationem, quia hæc operatio, nempe generatio fieri poſſet, imo fieret, licet homo plane non eſſet præſens, cujus ſemen erat, imo dudum periiſſet: Unde ſi ſic acciperetur inſtrumentum conjunctum, facile quisque videret, quid inſtrumenti ſeparati nomine cenſeri poſſet? Utut autem vulgo hæc Philoſophia circa hanc diſtinctionem circumferatur, nobis tamen, ſalvo cujusvis judicio videtur, ac ſi melius meliusque ratione operationis præciſe habita, inſtrumentum dividatur in conjunctum & ſeparatum, ſicque nobis *inſtrumentum conjunctum* erit, *quod in operando cum operante, cujus inſtrumentum dicitur, conjunctum eſt*: ut: calamus reſpectu ſcriptoris: Nullo enim momento ſcriptio pendet a calamo, niſi ſimul pendeat a ſcriptore calamũ reapſe movente, ſicq; calamus eſt inſtrumentum ſecundum operationem ſcriptori conjunctum: Contra *inſtrumentum ſeparatum* erit, *quod in operando cum operante, cujus inſtrumentum dicitur, conjunctum non eſt*: ut: ſemen reſpectu genitoris, utpote quoad operationẽ ab ipſo omnino ſeparatum.

§. 10.

Digitized by Google

§. 9. Quia vero paulo ante monuimus omnem cauſam inſtrumentalem eſſe inſtrumentum activum conjunctum, ideo e re noſtra erit atque ad meliorem doctrinæ intellectum faciet, ſi præcipua monſtremus inſtrumenti activi conjuncti a ſeparato diſcrimina: Nam (1.) *Illud nunquam agit, niſi ab alio agente phyſice moveatur*: e.gr. malleus eſt inſtrumentum activum ſecundum operationem conjunctum fabro tanquam cauſæ agenti principali, & niſi a fabro phyſice moveatur, non cudit clavum: Contra *hoc agit, utut a nullo agente phyſice moveatur, nec unquam phyſice movetur, quando agit*: ex. gr. ſemen excretum & ad locum generationis applicatum ibidem agit, eſtque vera cauſa generationis, nec tamen ab ullo agente phyſice movetur, quippe ſe-

men

men vim generandi exerit, utut genitor abſit, imo dudum ad plures abierit. (2.) *Illius vis vel virtus ſemper ignobilior eſt, quam ad producendum effectum requiritur: Hujus* autem *vis vel virtus ſatis nobilis eſt, h.e. non ignobilior, quam ad producendum effectum requiritur*: ex. gr. mallei vis ignobilior eſt, quam ad producendum clavum requiritur, cum indigeat phyſica motione ab agente principali facta: E contrario ſeminis vis generandi, poſtquam ſemen excretum inque locum generationis translatum eſt, ſane non ignobilior eſt, quam ad producendum effectum requiritur. (3.) *Illius & cauſa principalis*, cujus nempe inſtrumentum dicitur, *phyſice una eademque numero actio eſt: Hujus & cauſa principalis phyſice non eſt una eademque numero actio*: E.gr. quando

do malleus efficit clavum, hæc numero actio, qua nempe malleus efficit clavum, eſt illa ipſa actio, qua faber clavum efficit: Non enim repugnat unam eandemque numero actionem a duobus realiter diſtinctis agentibus, in agendo tamen ſibi invicem ſubordinatis, procedere: quippe cauſa inſtrumentalis in agendo ſubordinatur cauſæ principali: Contra ex. gr. quando ſemen generat, hæc ipſa generatio phyſice non eadem numero actio eſt, quæ a generante procedebat, cum hæc actio, quam nempe generationem phyſicam dicimus, procedat a ſemine, utut genitor nihil amplius agat, imo dudum perierit. (4.) *Illo quando utitur cauſa efficiens, eſt cauſa immediata: Hoc quando utitur cauſa efficiens, eſt cauſa mediata:* quando malleus cudit cla-

vum,

vum, recte dicitur faber æque immediate agere, ac malleus: E contrario quando ſemen generat, nequit dici, quod ſemen & genitor æque immediatæ cauſæ ſint generationis.

## NOTÆ.

I. Liceat exponere & fideliter monſtrare, in quibus *inſtrumentum* activum conjunctum & activum ſeparatum conveniant: Et quidem

(1.) Conveniunt in eo, *quod utrumque habeat aut habere queat vim agendi ſive potentiam activam*: ſicut e. gr. malleo nequit denegari vis agendi, quam inprimit faber, dum per malleum clavus a fabro cuditur: Vim generandi habet ſemen humanum, quando illud hominem ex ſanguine menſtruo producit. Hac igitur ratione inſtrumenta activa *paſſivis* contradiſtingvuntur, quibus omnis omnino vis agendi denegatur eatenus, quatenus inſtrumenta paſſiva ſunt.

(2.) Inſtrumentum activum conjunctum & inſtrumentum activum ſeparatum in eo conveniunt, *quod utrumque ſuam vim agendi, ſuam potentiam activam, ſuam efficaciam habeat aliunde*: e.gr. malleus ſuam vim cudendi habet a fabro, qui eam malleo impreſſerat: ſemen

men humanum vim ſuam generandi habet a mare genitore, cujus excrementum erat. Hoc ipſo inſtrumenta contradiſtingvuntur *cauſæ efficienti ſimpliciter primæ*, hoc eſt, DEO agenti aut efficienti: Deus enim non agit virtute aliunde accepta.

(3.) Datur convenientia ex parte utriusq; inſtrumenti activi, quando attendimus, *quod utrumque habeat ſuam vim* a cauſa efficiente determinate agente, ceu *Scholæ Doctores* loqvuntur: Illis namque determinate agere dicitur cauſa efficiens, quando actio hoc, quod talis ſpeciei vel talis ſit, maxime habet ab eo, quod determinate agere dicitur: (Idem eſto judicium de effectu per actionem producto.) Ita e.gr. malleus ſuam vim agendi habet a cauſa efficiente determinate agente, nempe a fabro: quippe faber movet malleum, eique vim cudendi inprimit, ut per malleum talis ſpeciei effectus, nempe clavus, cudatur: Sic ſemen humanum vim ſuam generandi habet a mare ſemen ea fini excernente & ad locum generationis transferente, ut talis ſpeciei effectus, nempe homo, a ſemine per vim una inditam ſemini & cum eo translatam fiat. Hoc ipſo putes inſtrumenta cauſis agentibus ſecundis in ordine ad Deum tanquam cauſam univerſalem ſpectatis contradiſtingvi: Utut enim negari nequeat, creaturam omnem omnino

vim

vim agendi habere a DEO: Interim uſus philoſophandi non permittit, ut cauſas particulares reſpectu cauſæ univerſalis dicamus inſtrumenta cauſæ univerſalis: Sic quando homo hominem, canis canem generat, ſi vel maxime Deus cenſeatur univerſali influxu concurrere & ad hominis & ad canis generationem (quæ Scholaſticorum plurimorumque aliorum Doctorum recepta ſententia eſt) non tamen dicere poteris hominem aut canem generantem inſtrumentum Dei generantis, quamvis non deſint, qui ita philoſophati fuerint, e quorum numero ipſe *Gabriel Vazquez* eſt. Studio diximus ſermonem hic nobis eſſe de creaturis agentibus ſpectatis in ordine ad Deum tanquam cauſam univerſalem: nam ſi quis Deum conſideret ut cauſam primam, non tamen ut cauſam univerſalem, ſæpe creaturæ proprie & recte inſtrumēta Dei dicuntur. Et huc ſpectat illa *Scholaſticorum* disquiſitio: An Deus poſſit creaturam e.gr. angelum aſſumere, perq; eum tanquam cauſam inſtrumentalem aliud ens creare h.e. ex ſimpliciter nihilo producere? Et ſane magna probabilitate affirmativa a non paucis, inprimis *Scotiſtis*, defenditur. Quid? quod ſint, qui una defendunt, poſſe angelo tanquam inſtrumento ſeparato a Deo potentiam creandi ad certum ordinem vel ſpeciem rerum creandarum li-

Digitized by Google

limitatam communicari. Sed has materias in his inſtitutionibus perſequi ratio inſtituti non permittit.

(4.) In eo etiam inſtrumentum activum conjunctum & inſtrumentum activum ſeparatum conveniunt, *quod neutrum ultimo denominetur ab actione, per quam effectus tali inſtrumento mediante producitur, ſed illud agens ultimo denominatur a tali actione, cujus inſtrumentum erat:* ex. gr. licet nequeat negari, a malleo factum fuiſſe clavum, nemo tamen, ſi alter quæſitus ab eo, quis cauſa efficiens clavi ſit? quis effecerit clavum? ipſi reſpondebit: malleus eſt cauſa, eam reſponſionem probabit, aut in ea acquieſcet. Pari ratione quæſitus: quis generaverit hunc hominem? fruſtra reſpondebit: ſemen. Plura convenientiæ documenta anguſtia chartæ ſiſtere prohibet.

II. Repetamus etiam majoris perſpicuitatis gratia utriusque inſtrumenti: nempe activi conjuncti & activi ſeparati, diſcrimina, quibus a ſe invicem præſenti §. diſtinguebantur.

(a) Diſcrimen primum *inſtrumenti activi conjuncti* & *ſeparati* in eo ponebatur, quod illud ſit *motum movens*, hoc eſt, quod non movet, non agit, niſi moveatur: hoc vero ſit, *movens non motum*, hoc eſt, quod per vim ſuam movet ſive agit ſibi aliunde inſitam, li-

cet non moveatur ab eo, unde vim movendi aut agendi habet: Ita e. gr. malleus non cudit clavum, niſi faber eum attollat & moveat, ſerra non ſecat, niſi hinc inde reciprocetur, cum ſint inſtrumenta conjuncta: At ſemen in utero generat, fœtumque efficit per vim a genitore acceptam, quamvis genitor dudum deſierit eſſe, ſicque nec ſe nec aliud *movere* amplius queat: Pariter venenum homini, in cujus corpus ſerpens iſtud immiſerat, interitum adfert. *Scholaſtici*, ut mentem ſuam explicent, utuntur hac formula: *Inſtrumentum* conjunctum opus habet elevatione, ſeparatum minime, qua de re *præcedenti* §. egimus.

(b) Alterum diſcrimen *inſtrumenti activi conjuncti* & *ſeparati* ponebatur in eo, quod illud ſemper habeat *vim ignobiliorem activam* ſeu ignobiliorem virtutem agendi, atque ad effectum producendum requiritur: Hoc vero *vim ſatis nobilem* habeat, licet aliunde eam acceperit, ita ut vis ejus in genere cauſæ efficientis determinate agentis ſufficiens ſit: e.gr. vis cudendi in malleo non ſufficit ad producendum clavum, requiritur nobilior vis cudendi quæ eſt in fabro, quippe ſolus malleus nunquam clavum valet efficere, hoc eſt, abſque eo, qui malleum attollit & movet, malleus non habet ſufficientem vim producendi clavum, malleus non elevat fabrum, ſed

ſed faber malleum. Malleus elevatur, faber minime: Eſt ergo nobilior vis in fabro, ignobilior in malleo. Contra e. gr. ſemen in loco generationis ſufficientem & ſatis nobilem vim habet producendi fœtum, quam acceperat a genitore, quando ſemen cum ſufficienti vi generandi ſatisque nobili virtute in locum a natura generationi deſtinatum transtulerat. Studio diximus: In genere cauſæ determinate efficientis, aut ſi accuratius malis loqui, in ordine cauſæ determinate efficientis. Nempe hoc volumus, quod ſtante generali Dei concurſu ipſa virtus activa inſtrumenti ſeparati ad producendum effectum ſit ſufficiens, ſcilicet in ordine cauſæ determinate efficientis.

(c) Tertium diſcrimen inter *inſtrumentum activum conjunctum* & *ſeparatum* in eo conſtituebatur, quod *illius ipſiusque agentis*, *cujus reſpectu inſtrumentum conjunctum vocatur*, *ſit una numero eademque actio, qua effectus & ab inſtrumento, & maxime ab eo, cujus inſtrumentum eſt, producitur:* Contra *inſtrumenti ſeparati & ejus agentis, cujus inſtrumentum ſeparatum eſt, una eademque numero actio non datur, quæ ſimul,* ſi ſcilicet phyſice rem æſtimes, & *inſtrumenti ſeparati, & ipſius agentis, cujus inſtrumentum ſeparatum vocatur, actio dici queat:* Ita e.gr. actio, qua malleus cudit clavum, eſt hæc ipſa actio, hoc eſt, una eademq; numero,



Digitized by Google

qua faber cudit clavum: nam faber cudit, & quoque malleus cudit a fabro elevatus, cuduntque eundem numero clavum. Nequit enim dari pars clavi, quam faber, non malleus; iterumque alia pars clavi, quam malleus, non faber cudendo produxerit. Contra e.g. non eſt una eademque numero actio, qua genitor activum, nempe ſemen, paſſivo applicat, & qua ſemen generat.

(d) Quartum diſcrimen *inſtrumenti activi conjuncti & activi ſeparati* ex eo deducebatur, quod illud quando agit ſit inſtrumentum cauſæ efficientis immediatæ, hoc vero quando agit ſit inſtrumentum cauſæ efficientis mediatæ. Sed de hoc diſcrimine facilius conſtare poterit ex capite de cauſa efficiente immediata & mediata.

§. 10. Hiſce de inſtrumenti natura variiſque diſtinctionibus ſic prælibatis, nunc demum melius accuratiusque cauſæ efficientis inſtrumentalis notionem aſſequi licebit: Scilicet cauſa inſtrumentalis ſemper eſt inſtrumentum conjunctum: Pariter perpetuum eſt cauſæ inſtrumentalis & neceſſarium requiſitum, ut ne moveat aut

agat,

Digitized by Google

agat, *niſi* moveatur ſeu elevetur: *Eſt*que cauſæ efficientis inſtrumen-*talis* virtus aut vis agendi ſemper ignobilior, quam ad effectum producendum requiritur. Interim nihil cauſæ videmus, cur non cauſæ efficienti inſtrumentali ſuo modo notio cauſæ efficientis tribui poſſit: E. gr. calamus eſt inſtrumentum ſcriptori conjunctum: nec quicquam confert ad producendam ſcripturam, niſi a ſcriptore moveatur, nunc in circulum, ut fiat O, nunc in ſemicirculum, ut fiat C &c. Eſt quoque longe ignobilior vis calami, quam ad producendam ſcripturam requiritur, ideo opus habebat motione: Interim quia ſcriptor calamo ſcribit, ſicque per calamum ſcripturam producit, ipſaque ſcriptio fit tum a ſcriptore, tum a calamo, licet modo diverſo ab illo & hoc fiat, imo una eademq;

 nu-

numero ſcriptio eſt, & quæ a ſcriptore, & quæ a manu & calamo fit, nihil prohibet, quo minus quodammodo calamus cauſa efficiens ſcripturæ dicatur.

## NOTÆ.

I. Equidem ſunt, qui negant veritatem harum propoſitionum: Manus ſcriptoris ſcribit, calamus ſcriptoris ſcribit: Dicunt enim non manum, nec calamum ſcriptoris ſcribere, ſed ſcriptorem ſcribere per manum & calamum, ſeu ſcriptorem ſcribere manu & calamo: Verum ſalvo cujusvis accuratiori majoriquè judicio dicendum videtur, litem eſſe de modo loquendi: Sane hoc admittendum omnino a nobis eſt ac lubentiſſime admittitur, quod ſcilicet principaliter & abſolute ac per prius cauſæ principali & productio effectus, & ipſe effectus, eique ſoli, attribuatur: Cur vero id propter, quod ſoli cauſæ efficienti principali πρώτως καὶ κυρίως productio effectus & effectus ipſe adſcribi debeant; ipſi cauſæ inſtrumentali productio effectus & effectus nullatenus queant adjudicari, ne quidem ὀργανικῶς καὶ δευτέρως, ut denuo fateamur ingenue, nondum nobis liquet: Etenim hoc negari nequit, quod & hæc productio effectus, & ipſe effectus de-

pen-

pendeant ab ipſo organo, ſi nempe cauſa principalis effectum adhibito organo producat, ſicuti certe effectus dantur, qui a principalibus cauſis ſine organis nequeunt produci? Quomodo ergo effectus cauſæ principalis dependebit ab organo conjuncto? Numne dicetur, quod nihil amplius ad producendum effectum requiratur, quam præſentia organi, ita ſcilicet ut ad nudam præſentiam mallei faber cudat, nec quicquam amplius ex parte mallei requiratur ad cudendum clavum, quam nuda præſentia, item ut ad nudam præſentiam calami ſcriptor ſcribat: ad nudam præſentiam naſi animal olfaciat &c. Vix credo unquam futurum eſſe, ut hoc aſſeratur ab accuratioribus. Quid ergo amplius requiritur ad hoc, ut organo adhibito effectus dicatur a cauſa principali productus fuiſſe? Eritne aſſerendum, organon eſſe cauſam ſine qua non, ut vocant, ſed ſic regerere licebit, cur non aliæ cauſæ ſine quibus non vocentur organa, item ex quo fundamento dici poſſit ac debeat, cauſam principalem per organon egiſſe, per organon produxiſſe effectum? Ut rem paucis expediamus, credimus eam perceptu facilem, modo quis perſpectum ſatis teneat modum docendi communia πρὸς ἕν: Abſolute ſcil. loquendo ſola cauſa principalis agit & efficit, ſecundario tamen & cum addito ὀργα-

 νον

vor conjunctum agit & efficit, atque ideo inſtrumentalis cauſa veriſſime dicitur. Si rem ſimilitudine quadam illuſtrare liceat, id fiet exemplo cauſæ & potentiæ cauſativæ: Ita dicimus, quod ſola cauſa efficiens agat, idque propter nondum negari poteſt, quod etiam potentia activa agat: nam exerit ſe potentia activa, non vero niſi per actionem: abſolute interim loquendo, veriſſime & rectiſſime ſoli cauſæ efficienti actio adſcribitur omnium Philoſophorum conſenſu.

II. Non debent hæcce duo confundi: *agere virtute ſatis nobili*, & *agere virtute propria*: fieri namque poteſt, imo ſæpiuscule fit, ut inſtrumentum ſeparatum agat virtute ſatis nobili, h.e. non ignobiliore, quam ad producendum effectum requirebatur, ut tamen hæc ſatis nobilis virtus non ſit illi enti, quod inſtrumentum ſeparatum vocatur, propria, ſed aliunde nempe ab agente principali communicata: e.gr. avtomatarius faber imprimit horologio vim non ignobiliorem, quam ad producendum effectum requiritur, ita ut in abſentia ejus horologium agat ſatis nobili virtute, ab agente tamen principali ſicque aliunde communicata.

III. Accurate philoſophantur, qui dicunt: *Cauſa principalis agit mediante inſtrumento ſeparato*: non vero accurate dici ac defendi poteſt hæc propoſitio: *Cauſa principalis*

*palis agit mediante cauſa inſtrumentali:* Ratio eſt, quia æque immediate actio & effectus a cauſa principali atque inſtrumentali procedunt: Secus vero ſe res habet cum cauſa principali & inſtrumento ejus ſeparato. Falluntur ergo, qui cauſam principalem pro cauſa mediata habent. Nec ſubeat mirari, qua ratione una eademq; numero actio, item unus idemque effectus ſecundum omnes & ſingulas partes a realiter diſtinctis agentibus una procedere poſſit: Iſtud fit, quia cauſæ inſtrumentales cauſis principalibus in agendo ſunt ſubordinatæ. Idem ſcilicet hic loci obtinet, quod in doctrina de cauſa efficiente prima & ſecunda reſponderi ſolet, quando adverſa pars ita, ſed fruſtra colligit. Si DEUS concurrit mediantibus cauſis ſecundis, ſequitur, quod non immediate concurrat cum creaturis ad effectus ſuos. Quo de infra ſuo loco ſolliciti erimus.

IV. Illud adhuc monendum erat, quod quæ de cauſa principali & inſtrumentali hucusque diximus, de cauſa principali & inſtrumentali phyſica intelligenda ſint: Quid vero de diviſione cauſæ inſtrumentalis in phyſicam & moralem ſit ſentiendum, poſt doctrinam de cauſa morali indicabitur.

## Caput Decimum Septimum
De
# CAUSA EFFICIENTE LIBERA ET NATURALI.
Item
# DE LIBERTATE ET NECESSITATE.

§. 1.

*Cauſa efficiens libera eſt cauſa per actionem non neceſſariam:* e.gr. homo quando loquitur: *Cauſa efficiens naturalis eſt cauſa per actionem neceſſariam*: e. gr. ignis quando calefacit. *Actio non neceſſaria* dicitur actio, quam poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis illud, quod per eandem cauſa eſt, poteſt omittere; ut: locutio ab homine facta: *Actio neceſſaria* appellatur actio, quam poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis hoc, quod per eandem cauſa eſt, non

poteſt

Digitized by Google

poteſt omittere; ut: calefactio ab igne procedens.

## NOTÆ.

I. Ut cauſam efficienten liberam a cauſa efficiente naturali diſtingueremus, eo inprimis reſpiciendum erat, num ipſa cauſa efficiens potuerit non agere, an vero non potuerit non agere: Nam quæ cauſa ita agit, ut poſſit non agere, eſt libera: quæ vero ſic agit, ut non poſſit non agere, eſt naturalis.

II. Non debent confundi hæc duo: *poſſe non agere*, & *non poſſe agere*: *Illud* enim arguit perfectionem, *hoc* ſæpe imperfectionem: *Illud* potentiam, *hoc* minime: *Illud* libertatem, *hoc* neceſſitatem.

III. Singulari ſtudio in utraque definitione dicebatur: *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis*. Non enim confundi debent prærequiſita & quæcunque requiſita: Ita requiritur ad cauſam efficientem, ut potentiam ſuam cauſativam (ceu *Scholæ* vocant) exerat, quia alias non eſſet vera cauſa: At quando potentiam ſuam cauſativam exerit, non poteſt non agere. Ratio in promptu eſt, quia cauſa efficiens exerit ſuam potentiam cauſativam per actionem: Interim hoc non prærequiritur, hoc eſt, non requiritur ad hoc, ut quod eſt cauſa efficiens poſſit eſſe cauſa efficiens, ſed requiritur, ut ſit cauſa effi-

efficiens: Seu, quod eodem redit: non requiritur ad potentiam, ut ſit completa potentia & ſatis apta ut exeratur, vel ut *Scholaſtici* loqvuntur, non ad rationem cauſandi ſeu actum primum, ſed ad cauſalitatem ſeu actũ ſecundum requiritur. Recolenda igitur probe eſt doctrina præcedentis *capitis noni*, unà cum iis quæ per *totum* §. 9. c. 15. diſſeruimus.

IV. Quia cauſa efficiens libera talis dicitur a libertate, & e contrario cauſa efficiens naturalis idem ſignificat quod neceſſaria, adeoque neceſſitatem fundamentum denominationis ſuæ agnoſcit, ante omnia dicendum erit, quid & quotuplex ſit tum libertas, tum neceſſitas?

§. 2. *Libertas* omnium accuratiſſimorum Doctorum judicio in *indifferentia*, quam *formalem* appellant, conſiſtit: *Indifferentia* vero *formalis* importat *duo*: 1. *potentiam agendi utrumlibet oppoſitorum*. 2. *aptitudinem ſeſe determinandi ad alterutrum oppoſitorum pro lubitu*.

NOTÆ.

I. Cur libertas ponatur in indifferentia, dici facile poteſt: Scilicet indifferens vocatur in

in *Scholis*, quod æque ſic ac aliter ſe habere potest: ex. gr. indifferens actio vocatur, quæ tam facile fit, atque non fit: Ita tam facile poſſum loqui, quam tacere. quando igitur libertas indifferentia dicitur, hoc ipſo ſignificatur, quod libertas illud ſit, vi cujus quidpiam æque ſic, ac aliter ſe habere poteſt. Erit ergo libertas agendi id, vi cujus aliquid poteſt agere & non agere, utut omnia adſint, absque quibus agere non poterat. Additur vero vocula: *formalis*, definiturque *libertas* per *indifferentiam formalem*, ut innuatur, quod non omnis indifferentia ſit libertas, ſed ea demum, per quam aliquid poteſt oppoſita, hoc eſt, poteſt e. gr. loqui & tacere, loqui & fidibus canere, ut tamen ſi quæras, cur indifferentia ſint ex parte mei, loqui & tacere, loqui & fidibus canere, hoc eſt, cur æque poſſim loqui ac tacere, cur æque poſſim loqui ac fidibus canere, recte reſpondeam, hoc ideo fieri, quia potentia eſt in me, quæ ex parte mei loqui & tacere, loqui & fidibus canere reddit indifferentia.

II. Diximus, non omnem indifferentiam eſſe libertatem: Nam e. g. intellectus eſt indifferens, qui tamen non eſt liber, ut ſuo loco docebitur. Ideo diſtinguitur a *Scholæ Doctoribus* inter *indifferentiam formalem* & *indifferentiam objectivam*. Fit, ut oppoſita ſimul ſe ſiſtant intellectui, eſtque intellectus in iis judi-

judicandis indifferens, eſt tamen hæc *indifferentia* non *formalis*, ſed *objectiva*. Sed hac de re plura in ſequentibus dicentur.

§. 3. Neceſſitas importat duo: 1. potentiam ad unum oppoſitorum. 2. impotentiam ſeſe determinandi. Omnis enim potentia neceſſaria determinatur ab extrinſeco, quando in actu ſecundo ponitur.

*NOTA*.

Uſus philoſophandi obtinuit, ut agens neceſſarium vocetur *agens naturale*, & potentia neceſſaria *potentia naturalis* dicatur. Nihil igitur efficiunt *Reformati* hocce ſuo argumento, quo alias immane quantum ſibi placent: Quæcunque potentia eſt naturalis, illa non eſt libera a neceſſitate. Atqui voluntas in homine eſt potentia naturalis, quia agit pro ſua natura. Ergo voluntas in homine non eſt libera a neceſſitate. Aliud enim eſt potentia naturalis, hoc eſt, neceſſaria, aliud potentia naturalis, h. e. agens pro ſua natura. Si priori modo ſumatur potentia naturalis, falſa eſt minor in allato argumento: Si poſteriori modo, falſa eſt major. Dum enim voluntas pro ſua natura agit, ſimul libere agit: eſt namque libertas naturalis voluntati, imo

quoad

quoad rem ipſa voluntas, quo de in ſequentibus diſpicietur.

§. 4. Potiſſimas libertatis & neceſſitatis diſtinctiones examinabimus, ſic tandem conſtare poterit, quid proprie ſit libertas, & quid neceſſitas? Diſtinguitur *libertas* 1. in *completam & incompletam*: *Libertas completa* vocatur, *quando una omnia antecedenter requiſita adſunt*: Contra *libertas incompleta* vocatur, *quando non adſunt omnia antecedenter requiſita*. Pariter *neceſſitas* eſt vel *completa* vel *incompleta*.

*NOTÆ.*

I. Quæ ſupra *capite nono* de potentia cauſativa completa & incompleta diſſeruimus, ea omnia huc ſimul ſpectant. Ita ex.gr. quia ignoti nulla cupido, ideo tamdiu libertas incompleta dicitur, quamdiu objectum, circa quod libertas exercenda erat, non fuerit cognitum: Plura ad proxime ſequentem §. notabuntur.

II. *Neceſſitatem* itidem diſtinximus in *completam* & *incompletam*: Nulla enim potentia

tentia neceſſaria agere poteſt, niſi omnia antecedenter requiſita adſint. Conferantur ea, quæ *cap. 9. §. 7. in notis p. 595. & ſeqq.* diſſeruimus.

§. 5. *Libertas* 2. diſtinguitur in *libertatem exercitii, ſpeciei & modi. Illa* eſt, *vi cujus quidpiam* poſitis omnibus ad agendum antecedenter requiſitis *poteſt agere & non agere*: e. g. loqui & tacere: *Iſta* eſt, *vi cujus quidpiam* poſitis omnibus ad agendum hoc & illud antecedenter requiſitis *poteſt illius ſpeciei actum præ hujus ſpeciei actu, aut hunc præ illo committere*: ex. gr. loqui non buccinare, aut buccinare non loqui. *Hæc* eſt, *vi cujus quidpiam* poſitis omnibus ad idem hoc illove modo agendum requiſitis *idem poteſt ſic & aliter agere*: ex. gr. clarius non remiſſius; remiſſius, non clarius loqui. Inde, mutatis mutandis facile

eſt

Digitized by Google

eſt *neceſſitatem* diſtinguere in *neceſſitatem exercitii, ſpeciei & modi.*

## NOTÆ.

I. Libertatem exercitii *Metaphyſici* communiter *libertatem contradictionis*, libertatem vero ſpeciei *libertatem contrarietatis* vocant: Si tamen rigoroſius philoſophari velles, diſtinguere poſſes *libertatem exercitii a libertate contradictionis*: Poſſum enim me determinare, quod velim me exercere, ita tamen ut nondum me determinaverim circa contradictoria, utrum velim actum exercere circa pecuniam vel non pecuniam tanquam contradictoria objecta. Differunt etiam *libertas ſpeciei ſeu quoad ſpeciem actus* & *libertas contrarietatis*. Poſſum enim me determinare, qualem ſpeciem actus exercere velim, num appetitionem, an averſationem, ut tamen nondum me determinaverim circa contraria objecta, num velim verſari circa pecuniam, an libros &c.

II. Non debent confundi inter ſe *libertas* & *exercitium libertatis*: Differunt enim ut potentia & actus, ut actus primus & actus ſecundus. Hæc ſi probe obſerventur, facile liquet, quid reſponderi poſſit ad ſequens *Reformatorum* argumentum: Si voluntas hominis eſt per eſſentiam libera, ſequitur, quod

ea etiam libera futura ſit in altera vita. Conſequens eſt abſurdum E. & antecedens. Conſequentiam probant, quia erit & manebit eſſentialiter eadem voluntas. Abſurditatem conſequentis inde colligunt, quia beati in altera vita Deum neceſſario amabunt. Scilicet negatur abſurditas conſequentis: Confunduntur enim libertas & uſus libertatis. *Habebunt* beati libertatem, eam verò non poterunt exercere circa Deum, quia in altera vita beati Deum intuitive cognoſcituri ſunt: Ut vero circa ſummum ac infinitum bonum homo libertatem exercere & non exercere pro lubitu poſſit, requiritur, ne objectum iſtud intuitive ſit cognitum. Perinde igitur comparatum eſt, ac ſi *Reformatus* ſic argumentaretur: Ignis non poteſt calefacere ſpiritum. Ergo non datur potentia calefaciendi in igne. Aliud ſane eſt non habere potentiam, aliud circa hoc objectum in tali vel tali caſu eam non poſſe exerceri.

§. 6. *Libertas* 3. diſtinguitur in *plenam & minus plenam*: *Illa* prærequirit plenam omnium circumſtantiarum cognitionem: *Hæc* minus plenam circumſtantiarum cognitionem ſequitur.

*NOTÆ.*

Digitized by Google

NOTÆ.

I. Aliud eſt *plena libertas*, aliud *perfecta libertas*: Utraque prærequirit omnium circumſtantiarum cognitionem: At qui omnes circumſtantias habet cognitas, id propter non ſtatim habet ſatis bene cognitas.

II. Neceſſitas non ſolet diſtingui in plenam & minus plenam: quia plurimæ potentiæ neceſſariæ ad hoc, ut ad actum procedant, nullam plane cognitionem prærequirunt.

§. 7. *Libertas* 4. diſtinguitur in *phyſicam & moralem*: *Illa* ſpectatur nulla ſimul habita ratione juſti vel injuſti, æqui vel iniqui, liciti vel illiciti: *Hæc* reſpicit jus vel licentiam: Ex.gr. phyſicam libertatem habet latro, & quidem completam, qua viatorem poteſt occidere, & non occidere, poteſt ſpoliare & non ſpoliare &c. ſed moralem libertatem latro non habet, quia ſalvo jure naturæ id non poteſt: Contra inermis viator in tali caſu libertatem moralem habet occidendi latronem, poteſt enim ſal-



Digitized by Google

vo jure naturæ latronem occidere, ſi periculum vitæ, in quod *ipſo* actu latro eundem conjicit, aliter non ſit vitabile, ſed miſer homo Phyſicam libertatem (completam) non habet, quia latro armatus viribus prorſus eſt ſuperior.

*NOTÆ.*

I. Accuratiores Philoſophi quando diſtingvunt inter libertatem Phyſicam & moralem, inde ſimul occaſionem arripiunt diſtingvendi inter duplicem actus ſpeciem: (1.) in genere naturæ, ſic ſpeciē actus vocant, ad quam actus ex objecto eſt determinatus, præciſa moralitate (2.) in genere morum, & ſic ſpecies ſeu ſpecifica & formalis ratio actus boni eſt convenientia cum natura rationali, & ſpecies actus mali eſt diſconvenientia ejus cum natura rationali.

II. Ex his fundamentis peti poteſt deciſio quæſtionis illius, quam *Moraliſtæ* prolixe tractant: Num neceſſarium ſit, ut quo judicio intellectus conſentit in exercitium actus, eodem conſentiat in ſpeciem actus? Sane ſi ſpeciem actus poſteriori modo ſumamus, ſic negativæ intrepide ſubſcribimus: Nam intellectum conſentire in exercitium actus eſt judicare actum eſſe exercendum,

Digitized by Google

dum, & conſentire in ſpeciem actus eſt judicare ipſum actum eſſe convenientem cum natura rationali: fieri autem poteſt, imo ſæpiſſime fit, ut intellectus dictitet actum eſſe exercendum, etiamſi de moralitate actus, h.e. de morali bonitate vel malitia non cogitet, nec judicet: quod ſi priori modo ſpecies actus ſumatur, ſic affirmativa merito defenditur: nempe hac ratione intellectus non poteſt conſentire in exercitium actus, quin etiam in ſpeciem ejus conſentiat.

III. Sæpiuscule libertas Phyſica & moralis confundi ſolent, cum tamen facile ſit rationem diſcriminis tenere, modo illud etiam conſideretur, quod oppoſitum libertatis moralis, nempe moralis neceſſitas ſemper præſupponat Phyſicam libertatem: Ita e.g. per ſe ac abſolute in genere morum neceſſarium eſt adulterium neceſſitate ſcilicet omisſionis, neceſſarius eſt actus gratitudinis neceſſitate ſcilicet commiſſionis, ad hos vero actus in genere naturæ omnino requiritur, ut ſint actus phyſice liberi, quia alias moralis neceſſitas iis repugnaret: v. gr. pollutio alienæ uxoris non poteſt dici moraliter turpis, niſi ſpectetur ut adulterium, non autem ſpectatur ut adulterium, niſi conſideretur ut voluntaria pollutio alienæ uxoris, h. e. ut phyſice libera.

# Caput Decimum Octavum,

*Quo docetur,*

# QVOT IN UNIVERSUM ET QVÆNAM CAUSÆ EFFICIENTES SINT LIBERÆ a neceſſitate?

§. 1.

Qvadruplices in univerſum dantur cauſæ efficientes liberæ a neceſſitate ſeu quod idem eſt abſolute ſic dictæ liberæ: 1. Deus. 2. Homines. 3. Angeli, cum boni, tum mali. 4. Animæ Rationales in ſtatu ſeparato.

*NOTÆ.*

I. Studio dicimus: *cauſæ efficientes liberæ a neceſſitate, ſeu quod idem eſt, abſolute ſic dictæ liberæ.* Nam licet vulgo *triplex* ſtatuatur *libertas: 1. a ſubjectione. 2. a coactione. 3. a neceſſitate:* Sola tamen libertas a neceſſitate, abſolute & ſimpliciter denominat agens liberum, adeoque libertas ſine addito ſic dicta, ſemper ſignificat libertatem a neceſſitate, niſi ſubſtrata (ceu vocant) materia aliam appel-

pellationem exigat aut ſuadeat: Ita quando *Politici & JCti* de civitatibus Imperialibus liberis von freyen Reichs-Städten: Theologi de libertate, quam Chriſtus nobis aſſeruit, agunt, quisque facile ex materia tractationis colligit, hic ſermonem eſſe de libertate in oppoſitione ad ſubjectionem ſpectata.

II. Ut hæc plenius percipiantur, dicendum venit diſtinctius (1.) *quid ſit libertas a ſubjectione h. e. ut opponitur ſubjectioni?* Scilicet ab ea perſona libera dicitur, quæ alterius poteſtati ac imperio non ſubeſt: ex gr. Rex in Regno dicitur perſona maxime libera, quia nullius hominis imperio ſubeſt, ſeu quod eodem redit, nemini præter Deum eſt ſubjectus. De libertate ita ſumta agitur ex profeſſo in *Politicis*, ibidemque totuplex explicatur libertas, quotuplex ſubjectio ſtatuitur: Uti vero nulla ſocietas recte ſic dicta ſine imperio & ſubjectione datur, imo nec dari poteſt: Ita quisque facile aſſequitur, varietatem libertatis ita ſumtæ ex imperiorum varietate determinandam eſſe. Inde natæ ſunt diviſiones libertatis in vulgarem & eminentem, qua de diſtinctione egit *Hugo Grotius l. 1. de Jure Belli & Pacis cap. 1. §. 6.* Conf. ſi libet *Introductio ad h. l.* Item in perſonalem & civilem, quam laudatus *Grotius lib. 1. cap. 3. §. 12.* expoſuit. De libertate hoc modo accipienda tractant JCti, ut ex inſpectione *tit. 3.* de

*de jure perſonarum* & *tit. 8. de his qui ſui vel alieni juris ſunt*, ſi inſtitutiones Juſtinianeas conſulamus, liquet. De hac libertate intelligendum venit iſtud effatum: *Natura omnes parit liberos*; cum quo certe non pugnat aſſertum graviſſimorum Politicorum: *Imperium eſt a natura*. Ad hanc libertatem reſpiciunt *Theologi omniumq; Iurium Doctores*, dum docent, nullum hominem eſſe ſimpliciter liberum, hoc eſt, quemvis hominem eſſe Dei ſubditum. Explicandum eſt (2.) *quid ſit & dicatur libertas a coactione ſeu in oppoſitione ad coactionem?* Hac enim ratione perſona libera cenſetur, quæ ſponte ſua agit ſeu non coacta. Aliud enim eſt *cogere*, aliud *neceſſitare*, qua dictione *Reformati* uti ſolent: E.gr. canis ſaturatus cogitur, dum capillis ad offam trahitur. Nam coactus ad offam venit: At quando canis famelicus ſponte ſua ad offam accelerat eamque devorat, ſic canis non agit coactus, tamen neceſſitatus, hoc eſt, non coacte, ſed neceſſario agit. Non igitur debent confundi: *coactio* & *neceſſitas*, item *coacte agere* & *neceſſario agere*. Unde idoneus Philoſophiæ cultor non invenit, quod reprehendat in voce: *neceſſitare*, quam *Scholæ Morales* continuo uſu probant: Et ſane hic licebat ac omnino decebat *ὀνοματοποιεῖν*, niſi ipſi *Reformati* hoc vocabulum ſuppeditaſſent. Nam quando ab una parte in-
ter

Digitized by Google

ter noſtros Philoſophos & Theologos, ab altera inter Reformatos disquiritur: Num homo ſit liber in agendo? Num ſit cauſa per actionem liberam? Num poſſit eſſe cauſa per actionem liberam? certe *libertatem a coactione* & *Reformati* & *Noſtrates* æque homini tribuunt, inque eo utraque pars convenit, quod homo in agendo liber eſſe poſſit ac ſit a coactione: Cæterum quando ſic formatur quæſtio: An homo ſit liber in agendo a neceſſitate? An homo neceſſitetur ad agendum? Ibi Reformati negant hominem eſſe a neceſſitate liberum, ajuntque eum neceſſitari ad agendum: At noſtri ajunt eum eſſe liberum a neceſſitate, negantque eum ad agendum neceſſitari. Majoris perſpicuitatis gratia dici poterat, coactionem ſtricte ſic dictam habere pro principio agens poſitum extra ſe, quale ex.gr. eſt ventus tegularium de tecto dejiciens: Neceſſitationem vero ſtricte dictam agnoſcere principium intra ſe: ex.grat. ignis non coacte ſed neceſſario comburit rem admotam, (3.) *quid ſit libertas a neceſſitate* præcedenti *cap.* 17. §.2. explicuimus. Interim non negamus, neceſſitatem & coactionem, quantum ad præſens in uno tertio adhuc convenire. Nam ſive quis agat neceſſario, ſive coacte, non tamen agit libere: Imo ſæpe ſic ſumuntur hæ duæ notiones: *neceſſitas* & *coactio*, ut ab hac ad illam, non autem ab

illa ad hanc liceat argumentari. Quid quod neceſſitas & coactio quandoque in Practicis diſciplinis pro æquipollentibus ſumuntur?

III. Ex hiſce quæ *nota præcedenti* dicta ſunt, facile datur colligere, cur libertatem a neceſſitate dixerimus abſolute ac ſimpliciter libertatem, non item libertatem, a ſubjectione & coactione? Nihil namque libertas a coactione & libertas a ſubjectione ponunt in ea perſona, quam denominant, ſed ſolummodo aliquid tollunt, unde nec intrinſece denominant ſubjectum: Scilicet libertas a ſubjectione nil dicit niſi negationem ſubjectionis, & libertas a coactione negationem agentis extrinſecus poſiti, unde vim patiatur: At libertas a neceſſitate intrinſece denominat ſuum ſubjectum, quia omnino ponit aliquid in agente, nempe potentiam agendi utrumlibet oppoſitorum, ſimulque aptitudinem ad alterutrum oppoſitorum ſeſe pro lubitu determinandi.

IV. Non adeo improbamus illos Philoſophos, qui docent, nullum ens nomine agentis liberi cenſeri poſſe, niſi ſit perſona, hoc eſt, ſuppoſitum intelligens: Eſt vero ſuppoſitum, ut ſuo loco dicetur, ſubſtantia prima completa incommunicabilis non aliunde ſuſtentata. Et ſane ita eſt, ſi de iis, quæ ultimo ac ſimpliciter denominationem liberorum agentium ſubeunt, ſermo ſit, juxta illud:

illud: Actiones ſunt ſuppoſitorum. Nam & anima rationalis in ſtatu ſeparato utut non ſit perſona, habét tamen ſe per modum perſonæ, ceu in poſteriori parte, quando ad doctrinam de anima ſeparata perventum fuerit, docebitur. Alias negari nequit, quod voluntas quoque ſit & recte dicatur intrinſece & per eſſentiam libera, ſive ſit unita cum eo, cujus eſt voluntas, ſive ſeparata.

V. Non ſubeat mirari, cur ſolummodo (quando de cauſis liberis egimus) mentionẽ fecerimus cauſarum agentium: Quippe ex *ſequenti capite* conſtabit, non dari cauſas liberas niſi efficientes, ſi oſtenſum fuerit, potentiam liberam non dari niſi activam.

VI. Hiſce præcognitis, ratio inſtituti noſtri exigit, quærere modum ſolide probandi, quod hoc ipſo §. recenſitæ quadruplices cauſæ efficientes ſint omnino cauſæ liberæ.

§. 2. Deum eſſe cauſam efficientem liberam a neceſſitate, ipſumq; Deum eſſe maxime liberum a neceſſitate, probatur ſequentibus: Nam (1.) quisquis ex *Metaphyſicis* didicit, quid vocetur perfectio ſimpliciter, quodque libertas a neceſſitate ſit perfectio ſimpliciter, is facile

facile poterit aſſequi, quod ſi Deus non eſſet a neceſſitate liber in pluribus actionibus, adeoque libertas a neceſſitate in Deo formaliter non eſſet, Deus nequaquam futurus eſſet infinitæ perfectionis, quod tamen impium eſt & abſurdum, atque non ex Scripturæ Sacræ ſolummodo, ſed etiam ex naturæ lumine contrarium evidentiſſime liquet. (2.) Si Deus nullatenus liber eſſet a neceſſitate, omnino nec in ullum hominem libertas a neceſſitate caderet, quæ tamen *ſequenti* §. ſolide demonſtrabitur, quia omnis perfectio creaturæ dependeret a Deo tanquam cauſa neceſſaria, cum omnis perfectio creata dependeat a Deo tanquam cauſa: Jam vero vel cœcus videt, quod manifeſtam implicet contradictionem, perfectionem creaturæ, quæ ſi ſpectetur, non ut eſt talis, nempe

crea-

Digitized by Google

creata, ſed ſecundum conceptū ſuum formalē, ut vocant, ſimpliciter eſt perfectio, eſſe a Deo, nec tamen perfectionem hujus nominis formaliter ſpectatam diſtingvi poſſe in increatam & creatam. Imo ſi vel maxime homo adhuc eſſet liber a neceſſitate, niſi tamen Deus eſſet liber a neceſſitate, nunquam homo uti poſſet libertate. Nam quod Deus poſſit impedire uſum libertatis noſtræ, extra dubitationem ponimus: Jam ſi daremus (quod ſine impietate ac maxima abſurditate dari nequit) ſi per impoſſibile daremus, Deum nullatenus eſſe liberum a neceſſitate; neceſſario & hoc & omni tempore impediret uſum libertatis humanæ, quia ea, quæ ad hoc, ut DEUS uſum libertatis humanæ impediat, neceſſario præreqiruntur, ſemper adeſſent, ipſeque Deus nunquam
non

Digitized by Google

non ageret tota ſua efficacia, *niſi libere ageret* (3.) *Et quid verbis opus eſt? Miſer homo, qui Deo omnem libertatem a neceſſitate denegas, cogita quæſo, numne gloria Supremi Numinis in obſcuro hæſura fuiſſet, niſi te terricolam condidiſſet. Agnoſcis ergo libertatem tuam, modo agnoſcere velis tuam originem, & unde habeas tuam libertatem a neceſſitate?*

*N O T Æ.*

I. De his in parte poſteriori pluribus agetur, ut & in prioris partis capite peculiari de perfectione & perfecto.

II. Quando libertas a neceſſitate ſpectatur, ut formaliter perfectio eſt, nec ſolummodo agenti intellectuali creato; ſed etiam agenti intellectuali increato, hoc eſt, Deo tribuitur, cavendum probe, ne quis exiſtimet, quemadmodum in agente libero creato potentia datur actiones intra ſe libere producendi, quarum ſit vera cauſa, ita etiam cum agente libero increato, h. e. Deo, comparatum ſit: nam volitiones & nolitiones divinæ realiter nec a voluntate Dei nec ab ipſo Deo differunt:

ferunt: Sed hac de re in poſteriori parte, quando de Deo, ejusque attributis ac actionibus acturi ſumus, plenior occaſio disquirendi dabitur.

§. 3. Hominem eſſe agens liberum a neceſſitate, eique libertatem a neceſſitate revera competere, probatur tribus iisque firmiſſimis rationibus: Rationis primæ loco provocamus ad experientiam ac continua rerum teſtimonia: Annon homo famelicus (utut dapes appoſitas parataque fercula videat, licet etiam omnia alia quæ ad hoc ut poſſit edere prærequiruntur, adſint) hoc certe efficere poteſt, ut citius fame pereat, quam edat? annon abſtinere ab eſu & potu poteſt, utut ſitis acerrime conſtringat fauces, & fames ſaltem non ultima minetur, unice ea fini, ut doceat, a libero ſuo arbitrio pendere actum edendi, bibendi: quis vero unquam poſitis omnibus ad edendum ac biben-

bibendum prærequiſitis expertus eſt, canem famelicum fame vel ſiti periiſſe.

## N O T Æ.

I. Lubet adſcribere verba *Horneſi*, qui *Philoſophiæ Moralis lib. 2. cap. 5. §. 3.* ſic diſſerit: *Ipſa experientia docet, poſſe nos facere in talibus & non facere quod placuerit, imo ea de cauſa homines deliberare & conſultare, ut faciendumne quid ſit an omittendum, apud ſe conſtituant. Quod cum fruſtra de iis, in qua nullum eſt nobis arbitrium, utique neceſſe eſt, aut fruſtra homini datam eſſe de rebus conſultandi facultatem, aut aliquid in noſtro arbitrio eſſe, quapropter conſultemus, ut recte argumentatur Nemeſius, Epiſcopus & Philoſophus excellens de nat. hom. cap. 41. quique ex Nemeſio deſcripſit Joann. Damaſcenus lib. 2. de fide orthodox. c. 42. Nec vero tantum in noſtra poteſtate eſt id ſequi, quod poſt conſultationem optimum deprehenſum fuerit, ſed etiam, quod ex omnibus ſimpliciter tantum placuerit: etſi enim cognitio & apprehenſio rei invitant ad hoc potius faciendum, quam illud, tamen nec ſemper id fit, (puta, ſi res in utramque partem ſit probabilis) nec cum fit, id neceſſitatem nobis adfert, quia ſpernere iſtam invitationem potes. Hæc docet experientia.* Hactenus *Hornejus*, eſtque hæc conſtans accuratiſſimorum Philoſophorum ſententia.

II.

II. Sed fortaſſis ii, qui a *Reformatorum* partibus ſtant, idem regerere poterant, quod incauti Medici: Nos habemus experientiam contrariam. Ita enim *Clariſſimus* quidam *Vir*, alias Reformatorum religioni addictus, in quodam Juridico-Morali ſpecimine vel hancce ſolam experientiam ſufficere credit, quod ſi quis itinere maritimo ſeſe conferre volens Amſtelodamum, ventis, quibus reſiſtere nequiverat, eo abreptus fuiſſet, is omnino dicendus ſit libere veniſſe Amſtelodamum, quamvis ex neceſſitate eo veniſſet: Enimvero hæc experientia certe nulla eſt: Nam licet hoc lubentiſſime largiamur, hanc navigationem ab iſto homine libere fuiſſe volitam, falſiſſimum tamen manet eundem in tali caſu libere navigaſſe. Confunduntur enim hæc duo: Libere volita navigatio, & libera ſeu voluntaria navigatio. Qua de re in peculiari capite agetur.

§. 4. Altera ratio, qua probatur hominem eſſe agens liberum a neceſſitate, eidemque libertatem a neceſſitate veriſſime competere, huc redit; Niſi homo eſſet liber a neceſſitate, non magis liber eſſet quam canis vel aſinus: Quippe a



Digitized by Google

coactione bruta ſunt libera. Sed quid abſurdius fingi poterat? Si te hominis ædes quotidie prætereuntem ipſe caninam vocem mentiens allatraret, haberes, quod conqueri poſſes de injuria tibimet illata: Sed cur canes latrantes nunquam in jus vocas? Si forte aſinus te calce petiiſſet, vellesne eum tenere injuriarum: At hominem te pedibus proculcantem accuſare poſſes? Clarius: Cur homines injuriam facere poſſunt, bruta nequeunt? Cur infantes, furioſi, amentes, tegulæ & quadrupedi æquiparantur, niſi libertatem a neceſſitate homini attribuere oporteat?

*NOTA.*

Hæc ſecunda ratio petebatur ab abſurdo, quod ut *Reformati* declinent, in diverſas abeunt vias. Sunt, qui dicunt, hominem ideo magis eſſe liberum, quod agat cum ratione, brutum minime: Alii urgent, tum demum bruta æque futura eſſe libera, ſi haberent arbitrium: Quouſque vero ab utraque ſen-

tentia

Digitized by Google

tentia abeat Cl. viri (cujus mentionem *nota 2. ad proxime præcedentem* §. fecimus) exceptio, quando allatam conſequentiam hoc ipſo deſtruere ſatagit, quod bruta nec agant cum electione nec propter finem, quisque facile judicabit. Verum ad ſingula reſpondere facillimum eſt: Nam *Reformati* ipſi, qui prius effugium quærunt, alias rationem formalem libertatis non ponunt in in rationalitate, ſed (quæ ipſorum dictio eſt) in ſpontaneitate. Quid quod intellectus qua talis nec magis nec minus liber a coactione eſt, quam potentia naturalis in cane vel aſino, ipſis adverſæ partis Patronis id fatentibus: Cur ergo ipſi rationi libertatem denegant, ſi ex rationalitate libertas agentis dijudicanda venit? Mirum, ni ſtante hac exceptione iſtud lac magis album dicendum fuerit, quod una dulce eſt, aut Reformatus iſte magis liber quam homo alius, quia Reformatus eſt. Quod attinet ad poſterius, omnino bruta habitura eſſent arbitrium, ſi libera a neceſſitate forent.

§. 5. Tertia denique ratio, qua probatur hominem eſſe in agendo liberum a neceſſitate, eique libertatem a neceſſitate revera competere, hæc eſto: Niſi homo liber eſſet in



Digitized by Google

agendo, liber ſcilicet a neceſſitate, nullius ſceleris nulliusque peccati reus unquam cenſeri poſſet: & quod omnino blasphemum eſt, utique DEUS isque ſolus (ſit pietas oculis animisque noſtris!) cauſa ſceleris foret, aut hoc etiam negato, ſcelera ex numero prorſus impoſſibilium futura eſſent. Annon enim is, qui vel mandato vel etiam nudis perſuaſionibus alterum movet ad patrandum ſcelus, omnium qui veritatem & juſtitiam amant, conſenſu ſceleſtus eſt? Quanto igitur magis ſceleris reus erit, qui neceſſitat alterum ad patrandum ſcelus, h. e. qui alteri neceſſitatem ſceleſte agendi inducit. Nam ille, qui mandato aut conſilio ſe moveri paſſus fuerat, adhuc potuiſſet reſiſtere: hic qui neceſſitabatur, minime. Quæ impia ac ſpurca aſſerta ſponte ſua ſeqvuntur, niſi quis impio

pio

pio itidem auſu negaverit, ab ullo agente ſcelus committi poſſe.

## NOTÆ.

I. Caveant veritatis cultores, ne amica hodiernorum imprimis *Reformatorum* voce ſibi patiantur imponi: Hi enim nulli parcunt labori, nulli operæ, qua ratione minus cautis perſuadere poſſint, ſibi præter omne meritum affingi, ac ſi liberum arbitrium homini prorſus denegent, multo vero magis contra omne jus & fas ſeſe haberi in numero eorum, qui blasphemam ac impiam aſſertionem de Deo, quod cauſa omnis ſceleris ac peccati ſit, defendant: Inde tot ipſorum querelæ, juratæ conteſtationes & perpetuæ proteſtationes, ut vocant, quibus imputatam, non minus falſam quam impiam, ſententiam declinare ſatagunt: Sed irritus eſt labor omnis omniſque opera fruſtranea: Nam licet ex hodiernis Reformatis non facile quiſpiam auſit expreſſis verbis Deum ſtatuere cauſam ſceleris omniſque peccati, nec hoc ipſum iis ab ullo noſtrorum imputetur: Iſtud tamen nequit non conſequi ex ſententia ipſorum. Quotquot enim ex illis aſſerunt ſe profecto ſtatuere liberum arbitrium hominis, hi libertatem a coactione intelligunt, adeoque Jacobi vox auditur, manus Eſavi tangitur: Nulla namque hic quæſtio eſt de



Digitized by Google

libertate a coactione, ceu ad §. *1 not. 2. p. 953.* monuimus.

II. Inde ſubtiliores Philoſophi e Reformatorum cohorte, aliud patrocinium ſuæ ſententiæ quærentes, cenſent adhibita diſtinctione inter materiale & formale peccati ſeſe ab omni prava ſuſpicione multoque magis a maxime impia ſententia, quam ſcilicet ex ipſorum aſſertis ſequi aſſeruimus, liberari poſſe. Dicunt enim Deum neceſſitare hominem ad peccati materiale, non tamen ad peccati formale, tumque demum citra injuriam & ſalva veritate aſſeri, tam impiam ac abſurdam ſententiam e Reformatorum dogmate fluere, ſi ipſi dixiſſent, a Deo hominem non ſolummodo ad peccatum materialiter ſpectatum, ſed etiam ad peccatum formaliter tale neceſſitari, cum peccatum hoc quod ſit malum, non habeat a materiali h.e. actione, ſed a formali, hoc eſt, defectu actionis. Et ſane ſimilitudines, quibus ſententiam ſuam colorare ac inexercitatis minusque peritis Philoſophiæ, cum primæ, tum moralis, cultoribus glaucoma objicere ſatagunt, primo intuitu quandam veritatis ſpeciem præ ſe ferunt: Eo ſpectant ſequentia: Cum ſcriba movet calamum non bene aptatum, is autor eſt ſcripturæ pravæ materialiter, quia calamum movet ipſe ad formandos characteres, quos a ſeipſo calamus nunquam formaret:

Digitized by Google

ret: Sed non eſt cauſa ſcripturæ pravæ formaliter; quia hæc pravitas eſt a calamo male aptato. Sic imperator militibus cauſa eſt pugnæ ignavæ materialiter, quia juſſit pugnare; at non formaliter, quia ipſi milites a ſe pugnarunt ignave. Verum illa deformitas, quam Reformati vocant formale peccati, aut neceſſario aut contingenter cohæret cum actione, quam ipſi materiale peccati appellant, atque ad eandem hominem a Deo neceſſitari pronunciant. Si prius, certe manifeſtiſſimum relinquitur, quod non ſolum ad materiale peccati, nempe ad actionem, ſed etiam ad ipſum formale peccati h.e. ipſam deformitatem Deus voluntatem hominis neceſſitet: Fieri enim nequit, ut quis determinet vel neceſſitet voluntatem ad hunc in ſpecie actum ex.gr. ad concubitum cum aliena uxore, nec tamen eam neceſſitet ad id, quod novit neceſſario cum illo conjunctum eſſe, nempe ad deformitatem, per quam concubitus ille eſt adulterium, cum nihil amplius ad adulterium requiratur, quam ut ſit concubitus voluntarius cum aliena uxore. Si poſterius, h.e. ſi nempe deformitas, quæ formale peccati nuncupabatur, contingenter cohæret cum materiali peccati ſeu ipſa actione, aut homo libere ſe ad eam determinabit, aut neceſſitabitur ad eam: Libere ſe determinare nequit ex mente Reforma-

torum, quia alias indifferens eſſet quoad ſpeciem actus, ſicque cæderent *Reformati* propria vineta, utpote qui docent a Deo hominem ad materiale peccati, e. gr. ad actum qui adulterium eſt, ita determinari, ut in ejus poteſtate non ſit, eum actum non exercere, vel alium exercere: Nam qui ſe libere poteſt determinare ad actum v. gr. ad actum qui eſt adulterium, & ſimul poteſt ſe non ad hunc, ſed ad alium v. g. actum qui eſt homicidium, determinare, ille poteſt etiam actum, qui eſt adulterium, exercere & non exercere, ut ita manifeſtam contradictionem implicet, hominem eſſe liberum in agendo quoad ſpeciem actus, neceſſitari tamen ad exercitium. Si vero neceſſitaretur homo ad illam deformitatem contingenter cohærentem cum actione, aut neceſſitaretur a ſe ipſo, aut a DEO: Non a ſe ipſo, quia talis neceſſitas homini interna, per quam ad hunc actum, qui e. g. adulterium eſt, neceſſitetur, oſtendi nullatenus poteſt: Imo hac quoque ratione homo ejusque voluntas non ſubeſſet neceſſitati divinæ directionis, cui tamen *Reformati*, utut contra veritatem id ſtatuāt, eundem ſubeſſe volunt. Non a Deo, quia alias Deus ad formale peccati neceſſitaret. Unde non inveniunt *Reformati*, quo ſe vertant, nec poteſt negari, quod ex ſententia ipſorum ſequatur, DEUM omnino eſſe cauſam peccati. Nec eſt, quod dica-

dicatur, ab ipſis Theologis ac Philoſophis noſtris concedi, quod Deus concurrat ad *materiale peccati*, non vero ad *formale*: Nam longe aliter accipitur hic terminus: *materiale peccati*, ex mente noſtratium Theologorum ac accuratorum Philoſophorum, aliter vero ſumitur a Reformatis ac Indifferentiſtis, ut vocantur. Qua de re infra agetur in capite de *materiali & formali*.

III. Prudentiori aliorum judicio ſubmittimus, annon periculoſa ſit eorum Philoſophia, quotquot hodie eam quæſtionem: Num Deus ſi (per impoſſibile) moveret voluntatem hominis e.gr. ad concubitum cum aliena uxore, ſic futurus eſſet cauſa peccati? ſupervacaneam, petulantem ac ſtolidam vocant, eam urgentes rationem, quod peccatum ſit transgreſſio legis, h.e. decreti ſuperioris, quodque cauſa peccati ſit cauſa transgreſſionis legis, idque propter fruſtra quæratur, an Deus poſſit agere contra decretum ſuperioris, cum non habeat, nec habere poſſit ſuperiorem? Communiter noſtri & Philoſophi Morales & Theologi, cum quibus etiam JCti faciunt, hanc quæſtionem ventilatione digniſſimam pronunciant, ne incauta juventus in Reformatorum retia incidat: Nam utut ſi per impoſſibile Deus moveret voluntatem hominis (retineamus hoc exemplum) ad concubitum cum aliena uxo-

re, ſic quidem Deus non peccaret, *ut peccatum dicit decreti a ſuperiori facti violationem* aut transgreſſionem: peccaret tamen, inquantum ſic ageret contra moralem perfectionem naturæ ſuæ, hoc eſt, contra juſtitiam ſuam. Imo ipſi diſſentientes nolunt amplius ferre eum, qui imputat iis, ac ſi defendant, ad quæſtionem: Cur Deus nunquam moveat voluntatem hominis ad concubitum cum aliena uxore? nihil reſponderint aliud quam hoc eſſe ſitum in Dei beneplacito: Addunt enim ſe loqui de beneplacito Dei attemperato ad Dei perfectionem. Sed phyſicam perfectionem Dei nequeunt intelligere. E. Moralem intelligunt, adeoque ſibi ipſis non conſtant.

IV. Fugiat cordatus ac idoneus Philoſophiæ cultor nuper excogitatas novitates vel ex cineribus reſuſcitatos potius errores eorum, qui nempe expreſſis verbis docere conantur, nulli creaturæ, adeoque nec homini, ullum motum activum naturalem convenire, ſed nudam paſſionem tantum a creatura e.gr. homine ſuſtineri, etiamſi dicatur agere: item τὸ movere quatenus creaturæ e.gr. homini tribuitur, non abſolute, ſed reſpective tantum intelligi debere, ita ut res ſive creatura (ex.gr. homo) movens dicatur, quatenus congrue ordinata eſt ad effectum, & cauſa prima atque univerſalis non niſi ſub

certa

Digitized by Google

certa directione plagarum (quas vocant) motum activum edat, & dum motus, licet utrique parti ſimul impreſſus, ab una tamen ad alteram tendat, illa moventis, hæc motæ rationem ſubeat, utut neutra vim motricem ſibi vendicare queat: Sane hac ſententia admiſſa, Philoſophi non modo, quibus veritas juventutisque Academicæ ſalus cordi eſt, ſed & Theologi noſtrates non poſſunt diſpicere, qua ratione libertas humana a neceſſitate in homine ſalvari ac defendi queat, qua de re infra in doctrina de cauſa prima & ſecunda tractabitur.

§. 6. De Angelorum libertate in agendo a neceſſitate non eſt, cur multis agatur: Sane quia Angeli habent potentiam cognoſcendi immaterialem, non poſſunt non habere potentiam appetendi immaterialem: quia quicquid potentiam cognoſcendi habet, habet etiam potentiam appetendi, cum potentia cognoſcendi ex ſua natura ſit propter appetitum: Accedit, quod libertas ſimpliciter ac in formaliſſimo (ut vocatur) conceptu

ſit

ſit perfectio perſonæ. *Imo ſi homo libertate præditus eſt ob naturam rationalem E. multo, magis Angelus, qui mera natura rationalis eſt. De animæ ſeparatæ libertate res eſt manifeſta.*

## Caput Decimum Nonum,

*Quo*

evidenter deducitur,

# VOLUNTATEM EAMQVE SOLAM ESSE POTENTIAM LIBERAM

# a neceſſitate.

§. 1.

DEmonſtravimus præcedenti capite Deum, homines, Angelos, animas rationales in ſtatu ſeparato eſſe liberos in agendo a neceſſitate ſeu cauſas efficientes liberas: Ex quo ſponte ſua ſequitur, iis omnibus ac ſingulis competere potentiam activam liberam. Implicat enim

Digitized by Google

enim manifeſtam contradictionem, cauſam liberam eſſe cauſam efficientem, potentiam vero liberam non eſſe potentiam activam.

*NOTA.*

Quemadmodum nunquam agit, qui nunquam agere poteſt: Ita ad libertatem in agendo potentia activa libera omnino requiritur, h.e. nullum ens libere agit, nec libere agere poteſt, niſi potentia activa libera adſit.

§. 2. Duo igitur Philoſophiæ primæ cultorem idoneum hic noſſe oportet: (1.) voluntatem eſſe potentiam liberam (2.) ſolam voluntatem eſſe potentiam liberam.

*NOTA.*

Hæc duo quisquis vel penitus ignorat, vel cum oppoſiti formidine novit, nec in Theologiæ ulliusve Juris nec in Moralium ſtudio juſtos profectus facere poterit: Semper vero, quando de libertate agimus, libertatem a neceſſitate intellectam volumus, quod iterata vice monuiſſe conſultum videbatur.

§. 3. Ad utrumque ſolide ac ſufficienter demonſtrandum agemus I. de potentia activa libera in ho-

homine. Nam quia *homo* eſt agens liberum, oportet in eo dari potentiam activam liberam: *Ea* igitur aut erit materialis, aut immaterialis. Materialis eſſe nequit, quia materialis potentia, qua talis, non pendet a ratione, eſtque homini cum beſtiis communis E. aut nulla dabitur potentia libera in homine, quod falſiſſimum eſt & contra veritatem præcedenti capite demonſtratam: aut quia certiſſimum eſt dari in homine potentiam liberam activam, ſponte ſua relinquitur, eam eſſe potentiam immaterialem.

*NOTÆ.*

I. Quisque admittit potentiam materialem qua talem ac per ſe non agere cum ratione, quia alias potentiæ materiales ejusdem ſpeciei ac eſſentiæ in agentibus rationis expertibus nunquam ſe exererent: ex. gr. bruta iis potentiis nunquam uti poſſent, cui tamen quotidiana ac continua experientia reclamat: At potentia libera ſuam libertatem ex-

erere

Digitized by Google

exere nequit, niſi uſus rationis præcedat. Ergo potentia materialis qua talis ac per ſe libera non eſt. Ut nihil dicamus de eo, quod in potentiarum materialium numero ejusmodi quoque potentiæ contineantur, quæ ſimul in agentia omni vi cognoſcendi prorſus deſtituta, nempe plantas, cadunt.

II. Pariter ſi potentia materialis qua talis & per eſſentiam libera eſſe poſſet, libertas à neceſſitate etiam cadere poſſet in agentia irrationalia, quod palam abſurdum eſt.

III. Quid quod ipſi adverſarii libertatem à neceſſitate impugnantes fatentur ad humanam libertatem requiri rationis uſum, ipſiq; beſtiis & plantis libertatem maxime ac primario ſic dictam denegant quod hæ potentia cognoſcendi immateriali deſtituantur.

§. 4. Jam quia potentia activa datur in homine, nec tamen ea materialis eſſe poteſt, ſed immaterialis eſſe debet, plures vero potentiæ immateriales in homine nec dantur, nec dari poſſunt; niſi duæ: nempe intellectus & voluntas, aut utramque illarum potentiarum, aut alterutram liberam eſſe oportebit: At intellectui nulla liber-

tas

tas a neceſſitate, quæ *intrinſece* ipſum denominet, *tribui poteſt*: quippe inductione omnium operationum intellectus conſtat, intellectum ipſum cum quoad exercitium, tum quoad ſpeciem actus eſſe potentiam intrinſece ac per ſuam eſſentiam neceſſariam. E. voluntas in homine eſt intrinſece & per eſſentiam libera, nullaque alia potentia in homine datur, quæ ſit & intrinſece denominetur libera, niſi voluntas.

## *NOTÆ.*

I. Quemadmodum nulla potentia activa in homine dari poteſt, niſi ſit materialis vel immaterialis: Implicat enim contradictionem, dari mediam potentiam inter eam, quæ pendet a materia, & quæ independens eſt: Ita nec potentia activa in homine fingi aut excogitari poterit, quæ ſit immaterialis, nec tamen ſit intellectus aut voluntas.

II. Probe notandum ducimus, quod ex nuda remotione omnium reliquarum potentiarum activarum in homine neutiquam ita nude & crude demonſtrari poſſit, voluntatem

tem *in* homine eſſe liberam a neceſſitate: Nec accuratiori Philoſopho hoc unquam veniet in mentem: Interim hoc certiſſimum manet, quod accuratior modus demonſtrandi libertatem voluntatis humanæ dari vix & ne vix quidem poſſit, quam ſi prius demonſtretur, quod homo ſit liber in agendo eique revera libertas a neceſſitate competat, & quod potentiam activam liberam in homine dari oporteat, hisque demonſtratis nunc demum inſtituatur enumeratio omnium potentiarum cum materialium tum immaterialium, ac oſtendatur nullam ex ſingulis liberam a neceſſitate pronuntiari poſſe per intrinſecam denominationem, ſi voluntatem excipiamus. Imo tam diu hunc modum probandi juſtiſſimum cenſemus ac optimum, donec juſtior meliorque monſtretur.

III. Dictum eſt inductione probari poſſe, intellectum in nullis operationibus ſuis eſſe liberum a neceſſitate: hanc vero inductionem *B. Slevogtius diſſertationum de indifferentia voluntatis humanæ in ordine ad actiones morales prima*, *§.XXVI. & ſeqq. pag. 568. & ſeqq. edit. nov.* hunc in modum abſolvit: *Tres* ſolummodo actus ſunt intellectus: *Simplex apprehenſio*, qua non aliter, quam ſenſus per ſenſationem in ſuum objectum fertur, ut illud repræſentet tantum, non componat cum alio vel dividat: *Judicium*, quod, ſi affir-

mat, compoſitio, ſi negat, diviſio dicitur, & eſt nihil aliud, quam actus, quo *intellectus* repræſentat duo extrema vel eſſe idem, vel eſſe diſtincta: Denique *discurſus*, qui eſt velut mentalis quidam curſus ab uno actu ad alium vel uno objecto ad aliud. quantum ad ſimplicem *apprehenſionem*, intellectus non eſt liber quoad exercitium actus, quia poſitis omnibus ad objectum apprehendendum requiſitis neceſſario apprehendit. Habet enim ſe ut potentia ſenſitiva v. gr. viſus qui poſitis omnibus ad videndum requiſitis neceſſario videt. Qvur autem intellectus, perinde atque ſenſus, poſitis omnibus ad agendum requiſitis indifferenter ſe habere non poſſit, ſed neceſſario agat, hæc una eſt ratio, quia ab objecto dependet, ab eoque recipit ſpeciem, per quam immutatur. Quo diſtinguitur a voluntate quæ nihil ab objecto recipit, per quod in ſe immutari poſſit. Unde etiam mirum non eſt, ſi poſitis omnibus ad appetendum requiſitis adhuc tamen in ſe indifferens ſit & poſſit etiam non appetere. Nec eſt liber quoad ſpeciem actus, quia libertas contrarietatis, vel quoad ſpeciem actus, libertatem contradictionis, vel quoad exercitium, præſupponit. Unde quod liberum non eſt quoad exercitium, liberum quoque eſſe non poteſt quoad ſpeciem actus, repugnat enim potentiam in ordine ad

Digitized by Google

ad eundem actum eſſe determinatam quoad exercitium, liberam autem quoad ſpecificationem. Si quoad exercitium neceſſitor ad actum amoris, quomodo quoad ſpeciem liber & indifferens eſſe poſſum ad actum amoris & actum odii. Quantum ad *judicium*, intellectus etiam non eſt liber quoad exercitium actus, quia ex natura ſua determinatus eſt, ut rei evidenter veræ aſſentiatur, evidenter falſæ diſſentiat. Si neutra ratio in objecto apparet & res nec evidenter vera nec evidenter falſa eſt, neutrum etiam actum elicit & neque aſſentitur, neque diſſentit, v. gr. ſi intellectui proponitur enunciatio, ſive affirmans ſit ſive negans, & intellectus videt, eam eſſe evidenter veram, aſſenſum, aut evidenter falſam, diſſenſum neceſſario præbet. Ergo ad aſſenſum & diſſenſum indifferenter ſe non habet quoad exercitium actus. Nec etiam liber eſt & indifferens quoad ſpecificationem, quia uti dictum, libertas primo & per ſe cernitur in exercitio actus. Dum igitur intellectus ex ſe liber non eſt quoad exercitium, conſtat ſimul, quod etiam formalem libertatem quoad ſpecificationem habere non poſſit. Denique quantum ad *diſcurſum*, intellectus non eſt liber, ſed neceſſitatur, quoad exercitium, per præmiſſas, ſi enim præmiſſæ ſufficienter repræſentant objectum & conſequen-

quentia eſt evidens, neceſſario aſſentitur concluſioni. Sufficiens enim objecti repræſentatio & evidentia conſequentiæ determinant intellectum, eumque ad aſſentiendum concluſioni trahunt. Nec eſt liber quoad ſpeciem actus, quia idem objectum eſt præmiſſarum & concluſionis: Ergo ſi intellectus concedit præmiſſas, non poteſt negare concluſionem, niſi idem objectum ſimul affirmare & negare velit, quod eſt abſurdum.

§. 5. Eſt ergo voluntas hominis, ut eſt libera, requiſitum primarium ex parte hominis ſpectati ut cauſæ efficientis liberæ, & quidem ratio cauſandi: Voluntas autem hominis, ſi ſpectetur ut eſt libera, liberum arbitrium dicitur.

§. 6. II. Quod potentiam activam liberam in Deo attinet, iterum facillimi laboris opus eſt demonſtrare voluntatem Dei, eamque ſolam in Deo, formaliter eſſe liberam, poſtquam ſcilicet demonſtratum eſt Deum eſſe agens liberum a neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitate, eique libertatem a neceſſitate revera competere: Nam quæcunque Deus libere agit extra ſe, ea libere agit extra ſe, quia libere voluit extra ſe agere, & quæcunq; voluit, fecit: Oportet igitur voluntatem Dei eamque ſolam eſſe liberam a neceſſitate. At intellectui Dei neceſſitas tribuitur in cognoſcendo, quia eſt neceſſario omniſcius.

*N O T A.*

Quando voluntas Dei ſpectatur ut requiſitum neceſſarium, & quidem ut ratio cauſandi, ex parte Dei tanquam cauſæ efficientis liberæ ſeu cauſæ per actionem extra ſe, ſedulo cavendum eſt, ne Philoſophiæ cultor in hunc errorem incidat, ac ſi quemadmodum voluntas hominis ex ſe elicit actum, ſic etiam Dei voluntas actum ex ſe elicere valeat, quia ut ſupra dictum eſt, & *in poſteriori parte harum inſtitutionum in doctrina de Deo* ex inſtituto docebitur, volitio, qua Deus vult, & nolitio, qua Deus ſalva veritate nolle dicitur, non ſunt actus realiter diſtincti in DEO a DEO & voluntate ejus, quemadmodum volitio & nolitio in homine ab homine ejusq;

voluntate, cum omnia, quæ in Deo ſunt, ſint quoad rem ipſe Deus.

§. 7. III. De Angeli voluntate, quod ea, in qꝫ ipſo nulla alia potentia ſit libera, nulla eſt difficultas: Nam & ille, quæ extra voluntatem agit, ideo libere agit, quia libere voluit extra ſe agere: Quos vero actus intra voluntatem ſuam producit, hos libere elicit æque ac homo: Intellectus vero angeli ob eandem rationem, ob quam hominis intellectui neceſſitas tribuebatur, mera neceſſitas competit.

§. 8. Cæterum cur potentia pasſiva aut plane non, aut qua talis non ſit libera, ratio eſt, quia paſſio ut eſt paſſio, non eſt libera patienti ut ſic. Si enim agens operatur, non eſt in poteſtate patientis, non recipere actionem: Si vero agens non operatur, non eſt in poteſta-

te

te patientis recipere actionem.

NOTÆ.

I. Hoc ut rectius percipiatur, attendendum venit, quod actio ſit in ſubjecto, cum ſit accidens: Jam vero quia eſt in ſubjecto, neceſſario infert paſſionem. Neque enim paſſio eſſe poteſt, niſi quatenus actio eam infert, neque eſſe non poteſt, ſi actio eam inferat. Ergo libertas definienda erat formaliter in ordine ad potentiam activam, non paſſivam.

II. B. *Slevogtius* laudata *diſſertatione* 1. *de indifferentia volunt. hum.* §. 19. rem ita confirmat: *Ad hoc ut potentia dicatur formaliter libera, non ſufficit indifferentia ad agendum & non agendum, vel etiam ad agendum contraria: Sed inſuper etiam requiritur interna vis, qua potentia ſuam indifferentiam ad alterutram partem determinare poſſit: Quod ſi potentia ſit quidem in ſe indifferens; deſtituatur tamen interna vi ſe determinandi; certum eſt, eam, quantum habet ex ſe, ſemper & neceſſario ſub eadem diſpoſitione manſuram, donec ejus indifferentia ab agente externo determinetur. Sed tunc agens hoc externum formaliter liberum erit, non potentia illa indifferens. Nos autem de ejusmodi potentia loquimur, quæ formaliter & intrinſece libera eſt: Ergo eam etiam oportet non modo indifferentem eſſe, ſed interna quoque vi pollere,*

*qua ſe ad alterutram partem queat determinare, quæ vis neceſſario activa eſt.*

III. Singulari ſtudio dicebatur potentiam paſſivam aut plane non eſſe liberam, aut qua talem non eſſe liberam: Nam potentia paſſiva, quæ non ſimul activa eſt, plane nequit eſſe libera: Quæ vero potentia paſſiva ſimul eſt activa, ſi ſit activa libera, eſt quidem libera, ſed non ut paſſiva. Dum enim potentia activa intra ſe actionem producit, eam neceſſario recipit, quia fieri nequit, ut intra ſe producat actionem, nec tamen in ſe recipiat. Imo quicquid tandem ſit, hoc veriſſimum relinquitur, nullam potentiam (licet ſit paſſiva) eſſe liberam, niſi ſit activa.

## CAPUT VIGESIMUM

### DE LIBERTATIS DETERMINATIONE, USU, LIMITIBUS ET PARTICIPATIONE.

§. I.

Dictum eſt capite 17. §. 2. libertatem in ſe ſpectatam dicere indifferentiam, hoc eſt, potentiam agendi utrumlibet, & ſimul potentiam

m ad alterutrum pro lubitu ſeſe terminandi. Merito jam quæritur a Philoſophiæ primæ cultore: r quidnam agens liberum ſeſe terminet ad alterutrum oppoſitorum? Non enim poteſt dici, quod nquam potentia libera determitur, multoque minus ſalva verite dicetur, quod nunquam deterinari poſſit, quia alias libertas fruta eſſet. Toties ergo potentia libera determinatur, quoties agens, ujus potentia eſt, libertate utitur.

*NOTA.*

Quia de Deo & Angelis, eorumque liberte ex inſtituto agendum veniet in poſteori Inſtitutionum parte, libet hic loci ſommodo agere de libertate humana.

§. 2. Determinatur libertas humana a ſeipſa per inclinationem & leclinationem, & quidem per ilam ad volitionem; per hanc ad noitionem: per volitionem vero & olitionem ad alios actus extra po-



Digitized by Google

tentiam intrinſece liberam, hoc eſt, voluntatem, tamen ab ea productos.

## NOTÆ.

I. Doctrina hujus capitis inprimis neceſſaria eſt, ut *Reformatorum* argumentis, quibus arbitrii libertatem a neceſſitate impugnant, ſatisfiat, in quorum numero ſequens etiam continetur: Aut voluntas hominis quando libere agit, determinate agit, aut agit indeterminate, hoc eſt, aut voluntas, quando agit, eſt determinata agendum, aut non eſt determinata ad agendum: Poſterius dici nequit, quia ſi non eſſet determinata ad agendum, tunc quoq; non ageret, cum ſane manifeſtam contradictionem implicet, agere, nec tamen ad agendum determinatum eſſe: Nam quod agit, hoc eſt agens, adeoq; non eſt non agens, ſicq; eſt determinate agens: Prius igitur admittendum erit, quod ſcilicet voluntas, quando libere agere ſtatuitur, ſit determinata ad agendum. Jam ſi voluntas eſt determinata ad agendum, non eſt libera in agendo, quia ſi libera eſſet in agendo, non eſſet ad agendum determinata: cum liberum eſſe ſit indifferens eſſe: Indifferens vero & determinatum ſibi invicem opponantur. Ad hoc argumentum reſpondetur, quod voluntas quando libere agit, omnino ſit determinata

nata ad agendum: Inde tamen non ſequitur, quod voluntas hominis, quia determinata eſt ad agendum, non agat libere: Nam determinatio iſta arguit neceſſitatem hypotheticam, quæ utique ſtat cum libertate.

II. Regerunt Reformati: Si voluntas, quando libere agit, ad agendum eſt determinata, aut erit determinata a ſeipſa, aut a principio extrinſeco: Non a ſeipſa, quia alias ſimul eſſet determinata, ſi nempe ſeipſam determinaret: & indeterminata, quia per eſſentiam ſuam libera eſt, adeoq; indifferens, hoc eſt utrumq; oppoſitorum æque poteſt. Ergo a principio extrinſeco determinatur, & per conſequens non eſt libera, quia indifferentia ex mente omnium, qui libertatem a neceſſitate homini tribuunt, negationem determinationis ad unum ab extrinſeco factæ importat. Reſpondetur, voluntatem, quando libere agit, determinari a ſeipſa. Quando dicebatur, ſic eam fore ſimul determinatam & indeterminatam, hoc falſum eſt, ſi hæc prædicata in ordine ad ipſam voluntatem ſpectentur. Nam ſi a ſeipſa determinatur, non eſt indeterminata, ſed determinata: Veriſſimum tamen eſt voluntatem, dum libere agit, eſſe ſimul indeterminatam & determinatam: indeterminatam, hoc eſt, a nullo extrinſeco determinatam; determinatam a ſeipſa. Quando amplius urgebatur, voluntatem ſi ſit determina-

minata, non eſſe liberam: Facilis *iterum* eſt reſponſio. Quemadmodum enim non ſequitur: Ignis urit. E. non habet potentiam urendi; Ita nec licet colligere: Homo agit libere E. non habet potentiam liberam agendi. Libertas non negat omnem determinationem, ſed ſolummodo negat determinationem ab extrinſeco factam. Satis eſt, quod voluntas hominis libera, ſive ſpectetur ut indeterminata, ſive ut determinanda, ſive ut determinans, ſive ut determinata, ſemper tamen per vim propriam legitime ſe habeat ad ſingula. Unde quemadmodum neceſſitas ex hypotheſi ſtat cum contingentia, ut Philoſophi loqvuntur: Ita nihil certe prohibet, quo minus determinatio voluntatis liberæ a ſeipſa ſtet cum libertate.

III. Regerunt Reformati: Si voluntas ſeipſam determinat ad volendum, aliqua priore volitione ſe determinabit: alius quippe actus voluntatis fingi nequit, quam volitio; ſicut non eſt alia actio intellectus quam intellectio: atque ſic dicetur voluntas velle hoc vel illud, quia vult velle: ſed quid de hac priore volitione dicetur, qua vult velle? an non alia volitione opus erit, qua moveatur & determinetur ad hanc volitionem, qua vult velle? omnino: & ſic dicendum erit, voluntas vult hoc vel illud velle, quia vult velle & velle. Et tum de iſta prima extri-
bus

Digitized by Google

bus volitionibus redibit quæſtio, quomodo ad eam, unde & qua actione, determinetur voluntas? & reſpondebitur, quia vult velle velle velle, dabiturq; ridiculus progreſſus in infinitum. Reſpondetur, negando conſequentiam. Nam quando voluntas vult (hæc volitio eſt) ſeſe determinaſſe concipitur.

IV. Regerunt Reformati: per quidnam voluntas ſe determinet ad volitionem? Reſpondetur: per inclinationem in rem volendam. Noſtro enim modo concipiendi prius eſt voluntatem inclinare in rem, quam vult, poſterius vero voluntatem velle eam rem, in quam inclinat. Quando enim voluntas vult hoc vel illud, jam tum ſeſe determinavit: hanc autem determinationem vel ratione ſaltem inclinatio ad hoc vel illud volendum noſtro cognoſcendi modo præceſſit, quæ inclinatio immediate a voluntate oritur, nec quantum ad hoc exteriori principio indiget.

V. Regerunt *Reformati*: Illa inclinatio ſi non eſt volitio, tamen quando voluntas per eam ſe determinat, actio dabitur: Jam vero quia voluntas ſeipſam determinat, erit eadem actio, & qua ſe determinat, & ad quam determinatur a ſe: quod idem eſt, ac ſi diceretur, idem eſt determinans & determinatum, id eſt determinatum & indeterminatum: quatenus actio voluntatis eſt determi-

terminans, ipſa eſt determinata: quatenus actio voluntatis determinatur, *ipſa eſt* antea indeterminata, & ſic idem erit determinatum & *i*ndeterminatum, quæ eſt mera contradictio. Reſpondetur: illa inclinatio plane non eſt actio, & a voluntate ejusque libertate non realiter, ſed formaliter; non ὄντι, ſed λόγῳ differt. Et ſane quia *Reformati* aſſerunt, voluntatem aliunde determinari, quæri poterit, undenam illud, quod voluntatem determinat, habeat, quod determinet voluntatem, quia ex mente Reformatorum determinatio eſt actio: numne a ſe, an aliunde? Si a ſe E. determinabit voluntatem, quia ſe determinavit, ut determinaret voluntatem, & ſic in infinitum. Si aliunde. E. ab altero determinabitur, ut determinet voluntatem, & hoc alterum iterum determinabit aliud, ut determinet alterum, hocque determinet voluntatem, & ſic dabitur ridiculus progreſſus in infinitum. Hæc κατ' ἄνθρωπον dicta ſunto, & ut conſtet, ad determinationem non requiri, ut ſit actio. Cadunt igitur ſua ſponte, quæ urgebantur hunc in modum: Erit eadem actio, & qua ſe determinat, & ad quam determinatur a ſe: Nam ſi determinatio iſta plane non eſt actio, fruſtra quæritur, num eadem ſit actio, & qua voluntas ſe determinat, & qua determinatur, an diverſa? De cætero nota præced. 2. oſtendimus, ſa-

no

Digitized by Google

no ſenſu voluntatem ſimul determinatam & indeterminatam abſque omni contradictionis periculo ſtatui poſſe.

VI. Regerunt *Reformati:* Hæc inclinatio, per quam voluntas libera ſe determinat, aut erit naturalis, aut minime. Si hoc, ergo aliunde erit. Si illud: quicquid dicit potentiam naturalem, illud non poterit dicere potentiam liberam, quia potentia naturalis liberæ contradiſtinguitur. Reſpondetur, inclinationem liberi arbitrii noſtri eſſe naturalem: At quod naturale eſt, ſimul liberum eſſe poteſt. Nam dum voluntas agit libere, utique per ſuam naturam agit, quia libertas naturalis eſt voluntati, ceu ſupra *pag. 942.* monuimus.

VII. Regerunt *Reformati:* Hoc eſt petere id, quod erat in principio. Nunc enim de hoc quæſtio inſtituitur: Utrum voluntas quando ſecundum naturalem inclinationem agit, libere agat? Reſpondetur: Petere id quod in principio eſt, opponens poteſt, reſpondens minime. Nam petere id quod erat in principio eſt idem per idem vel obſcurum per æq; obſcurum probare, vel id, quod in quæſtione eſt, probationis loco adducere: At reſpondens tale nihil facit, dum reſpondet: Jam vero in eo noſtri nunc ſunt, non ut quicquam probent, ſed ut ad Reformatorum infelicem probationem reſpondeant.

Deinde

Digitized by Google

Deinde fieri omnino poteſt, ut idem adferatur loco inſtantiæ, de quo *quæſtio* eſt, ſi nempe univerſalitas propoſitionis pro univerſali venditatæ non poſſit niſi hac inſtantia infringi, ut Logici loqvuntur, vel cum unicum datur, de quo propoſitio adverſarii non procedit, tunc illud inſtantiæ loco poteſt adferri, licet vel maxime de eo controvertatur, ut in hac propoſitione: Q. ens eſt ab alio ente, poſſum inſtantiæ loco adferre Deum, non obſtante, quod de Deo jam quæratur. Neceſſe tamen eſt, ut illud, quod inſtantiæ loco adferebatur, aliis argumentis prius probetur. Tamdiu igitur κρινόμενον manet inſtantia, donec a Reformatis reſpondeatur ad argumentum, quibus hominem eſſe agens liberum a neceſſitate, demonſtrabatur.

VIII. Ex Reformatis quæritur: Quando Deus primæ actionis extra ſe cauſa extitit, numne a ſeipſo, an aliunde fuerit determinatus? Aliunde fuiſſe determinatum, non poterit dici, quia nullum agens extra Deum fuit, unde determinaretur: Si a ſeipſo E. nihil prohibet aliquid a ſeipſo determinari. Et cum dici nequeat, determinatum fuiſſe Deum a ſeipſo per aliam actionem, quia alias progreſſus daretur in infinitum, patet, quod determinatio dari poſſit, quæ non ſit actio.

IX. Multa hic agi poſſent de inclinatione, quod illa realiter non differat, tamen formaliter

maliter diſtingvi debeat a libero arbitrio: It. oſtendi poterat, quod quemadmodum homo per inclinationem determinatur ad liberam volitionem, ita per declinationem determinetur ad liberam nolitionem. Niſi dicendum potius ſit per volitionem hominem determinari ad nolitionem, quia nemo noluiſſet, niſi voluiſſet nolitionem, ut ita rectiſſime dicatur quis noluiſſe, quia voluit nolle, nemo vero dicendus ſit voluiſſe, quia noluit: Verum relinquimus hæc ſuo loco, ne in nimiam molem Inſtitutio excreſcat.

§. 3. Uſus libertatis humanæ duplex eſt: immediatus & mediatus. Immediatus eſt iterum duplex: volitio & (poſitiva) nolitio. Mediatus eſt actio illa, quæ nec eſt volitio, nec nolitio, fit tamen aut non fit, quia voluntas voluit aut noluit ut fieret, ſive perſona, cujus voluntas eſt, egerit per ſe, ſive per aliud agens: Nam facit etiam, quod per aliud facit.

*NOTÆ.*

I. Voluntatis actus elicitus in univerſum duplex eſt: volitio & nolitio. Nam quod appetitio & averſatio ſunt in appetitu ſenſitivo, hoc volitio & poſitiva nolitio ſunt



Digitized by Google

in voluntate: (Studio dicitur: poſitiva n
tio: nam aliud eſt nolle, aliud *non velle*)
eo differunt: quod volitio & nolitio pro
dant ab appetitu, rationali, qui potentia i
materialis eſt: At appetitus ſenſitivus eſt p
tentia materialis.

II. Dicuntur volitio & nolitio uſus volun
tis, quia quando voluntas ſe exerit, immed
te ſe exerit per volitionem & nolitionem
Quæri hic ſolet, annon per nudam omiſſ
nem voluntas immediate exerere poſſit ſu
libertatem? Reſpondetur, nudam omiſſ
nem dupliciter ſumi poſſe: 1. pro nuda om
ſione actus externi. 2. pro nuda omiſſion
actus cum externi, tum eliciti. Si priori mo
ſumatur nuda omiſſio, nullum dubium
quin per nudam omiſſionem voluntas no
immediate exerere poſſit ac perſæpe exe
ſuam libertatem: e.gr. Titius non frequen
templum, quia (poſitiva ac reali actione
noluit frequentare templum, item non
trahit ſuum pileum, quia noluit prætereu
tem dignum æſtimare, in cujus honoren
caput aperiret, hic recte dicitur, volu
tatem exeruiſſe ſuam libertatem per nuda
omiſſionem: Si vero nuda omiſſio poſt
riori modo ſumatur, prout non modo omi
ſionem actionis externæ, ſed ſimul elici
notat, ſic implicat contradictionem, volun
tatem exeruiſſe libertatem ſuam per nudar
omiſſio

omiſſionem: Ita e.g. ſi cuipiam inſcio medicus ſoporiferum medicamentum propinasſet, aut quis prætereuntem, averſa inde ad fabulas cum ſocio attentione, non vidiſſet, hujus voluntas nequaquam dicenda eſſet ſe exeruiſſe per liberam actionem.

§. 4. Ad uſum libertatis antegreſſa cognitio per intellectum facta maxime requiritur. Conſtat enim per experientiam, quod ignoti nulla cupido ſit. Imo ſi voluntas poſſet ferri in incognitum ex ſua natura, cur non poſſemus quocunque tempore & quacunque occaſione pro lubitu ita operari?

§. 5. Habet omnino libertas phyſica voluntatis humanæ (ut & cujusvis agentis liberi) ſuos limites: Non enim voluntas quicquam poteſt appetere ſub ratione mali, ſed quicquid appetit, neceſſario ſub ratione boni appetit: Pariter voluntas nihil poteſt averſari ſub ratione boni, & quicquid averſatur,



Digitized by Google

neceſſario ſub ratione mali *averſatur*. It. fieri nequit, ut voluntas *plane* non appetat bonum, aut *nullatenus* averſetur malum.

*NOTÆ.*

I. Hæc propter Reformatos traduntur. Sunt quippe ex iis, qui noſtris Doctoribus non verentur affingere, ac ſi quovis modo voluntatem in homine liberam ſtatuerint: quod tamen nulli noſtrum, quod ſciam, per ſomnium in mentem venit.

II. De limitibus neceſſitatis moralis non eſt cur hic agamus: Dabitur tamen hac de re differendi occaſio, quando uſus practicus totius doctrinæ de cauſa efficiente monſtrabitur.

§. 6. De participatione libertatis nunc breviter agendum erit. Utut enim in homine ſola voluntas ſit intrinſece ac per eſſentiam libera, dantur tamen adhuc aliæ potentiæ in ipſo, quæ per participationem ac extrinſece liberæ denominantur: Dicuntur autem potentiæ per participationem ac extrinſece liberæ, quæ nempe arbitrio libero qua tali ſubſunt. *NO-*

Digitized by Google

## NOTÆ.

I. Subeſſe arbitrio libero qua tali, idem eſt, ac ad nutum voluntatis liberæ ſe exercere.

II. Non omnes facultates animæ in homine ſubſunt arbitrio libero hominis. Neque enim ad nutum voluntatis operantur potentiæ vegetativæ, ut vocantur, quæ per nutritionem, augmentationem & generationem ſeſe exerunt. Neque etiam ſenſus externi poſſunt cohiberi, quo minus objectum propoſitum percipiant, poſitis omnibus ad percipiendum illud requiſitis. Igitur operæ pretium eſt, diſpicere, quænam potentiæ ſint per participationem liberæ?

III. Philoſophi, cum Theoretici, tum Practici, communiter potentias per participationem liberas vocant, quæ imperio voluntatis ſubſunt: Res vero eodem redit. Hoc ut pateat, dicemus paucis, quid in Philoſophorum Scholis imperium voluntatis vocetur? Imperium voluntatis, ſi a parte rei ſpectetur, nihil aliud eſt quam actus elicitus voluntatis. Formaliter vero imperium voluntatis eſt poſſibilis habitudo liberæ voluntatis, tanquam cauſæ, ad actum, qui nec eſt volitio nec nolitio, ceu effectum. Nam ubi hæ propoſitiones cauſales veræ ſunt: Hic egit, quia libere voluit; Non egiſſet, niſi libere voluiſſet; Ibi nullum dubium eſt, quin

actio iſta, quæ ab ipſa voluntate immediate non provenerat, ſeu quod hic loci eodem redit, non fuerat producta in voluntate, imperata actio dicenda ſit. E. gr. concubuit quiſpiam cum aliena uxore ac voluit cum ea, quam alienam uxorem eſſe noverat, concumbere, nec ſciens cum ea concubiturus fuiſſet, niſi voluiſſet. Hic igitur concubitus dicitur a voluntate imperatus fuiſſe, inque eo conſiſtit imperium voluntatis, quod ſcilicet per volitionem ſuam cauſa concubitus extiterit. Studio mentionem fecimus propoſitionis cauſalis: Non enim hæc collectio eſt perpetuæ veritatis: Hæc actio fuit volita E. fuit actio imperata. Nam actio illa, circa quam voluntas verſabatur volitione, nec tamen in poteſtate voluntatis erat, non ſolet a Philoſophis dici imperata.

IV. Ad omnem igitur actionem imperatam a voluntate requiritur 1. ut ſit effectus voluntatis. 2. ut non fiat in voluntate, ſeu ut voluntas non ſit ſubjectum iſtius actionis.

V. Sed quia aliud eſt agere de actionibus imperatis, aliud vero agere de potentiis, quæ imperio voluntatis ſubſunt, amplius notamus, imperium voluntati tribui non niſi in ordine ad alias animæ facultates, cum quibus ſcilicet ipſa voluntas in eadem perſona, cujus voluntas eſt, conjungitur: Nobis

Digitized by Google

ꝑis namque anima in homine h. l. nihil aliud
notat, quam complexum omnium ac ſingu-
larum potentiarum vitalium, quæ ſunt in
homine, cum materialium, tum immateria-
lium, æque ac Græci Philoſophi Veteres &
ante Ariſtotelem & Ariſtotelis tempore ani-
mam quamlibet in quolibet corpore per σύλ-
ληψιν δυνάμεων definiverunt, idque propter
in quovis vivente unicam dari animam aſſe-
ruerunt. Non tamen, ut not. 1. monebatur,
omnes potentiæ voluntatis imperio ſubeſſe
poſſunt.

§. 7. Subſunt imperio voluntatis humanæ, dicunturq; per participationem liberæ potentiæ: Phantaſia, Appetitus Senſitivus, Intellectus & Potentia locomotiva.

*NOTÆ.*

I. Hoc ut felicius explicaret Ariſtoteles, docuit duplex eſſe imperium, quo voluntas aliis potentiis imperat. Unum, quo voluntas alicui potentiæ ſic imperat, ut illa potentia nullatenus queat reſiſtere: Hac ratione imperat voluntas potentiis locomotivis, ut vocantur: e. gr. Sempronius eſto poſitus in medio ſcalarum, pendet unice a voluntate Sempronii eſtque res meri arbitrii, aſcendere velit, an deſcendere: neque poteſt potentia

locomotiva Sempronii voluntati imperanti reſiſtere. Eodem modo voluntas habet imperium in intellectum quoad certa objecta: ex. gr. myſteriis fidei intellectus hominis Chriſtiani aſſentitur ob autoritatem Dei dicentis, voluntate imperante aſſenſum & movente: Sunt enim myſteria in Sacra Scriptura revelata, myſteria a ſeculis abſcondita, omnemque captum rationis ſibi relictæ ſuperantia, voluntas tamen pio ſuo conſenſu, quem excitat Spiritus Sanctus, trahit, allicit, movet intellectum ad aſſenſum. Exemplum civile addere libet: Sint duo homines, unus integer vitæ, alter ſubleſtæ fidei: Ille teſtatur Sempronium per totam noctem literis invigilaſſe, hic narrat eum Bacho ac Veneri litaſſe. Neſcit is, qui hæc talia relata percipit, utri aſſenſus præbendus ſit? Fieri namque poterat, ut qui vera ſemper commemoraverat, nunc veritati parcat, & e contrario is, qui ſemper fefellerat, nunc verum dicat: Voluntas tamen ſuo conſenſu trahit intellectum ad aſſenſum ei præbitum, quem tanquam magnæ fidei hominem amore proſequebatur. Alterum imperium voluntatis eſt, quo voluntas ſic imperat alii potentiæ, ut tamen ea potentia poſſit obniti, imo ſæpe obnitatur ac reſiſtat: Hoc ſenſu voluntas imperium habere dicitur in phantaſiam & appetitum ſenſitivum: In phantaſiam quidem, quia quando

Digitized by Google

quando illa hoc vel illud ex.gr. hoc vel illud
triſte malum ſibi imaginatur, ſæpe voluntas
eam a tali imaginatione ſuo imperio avertit,
hac tamen ratione ut non raro eandem ima-
ginationem repugnante voluntatis imperio
reſumat. Prius imperium *Ariſtoteles* vocat
δεσποτικὸν, quo voluntas imperat aliis poten-
tiis tanquam dominus ſervis. Quemadmo-
dum enim ſervorum non eſt refragari domi-
nis: Ita e.g. poſitis ſcilicet omnibus ad aſcen-
dendum ac deſcendendum prærequiſitis,
potentia locomotiva nequit voluntati obni-
ti, ſed eſt tuæ voluntatis tuiq; arbitrii, in ſca-
lis conſtitutus aſcendere an deſcendere velis.
Poſterius imperium Philoſophus πολιτικὸν
appellat, quo voluntas imperat aliis potentiis
tanquam Magiſtratus civibus & perſonis li-
beris, puta ut reſiſtendi potentiam habeant &
ſæpe reſiſtant ſeu refragentur.

II. Quisque jam videt, imperium, quan-
do voluntati tribuitur, non eſſe imperium
proprie dictum, ſed tale κατ᾽ ἀναλογίαν. Nam
ubi eſt imperium proprie dictum, ibi duæ
ſunt perſonæ, quarum una imperat, altera
paret: At voluntas imperans & potentiæ ob-
ſequentes ſunt partes unius perſonæ ac ho-
minis. Ratio igitur imperii & obſequii iis
non niſi improprie attribuitur. Scilicet
quemadmodum imperium recte & proprie
ſic dictum per duos actus ſe exerit: Unus

eſt cognoſcere ac oſtendere, quid agendum, quid fugiendum? Alter eſt impellere & movere ad tale quid agendum vel fugiendum. Quando igitur Rex imperat ſuis ſubditis, utrumque munus ſibi aſſerit, nempe & oſtendit, quid ſubditi agere vel omittere debeant, & ſubditos ad tale quid movet efficaciter & impellit: At quando voluntas aliis potentiis imperare dicebatur. ne quidem ratio imperii analogice ſic dicti voluntati tribui poteſt, dicendum potius, quod intellectus & voluntas in homine quaſi inter ſe partiantur actus & officia imperii analogice ſic dicti, quia intellectus eſt oſtendere quid agendum ſit vel omittendum, non voluntatis; voluntatis autem eſt movere ac impellere alias potentias. Interim fatemur ingenue, quod ultimum quaſi complementum imperii & quaſi formalis ratio ſit actus voluntatis, ita ut actus intellectus tamen præſupponatur & connotetur, hocque volunt accuratiores Philoſophi, quando imperium analogice tale formaliter & ultimo voluntati potius quam intellectui competere aſſerunt. Huc etiam facit diſtinctio potentiæ activæ in rationalem & irrationalem ab *Ariſtotele* toties laudata. Nam voluntas ipſa ex mente *Ariſtotelis* non dicitur rationalis potentia, ſed rationalem potentiam Philoſophus vocat, eam, in quam voluntas habet imperium, cui poten-

potentia iſta reſiſtere poteſt: Irrationalem vero appellat, in quam voluntas ſic habet imperium, ut illa ipſa potentia reſiſtere huic imperio nequaquam poſſit.

III. Cæterum qua ratione imperium non niſi κατ' ἀναλογίαν voluntati tribuitur, eadem obſequium aliis potentiis, in quas voluntas imperium habere dicebatur, improprie convenit. Nempe ut voluntas per hoc imperare dicebatur, quando vult, ut alia potentia agat: Ita altera illa potentia obſequium præſtare cenſetur, quando non reſiſtit voluntati: Et quia potentia alia reſiſtere nequit, alia adhuc poteſt, ideo illi obſequium quaſi ſervile, huic quaſi herile obſequium tribuebatur. Nam quando voluntas vult, ut hæc vel illa potentia in actum ſecundum deducatur, hæcque potentia in actum ſecundum deducitur ſeu ad ipſum actum procedit, ſic ex parte voluntatis imperio, ex parte alterius potentiæ obſequio locus relictus dicitur: Jam vero per experientiam conſtat, imo quisque, qui libertatem voluntatis a neceſſitate admittit, fatebitur, quod alii quoque actus a voluntate tanquam principio activo immediate non procedentes, ſed mediante alia potentia voluntati contradiſtincta immediate producti liberi cenſeri queant: Hoc igitur ſtante, omnino dicendum erit, ejusmodi actus non denominari liberos poſſe, niſi

niſi a libertate ipſius arbitrii humani, quatenus quidem tales actus non elicuerit, elicito tamen actu, ut fierent, voluerit: Singulari ſtudio dicitur, alias potentias libere agentes nunquam dici poſſe, niſi facta denominatione ab arbitrii libertate, cum omnes omnino potentiæ in morali agente præter voluntatem ſint materiales ſeu organicæ, adeoque, qua tales mere neceſſariæ potentiæ, utpote homini cum brutis communes, ſi unicam potentiam; nempe intellectum exceperis, cujus neceſſitatem inductione omnium actuum facta ſupra demonſtravimus. Relinquitur ergo, quod cæteræ potentiæ libere egiſſe dicendæ ſint, quatenus egerunt ita, prout voluntas ipſas ad agendum moverat h. e. voluerat, ut agerent.

IV. Similitudine una vel altera hæc quæ hucusque dicta ſunt fortaſſis melius percipi poſſunt. Sicut enim e. g. cœcus caret viſu, videre tamen quaſi poteſt, ſi patiatur hominis videntis manu ſemet duci, quia ſic videt quaſi oculis non ſuis, cum nullos habeat, ſed manuductoris ſui, cujus viſum quaſi participaſſe dicitur: Ita ex. gr. appetitus ſenſitivus deſtituitur libertate eſtque potentia intrinſece neceſſaria, libere tamen agere poteſt, ſi agat, quod voluntas pro ſua libertate voluit, ut ageretur, ſicque appetitus ſenſitivus quaſi particeps quodammodo libertatis redditur.

Item

Digitized by Google

Item, quemadmodum prudens factum infantis dicitur, quod ad mandatum prudentis patris commiſſum fuerat; Ita liberam actionem potentiæ dicimus, quæ ad liberæ voluntatis imperium ab ea proceſſerat. Unde miror *Mendozam*, Philoſophum alioqui valde acutum, negaſſe, quod ulla potentia in homine præter voluntatem proprie libera dici poſſit: Confunduntur enim prædicatio propria & prædicatio extrinſeca. Ita proprie paries viſus, virgo amata dicitur, utut hæ prædicationes: paries videtur, virgo a juvene amatur, ſint non intrinſecæ, ſed extrinſecæ prædicationes.

V. Cæterum quænam potentiæ in homine, nec per eſſentiam, nec per paticipationem liberæ ſint, ex dictis facile liquet: Nempe omnes vegetativæ potentiæ ut vocantur, item omnes potentiæ ſenſitivæ, ut generaliori nomine appellantur, cum ſenſitivæ in ſpecie, item memoria ſenſitiva, hæc enim ſenſus non eſt, ut vulgo creditur, tum motivæ, ſi locomotivam & appetitum ſenſitivum, qui etiam potentia motiva eſt, excipiamus.

VI. Tantum ergo & de cauſa efficiente libera, & de ejus neceſſariis requiſitis dixiſſe ſufficiat: Ordo exigit, ut de effectu cauſæ efficientis liberæ tractatio inſtituatur.

Caput

# Caput Vigesimum Primum
De
# VOLUNTARIO
## ſpectato ut eſt effectus cauſæ efficientis liberæ.

§. I.

**Uti cauſæ efficienti effectus: ita cauſæ efficienti liberæ liber effectus reſpondet, qui uno nomine *voluntarium* dici ſolet.**

*NOTÆ.*

I. Voluntarium ex recepta apud Philoſophos loquendi conſuetudine illud dicitur, quod a cauſa efficiente libera qua tali procedit. Studio dicitur: qua tali. Nam dantur, quæ ab eo, quod eſt agens liberum, non tamen ut eſt agens liberum, ſed ut eſt agens neceſſarium, procedunt: E.g. Petrus & ex arbitrii libertate ambulat & ex naturæ neceſſitate ſimul creſcit, & ſic una eſt agens liberum & agens neceſſarium: agens liberum, quando actus ambulandi procedit a libera ejus voluntate qua tali; agens neceſſarium, quia potentia creſcendi non ſubeſt imperio voluntatis.

II. Probe hic notandum eſt, notionem voluntarii primario tribui actionibus liberis,

h. e.

Digitized by Google

h. e. a potentia libera a neceſſitate qua tali procedentibus, ſecundario terminis actionum liberarum, hoc eſt, iis, quæ non ſunt actiones liberæ, tamen per actiones liberas producuntur.

§. 2. Cave confundas *voluntarium* & *volitum*. *Illud qua tale eſt effectus voluntatis: Hoc qua tale eſt objectum voluntatis*. E. gr. Cajus ignem ædibus ſubjicit ea intentione, ut eæ una cum domino ædium Vulcani pabulum fiant: In tali caſu ſi ædes una cum Sempronio (ædium domino) pereant, Cajo combuſtio cum ædium, tum Sempronii rectiſſime *voluntaria* dicitur: At ponamus domum Sempronii nunc in mediis exiſtere flammis, inque ea Sempronium lecto affixum detineri, Cajum vero Sempronii inimicum nec velle nec poſſe hoc incendium reſtinguere, in tali caſu, ubi Cajus nihil magis in votis habet, quam ut cum ædibus

bus Sempronius concremetur, Cajo combuſtio cum ædium, tum Sempronii voluntaria cenſeri nequit, ſed rectiſſime ab ipſo *volita* cenſetur. In priori ergo caſu incendium erat *voluntarium*, in poſteriori non voluntarium, ſed *volitum*.

## NOTÆ.

I. In quodcunque voluntas libera volitione ſua fertur, hoc dicimus voluntatis noſtræ objectum, uno nomine *volitum*: At quodcunque per liberam volitionem a voluntate procedit, adeoque voluntatem ſui cauſam agnoſcit, id voluntatis effectum, uno titulo *voluntarium* nuncupamus.

II. Quisque advertit facillimo negotio, longe aliter ſpectari rem, ſi ut objectum alterius; iterumque longe aliter, ſi ut effectus ſpectetur.

III. Differunt quoque *volitum* & *voluntarium* ut *notiones excedentes* & *exceſſæ*, ceu *Scholæ* loqui amant: Hoc eſt, *poteſt aliquid eſſe voluntarium, ut tamen non ſit volitum*: & *poteſt aliquid eſſe volitum, ut tamen non ſit voluntarium*: E.gr. Quando voluntas mea vult Deum, hæc volitio recte dicitur voluntarium quid, quia eſt actio, quæ agnoſcit ſui cau-

cauſam efficientem liberam, non tamen recte dicitur volitum quid. Non enim neceſſum erat ad volitionem Dei, ut a me eſſet volita, hoc eſt, poteram velle Deum, nec tamen opus erat, ut vellem velle Deum, quia alias daretur ridiculus progreſſus in infinitum. Contra e.gr. dum Deum volo, Deus recte dicitur ens a me volitum, non recte ens mihi voluntarium vocabitur: Nam quod voluntarium eſt recte & proprie loquendo, hoc habet cauſam, quia eſt effectus voluntatis: At DEUS nullam prorſus ſui cauſam habet, eumque effectum dicere eſt prorſus falſum ac impiū. Obiter addimus, fieri poſſe, ut ipſa volitio ſit volita, ſeu ut quis velit velle, æque ac quis poteſt intelligere ſe intellexiſſe, meminiſſe ſe meminiſſe: Sed hoc fit per accidens.

§. 3. Voluntarii præcipuas diviſiones videamus. Et quidem 1. *Voluntarium* aliud eſt *elicitum*, aliud *imperatum*. *Illud dicitur, quod fit a voluntate, & ſimul in voluntate*, eſtque vel volitio, vel nolitio. *Hoc* vocatur, *quod fit a voluntate, ſed non in voluntate*. E.gr. prava intentio cædis eſt actio voluntaria elicita, cædes vero ipſa,

 quæ

quæ ex hac intentione ſequitur, appellatur actio voluntaria imperata.

§ 4. Voluntarium 2. aliud eſt *primariũ*, aliud *ſecundarium*: *Illud* eſt *effectus voluntatis propter ſe*: *Hoc* eſt *effectus voluntatis propter aliud*: E. gr. quando quis cæde ejus, qui corpus ipſius impetebat vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili vitam ſuam tuetur & conſervat, tunc primario voluntaria dicitur conſervatio vitæ, ſecundario voluntaria nuncupatur cædes invaſoris: Illa enim erat finis, hæc medium. Idem eſto judicium de utriusque volitione: Volitio illius erat primaria volitio, volitio hujus ſecundaria volitio.

§. 5. *Voluntarium* 3. eſt vel *purum*, vel *mixtum*: *Purum voluntarium* dicitur *effectus liberæ voluntatis nullo affectu turbatæ*: *Mixtum voluntarium* eſt *effectus* libe-

Digitized by Google

*libera voluntatis affectu impulſa:* e.gr. purum voluntarium eſt, quando quis extra omne periculum poſitus liberrime projicit merces in mare: Mixtum voluntarium eſt, quando nauclerus tempore imminentis naufragii projicit merces in mare, nunquam tale quid facturus, extra periculum ſi fuiſſet.

*NOTÆ.*

I. Appetitio & averſatio aut fiunt in voluntate, aut in appetitu ſenſitivo, & quando in appetitu ſenſitivo fiunt, dicuntur affectus.

II. Quot dantur affectus, tot dantur actiones voluntariæ voluntate mixta: Maxime tamen actio mixta dicitur, cum metu majoris mali quis cauſa per actionem voluntariam eſt, cujus autor alias nequaquam futurus fuiſſet.

§. 6. *Voluntarium* 4. aliud eſt *directum*, aliud *indirectum*: *Directe voluntarium* eſt, *in quod voluntas libera per ſe ferebatur*; *Indirecte* vero *voluntarium* dicitur, *in quod voluntas libera per ſe non*

*ferebatur, ferebatur tamen in aliud, ex quo agens noverat hoc ipſum quod ſecutum eſt, ſecuturum eſſe tanquam ex cauſa ſua, aut ad minimum ſequi poſſe tanquam ex cauſa ſua, aut ſi nequaquam cognitum habuit, hoc tamen cogitare debuit*: E.gr. qui alterum provocat ad duellum, ei provocatio dicitur directe voluntaria: quod ſi vero ipſe provocans pereat duello, mors pereunti indirecte voluntaria dicitur, nec dubium eſt, quin αὐτόχειρ dicendus ſit.

## *NOTÆ.*

I. Multi peculiarem voluntarii diviſionem in *formale ſeu formaliter tale* & *præſumtum ſeu interpretativum* dari perhibent: *Illud* dicunt, *quod procedit a voluntate vel directa vel indirecta; Hoc, quod procedit a voluntate præſumta.* Enimvero præſumtio hic loci dupliciter ſpectari poteſt: (1.) prout nihil aliud notat, quam collectionem alienæ voluntatis ex ſignis ſatis idoneis: Et ſi ita ſumatur, quoties collectio vera eſt, non poteſt non actio, quam

quam quis colligit alteri voluntariam fuiſſe, eidem exiſtere directe aut indirecte voluntaria: e.gr. qui tacet, cum contradicendo potuiſſet ac debuiſſet impedire factum, ei factum voluntarium fuiſſe rectiſſime judicamus, & omnino ſatis idoneum ac moraliter certum ſignum, ex quo nosmet ipſi alienam hoc eſt, tacentis voluntatem colligebamus, erat ſilentium, ſignum ut vocant, negativum: v.gr. ſi præſente Patre filius nomen militiæ dediſſet & a conductore accepiſſet pecuniam, pater vero & potuiſſet & debuiſſet hanc conductionem impedire, niſi contrarium voluiſſet, recte colligimus, patris voluntate factum eſſe, ut filius tympanum ſequeretur. Ab hac igitur præſumtione nihil denominatur voluntarium, niſi iſtud ſimul fuerit voluntarium directum vel indirectum. Et quidem exemplum voluntarii præſumti, ſed una directi, modo allatum fuit: Videamus etiam exemplum voluntarii præſumti ac ſimul indirecti: Ita faciamus quempiam in publica cella inter plures ſat petulantes ſocios ſibi aſſidentem inimicum conſpicere eidemque minari, ac inter frequentes minas longe plures evacuare cantharos, ſi poſtea inimicus ab iſto bibone graviter vulneretur vel etiam occidatur, recte dicimus hoc vulnus ſive lethale ſive non lethale eſſe in numero voluntariorum præſumtorum:

rum: Quippe & verba & facta præcedentia erant ſatis idonea ſigna, ex quibus colligeretur hanc læſionem fuiſſe lædenti voluntariam. Nam utut de illo non poſſimus eſſe certi, an directe ipſi inter primas compotationes voluntaria fuerit, de hoc tamen nulli dubitare poſſumus, quin ad minimum indirecte fuerit voluntaria, quia nimio vino ea intentione ſeſe ingurgitaverat, ut affectus inſanirent, & ex hac voluntaria inſania ſeu voluntario furore tanquam veriſſima cauſa hæc ipſa læſio ſecuta fuit. Ex hactenus dictis liquet, voluntarium præſumtum hoc modo ſemper eſſe voluntarium vel directum vel indirectum: Quod ſi præſumtio falſa fuerit, tale voluntarium præſumtum plane non erit voluntarium, ſed falſo habitum pro voluntario (2.) præſumtio ſic accipi conſuevit, ut nihil aliud dicat, quam talem actionem, qua quis putat fore, ut alteri hoc, quod acturus eſt, gratum & acceptum futurum ſit, quod tamen iſti, antequam fieret, non poterat eſſe cognitum, ſed poſtquam factum fuiſſet, demum in notitiam ejus veniebat: E. gr. ponamus a Titio vulnerari Sempronium Mevii inimicum, Titium vero hoc non facturum fuiſſe, niſi perſuaſum habuiſſet fore, ut hoc ipſo vota Mevii impleat, ſic Mevius (cujus nomine, ipſo tamen inſcio Sempronius a Titio vulneratus fuerat) ſi ex poſt-

facto

facto, ut Doctores Juris loqvuntur, ratum habeat factum, ex recepta apud omnium Jurium Doctores loquendi conſuetudine ex parte Mevii hoc factum dicitur voluntarium præſumtum. Interim ſalvo rectius ſentientium meliori judicio, utut alias facile largiamur, quod ejusmodi voluntarium præſumtum nec ſit voluntarium directum, nec voluntarium indirectum, non videmus, qua ratione iſtud (vulgo ſcilicet ſic dictum voluntarium præſumtum) recte & rigoroſe loquendo voluntarium dici poſſit. Nam ſi retineamus exemplum allatum, utut communiter urgeant Doctores, Mevium in tali caſu pœna affici poſſe, ipſamque ratihabitionem mandato ſolere æquiparari: Inde tamen ſolummodo videtur colligi poſſe, læſionem a Mevio ex poſtfacto, quod dicitur, fuiſſe volitam, nunquam vero eidem fuiſſe voluntariam. Conferantur ea, quæ de diſtinctione inter volitum & voluntarium *hujus capitis* §. 2. dicebantur.

II. Pro peculiari etiam diviſione venditari ſolet diviſio *voluntarii* in *voluntarium voluntate actuali* & *voluntarium voluntate virtuali:* E. gr. quando quisquam ſobrius alteri invito ac immerenti ex animi ſententia verbo vel facto nocet, talis læſio ei ipſi, qui nocet, voluntaria cenſetur voluntate actuali: Contra ſi ipſe ebrius alteri damnum in-

tuliſſet, de quo ipſe, quando adhuc ſobrius erat, nunquam cogitaverat, nec vero præ illicita ebrietate ullam ejus, quod egit, inter agendum notitiam habuerat, dicitur factum iſtud ei voluntarium voluntate non actuali, ſed virtuali: Laborat enim is ignorantia vincibili, h. e. ea, quæ nunc nullatenus, nunc in tantum, nunquam in totum excuſat. Cæterum hæc quoque diviſio ad voluntarium directum & indirectum ſuo modo reduci poterit, ita ut omne voluntarium voluntate virtuali, ſit voluntarium voluntate indirecta.

§. 7. Voluntarium 5. aliud eſt *voluntarium voluntate propria*, aliud *voluntarium voluntate aliena*: Ita voluntas filii impuberis pendet a voluntate patris, voluntas pupilli a voluntate tutoris, voluntas ſubditorum in certis caſibus a voluntate imperantium &c.

§. 8. Voluntarium 6. aliud eſt *voluntarium voluntate perſonali*, aliud eſt *voluntarium voluntate reali*. Illud quid ſit, facile liquet: Hujus notionem exemplo declarabimus.

Digitized by Google

rabimus. Eſto Senatus conſtans e triginta Senatoribus, faciamus in re quadam viginti quatuor ſenatores vota pro ſententia affirmativa, ſex reliquos pro negativa tuliſſe: Illis voluntaria erat executio ſententiæ & reali & perſonali voluntate: his voluntaria erat non perſonali, quia contradictoria tulerant vota; tamen reali voluntate: Volebant enim, ut quia major pars habet jus integri, ſtaretur eo, quod pluribus votis decretum fuiſſet.

§.9. *Voluntarium* 7. aliud eſt *voluntarium in totum*, aliud eſt *voluntarium in tantum*: E.g. faciamus quempiam deſtinata voluntate ſua occidiſſe alterum, qui via decedere noluit, quem tamen ignoraverat eſſe patrem ſuum, in eo caſu cædes hæc erat voluntaria in tantum, in quantum erat homicidium, nec tamen in totum, quia

involuntaria ipſi erat cædes, in quantum ſi voluntaria fuiſſet, fuiſſet parricidium. Illud voluntarium in Scholis etiam *voluntarium plenum*, hoc *voluntarium minus plenum* appellatur.

§. 10. *Voluntarium* 8. aliud eſt *voluntarium perfectum*, aliud *voluntarium imperfectum*: Utrumque æſtimatur ex perfecta vel imperfecta cognitione circumſtantiarum, quæ antegreſſa fuerat.

*N O T A.*

Accuratius hanc doctrinam explicantes nolunt eam confundere cum proxime præcedentis diſtinctionis doctrina: Poteſt enim quis habere perfectam cognitionem absque plena, ſi nempe perfectam aliquarum circumſtantiarum notitiam conjunctam habeat cum alius aliarumve circumſtantiarum ignorantia invincibili: Ita ſi exemplum *præced.* §. repetamus, perfecte voluntaria erat cædes auctori ſuo, nec tamen plane voluntaria. Interim ſæpenumero hæ notiones: plena notitia & perfecta notitia, plena voluntas & perfecta voluntas, voluntarium plenum

num & voluntarium perfectum pari paſſu ambulant.

§. II. *Voluntarium* 9. aliud eſt *voluntarium immediatum*, aliud eſt *voluntarium mediatum: Illud reſpicit cauſam efficientem liberam immediatam: Hoc reſpicit cauſam efficientem liberam mediatam:* E.gr. Titius mandato ſuo movit Sempronium, ut occideret Sejũ, hæc cædes ſecuta dicitur voluntarium quid, & reſpectu Sempronii quidem voluntarium immediatum. reſpectu Titii vero voluntarium mediatum.

*NOTÆ.*

I. De hac diviſione melius conſtare benevolo lectori ex *ſequenti capite* poterit: Hoc interea notetur, hanc voluntarii diviſionem minime eandem eſſe cum diviſione voluntarii in elicitum & imperatum. Nam quando ſupra §.3. voluntarium dividebatur in elicitum & imperatum, voluntarium elicitum dicebatur immediatum & voluntarium imperatum mediatum reſpectu potentiæ intrinſece liberæ, nempe voluntatis: At hoc loco

loco voluntarium immediatum & mediatum dicuntur reſpectu agentis *voluntate* præditi, ita ut voluntarium immediatum *dicatur*, quod a voluntate libera agentis *ſic* proceſſit, ut ſimul immediate proceſſerit ab ipſo illo agente, hoc eſt, ut agens non extiterit cauſa libera ejus mediante alia cauſa principali: voluntarium vero mediatum appelletur, quod ita a voluntate agentis proceſſit, ut tamen agens mediante alia cauſa principali cauſa libera iſtius effectus fuerit. Aliud ergo eſt voluntatem agere immediate, & aliud, voluntate præditum agere immediate: e.gr. quando Sempronius injuſte occidebat Sejum, Sempronius immediate agebat, hoc eſt, per ſe & non mediante alia cauſa principali libere occidebat Sejum: Voluntas vero Sempronii non agebat immediate, quando nempe Sempronii voluntate Sejus occidebatur: Erat namque cædes Seji actio voluntatis non elicita, ſed imperata.

II. Plenius de diſcrimine voluntarii eliciti ab immediato & imperati a mediato liquet, modo attendatur, illud dici voluntarium immediatum, quod ab eo, cui voluntarium dicitur, immediate procedit, ſive ab ipſa ejus voluntate immediate ſive mediate procedat: e.gr. concumbit quis ſciens & volens cum aliena uxore, utraque actio, nempe ipſe concubitus cum aliena uxore & ipſa

quoque

Digitized by Google

quoque volitio iſtius concubitus dicitur ipſi voluntaria, quia & concubitus ipſe & volitio concubitus procedebant a voluntate adulteri, volitio immediate, concubitus mediate: Cæterum voluntarium mediatum vocatur, quod ab eo, cui voluntarium dicitur, mediate procedit, hoc eſt, cujus iſtud agens, cui voluntarium cenſetur, cauſa eſt mediante alia cauſa phyſica principali: e. gr. quando quis turpi mercede conducit alterum ad homicidium patrandum, homicidium patratum conductori mediate voluntarium dicitur, quia per aliam cauſam phyſicam principalem, nempe ipſum locatorem, homicidium commiſerat. Paucis: Sicut unus homo ſæpe agit per alium hominem: Ita una potentia, nempe voluntas, ſæpe agit per aliam potentiam ex. gr. locomotivam. Sic igitur differt voluntarium imperatum a voluntario mediato, quemadmodum alias differre ſolent duæ potentiæ unius ejusdemque ſuppoſiti a duobus diſtinctis ſuppoſitis. Voluntarium enim mediatum fit ab alio ſuppoſito, voluntarium vero imperatum ab ejusdem ſuppoſiti alia potentia.

III. Plures forſan voluntarii diviſiones tradi potuiſſent, placuit interim uſu receptiores recenſere.

Caput

Digitized by Google

# CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM
De
# CAUSA EFFICIENTE IMMEDIATA ET MEDIATA,
Item
# DE CAUSA PHYSICA ET MORALI.

Ubi inprimis demonſtratur, CAUSAM MORALEM ESSE VERAM CAUSAM, & quidem EFFICIENTEM, ejusq; genuina requiſita & accurata definitio traduntur.

§. 1.

C*Auſa efficiens immediata* eſt *cauſa efficiens, quæ non agit mediante alia cauſa efficiente principali*: ut: Deus quando creat angelum, ſcriptor quando efficit ſcripturam, carnifex quando facinoroſo caput amputat, ſervus quando ligna findit: E contrario *cauſa efficiens mediata* eſt *cauſa efficiens, quæ mediante alia cauſa* effi-

*efficiente principali agit* : ut: Magiſtratus quando per carnificem facinoroſo caput amputat, incendiarius quando igne, quem ædibus ſubjecerat, incendit domum, Medicus quando per medicamentum ægroto reſtituit ſanitatem, ex Ariſtotelis mente quisq; pater quando generat filium, quia mediante alia cauſa principali, nempe ſemine, generat.

## N O T Æ.

I. Non pauci exiſtimant, *cauſam efficientem mediatam* coincidere cum *cauſa morali*, & *cauſam efficientem immediatam* cum *cauſa phyſica*, & hoc cauſæ eſt, cur *diviſionem cauſæ efficientis in phyſicam & moralem* habeant pro adæquata cauſæ efficientis diviſione, qua aſſertione ſtante fruſtra præſens caput inſcriberetur : *de cauſa efficiente immediata & mediata, item de cauſa phyſica & morali:* Verum ſalvo meliori judicio nobis aliter videtur, cum certe non omnis cauſa efficiens mediata ſit cauſa moralis, nec omnis cauſa efficiens phyſica ſit cauſa efficiens immediata: Ita ex. gr. quando hero ſuo, in cujus manu fruſtrum carnis aſſatæ eſt, canis cauda ſua

ad-

adblanditur, hiſque blandimentis ac iterato latratu herus permotus particulas cani objicit, quid tandem adeo obſtat, quo minus canis hujus actionis ab hero immediate procedentis cauſa efficiens mediata cenſeatur. Equidem dici poterat, canem fuiſſe cauſam moralem (iſtius actionis, qua ſcilicet herus cani carnem objiciebat) κατ' ἀναλογίαν ſeu analogice ſic dictam cauſam moralem: Verum analogice ſic dicta cauſa moralis proprie & accurate philoſophando non eſt cauſa moralis. Ergo ſi canis nullo alio titulo cauſa dici poſſet, plane non fuiſſet cauſa: Sed nondum liquet, quidnam prohibeat, quo minus ſalva veritate dicamus, canem latratu ſuo & blandimentis effeciſſe, ut ab hero ſibi caro devoranda objiceretur. Deinde annon citra omne veritatis diſpendium aſſeritur tegularium a vento dejectum de tecto fuiſſe hacque dejectione occiſum fuiſſe prætereuntem infantem, quid igitur abſurdi inde eveniet, ſi ventum, qui tegularium contra voluntatem de tecto dejicit, dicamus cauſam occiſi infantis mediatam, ſi nempe gravitas corporis tegularii infantem prætereuntem oppreſſiſſet ac peremiſſet; Ex uſu namque loquendi occiſio infantis phyſice ſpectata vento eique ſoli, non item gravitati tegularii primo attribuitur: At quia ventus omnis prorſus cognitionis aut intentionis

tionis expers eſt; non apparet, qua ratione ventus κατ' ἀναλογίαν cauſa moralis dici debeat, quo tamen non obſtante adhuc videtur nomen veræ cauſæ phyſicæ mediatæ obtinere.

II. Cave confundas cauſam mediatam cum cauſa remota, quia cauſa remota, quando contradiſtinguitur cauſæ mediatæ ab accuratioribus Philoſophis, non eſt vera cauſa ejus, cujus cauſa remota dicitur: At cauſa mediata qua talis eſt vera cauſa. Quo de diſcrimine ſuo loco pluribus dicetur. Interim hæ notiones ſæpe ſine diſcrimine ſumuntur.

III. Singulari ſtudio in definitione & cauſæ efficientis immediatæ, & cauſæ efficientis mediatæ, mentionem cauſæ principalis fecimus. Nam utut ſano ſenſu, minus tamen accuratè (ceu *præced. cap. 16. not. 3. ad §. 10. p. 936.* monuimus) de cauſa principali, quæ una cum inſtrumento conjuncto ſicque cum cauſa efficiente inſtrumentali agit, dici poſſit, quod mediante alia cauſa efficiente agat, non tamen id propter ejusmodi cauſa efficiens principalis mediata dici ſolet: Ita e. gr. decollandi artifex quando juſſu Magiſtratus facinoroſis capita amputat; agit mediante alia cauſa efficiente, nempe gladio, manet interim cauſa immediata decollationis, quia agit mediante gladio tanquam cauſa inſtrumentali: At Magiſtratus recte dici-

tus cauſa efficiens mediata decollationis, quia agit mediante alia cauſa efficiente principali, nempe mediante carnifice. Hac cautione opus non fuiſſet, niſi uſu adeo frequens eſſet hæc locutio: *mediante cauſa* efficiente *inſtrumentali* agere.

IV. De hac diviſione plenius utiliusque conſtabit ex doctrina de cauſa phyſica & morali mox tradenda.

§. 2. Bene interim diſtinguendum eſt inter cauſam mediatam & cauſam mediam. Quid cauſa mediata ſit, §. præcedenti dictum eſt: Cæterum cauſa media h. l. vocatur cauſa principalis, qua mediante alia cauſa principalis agit: e. gr. carnifex erat cauſa decollationis & immediata & media: immediata, quia non agebat mediante alia cauſa principali: media, quia mediante carnifice magiſtratus erat cauſa decollationis.

*NOTA.*

Sunt, qui diſtingunt inter cauſam mediam principalem & cauſam mediam inſtrumentalem: e. gr. reſpectu decollationis cauſam

ſam mediam principalem vocant carnificem juſſu magiſtratus inſtructum, cauſam mediam inſtrumentalem appellant gladium carnificis. Sed quid de hac diſtinctione ſentiendum ſit, ex *not. ult. ad preced.* §. facile colligi poteſt: Nam quia carnifex eſt cauſa immediata decollationis, gladius tanquam cauſa inſtrumentalis non tam accurate cauſa media vocari meretur.

§. 3. Ad diviſionem cauſæ efficientis in cauſam immediatam & mediatam ſpectat nobilis illa & inſigniter utilis *diſtinctio inter cauſam phyſicam & cauſam moralem.* Omnis enim cauſa moralis recte & proprie ſic dicta eſt cauſa efficiens mediata, ſed non omnis cauſa efficiens mediata eſt cauſa moralis recte & proprie ſic dicta.

*NOTÆ.*

I. Repetantur ea, quæ *not.* 1. *ad preced.* §. dicta ſunt.

II. Quia vero nunquam ſatis commendari materia hujus diſtinctionis inter cauſam phyſicam & moralem diſciplinarum practicarum cultoribus poteſt, noſtrum erit paulo intimiori cura hanc doctrinam perluſtrare,

id quod felicius fiet, ſi potiſſima momenta, in quibus cauſa phyſica & cauſa moralis inter ſe conveniunt, inque quibus ab invicem differunt, in anteceſſum explanemus.

§. 4. In iis conveniunt cauſa phyſica & cauſa moralis: 1. Utraque eſt vera cauſa. 2. Utraque eſt vera cauſa efficiens. 3. Utraque eſt verum & reale ens. 4. Utrique competit vera potentia activa cauſativa. 5. Utraque dicit veram & realem cauſalitatem, & quidem veram & realem actionem.

*NOTA.*

Inveniamus quidem multos, qui de cauſa morali hæc omnia; alios, qui ſaltem non omnia, quippe primum excipiunt; iterum alios, qui tria reliqua negant: Verum ſalvo quorumvis judicio contrarium tuebimur ob rationes mox adducendas.

§. 5. In his differunt cauſa phyſica & cauſa moralis: 1. Hæc ſemper eſt cauſa efficiens mediata: Illa minime. 2. Hæc ſemper eſt cauſa efficiens libera: Illa minime. 3. Hæc

non

Digitized by Google

non poteſt eſſe cauſa abſque illa: Illa poteſt eſſe cauſa abſque hac. 4. Hæc nunquam eſt aut poteſt eſſe cauſa effectus ſibi ignoti: Cum illa aliter comparatum eſt. 5. Plures cauſæ morales totales & æque coordinatæ ejuſdem effectus eſſe poſſunt: At plures cauſæ phyſicæ totales & æque coordinatæ ejuſdem effectus eſſe nequeunt.

*NOTÆ.*

I. Diſcrimina cauſæ moralis & cauſæ phyſicæ quando indicavimus, de cauſa morali qua tali ut & de cauſa phyſica qua tali ea omnia, quæ allata ſunt, intelligenda veniunt. Fieri namque poteſt, ut idem ſimul ſit cauſa moralis & cauſa phyſica reſpectu diverſorum effectuum: e. gr: incendiarius poteſt ſimul dici cauſa moralis & cauſa phyſica: Cauſa nempe moralis eſt incendii, cauſa vero phyſica eſt illius actus, quo ignem ædibus ſubjicit, item directæ & efficacis illius intentionis, quam ex voluntate ſua elicuit, dum nempe hac intentione ignem ſubjecit ædibus, ut incendium, quod deinceps ſecutum eſt, inde ſequeretur.

II. Dictum eſt *præcedenti nota* aliquid poſ-



Digitized by Google

ſe ſimul eſſe cauſam phyſicam & moralem reſpectu diverſorum effectuum: Sed quod amplius, imo magis notandum eſt, poteſt etiam aliquid ſimul reſpectu unius ejusdemque effectus eſſe vera cauſa moralis & vera cauſa phyſica: Dico unius ejusdemque reſpectu. Non enim confundi debent: unius ejusdemque reſpectu, &, uno eodemque reſpectu. Innumeris exemplis veritas aſſerti noſtri demonſtrari poteſt; capiamus unicum exemplum: Faciamus quempiam militiæ Ducem Regi ſuo conſilium dediſſe de urbe feliciter & facile occupanda, hocque conſilio Regem moviſſe, ut urbem obſidione cingere & occupare decerneret: Ponamus vero Regem eidem duci nunc in mandatis dare, ut conſilium iſtud exequatur, ipſumque Ducem Regis mandato motum hocce conſilium feliciter exequi. Annon in tali caſu unius ejusdemque effectus reſpectu dux iſte ſimul cauſa moralis & cauſa phyſica dici poterit? Cauſa moralis, in quantum iſte dux primus ſolusque erat, qui Regem nihil minus quam de tali re cogitantem ad obſidendam occupandamque urbem ſubminiſtrato conſilio moverat: Cauſa phyſica, quatenus iſte Dux juſſibus Regis inſtructus poſtea hoc conſilium ipſe exequebatur. Talia exempla ubivis occurrunt.

III. Et qui cauſam phyſicam nullam agnoſcunt

Digitized by Google

ſcunt niſi immediatam, plura diſcrimina cau-
ſæ moralis & cauſæ phyſicæ monſtrant, inter
quæ potiſſima ſunt ſequentia: 1. Cauſa mo-
ralis eſt cauſa efficiens mediata, cauſa phy-
ſica eſt cauſa efficiens immediata. 2. Ad
cauſam moralem non ſemper opus eſt, ut
exiſtat eo temporis articulo, quo effectus iſte
producitur, cujus cauſa moralis eſt & dici-
tur: Ad cauſam vero phyſicam ſemper re-
quiritur, ut eo momento vere & realiter exi-
ſtat quando nempe effectus producitur, ſeu
ut Scholæ loquuntur, quando illud, cujus
cauſa phyſica dicitur, vere & realiter in eſſe
effectus ponitur. 3. Cauſa moralis eſt cau-
ſa efficiens per cauſam phyſicam principa-
lem: Cauſa phyſica ſine omni alia cauſa
principali phyſica eſt cauſa efficiens. 4. Cau-
ſæ morales plures unius ejuſdemque ordinis,
quaſque ſalva veritate totales dixeris, dari
poſſunt unius ejuſdemque effectus reſpe-
ctu: At plures cauſæ phyſicæ ejuſdem ordi-
nis, & ſimul totales ut vocantur, reſpectu u-
nius ejuſdemque effectus dari nequeunt. 5.
Cauſa moralis nequit eſſe cauſa efficiens me-
diante cauſa phyſica inſtrumentali: At cau-
ſa phyſica poteſt eſſe cauſa efficiens mediante
cauſa inſtrumentali. Nam quod cauſa mo-
ralis mediante cauſa phyſica inſtrumentali
nequeat eſſe cauſa efficiens, patet inde, quia
alias cauſa moralis poſſet elevare cauſam phy-

ſicam inſtrumentalem, quod tamen contradictionem implicat: Quippe ſi *cauſa* moralis cauſam phyſicam inſtrumentalem elevaret, ipſa cauſa moralis effectum immediata virtute attingeret, quatenus ſcilicet eſſet cauſa elevans, & non attingeret immediata virtute, quatenus eſſet cauſa moralis.

§. 6. Ad definitionem cauſæ moralis nunc accedimus: Nobis vero, ſalvo omnium accuratiori judicio, melior magiſque accurata definitio cauſæ moralis non occurrit, unde ſequentem in modum eam definire placuit: *Cauſa moralis eſt cauſa efficiens libera mediata.*

## *NOTÆ.*

I. Singula quæ in definitione expreſſimus, ſimul adſint oportet, ut genuina notio cauſæ moralis locum inveniat. Dicebatur 1. *cauſa*: Nam manifeſto errant, qui cauſam moralem cum cauſa ſine qua non confundunt, quæ tamen ab invicem differunt, ut vera cauſa & non cauſa, ut id quod qua tale vera cauſa eſt, & id quod plane non eſt vera cauſa. Dicebatur 2. *efficiens*: Utut enim in omnibus aliis cauſarum generibus dentur

cauſæ

cauſæ mediatæ, nunquam tamen in ſcholis uſus obtinuit; ut cauſa moralis vocetur ulla cauſa mediata, niſi per ſe ſpectet ad genus cauſæ efficientis. Dicebatur 3. *libera*: Licet namque non negemus, dari cauſas efficientes neceſſarias mediatas, has tamen nemo accuratorum Philoſophorum proprie cauſas morales dixerit. Dicebatur 4. *mediata*: Dantur quippe cauſæ efficientes liberæ immediatæ, ſed hæ cauſæ morales dici nequeunt, ceu ex ſequenti capite evidentius patebit.

II. Nulli vero dubitamus, quin cauſa moralis ſit vera cauſa, & in ſpecie quidem vera cauſa efficiens, cum ſane omnia veræ cauſæ, & in ſpecie veræ cauſæ efficientis, requiſita eidem competant. Adeſt 1. *materiale cauſæ efficientis*, quod eſt verum ac reale Ens: Nam utut ſæpe nondum exiſtat id, quod cauſa moralis vocatur, quando effectus ille fit, cujus nempe cauſa moralis dicitur: Licet etiam ſæpe accidat, ut id, quod cauſam moralem vocamus, defierit exiſtere, antequam effectus ille, cujus cauſa moralis dicitur, fieret: aliud tamen eſt cauſalitatis cauſæ moralis exiſtentia, aliud cauſalitatis cauſæ moralis efficacia: Non enim exiſtentia cauſalitatis cauſæ moralis & ejusdem efficacia ſemper ſimul ſunt, ſed ſæpe ante, ſæpe poſt ſui exiſtentiam cauſalitas cauſæ moralis efficax eſt,



Digitized by Google

ut mox pluribus dicetur. Adeſt 2. *Ratio cauſandi ex parte cauſæ moralis* hæcque, eſt potentia activa libera mediata. Adeſt 3. *Cauſalitas*, quæ eſt intentio, uti quidem per eam mediante alia cauſa principali ipſum illud, quod cauſam moralem appellamus, effectum producit, ita ut illa ipſa principalis cauſa, qua mediante cauſa moralis cauſa effectus eſt, ſit vera cauſa efficiens immediata. Unde quia mediante alia cauſa principali cauſa moralis agit, & per actionem ſuam cauſa moralis eſt, non miremur amplius, cur cauſa moralis vel potius ejus cauſalitas, ſi hunc vel illum ejus modum penetres & recte ac accurate perpendas, nunc ante, nunc poſt ſui exiſtentiam poſſit eſſe efficax? Ubi ergo omnia & ſingula adſunt veræ cauſæ, imo veræ cauſæ efficientis requiſita, non apparet, cur dubitandum amplius ſit, ibi veram dari cauſam efficientem.

III. Notum alias omnibus eſt, etiam iis, qui vel leviter imbuti ſunt rudimentis Metaphyſicis, quod in Scholis Metaphyſicorum communiter recepta ſit veræ cauſæ in communi definitio, quam *Franciſcus Suarez* tradit *Diſpp. Metaph. Tom. 1. Diſp. 12. ſect. 2. §. 4* hunc in modum: *Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud.* Conf. ea, quæ ſupra p. 528. attulimus. Ipſe etiam *Suarez* hancce definitionem communi uſu receptam & ma-

maxime probandam ac probatam defini-tionem eſſe credit ac teſtatur *ejusdem ſectionis* §. 9. Jam diſceptari ſolet ac rigoroſe quæri: *Numne ſolide ac ſufficienter defendi poſſit, quod cauſa moralis ſit verum principium per ſe influens eſſe in aliud?* Videas celeberrimos viros & Doctores Metaphyſicos præſtantiſſimi nominis, qui id negant & pernegant: 1. Huic ſententiæ credas luculenter ſubſcribere ipſum *Svarezium*, quando *diſp.* 17. *de cauſa efficiente in communi ſect.* 2. §. 6. expreſſis verbis aſſerit, *cauſam moralem vere ac realiter non influere in effectum, cujus cauſa moralis dicitur:* Idem eodem loco manifeſto affirmat, *cauſam moralem per ſe non vere efficere.* Rurſus ibidem ſcribit: *Sumimus moralem cauſam ita, ut cauſa phyſica dicatur, quæ vere efficit: Cauſa moralis, quæ tantum imputative. Quo fit, ut Phyſice aut Metaphyſice hæc conſiderando diviſio cauſæ efficientis in Phyſicam & moralem revocetur ad diſtinctionem inter cauſam per ſe & cauſam per accidens: Nam cauſa vere efficiens Phyſice, ſolum dicitur de cauſa per ſe: Cauſa autem quæ moraliter tantum ſeu imputative cauſat, Phyſice conſiderata tantum eſt cauſa per accidens, cum per ſe ac vere non influat.* Videatur *Svarez* pluribus *l. c.* 2. Videtur ſolide doceri poſſe, quod cauſæ morali, prout phyſicæ cauſæ opponitur, nullus plane in effectum competat influxus. Nam (*a*) qui non impe-

Digitized by Google

impedit aliquid, cum poſſit & debeat, is vera cauſa moralis eſt, neque tamen influit eſſe in illud, quia influxus aliquid poſitivi eſt: At τὸ non impedire aliquid, cum poſſis & debeas, in caſu recto mera negatio vel omiſſio actus eſt. Ita *Ariſtoteles* abſentiam nautæ vel potius nautam abſentem vocat cauſam naufragii *2. Phyſ. textu 30.* & *5. Metaph. c. 2.* Cujus ſane cauſalitas non in eo conſiſtit, quod ſit aliquid, ſed quod non ſit, nimirum quod non ſit ille actus, quo poterat & debebat impediri naufragium. Nec eſt, quod excipiatur, hæc duo: poſſe & debere impedire, eſſe omnino poſitiva. Reſponſio namque facilis eſt: Sunt quidem poſitiva, non tamen per hoc nauta eſt cauſa naufragii, quod poſſit & debeat impedire, ſed quod non impediat, cum poſſit & debeat: quæ mera negatio eſt actus cum connotata poteſtate & obligatione ad præſtandum illum. (6) Urgeri etiam hoc ſolet, quod ſi cauſa moralis vere influeret in effectum, influxus ille vel eſſet immediatus, vel mediatus: Immediatus eſſe nequit, quia alias cauſa moralis eſſet cauſa immediata: Nec vero mediatus influxus dici poteſt, quia mediatus influxus non eſt influxus, cum de eſſentia influxus ſit, ut immediate fiat: Præterea nec mediatus influxus ulli cauſæ tribui poteſt, niſi in quantum cauſæ proximæ virtutem influendi dedit vel con-

ſer-

Digitized by Google

ſervat: at nemo unquam non impediendo effectum, virtutem dat vel conſervat cauſæ proximæ, quâ in illum influit, ſicut procellæ & turbines vim quaſſandi navim neutiquam ab abſente nautâ vel muneris ejus neglectu nanciſcuntur. Hic quidem iterum excipi poſſe videbatur, quod utut tandem concedatur, iſti cauſæ morali non competere verum influxum, quæ nempe cauſa moralis dicitur, quia non impedivit effectum, cum potuiſſet ac debuiſſet, de aliis tamen cauſis moralibus idem dici nequeat; Nam qui dat conſilium, aut pro ea, qua pollet, auctoritate aliquid mandat, aut interminatur, plus conferre ad effectum (minimum ad eum modum, quo cauſa impulſiva vel finalis influere) videtur: Verum contra hanc exceptionem urgetur, quod hujusmodi influxum neutiquam cauſa moralis, ſed quæ cauſæ phyſicæ per illius actionem applicatur, nempe cauſa impulſiva externa præſtet: e. g. qui ſvadet vel mandat, non per hoc cauſalitatem cauſæ impulſivæ exercet, quod eam cauſæ phyſicæ applicet, id quod vel inde patet, quia poſtquam applicata eſt, movet cauſam phyſicam, abſente etiam & otioſo vel plane mortuo eo, qui applicuit: v. g. ſi conſilium, quod mihi alter dedit, bonum eſt, aut ſi ratio ſuaſoria, qua alter utitur, bona eſt, ſuapte vi me movet, nihil amplius confe-

ferente eo, qui dedit; neque hic ſi conſultoris ſimul moveat autoritas, plus ille in genere cauſæ moralis confert, quam ut per actum conſulendi ſuadendique una cum ratione ſuaſoria autoritatem ſuam cauſæ phyſicæ repræſentet & quaſi applicet: quæ poſtquam ita applicata eſt, pariter ac ratio ſuaſoria, per ſe & ſuapte vi in genere cauſæ impulſivæ movet, ut ita tum cauſæ moralis applicantis, tum cauſæ impulſivæ applicatæ prorſus diſtinctæ cauſalitates maneant. Res facilius percipitur, ſi attendatur, neminem, dum agens patienti, ſive cauſam efficientem phyſicam materiæ applicat, in genere efficientis cauſalitatem & influxum præſtare: neque enim actio ejus terminatur ad effectum, in quem agens Phyſicum influit, ſed tantum ad propinquitatem hujus ad patiens vel materiam, ut *Scholæ* loquuntur, quæ plus non eſt, quam conditio, ſine qua cauſa phyſica non poteſt influere: Eodem vero modo cum ſuadente, vel mandante, vel interminante, comparatum eſt.

IV. Hæ difficultates, quas bonâ fide e celebriorum Virorum ſcriptis recenſuimus, moverunt ſane multos eruditiſſimos Viros, ut abirent in diverſas vias: alii quippe eas tanti momenti cenſuerunt, ut de cauſæ moralis cauſalitate prorſus deſperarent, ipſamque cauſam moralem veram cauſam eſſe negarent,

rent, & nil niſi meram cauſam ſine qua non dicerent, ac pro ea omnino habendam eſſe facirent: Alii vero cum adductas difficultates itidem tantas crederent, ut influxum cauſæ moralis prorſus negarent, noluerunt tamen cauſalitatem cauſæ morali denegare, idque propter correxerunt definitionem cauſæ, veramque cauſam diſtinxerunt in influentem & non influentem. Sed hi, qui poſteriorem ſententiam ſecuti ſunt, rurſus in tot fere ſententias abierunt, quot capita numerare poſſis: Videamus enim alios habere cauſam moralem adhuc pro vera cauſa, non tamen pro vera cauſa efficiente: Et hi pro præcipua ratione & inſolubili venditant, quod nunc ante, nunc poſt cauſæ moralis exiſtentiam iſte effectus, cujus cauſa moralis ſimul ſtatuitur, a cauſa efficiente fiat, cum tamen omnium Philoſophorum judicio vere & realiter agere ſemper præſupponat exiſtere. Iterum alii ad cauſam efficientem omnino relatam volunt cauſam moralem, ut tamen ea non niſi ſecundario cauſa efficiens dici poſſit, utque cauſa efficiens maneat in numero communium πρὸς ἕν, h. e. eorum, quæ primario & abſolute ſeu per prius ſaltem de uno dici poſſunt: Ita vero ſentientes nimis ſolliciti vivunt, qua ratione cauſæ morali ut cauſæ efficienti genuinam cauſalitatem aſſignare poſſint? Inveniuntur, qui cauſalitatem

cau-

cauſæ moralis conſtituunt in eo, quod ab illa per ſe & neceſſario effectus dependeat. Dantur, qui hancce cautionem adjiciunt: dependeat, non tamen ut a cauſa ſine qua non. Sunt viciſſim, qui in imputatione, item qui (quæ ipſorum vox eſt) in imputativitate, quod ſcilicet effectus ipſi recte ſive jure imputetur, vel recte ſive jure imputari poſſit, perinde ac ſi verum ac realem influxum in effectum præſtitiſſet, cauſalitatem cauſæ moralis collocant. Nec deſunt, qui in morali motione cauſalitatem cauſæ moralis quærunt. Adſunt quoque, qui pro vera cauſalitate cauſæ moralis habent, τὸ intendere effectum & aliquid ad ipſum conferre, ut per hoc aliquid ſit cauſa moralis, quod in effectum non influat, intendat tamen & aliquid ad ipſum conferat, ut ita effectus ab ea ut non influente in ipſum, tamen intendente ſimul & eo conferente procedat. Et ut plures opiniones taceamus, tandem habentur, quibus placet cauſalitatem cauſæ moralis ita definire, ac ſi per hoc aliquid primo & rectiſſime dicatur cauſa moralis, ſi ita ſe habeat, ut effectum quidem revera non producat, perinde tamen ſe gerat, ac ſi veriſſime eum produxiſſet; idque propter non aliter æſtimari poſſit.

V. His omnibus, quæ hucusque recenſuimus, nondum adduci poſſumus, ut ea

pro-

Digitized by Google

propter opinionem noſtram tanquam omni veritatis ſpecie deſtitutam deſeramus, quamvis neutiquam eamus inficias, argumenta *nota 1. & 2.* allata utique videri difficilia ſolutu. Accedit, quod magnæ autoritatis viri his argumentis magnam certe fidem habeant, quorum autoritate ſalva, ſalvo etiam cujuslibet meliori judicio, conabimur ad allatas rationes dubitandi reſponſi loco breviter quædam notare. Et quidem aſſerta *Suarezii* quod attinet, ea aut de influxu Phyſico, item de actione, ut eſt cauſalitas cauſæ Phyſicæ in rigore ſic dictæ, intelligenda veniunt, aut nondum ſatis cauſæ apparet, cur illis teneamur adſtipulari. Cauſam moralem ſuo ac ſano ſenſu poſſe dici cauſam Phyſicam per accidens, non diffitemur, quo de peculiari capite una diſpicietur: Inde vero nondum credimus ſequi, cauſam moralem non eſſe veram cauſam per ſe. Pariter ſi (uti modo monuimus) vere & realiter influere idem eſt ac Phyſicum & immediatum præſtare influxum, ſi per ſe vere & realiter efficere eſt per veram ac realem actionem immediate effectum producere, ſeu immediatam effectus cauſam eſſe, nullum dubium ſupereſt, quin hoc ſenſu cauſa moralis nec vere & realiter in effectum, cujus cauſa moralis eſt, influat, nec per ſe eundem vere & realiter efficiat: Interim nondum

inde ſolide deduci poſſe credas, cauſam moralem plane nullum præſtare *influxum* in effectum, cujus cauſa moralis vocatur, item veram & realem actionem non poſſe dici cauſalitatem per ſe in ordine ad cauſam moralem. Quod enim *Suarez* adjecit, quaſi cauſæ moralis tractatio nullatenus ad Metaphyſicam, ſed ad Philoſophiam moralem ſpectet, eo ipſo lapſum judicii commiſit ac ſibimet ipſi ſtrenue impoſuit, ut *proxime ſequenti* capite demonſtrabitur.

VI. Relinquimus accuratiori & æquiori cujusvis judicio, annon etiam aliquid excipi poſſit contra rationes *nota 3.* allatas, & mallemus circa has exceptiones noſtras informari: Nam quando (1.) urgebatur, influxum aliquid poſitivi eſſe, hoc lubentiſſime admittimus, ſi de influxu veræ cauſæ efficientis ſermo ſit, utut poſitivi nomine verum ac reale Ens intelligatur: Alias non eſt perpetuæ veritatis, verum influxum eſſe verum ac reale Ens, cum omnis vera cauſa finalis, item omnis vera cauſa impulſiva, qua tales præſtent verum influxum: quis vero ignorat plurimas finales & impulſivas cauſas eſſe non Entia, ſicque verum influxum, qui ſit verum & reale Ens, neutiquam præſtare poſſe. Sed parum hoc ad præſens, quando præciſe de influxu veræ cauſæ efficientis agitur, & de eo ratio pro contraria ſententia accipitur.

Quando

Quando vero objiciebatur, eum qui non impedit aliquid, cum tamen poſſit ac debeat, veram ejus cauſam eſſe, neque tamen eſſe in ipſum influere, prius (h. e. id, quo aſſeritur, eum qui non impedit aliquid, cum poſſit, & debeat, eſſe veram cauſam) admittimus: De poſteriori vero (quaſi ſcilicet non influat eſſe in ipſum, quod non impedit, cum poſſit & debeat) merito adhuc dubitamus. Non enim poſitivum influxum in poteſtate & obligatione ad præſtandum illum actum, quem is, qui non impedit, cum poſſit & debeat, non præſtat, ponimus, ſed poſitivum influxum credimus eſſe poſitivam ac realem intentionem, ſpectatam ut una connotat id, per quod intentio illa ſe exerit circa effectum, atque ita efficax redditur, ut per intentionem illam id, quod non impedit, cum poſſit & debeat, vera cauſa mediata ſit, h. e. cauſa moralis: Ita e. gr. quando nauclerus dicitur cauſa naufragii, certe cauſam naufragii eum dici credimus non per abſentiam: Quid enim, ſi nauclerus ſufficientiſſime docere poſſet, futurum nequaquam fuiſſe, ut impedire potuiſſet naufragium, utut præſens manſiſſet; ſic ſane non potuiſſet nauclerus dici cauſa naufragii: Salvo igitur meliori judicio, videtur nobis, ac ſi nauclerus ſit cauſa moralis naufragii per intentionem, quam per abſentiam ſuam efficacem



Digitized by Google

reddidit: habuit namque nauclerus intentionem, ſi non directam, tamen indirectam, qua voluit, ut navis frangeretur, eamque intentionem per abitum ſuum efficacem reddidit, quia ipſe præſentia ſua potuiſſet, atque debuiſſet naufragium impedire. Ad ſecundum (quando ſcilicet nota 2. objiciebatur ſecundo loco, influxum cauſæ moralis, ſi ſit verus influxus, vel eſſe influxum immediatum aut mediatum) reſponſi titulo aliorum accuratioribus cogitationibus expendendum tranſcribimus, annon verus influxus mediatus haberi poſſit, imo debeat haberi pro vero influxu. Hoc quippe dubitatione caret, nec negamus, cauſæ moralis qua talis, quia vera cauſa mediata eſt, immediatum influxum attribui non poſſe, quia omnino alias non eſſet mediata, ſed immediata cauſa: Verum rationem deſideramus ſolidam & inſolubilem, quæ prohibeat mediatū influxum dicere verū influxum, & unde ſolide probari poſſit, de eſſentia veri influxus eſſe, ut immediatus ſit? Cur enim materia mediata habetur pro vera materia, finis mediatus pro vero fine, & utrique a contrariæ ſententiæ Patronis verus influxus adſcribitur? Ita *e. gr.* vera materia ſyllogismi dicuntur termini, nec tamen niſi mediata cauſa materialis ſunt termini reſpectu ſyllogismi: innumera alia verarum cauſarum, cum mate-

materialium, tum finalium, exempla adduci poſſent, exempla ſcilicet cauſarum materialium ac finalium, quæ vere influant, tamen cauſæ mediatæ ſint, niſi res manifeſta deprecaretur ſilentium. Quod addebatur, (mediatum influxum nulli cauſæ tribui poſſe, niſi in quantum cauſæ proximæ virtutem influendi dederit vel conſervet) hoc forſan ulteriori probatione adhuc indiget: Si enim ex alterius agentis intentione, quam exerit & efficacem reddit per hoc, quod cauſæ immediatæ influxum non impedit, cum poſſit & debeat, æque per ſe ſequi poteſt ac ſequitur influxus cauſæ immediatæ, quid tandem obſtat, quo certe minus vera cauſa moralis quiſpiam dicatur per veram ac realem intentionem, quam efficacem reddidit non per hoc, ac ſi cauſæ immediatæ efficienti virtutem agendi dediſſet vel conſervaſſet, ſed hoc titulo, quia non impediverat, ut virtus cauſæ immediatæ efficientis ſe exereret, cum potuiſſet ac debuiſſet impedire. De cætero quæ eadem nota urgebantur, ea forſan nos non adeo premunt, utpote qui non aſſerimus ſuaſionem, mandatum, conſilium, interminationem &c. eſſe cauſalitatem cauſæ moralis, ſed ſalvo cujuslibet meliori ac accuratiori judicio in ea opinione ſumus, quod nemo cauſa moralis ſit, niſi per veram ac realem intentionem cum connotato eo,

per quod intentio efficax redditur, ſive illud ſit realis ac veræ actionis commiſſio, qualis eſt, ex. gr. ſuaſio, mandatum, conſilium, alia interminatio &c. ſive ſit veræ ac realis actionis omiſſio, ut: omiſſio actus, quo alias effectum fuiſſet, ne virtus cauſæ Phyſicæ ſe exereret; ex. gr. ne procellæ & turbines navim frangerent. Sed hæc omnia nemini obtrudimus, ſed cuivis prudentia judicandi inſtructo liberrimum relinquimus judicium, modo nobis quoque libertas modeſte diſſentiendi integra relinquatur.

VII. Hisce difficultatibus ita conſideratis, nullam facile videmus rationem, quæ nos dubios reddat, quo minus cauſam moralem pro vera cauſa ſemper agnoſcamus: Eo vero ſtante, nō poterit abſq; graviſſimo veritatis diſpendio ipſa notio cauſæ moralis cum uſitata cauſæ ſine qua non notione confundi: Imo ne quidem ſi uſum loquendi ſequamur, hoc nomine cenſeri poterit, cum cauſa ſine qua non nequaquam ſit vera cauſa, eique nullus verus ac realis influxus tribui poſſit: at cauſa moralis eſt vera cauſa. Quæ igitur ut non vera cauſa & vera cauſa differunt, diſcrimen ſatis luculentum admittunt. Nondum quoque ſatis cauſæ cernimus, cur cauſam debeamus diſtinguere in influentem & non influentem. Nam ſi hujus vocis: influxus, ſignificationem expendamus, influere eſſe in omni-

nium Metaphyſicorum ſcholis idem eſt ac dare ſeu communicare eſſe ſeu eſſentiam: imo ipſe *Suarez* his verbis: influens eſſe, nihil aliud notari docet quam principium eſſendi, ut ſcilicet influens eſſe & principium eſſendi plane idem ſint: Cur ergo cauſa moralis non poſſet dici principium eſſendi, cum effectus, cujus cauſa moralis dicitur, in eſſe ſuo ab ea procedat. Imo nec veremur cauſam moralem habere pro vera cauſa efficiente, quia ut oſtendimus, effectus qua talis per veram & realem actionem a cauſa morali qua tali in eſſe ſuo procedit. Nam quod *nota 3.* objiciebatur (nunc ante nunc poſt cauſæ moralis exiſtentiam effectum a cauſa efficiente Phyſica fieri, cum tamen vere & realiter agere omnium Philoſophorum judicio ſemper præſupponat exiſtere) ad hoc ut ſufficienter vel pro viribus reſpondere voluiſſe videamur, in anteceſſum diſtinguimus inter *cauſalitatis cauſæ moralis exiſtentiam* & inter *cauſalitatis cauſæ moralis efficaciam*: Hoc omnino largimur, nunquam fiere poſſe, ut aliquid ſit veræ & realis actionis principium effectivum immediatum, utut non amplius exiſtat, vel nondum exiſtat: nec diffitemur, quod quando intentio, quam cauſalitatem cauſæ moralis diximus, vere & realiter procedit a cauſa morali, omnino exiſtentia cauſæ moralis requiratur: Verum nos non diximus, in-



Digitized by Google

intentionem ſimpliciter ſpectatam cauſalitatem cauſæ moralis, ſed intentionem efficacem, uti quidem per eam aliquid cauſa mediata effectus eſt, cauſæ moralis cauſalitatem vocavimus. Et certe quia cauſa moralis eſt quidem vera cauſa, non vero immediata, ſed mediata, ideo credimus fieri utiq; poſſe, ut intentio, quatenus per eam cauſa moralis cauſa mediata eſt, nunc ante ſui exiſtentiam, nunc poſt ſui exiſtentiam efficax ſit. Exemplis res poteſt felicius declarari: Ita e.gr. incendiarius ea intentione ſubjecerat ignem tecto, ut ædes comburerentur, ſic vero ſubjecerat ignem ædibus, ut probe ſciret fieri non poſſe, ut flamma ignis ſtatim erumperet, vel illico domino ædium damnum inferretur, quis non aſſequitur incendium ſequi poſſe, licet incendiarius dudum periiſſet, antequam ſequeretur? Sufficit incendiarium vere & realiter extitiſſe, cum vere & realiter incendium intenderet, hancque veram & realem actionem ſuam efficacem reddere inciperet per externi actus commiſſionem, nempe applicationem ignis ad ædes, quæ intentio per hanc applicationem primam, quidem efficaciam, ultimam vero per ipſum incendium ſortita fuit. Et ſicuti quis (ipſis ſecus ſentientibus ita fatentibus) poteſt dici atque dicitur vera cauſa effectus, qui alteri cauſæ vires agendi dedit ea intentione, ut effe-

effectus ab ea fieret: Ita etiam nihil obſtat, quo minus incendiarius maneat vera causa efficiens, licet actio poſt incendiarii obitum ad ultimam efficaciam pervenerit, quia ſufficit, absque intentione incendiarii ſi fuiſſet, non futurum fuiſſe hoc incendium, cujus tamen intentio cum connotata efficacia ſpectata non fuit cauſa ſine qua non; ſed vera cauſalitas cauſæ moralis. Ita Herodes morti jam propinquus, cum intelligeret Judæos non adeo lacrymis obitum ſuum proſecuturos fore, ut occaſionem lacrymandi ipſis præberet, ſuis præcepit, ut quamprimum fuiſſet extinctus, nobiliſſimorum, quos Judæis maxime caros eſſe ſciebat, virorum cæde ſibi parentarent. Quod cum illi ſtrenue exequerentur, Herodes demum poſt ſui exiſtentiam cauſa moralis cædis erat. Pariter Jonathan dudum defunctus cauſa moralis erat beneficiorum Mephiboſetho a Davide exhibitorum. Quum enim David meritorum, ſibi a Jonathane, dum viveret, praeſtitorum recordaretur, inducebatur ad benefaciendum Mephiboſetho propter Jonathanem ipſius Patrem tunc non amplius exiſtentem, & ſic Jonathan mortuus cauſa moralis erat miſericordiæ in Davide erga Mephiboſethum: Interim non eſt, quod dicatur, Jonathanem fuiſſe cauſam moralem miſericordiæ in Davide erga Mephiboſe-



Digitized by Google

thum ſine ulla actione, licet mortuo nulla conveniat: Quippe Jonathan dum adhuc in vivis erat & præclare de Davide merebatur, directe intendebat beneficentiam domui ſuæ poſt obitum a Davide præſtandam, & ex hac intentione iſtam a Davide precibus exorabat, atque ſic vivus, non mortuus, veram cauſæ moralis cauſalitatem & actionem, intentionem puta; cum meritis & externo precationis actu conjunctam exercebat. Efficax autem utique erat hæc Jonathanis actio poſt ipſius exiſtentiam, ubi David regiam indeptus Majeſtatem meritorum recolebat memoriam, iisque ad bene Mephiboſetho faciendum efficaciter incitabatur.

VIII. Vix neceſſarium ducimus, multis nunc tandem declarare velle, quid de variis iſtis opinionibus, eorum ſcilicet, qui cauſam moralem pro vera cauſa efficiente habent, & quas *not.* 3. receſſuimus, judicandum ſit. Nam in eo cauſalitatem cauſæ moralis conſtituere velle, quod ab illa per ſe & neceſſario effectus dependeat, quid quæſo aliud eſt, quam veram cauſam efficientem cum cauſa ſine qua non confundere, cum & ab hac per ſe neceſſario effectus dependeat? Et licet a quibusdam addatur non nudam dependentiam iſtam dici cauſalitatem cauſæ moralis, ſed ſi ſpectetur ſimul, ut non eſt dependentia a cauſa ſine qua non: hoc tamen ſolidam re-

reſponſionem expectanti non ſatisfacit: Nam effectus etiam dependet a cauſa Phyſica non ita a cauſa ſine qua non, nec tamen una eſt eademque cauſæ moralis & cauſæ Phyſicæ cauſalitas. Dicendum ergo fuiſſet, in quonam dependentia iſta, vi cujus effectus per ſe & neceſſario dependet a cauſa morali ut vera cauſa, conſiſtat? Ut nihil de eo moneamus, quam difficile futurum ſit, cujuslibet cauſæ moralis habitudinem ad effectum, quæ in neceſſaria dependentia conſiſtat, docere. Quæ de imputatione & aptitudine imputandi narrabantur, hæc cauſalitatem cauſæ moralis indicare nequeunt: Semper enim ratione a priori opus erit, ob quam ſalva veritate imputetur effectus, item ob quam vere poſſit imputari, & ex hac tandem ratione dijudicanda erit vera cauſalitas. Moralem motionem multis cauſis moralibus tribui non poſſe extra dubitationem ponimus, & vel hoc unicum ſufficit, quo minus eam pro cauſalitate cauſæ moralis venditemus. Porro ſi τὸ intendere effectum & aliquid ad ipſum conferre eſt cauſalitas cauſæ moralis, quid vetat cauſam moralem dicere veram cauſam, & quidem efficientem? quid prohibet eam dicere cauſam influentem in effectum, utut influxus mediatus ſit? in quonam conſiſtit τὸ aliquid ad effectum conferre? Nec rem ſatis definit, qui per hoc aliquid cauſam

mo-

moralem primo vocat, quod effectum quidem revera non producat, perinde tamen ſe gerat, ac ſi veriſſime eum produxiſſet, ut id propter non aliter æſtimari poſſit: ratio namque a priori merito urgetur & deſideratur, cur non aliter æſtimari poſſit? Unde conſtet, quod perinde ſe gerat, ac ſi effectum revera produceret? His ita examinatis, denuo eruditorum candido judicio exponimus, quisque ſine affectu judicet, annon intentio efficax, uti quidem influxus mediatus eſt, ſeu, ut per eam aliquod liberum agens cauſa efficiens mediata eſt, haberi poſſit pro vera cauſæ moralis, qua talis, cauſalitate, quam ſententiam tamdiu defendemus, donec melior nobis obvenerit. Cæterum perinde erit, ſive cauſa moralis dicatur cauſa efficiens libera mediata, ſive definiatur cauſa mediata per intentionem. Nihil namque eſt cauſa efficiens libera, niſi ſit cauſa mediata per intentionem, prout hæc dicit actum elicitum voluntatis liberæ qua talis.

IX. Quæ amplius hic disquiri poterant, melioris ordinis gratia ſequenti capite, poſtquam ſcilicet diſcrimen cauſæ moralis ab agente morali ſolide monſtratum fuerit, (utpote cujus neglectus tot diverſis opinionibus cauſam dedit) expendentur.

CAPUT

Digitized by Google

## Caput Vigesimum Tertium

De

# DISCRIMINE CAUSÆ MORALIS AB AGENTE MORALI.

Ubi ſimul uberius declaratur,
CAUSAM MORALEM ESSE VERAM CAUSAM, veraque ratio, per quam cauſa moralis eſt cauſa moralis, prolixius expenditur.

### §. 1.

DIſcrimen cauſæ moralis & agẽtis moralis vix melius percipitur, quam ſi cognoſcere volentes in memoria habeant duplicem diſtinctionem agentium liberorum. Primo ea ſunt vel *moralia* vel *adiophora*: omnis namque actio phyſica libera eſt vel moralis vel adiaphora. E.gr. promiſſo ſtare & promittere: hoc enim voluntatis eſt, illud vero effectum habet neceſſitatis moralis. Secundo agentia libe-

libera alia ſunt *immediata*, alia *mediata*.

### NOTÆ.

I. Ex ſequentibus patebit, fundamentum totius diſcriminis, quod inter cauſam phyſicam & cauſam moralem intercedit, feliciter ac facile perſpici, ſi quæ modo in memoriam revocavimus, fundamenti loco aſſumantur.

II. Quotidie cauſam moralem cum agente morali ſeu, quod idem eſt, cum cauſa in genere morum confundi videas, hocque ipſum nos movit, ut peculiare caput hac de re conſcriberemus.

§. 2. Et ſane *cauſa moralis & agens morale* ſeu quod eodem redit, cauſa in genere morum non raro cum ſolidioris Philoſophiæ & primæ & moralis notabili ac noxio neglectu confunduntur, unde tanto facilius juvabit luculenta utriusque ab invicem diſcrimina notaſſe.

### NOTÆ.

I. Hujus confuſionis non ſolummodo reos arguimus multos Metaphyſicorum & Mo-

Digitized by Google

Moralium Doctorum filios, ſed ipſos quoque Doctores certe non paucos. Ita *Franciſcus Suarez*, quem innumeri Scholaſtici Doctores ac Moraliſtæ ſeqvuntur *diſp. XVII. Metaph. ſect. 2. num. 6.* poſtquam ita diſſeruiſſet: *Secundo dividi poteſt cauſa efficiens in phyſicam & moralem. Cauſa phyſica hoc loco ſumitur pro cauſa vere ac realiter influente in effectum. Cauſa vero moralis dicitur, quæ per ſe non vere efficit, moraliter tamen ita ſe gerit, ut ei imputetur effectus: quomodo cauſa conſulens, aut rogans, aut non impediens, cum poſſit ac debeat, dicitur cauſa moralis. Hoc enim modo nunc ſumimus moralem cauſam, ita ut cauſa phyſica dicatur, quæ vere efficit: moralis, quæ tantum imputative. Quo fit, ut Phyſice aut Metaphyſice hæc conſiderando, diviſio hæc revocetur ad priorem de cauſa per ſe, & per accidens: nam cauſa vere efficiens phyſice ſolum dicitur de cauſa per ſe: cauſa autem, quæ moraliter tantum ſeu imputative cauſat, phyſice conſiderata, tantum eſt cauſa per accidens, cum per ſe & vere non influat. Unde ſemper eſt aut cauſa non impediens, cum poſſit ac debeat, aut cauſa applicans cauſam per ſe, vel inducens illam, ſive per conſilium, ſive per preces, ſive per modum meriti, ſive interdum etiam per localem motum, cum quis applicat ignem domui: nam licet ſit cauſa per ſe phyſica illius motus, combuſtionis tamen ſolum eſt cauſa per accidens. Hæc vero cauſalitas, quæ phyſice*

*ſice eſt per accidens*, *moraliter & imputative reputatur per ſe*. Tandem ita concludit eodem loco: *De cauſa ergo morali hoc modo ſumta, nihil amplius a nobis dicendum eſt, quia quatenus eſt per accidens phyſice, non cadit ſub ſcientiam, quatenus vero per ſe in genere moris, ad ſcientiam moralem ſpectat ejus conſideratio, non ad Metaphyſicam. Cauſa autem phyſica ac vera duplicem poteſt habere agendi modum: ſcilicet vel naturaliter, vel libere, ſeu neceſſario, vel contingenter: & de his duobus modis agendi dicemus inferius: De moralitate autem, quæ actibus liberis convenit, quatenus liberi ſunt, non ſpectat conſideratio ad præſentem ſcientiam, ſed ad Moralem Philoſophiam vel potius ad Divinam Theologiam.* Ex his *Svarezii* verbis abunde liquet veritas noſtri aſſerti, dum nempe diximus, etiam a præſtantiſſimis Metaphyſicis cauſam moralem cum agente morali ſeu cauſa in genere morum confundi.

II. Niſi prorſus fallimur, multis hæc notio: *moralis*, quando nempe cauſa moralis dicitur, impoſuit, ut crederent cauſam moralem ita denominari a moralitate, quæ tamen opinio non minus falſiſſima, quam communiſſima eſt.

§. 3. Poteſt igitur aliquid eſſe cauſa moralis, ut tamen non ſit agens morale: Poteſt quoque aliquid

quid eſſe agens morale, ut non ſit cauſa moralis. Et licet aliquid poſſit ſimul eſſe cauſa moralis & agens morale ſimul, ſemper tamen adhuc λόγῳ differunt cauſa moralis & agens morale, ita ut alio ſenſu cauſa moralis & alio iterum ſenſu agens morale dicatur.

*N O T A.*

Singula tria aſſerta rationibus confirmabimus, additis exemplis illuſtrioribus.

§. 4. Quod aliquid poſſit eſſe cauſa moralis, ut tamen non ſit ſimul agens morale, probatur inde, quia poteſt eſſe aliquid cauſa moralis per actionem adiaphoram, ut vocant: At quemadmodum actio adiaphora non eſt actio moralis, ita nec cauſa per talem actionem dici poterit agens morale: e. gr. petit quiſpiam ab altero, ut feſtucam de trabe tollat, qui eam tollit eſt cauſa phyſica, ille vero,



Digitized by Google

ro, cujus precibus permovebatur, ut tolleret, eſt cauſa *moralis*, neuter vero agentis moralis titulo nuncupari poteſt, quia uterque erat cauſa ejusdem actionis, actionis ſcilic. non moralis, ſed adiaphoræ.

*NOTÆ.*

I. Sumamus exempla practica: E. gr. in contractu emtionis venditionis emtor & venditor ſunt cum cauſæ morales, tum cauſæ phyſicæ. Scilicet cauſa moralis venditionis eſt emtor, venditor cauſa phyſica: emtionis vero cauſa moralis eſt venditor, emtor cauſa phyſica. Idem eſto judicium de contractu locationis conductionis. Idem de aliis contractibus pronunciari poterat, & inter cæteros maxime de contractibus innominatis: Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.

II. Liceat unum vel alterum e Sacris adducere exemplum: Ita quando *Gen. XXIII.* Abrahamo a Chetitis petenti, ut ſibi locum ſepulturæ darent intra monumenta ſua, Chetitæ reſpondebant: *nemo ex nobis ſepulchrum ſuum occludet tibi, quo minus tuam uxorem ſepelias*; tandem quoque Ebron precibus Abrahami adducebatur, ut donatione transferre vellet jus agri ſui in Abrahamum, ac ſe emtorem mo-

Digitized by Google

modeſtiſſime offerenti Abrahamo mox venderet agrum una cum ſpelunca, omnique arbore pro quadringentis ſiclis argenteis, inque poſſeſſionem Abrahami venire faceret, emtionis quidem cauſa phyſica erat Abraham, donationis vero oblatæ non acceptatæ, item ipſius venditionis ac ſtatim ſecutæ traditionis cauſa moralis erat, agens vero morale minime: Donationem enim oblatam ipſe poterat acceptare & recuſare, utrumque ſitum erat in ipſius ἀδιαφορίᾳ, adeoque ab ipſius etiam arbitrio pendebat, num donationis an venditionis titulo vellet jus ſepulturæ ſibi quæſitum. Adeſto alius generis exemplum ſacrum: *Gen. XXIX, 10.* Jacob, quando accurrens devolvebat lapidem ab ore putei, ut adventans Rachel pulcherrima virgo, ovibus aquam præberet, cauſa moralis erat, nec tamen agens morale, quia actio hæc, cujus cauſa moralis erat, actio erat mere adiaphora. Exemplum inſigne nobis etiam ſuggerunt verba *Pauli*, qui poſtquam *1. Corinth. VII, 3. 4.* uxorem & maritum debiti conjugialis admonuerat, *verſu 5.* pergit: *Ne fraudetis vos invicem, niſi ſi quid ex mutuo conſenſu, ut vacetis jejuniis & precibus: & rurſum ſimul conveniatis, ne tentet vos Satanas ob incontinentiam veſtram.* Ubi iterum exemplum conſpicimus duplicis cauſæ, & phyſicæ & moralis, reſpectu ejus-

dem effectus non moralis. Id quod indicant proxime ſequentia *verſiculo ſexto : Τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν : hoc autem dico ex conceſſione, non ex imperio.*

§. 5. Quod aliquid poſſit eſſe agens morale, quod tamen non ſit cauſa moralis, ex eo liquet, quia multa agentia moralia dantur, quæ ſunt cauſæ immediatæ actionum moralium, adeoque non ſunt cauſæ morales, cum quælibet cauſa moralis ſit cauſa mediata. E. gr. qui manu ſua homicidium patrat, eſt agens morale, quia omne homicidium eſt actio moralis, non vero eſt cauſa moralis.

*N O T Æ.*

I. Quam late patet doctrina de cauſis immediatis actionum moralium, tam immenſus eſt numerus agentium moralium, quæ non ſunt cauſæ morales.

II. Ita *Gen. III, 4.* Diabolus erat agens morale, dum erat cauſa phyſica mendaciorum, quibus Evam, matrem omnium viventium, eheu! decepit. Præciſe loquimur de mendaciis hisce diabolicis, quando nempe

Satanas

Digitized by Google

Satanas mentiebatur & fallebat Evam, dicens: *Non moriemini. Novit enim Deus, quocunque die comederitis de vetito fructu, fore, ut aperiantur oculi veſtri, vosque ſitis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Alias lapſus Protoplaſtorum ex hiſce antiqui ſerpentis mendaciis ac fraudibus ſecuti diabolus erat cauſa moralis. Sic Cainus fratricidii *Gen. IV, 7.* Achan furti *Jos. VII, 1.* Ammon inceſtus *2. Sam. XIII, 14.* erant cauſæ, non tamen morales, ſed phyſicæ, at rectiſſime ponuntur in numero agentium moralium, quia erant cauſæ liberæ harum actionum moralium, non mediatæ, ſed immediatæ. Sexcenta exempla poſſent adduci, ſed quia res tam plana & facilis eſt, nec vacat, nec lubet.

§. 6. Poteſt aliquid ſimul eſſe cauſa moralis & agens morale, alia tamen ſemper ratione eſt cauſa moralis, atque alia ratione eſt agens morale. Nam cauſa moralis eſt, quia eſt cauſa libera mediata: agens vero morale eſt, quia eſt cauſa actionis moralis. Ita ex. gr. qui mandato ſuo movit alterum ad patrandum homicidium, is ſecuti



Digitized by Google

homicidii cauſa moralis eſt, quia eſt cauſa libera mediata cædis, & eſt quoque agens morale, quia æque eſt homicida ac mandatarius: Homicidium enim eſt actio moralis.

## NOTÆ.

I. Innumera dantur exempla agentium moralium & cauſarum moralium ſimul, quæ nempe ſunt agentia moralia, quia ab iis actiones morales qua tales procedunt, ſunt tamen cauſæ morales, quia ſunt cauſæ efficientes mediatæ. Exempla quoque paſſim extant in Sacris. Et ut cætera nunc taceamus, *caput Ezechielis XXXIII.* (dignum, quod ab omnibus ſingulisque futuris Eccleſiæ, quæ Chriſto colligitur, miniſtris ſedulo ac ſerio ponderetur) ad noſtrum ſcopum apprime facit: Scatet enim memorabilibus exemplis. Adducuntur ibidem duo exempla: Unum civium, qui audientes ſonum buccinæ inſuper habuerunt monitum, ſicq; gladiis adventantium ſublati, fuerant cauſæ fuſi ſanguinis amiſſæq; vitæ. Alterum ſpeculatoris, qui a populo ad id conductus, ut adventũ hoſtiũ clanctu buccinæ denunciaret, viderat gladios adventantes, ſignum tamen edere neglexerat ſicq; extiterat cauſa tot cædium ab hoſte patratarum. Mox alia duo exempla

exempla graviſſima adduntur, & quæ metum incutere poſſint ſat gravem iis verbi divini miniſtris, qui divinum iſtud: DIC CUR HIC, ex animis elabi ſinunt. Sic namque habent verba juſtiſſimi Numinis *verſu ſeptimo, octavo & nono. Te, o fili hominis, inquam, ſpeculatorem dedi domus Iſrael, ut audiens ex ore meo verbum deferas ad eos, ipſosque ex me moneas. Quum dixero improbo, improbe omnino moriturus es, ſi non admonueris improbum, ut deſiſtat a via ſua, ipſe ob iniquitatem ſuam morietur, ſanguinem vero ejus e manu tua requiram. Tu vero, ſi monueris improbum, ut derelinquat priſtina veſtigia, nec reverſus fuerit a via ſua, ipſe ob iniquitatem ſuam morietur, tu vero temetipſum liberaſti.* Exempla varia ejusdem generis, eaque ſacra in ſequenti capite in gratiam Theologiæ cultorum ſtudio adferentur.

II. Plura exempla huc facientia ſuppeditat *Inſtitutionum Juſtinianearum titulus* (qui ultimi libri primus eſt) *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur.* Hæc namque §. *interdum* 13. memorantur: *Interdum quoque furti tenetur, qui ipſe furtum non fecit: qualis eſt is, cujus ope, conſilio furtum factum eſt. In quo numero eſt, qui tibi nummos excuſſit, ut alius eos raperet, aut tibi obſtiterit, ut alius rem tuam acciperet, aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eas exciperet. Et hoc Veteres ſcripſerunt*

 de

Digitized by Google

*de eo, qui panno rubro fugavit armentum.* Et paulo poſt: *Ope & conſilio ejus quoque furtum admitti videtur, qui ſcalas forte feneſtris ſupponit: aut ipſas feneſtras vel oſtium effringit, ut alius furtum faceret: quive ferramenta ad effringendum, aut ſcalas ut feneſtris ſupponerentur, commodaverit, ſciens cujus rei gratia commodaverit.*

III. Paucis: Quisquis vere reus eſt ſceleris, nec tamen cauſa eſt ſceleris immediata, hunc omnino *Metaphyſici* & *Morales Philoſophi* recte meritoque cauſam moralem & agens morale ſimul nuncupant.

§. 7. Interim fatendum utique eſt, ſæpenumero cauſam moralem ita ſumi, ut omnis cauſa moralis ſit agens morale: Et in hac acceptione ſumta cauſa moralis differt ab agente morali ut anguſtius a latiori. Ratio, cur cauſa moralis ſæpe in hoc ſignificatu accipi ſoleat, eſt, quia in omni foro omnique Jure maxime in conſiderationem ac inquiſitionem cauſæ mediatæ actionum moralium, non item cauſæ mediatæ actionum adiaphorarum veniunt.

NO-

Digitized by Google

## N O T Æ.

I. Veriſſime *Grotius: Quod faciendi quis alii jus dat, ejus ipſe auctor cenſetur L. I. de I.B. & P. c. 3. §. 5. n. 2.* It. *Facimus & quod per alium facimus. L. II. c. 6. §. 9.* Et rurſus: *Per alium facere quis poteſt, quod per ſeipſum poteſt; & perinde eſt, per ſe quis faciat, an per alium? Lib. III. c. 6. §. 9.* Et ſane horum effatorum in moralibus actionibus & negotiis recte examinandis & dijudicandis maximus uſus eſt: Quibus tamen ad cauſam moralē reſpicitur.

II. Qui cauſam moralem cum agente morali confundunt, hos inprimis fefellit notio: *moralis*, ceu ſupra *not. 2. ad §. 2. p. 1056.* monuimus. Nunc enim morale idem eſt quod liberum, ſicque fundamentum denominationis eſt libertas, ut ita cauſa moralis idem ſit quod cauſa libera: Sed hæc ſignificatio non eſt hujus loci, quia latius patet cauſa libera, quam cauſa moralis. Nunc morale denominationem accipit a moralitate, quæ ſi a priori ſpectetur, dicit veram & realem habitudinem ad naturam rationalem: Si a poſteriori, arguit veram & realem habitudinem ad legem. Verum nec hæc denominatio ad præſens ſpectat, quia cauſa moralis etiam absque moralitate datur. Nunc morale dicitur a more, hoc eſt, æſtimatione, diciturque cauſa moralis ea cauſa, cui æque imputari poteſt effectus, ac ſi immediate



Digitized by Google

eum produxiſſet: Cur vero doctiſſimorum quorumvis æſtimatione æque cauſæ morali imputetur effectus (cum intra genus morum, tum extra genus morum, prout ſcilicet cauſa moralis erat cauſa actionis vel moralis vel adiaphoræ) ac ſi immediate eum produxiſſet, ratio in promptu eſt, quia erat vera cauſa per intentionem, æque ac cauſa phyſica libera vera cauſa eſt, quia cauſa per intentionem eſt: Ita Pater per cambii literas mittens filio pecuniam, quamvis non ipſe, ſed mercator ſolvat, vere tamen pecuniam dare filio dicitur. Pariter quando Rex inducias cum hoſte per legatos paciſcitur, induciæ omnino eſſe ſuum habent a Rege, quamvis Rex per legatos agat, & ſic cauſa moralis ſit induciarum. Quis enim diceret, quod induciæ pactæ fuerint, hoc eſſe ſolum a legatis?

III. Sane quid certius eſſe poteſt ſanctiſſimo tribunalis divini pronunciato? At ipſa Majeſtas divina cauſam moralem æque ac cauſam phyſicam pro vera cauſa habet, nec illi ſolummodo effectum imputat, ac ſi eum revera produxiſſet, ſed quia produxit. Memorabile & præſenti eaque exquiſita conſideratione dignum exemplum eſt, quod *2. Sam. XII, 9.* legitur, quando Nathan expreſſis verbis Davidem alloquitur: *Uriam Chitteum percuſſiſti gladio, & uxorem ejus accepiſti*

*-cepiſti tibi in uxorem , ipſum vero interfeciſti gladio filiorum Ammon.* Profecto Nathan miſſus a Deo, converſa ad Davidem oratione tam graphice factum deſcribit, ut ſi mandata Davidis Joabo Duci transmiſſa, & libidines cum Bathſeba expletas non legiſſes, certe crederes ipſum Davidem cum Ammonitis in pinnis murorum ſtetiſſe, amoribus furentem Ammonitis gladium eripuiſſe, miſerum rivalem muros jamjam conſcendentem proſtraviſſe. Niſi enim ex Dei & ad noſcendas veras cauſas delictorum ſapientiſſimi, & ad expendendas æquiſſimi, ſententia David fuiſſet verum principium influens eſſe in cædem Uriæ (retinebimus Suarezianam formulam uſu adeo receptam) Deus ipſe non iiſdem plane verbis, quibus adulterium (cujus David immediata cauſa fuit ) Davidi ob oculos poſuerat, cædem deſcripturus fuiſſet. Sic enim diſerte ait Propheta ad Regem: הכית בחרב *percuſſiſti gladio.* ואת אשתו לקחת לך לעשה & *uxorem ejus accepiſti tibi in uxorem*, הרגת בחרב בני עמון ואתו הרגת בחרב בני עמון *ipſum vero occidiſti gladio filiorum Ammon.* Quemadmodum igitur quiſpiam gladio interficiens alterum, vere eum interfeciſſe dicitur , ſic Deus declaraturus, cædem ab ipſo quoque Davide eſſe patratam , emphatica utitur locutione : *Occidiſti in gladio filiorum Ammon* (quod ex ge-

genio linguæ Ebraicæ idem eſt, ac gladio occidiſti) quaſi non Ammonitæ, ſed David, gladio Ammonitis extorto immediate jugulaſſet Uriam. Alias ex inſpectione ſacri textus abunde conſtat, Davidem nullam Uriæ admoviſſe manum, ſed tantum præcepiſſe Uriæ cædem his ad Ioabum literis miſſis: הבו את אוריה אל מול פני המלחמה החזקה ושבתם מאחריו ונכה ומת: *Locate Uriam in principio prælii fortis, & a tergo recedite ab eo, ut percutiatur & moriatur.* Ergo David fuit cauſa moralis cædis Uriæ, non cauſa phyſica, tamen verus homicida, vera cauſa cædis. Similibus verbis aliud exemplum in N. T. adducitur, quo idem, quod in præſentem disquiſitionem venit, ſufficientiſſime demonſtratum videas. Quis enim ignorat, Chriſtum autorem ac ducem vitæ non a Judæis, ſed a militibus Romanis crucifixum & occiſum fuiſſe? At Petrus, verba faciens ad Judæos *Act. II, 23.* ait: Ἰησοῦν τὸν Ναζαραῖον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες διὰ χειρῶν· ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε: *Jeſum Nazarenum: definito conſilio & præſcientia Dei traditum, quum accepiſſetis, manibus ſceleratis affixum interemiſtis.* Judæi, poſtulantes Chriſtum ad ſupplicium, cauſa moralis erant cædis Chriſti. Ita tamen Petrus illorum ſcelus deſcribit, quaſi ipſi manibus

pro-

Digitized by Google

propriis ſceleratis Chriſtum immediate crucifixiſſent. Quod cauſa moralis fuerint, patet ex ex *Act. III, 13. 14.* quando Petrus ad Judæos hæc verba facit: Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν ἐδόξασε τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς παρεδώκατε, καὶ ἠρνήσασθε αὐτὸν κατὰ πρόσωπον Πιλάτου, κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν. Ὑμεῖς δὲ τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν. *Viri Israelitæ Deus Abraham & Iſaac & Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Ieſum, quem vos tradidiſtis ac negaſtis in conſpectu Pilati, qvum ille judicaſſet eſſe abſolvendum. Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & poſtulaſtis, ut virum homicidam donaret vobis.* Cur ergo Petrus, niſi Judæi fuiſſent vera cauſa (principium per ſe influens eſſe in cædem Chriſti) dixiſſet ad Judæos *ante citato capitis ſecundi verſu vigeſimo tertio: Vos manibus ſceleratis affixum interemiſtis.* Et jamjam *allato capite, verſu decimo quinto* proxime hæc verba ſeqvuntur: Τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, οὗ ἡμεῖς μάρτυρές ἐσμεν: *Autorem* (Ducem) *vero vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, cujus nos teſtes ſumus.* Et iterum *Act. IV, 10.* dicit Petrus Principibus & Senioribus Judæorum: γνωστὸν ἔστω πᾶσιν ὑμῖν καὶ παντὶ τῷ λαῷ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐν

τῷ ὀνόματι Ἰησῦ χριςῦ τῦ Ναζαραίυ, ὃν ὑμεῖς ἐςαυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, ἐν τύτῳ ὗτος παρέςηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής: *Notum ſit omnibus vobis & toti plebi Iſrael, quod per nomen Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, per hunc iſte adſtat coram vobis ſanus.* Idem innuit *Paulus* 1. *Cor.* II, 7. 8. dicens: Λαλῦμεν σοφίαν Θεῦ ἐν μυςηρίῳ, ἣν ὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τῦ αἰῶνος τύτυ ἔγνωκεν. εἰ γὰρ ἔγνωσαν, ὐκ ἂν τὸν κύριον τῆς δόξης ἐςαύρωσαν: *Loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quam nemo principum ſeculi hujus cognovit: nam ſi cognoviſſent, haud quaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ipſi quoque Judæi facile intellexerunt, ſe ab Apoſtolis haberi pro veriſſima cauſa crucifixionis Chriſti, hinc *Act.* V, 28. indignabundi dicunt Apoſtolis: ὐ γὰρ παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν ὑμῖν, μὴ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τύτῳ: καὶ ἰδὲ πεπληρώκατε τὴν Ἱερυσαλὴμ τῆς διδαχῆς ὑμῶν, καὶ βύλεσθε ἐπαγαγεῖν ἐφ᾽ ἡμᾶς τὸ αἷμα τῦ ἀνθρώπυ τύτυ: *Annon etiam atque etiam præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto? Et ecce repleſtis Hieroſolymam doctrina veſtra, & vultis ſuper nos inducere ſanguinem iſtius hominis.* Multa exempla paſſim e ſacris adducere facile eſſet, niſi allata crediſſemus ad rationem præſentis inſtituti ſufficere.

IV. Gaudeo JCtos maximi & nominis & judicii idem ſentire, quando expreſſe pronun-

nunciant, nihil intereſſe ad hoc, ut quis homicida ſit, utrum ipſe, manu ſua occiderit, an vero mortis cauſam dolo malo animoque occidendi præbuerit: & pro ſicario cumque habent, qui alteri, ut homicidium committeret, ſaltem mandavit, uti docent *Harprecht ad L. Cornel. de ſic. 2. f. 707. n. 77. VVeſenbecius in paratitl. 1. D. ad L. Cornel. de ſicariis n. 13. Arumæus exercit. 15. Inſtit. th. 8. Theodoricus diſp. 1. Colleg. crim. theſ. 27. Valent. Guilielm. Forſterus tract. Juſtinian. libr. 3. diſp. 18.* quos omnes *B. Slevogtius* laudat, eo quod affirmant, *delictum mandantis & mandatarii, ex interpretatione Juris unum idemque eſſe quoad effectum qui inde ſequitur.* Idem cenſet Dn. *Georgius Adamus Struvius*, Germaniæ decus, quando *ſyntagm. exerc. 48. th. 12.* expreſſe ſcribit: *Non ſolum vero is delicti reus, qui illud facto ſuo ipſe commiſit, ſed & qui facto ſuo ad commiſſionem illius concurrit.* Eſtque ea *Moraliſtarum* communis ac conſtans ſententia, qua de re egimus in Introductione ad Hugonis Grotii Opus *lib. 2. cap. 21.* quod inſcribitur: *de conſortio delinquentium & communicatione pœnarum.* Vidd. *Thomas de Aquino 2. 2. de Juſt. & Jure qu. 62. art. 7. Petrus de Arragon de Juſt. & Jure in citatum Thomæ articulum p. m. 200. ſeqq. Leonardus Leſſius de Juſtitia & Jure L. II. c. 13. p. m. 143. Ludovicus Molina de Juſtitia & Jure tom. 3. de*

*delictis*

Digitized by Google

*delictis diſp. 729. p. 407. Johannes Azorius Inſtitutionum Moralium part. 3. l. 4. c. 10. p. 214. & ſeqq.* Quid quod apud *Veteres Philoſophos* hæc doctrina recepta fuit? *Ariſtoteles* ipſe eam expreſſe tradit, quamvis nunc ſub nullo, nunc ſub alio nomine: Extant in utramque rem manifeſtiſſima loca: Ita *III. Metaph. c. 2.* ab initio legimus hæc verba: *Cauſa uno modo dicitur, ex qua inſita aliquid fit, ut æs ſtatuæ, & argentum pateræ, & horum genera: Alio vero, forma & exemplar. Hæc autem eſt ratio ejus, quod quid erat eſſe, & horum genera. Item, unde primum principium mutationis aut quietis, ut: QVI CONSULUIT CAUSA: & pater prolis: & ſimpliciter faciens, ejus, quod factum eſt, & transmutativum transmutati. Item ut finis, hæc autem eſt, cujus gratia: ut ambulationis cauſa ſanitas.* Idem locus fere iisdem verbis extat *II. Phyſic. c. 3.* Rurſus citato ſecundo *c. III. Metaph.* ſic ſcribit: *Idem interdum contrariorum cauſa eſt: Quod enim, quum adeſt, hujus rei eſt cauſa, id ſi abſit, contrarii cauſam eſſe interdum querimur, ut gubernatoris abſentiam everſionis navis, cujus præſentia cauſa erat ſalutis. Verum utraque & præſentia & privatio cauſæ ſunt, ut moventes.* Ex quibus, ut alia loca plura nunc taceamus, colligi facile poteſt, *Ariſtoteli* hancce cauſam, quam hodie Moralem cauſam appellant, neutiquam incognitam fuiſſe.

CAPUT

# Caput Vigesimum Quartum

De

# MODO INVESTIGANDI VARIAS CAUSÆ MORALIS QUASI SPECIES AUT (ſi ita malis loqui) MODOS.

*Item*

# De Ipsis Causæ Moralis Modis aut Quasi Speciebus.

§. 1.

Facillimus modus inveſtigandi varias cauſæ moralis quaſi ſpecies, aut ſi ita malimus loqui, modos, ſalvo cujusvis meliori ac feliciori judicio, nobis apparet, ſi conſideremus id, per quod intentio, quæ cauſalitas cujuslibet cauſæ moralis eſt, ſe exerit: Exerit vero ſe intentio, uti quidem eſt cauſalitas cauſæ moralis, hoc eſt, ut per eam aliquid eſt cauſa efficiens mediata, duplici modo: Uno per omiſſionem, altero per cõmiſſionem. Igitur *duplex*

in univerſum erit *cauſa moralis*: *Una, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem. Altera, cujus intentio ſe exerit per commiſſionem.*

*N O T Æ.*

I. Non refragabimur, ſi quis captui diſcentium ſeſe accommodare ſtudens dividere voluerit cauſam moralem in cauſam moralem per omiſſionem & cauſam moralem per commiſſionem, modo ſimul moneatur, cauſam moralam non dici talem per omiſſionem aut commiſſionem, ac ſi illa ipſa omiſſio vel commiſſio ſit ipſa cauſæ moralis cauſalitas, hoc eſt, id, per quod cauſa moralis eſt cauſa moralis. Huc enim, ſalva meliori ſententia, mens noſtra redit: Non illa ipſa omiſſio vel commiſſio eſt cauſalitas cauſæ moralis, ſed intentio ſpectata cum connotata omiſſione vel commiſſione.

II. Alias ſenſus omnino diverſiſſimi ſunt: *Cauſalitatem cauſæ moralis eſſe intentionem, ut ſe exerit per omiſſionem vel commiſſionem*: Et *cauſalitatem cauſæ moralis eſſe omiſſionem vel commiſſionem, quæ conjuncta eſt cum intentione aut eam prærequirit.* Nec quisquam facile negaverit, ſenſum ex recitatione duarum iſtarum propoſitionum relictum eſſe diverſiſſimum, æque ac omnes Logici norunt, diverſiſſimam eſſe rationem aliquid in recto & aliquid

aliquid in obliquo prædicari. Sicut diverſiſſima ſunt: Homo collo & manibus inſtructus ambulat, &, collum manusque hominis ambulant.

III. Hoc interim certiſſimum relinquitur, neque intentionem ſolam, neque ſolam omiſſionem vel commiſſionem illam, ſufficere ad hoc, ut aliquid ſalva veritate cauſa moralis ſit & dicatur.

IV. In Scholis frequens eſt diſtinctio inter actum omiſſionis & actum commiſſionis, unde hac retenta, cauſa moralis dividi poterat in illam, cujus intẽtio ſe exerit per actum omiſſionis, & eam, cujus intentio ſe exerit per actum commiſſionis: Verum actus omiſſionis rotunde loquendo eſt omiſſio actus, actus vero commiſſionis eſt commiſſio actus, ſeu accuratius, actus ipſe.

§. 2. Utramque cauſam moralem, cum illam, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem; tum eam, cujus intentio ſe exerit per commiſſionem, exemplo illuſtrabimus: Ita damni per incendium proximo dati uterque, cui cura ædium juſte demandata fuerat, cauſa moralis dicitur: Et, qui ea inten-



Digitized by Google

tione ignem non removit ab ædibus, ut incendio perirent: *Et*, qui ea intentione ignem admovit ædibus, ut comburerentur. Ille erat incendii & damni inde proximo ſuborti cauſa moralis, cujus intentio ſe exerebat per omiſſionem: Hic erat incendii & damni inde proximo oborti cauſa moralis, cujus *in*tentio ſe exerebat per commiſſionem. Quippe ignem non removere eſt omittere ſeu non agere, ignem admovere eſt committere ſeu agere.

*NOTA.*

De utriusque generis cauſa morali nunc diſtinctius agendum venit, ſic dabitur occaſio perveniendi in notitiam præcipuarum quaſi ſpecierum aut modorum cauſæ moralis.

§. 3. Jam quod attinet cauſam moralem, cujus intentio per omiſſionem ſe exerit, plures ſane modi ſunt, quibus aliquod agens evadit cauſa moralis, eo ipſo, quod inten-

tentionem ſuam exerit per hoc, quod non impediat effectum, cujus cauſa immediata non eſt, cauſa tamen moralis eſt & rectiſſime dicitur. Et quidem 1. *Cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem, alia eſt agens morale, alia vero agens* ἀδιάφορον. E. gr. ea intentione quis ignem de candelabro forte cadentem non extinguit, nec removet, ut chartæ ineptæ, quibus alias ignem admovere decreverat, pereant, iſte rectiſſime cauſæ moralis, non tamen agentis moralis ſed ἀδιαφόρου nomine cenſetur: Contra qui ignem de candelabro forte cadentem non removit, ea intentione, ut ſtupa & una cum ea tota proximi domus periret, is iterum cauſæ moralis, & ſimul agentis moralis titulo nuncupatur. Nam utraque combuſtio erat voluntaria incendenti, ſed illa erat ἀδιάφορον, hoc

 eſt,

eſt, nec honeſta, nec turpis: hæc vero turpis erat, unde ab hac, non item ab illa iſte, cui voluntaria erat, incendiarius denominatur.

## NOTÆ.

I. Cauſa moralis per omiſſionem communiter ita definiri a Metaphyſicis ſolet: *Eſt is, qui non impedit, quod poterat impedire & quoque debebat:* Verum uti *præcedenti capite* oſtenſum fuit, cauſam moralem aliam eſſe talem in genere morum, aliam vero adiaphoram: Ita omnino cauſæ morali per omiſſionem (hoc eſt, cujus intentio ſe per omiſſionem exerit) eadem diviſio applicari poteſt. Unde qui dicta ratione cauſam moralem, cujus intentio ſe per omiſſionem exerit, definiverunt, ſolummodo ſolliciti eſſe voluere de cauſa morali per omiſſionem, ut vocant, quæ in genere morum talis eſt. Imo ne hanc quidem in ſua latitudine expendere ſategerunt, ſolummodo agentes de cauſa morali per omiſſionem, quam nuncupant, cui in genere morum effectus ad culpam imputari poteſt. Nam qui non impedit, quod impedire poteſt & debet, ſicque omittit (non agit) quod poteſt & debet committere (agere) omnino culpam ſibi attrahit.

II. Interim ut malefactorum cauſæ morales

rales dantur, quarum intentio per omiſſionem ſe exerit: Ita dari quoque poſſunt, imo dantur ejusmodi cauſæ morales, cum rectefactorum, tum actionum adaphorarum.

III. Igitur cauſa moralis quoque eſſe poteſt, is qui omiſit aut non impedivit, quod debuit omittere aut non impedire: E. gr. videt quis tempore exorti incendii hominem accurrere ad ædes, ut ex puteo aquam ad extingvendum ignem petat, unde dum dominus ædium non impedit crebriores aquæ hauſtus, ſic ſano ſenſu cauſa moralis extincti incendii dici poteſt, cujus incendii utique cauſa moralis futurus fuiſſet, ſi nempe hauſtum aquarum (ad quem ne impediret, obligabatur) impediviſſet.

IV. Pariter cauſa moralis quoque eſſe poteſt, is qui omiſit, quod nec omittere nec committere debuit, hoc eſt, in ipſius arbitrio ſitum erat, utrum vellet committere, an omittere: E. gr. ſi quis potuiſſet impedire, ne Titius ſtipendium conſequeretur, eidemque alium quempiam ſtudioſum æque commendare licuiſſet, is dum hoc omittit ea intentione, ut Titius deſiderati beneficii particeps fiat, cauſa moralis collati beneficii dicitur, cujus cauſa phyſica erat iſte, qui beneficium conferebat.

V. Cæterum non negamus, uſu frequentiorem eſſe doctrinam de cauſa morali, quæ

non impedit, quod impedire poteſt & debet. Ubi duo requiruntur, poſſe & debere, hoc eſt, potentia & obligatio. Unum horum requiſitorum ſine altero ſufficere nequit. Etenim primo ubi potentia deeſt, ibi fundamentum imputationis (agimus vero de imputatione malefactorum) exulat, cum certe ad impoſſibile nulla detur obligatio. Hoc tamen recte intelligendum & cum limitatione accipiendum eſt: Ad impoſſibile quippe nulla obligatio, niſi is, qui impotentia laborat, eam ſibi ſua culpa attraxerit, cum ſcilicet potuiſſet ac debuiſſet non attrahere: e.gr. qui luit corpore, quod non habet in ære, quia pecuniam a creditore acceptam ex mera malitia dilapidaverat, is, utut pecuniam, quam debet, ſolvere nequeat, obligatur tamen ad ſolvendum, quia ipſe ſolus habet, quod ſibi imputet, cur ſolvere non poſſit: Ita peccator manet cauſa moralis æternæ ſuæ damnationis, ſi legem Dei non impleat, nec ſeriam ac finalem pœnitentiam agat: utut enim poſt lapſum lex Dei impleri nequeat, culpa tamen non in Deum, ſed in legis transgreſſorem unice redundat. Deinde obligationem requiſivimus. Non enim qui non impedit ſcelus, quod poteſt impedire, ſecuti ſceleris cauſa moralis eſt, niſi docere obligationem poſſis, quod ſcilicet ipſe obligatus fuerit ad hoc, ut ſcelerato impedimentum

pone-

poneret: E. g. Magiſtratus humanus potuiſſet impedire laſcivi hominis fornicationem, ſi eum perpetuis conſtrinxiſſet vinculis, vel etiam caſtraſſet, ad hoc vero nullus magiſtratus obligatur, ut quemcunque ſubditum, quia peccare poteſt, captivum ducat, ne amplius poſſit.

VI. Inde judicare facile eſt, quam frivole Deum auctorem peccati fecerint nec ſine majori abſurditate quam impietate, quotquot urſerunt, Deum omittere ſpeciale auxilium ſuum, quo præſtito homo peccaturus haud fuiſſet: e.gr. Deum potuiſſe & Petri os & Judæ fauces comprimere, ut Salvatorem noſtrum nec ille abnegare, nec hic prodere potuiſſet, negari vero non poſſe, neutrum peccatum ſecuturum fuiſſe, niſi ſecutum fuiſſet omiſſionem ſpecialis auxilii divini. Enim vero quis non videt impias abſurditates? Eratne Deus obligatus ad hoc, ut utriusque os & fauces comprimeret? Sufficit profecto, utrique, cum Petro, tum Judæ, talia media ſuppetiiſſe, quæ niſi ſua culpa & ex malitia reſpuiſſent, nec abnegatio fuiſſet ſecutura, nec locum habitura fuiſſet proditio. Et utut omnino verum ſit, hanc omiſſionem, qua Deus ſpeciale iſtud auxilium modo definitum omiſerat, ſecutum fuiſſe Judæ & Petri peccatum, tamen Metaphyſica diſtinctione hoc dubium feliciter tolli & explicari

poteſt: Nempe aliud eſt,
vero eſt ſequi ex altero ta
Quod Deus voluerit tale
bere, certum eſt, ſed ex
xilii talis omiſſione tanq
dæ & Petri peccatum ſec
impium ac aperte putidu
Contrarium teſtatur ſeria
docet contrarium Judæ d

VII. Nonnulli ut
*præcedenti* motam tollant
Deum ideo nullius pecca
dici poſſe, quod de Deo n
velle peccatum, nec aſſer
peccatum, cum ex ipſoru
cendum ſit, Deum non
namque faciunt inter vell
diſtinctio non ſine mani
& impietate Deo applica
ria poteſt. Tot enim S.Sc
e quibus aperte contrariu
cus *verſus quintus Pſalmi q*
contrarium indicat, qu
verbis aſſeritur, DEU
tem, cum particula ſeu ne
copulam principalem, & 
ſequantur apertiſſime ide
*omnes operantes iniquitate*
*mendacium, virum ſanguinu*
*abominabitur*. Imo vel ex

ne ſolidæ rationes ſuppetunt, quibus odium Dei adverſus peccata demonſtretur: Sane, odiſſe peccata eſt nolle peccata. Et ſi tandem, quando Deus dicitur non velle peccatum, non velle medium eſſet inter velle & nolle, aut τὸ non velle ſumeretur in ſenſu mere negante, ut idem eſſet ac neque velle, neque nolle: Verum hac ratione cum ſumma impietate Deus diceretur non velle peccatum, quia ſtante adeo impio aſſerto de Deo dici nequaquam poſſet, quod nolit peccatum; Aut τὸ non velle ſumeretur in ſenſu affirmante, ut ſignificaret actionem mixtam: Sed ſic rurſus prodiret plane impium aſſertum, quia ſic aſſerendum eſſet, Deum magis velle quam nolle peccatum, aut, ſimpliciter dici non poſſe, quod Deus nolit peccatum, cũ quodvis voluntarium mixtum magis dicendum ſit voluntarium, quam involuntarium. quæ omnia impia ſunt & abſurda, & utut qui hac diſtinctione uſi fuerunt, tam impiam intentionem ac ſenſum abſurdum non foverint, non tamen apparet, quomodo rationibus Philoſophicis hæc locutio poſſit excuſari.

VIII. Caſus dantur, in quibus agens intellectu & voluntate præditum non impedit, nec vult impedire effectum, ad quem impediendum non quidem obligabatur, quia eum non poterat impedire, hancque impo-

tentiam

tentiam culpa propria ſibi non attraxerat, nec tamen impediturum eum effectum fuiſſet, ſi vel maxime & potuiſſet & debuiſſet impedire: Utut vero non pauci in talismodi caſibus ipſum agens adhuc pro cauſa morali habeant, vix tamen auſim absque omni difficultate iis adſtipulari. Nam licet agens juſto titulo puniri poſſit, videtur tamen, ſalvo meliori judicio, ſi rem Metaphyſice ac Ethice æſtimemus, ac ſi agens puniatur non ob effectum, quem voluit non impedire, ſed ob volitionem, qua voluit effectum non impedire, quem utut voluiſſet, impedire non potuiſſet, ut id propter effectus non voluntarius agenti, multoque minus effectus agentis, ſed ſolummodo ab agente volitus dici queat: Cauſa vero moralis ſemper eſt cauſa effectus, & quidem effectus voluntarii mediati.

IX. Exempla quatuor cauſæ moralis, cujus intentio ſeſe exerit per omiſſionem ejus, quod poterat & debebat committere, ſupra *capite præcedenti §. 6. not. 1.* adferebantur: Commiſerat tota urbs uni cuſtodi, ut in ſpecula conſtitutus obſervaret hoſtium adventum eumque clanctu buccinæ indicaret, ipſe vero ſpeculator videns hoſtes adventantes non clanxerat buccina, ex quo ſecuta eſt tot millium ſtrages, unde ſpeculator omnis ſanguinis effuſi & cauſa in genere morum, & cauſa

cauſa moralis dicitur. Iterum alius ſpeculator id quod ſui officii erat, peregerat, cives vero ſomno vinoque ſepulti ſicque ea monita inſuper habentes, ab hoſtibus irruentibus miſere occiſi ſunt, quo certe in caſu cives quaſi *αὐτόχειρες* facti veræque cauſæ morales ſuarum cædium cenſentur. Hiſce duobus exemplis utebatur ipſe Spiritus Sanctus eaq; ad materiam ſacram applicabat, inde evidenter deducens, qua ratione & miniſter Eccleſiæ, & auditor ipſius curæ concreditus cauſæ morales iſtius interitus, dum auditor æternum perit, fiant. Ille, quia ſpeculator animarum conſtitutus ſibi ſuæq; ſpirituali cuſtodiæ concreditum verbi divini clangore a ſomno peccatorum haud abſterruit: Hic quia ſeveras dehortationes reſpuit, atque ſic æternæ damnationis pœnam ſibi acceleravit.

X. Nec hoc prætereundum ducimus, quod τὸ *debere* nunc in laxiori, nunc in ſtrictiori ſignificatu ſumatur: In illo, ſi præciſe ſpectetur, ut arguit obligationem in cauſa morali: In hoc, ut ſimul ponit jus in altero. Et quando in priori ſignificatu accipitur, iterum nunc abſolute, nunc prout poſteriorem ſignificationem excludit, adhibetur. Strictæ ſignificationis exempla *præcedenti nota* attulimus: Priori modo & quidem ſimul in oppoſitione ad poſteriorem ſignificationem ſumtæ cauſæ moralis exempla fortaſſis

Digitized by Google

taſſis *capite decimo Lucæ, verſ. 30. 31. 32.* monſtrantur. Variis alias caſibus evenit, ut obligatio ſit in nobis & nullum jus in alio; ſicut in debitis miſericordiæ, gratiæ reponendæ, item conſtantiæ ſive fidelitatis in promiſſionibus quæ iis, quibus factæ ſunt, jus non dant, promiſſores tamen obligant, idque genus pluribus apparet. Qua de re egit *Hugo Grotius l. 2. de Jure Belli & Pacis c. XI. §. 11.* & huc apprime ſpectant, quæ *ejusdem libri capite decimo ſeptimo* hunc in modum diſſerit: *Tenentur, præter ipſum, qui per ſe & αὐτὸς damnum dat, alii quoque non faciendo. Non faciendo alii primario, alii ſecundario. Primario, qui cum ex Jure proprie dicto debeat vetare præcepto, aut opem ferre ei, cui ſit injuria, id non facit. Secundario, qui aut non diſſuadet, cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat. Illud autem debere in his omnibus referimus ad jus proprium, quod juſtitia expletrix reſpicit, ſive illud ex lege, ſive ex qualitate exoritur. Nam ſi debeat ex caritatis norma, peccabit quidem omittendo, non tamen ad reparationem tenebitur, cujus origo eſt jus aliquod proprium, ut ante* (præcedenti §. 2. *ejusdem capitis*) diximus.

XI. Tantum hac de re dixiſſe ſufficiat, plura ſuo loco in *capite de uſu practico doctrinæ de cauſa efficiente* dicentur.

§. 4. Cau-

Digitized by Google

§. 4. Cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem a alia in Scholis talis dici ſolet *per omiſſionem realem*, alia per *omiſſionem verbalem*: Illa eſt, quæ facto: hæc quæ verbis non impedit, cujus cauſa moralis eſt & dicitur: E. gr. Ezech. XXXIII. *verſu quarto*, cives ſunt effuſi ſanguinis cauſæ morales per omiſſionem realem, ſpeculator vero *verſu ſexto* cauſa moralis exiſtit per omiſſionem verbalem: Illi, quia ſeſe non defenderant: Hic, quia non clanxerat buccina; qui nempe clanctus vicem verborum gerebat.

*NOTÆ.*

I. Ita 1. *Sam.* III. & IV. Eli erat cauſa moralis nequitiæ filiorum ſuorum per omiſſionem verbalem & realem ſimul, utpote qui verbis & factis filios nequam coercere & potuerat & debuerat, unde etiam cauſa moralis evadebat miſerrimæ ſuæ mortis, qua periit.

II. Poteſt igitur cauſa moralis alia dici, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem rea-

lem

lem tantum, alia per verbalem tantum, alia per verbalem & realem ſimul.

§. 5. Cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per omiſſionem, 3. *alia talis eſt in ordine ad cauſam phyſicam liberam, alia in ordine ad cauſam phyſicam naturalem:* Ita *Ezech. XXXIII. verſu octavo,* miniſter Eccleſiæ cauſa moralis eſt æternæ mortis, qua improbus perit, in ordine ad cauſam phyſicam liberam, ceu abunde ex verbis ſequentibus Spiritus Sancti liquet: *Qvum dixero improbo, improbe omnino moriturus es, ſi non admonueris improbum, ut deſiſtat a via ſua, ipſe ob iniquitatem ſuam morietur, ſanguinem vero ejus e manu tua requiram.* Contra *Exod. XXI, verſu vigeſimo nono,* dominus ſciens vitium bovis cornupetæ, nec tamen eum cuſtodiens, cauſa moralis ſecutæ necis dicitur

dicitur in ordine ad cauſam phyſicam naturalem, ceu verba legis divinæ ſat aperte indicant: *Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & conteſtatio facta fuerit domino ejus & non cuſtodierit eum, occiderit autem virum vel mulierem, bos ille lapidabitur, & quoque dominus ejus morietur.*

## *NOTÆ.*

I. Longe plures cauſæ moralis, cujus intentio ſeſe per omiſſionem exerit, diſtinctiones adduci potuiſſent, quas felicioribus cujusvis cogitationibus dijudicandas relinquimus.

II. Priusquam ad doctrinam de cauſa morali, cujus intentio per commiſſionem ſe exerit, progrediamur, denuo notatum volumus, ne confundantur hæc duo: ſequi ex tali omiſſione, & ſequi talem omiſſionem, qua de re *nota 10. ad præced. §. 3.* egimus. Nam τὸ ſequi ex omiſſione, arguit id, per quod intentio, utpote quæ vera cauſalitas eſt, ſe exerit: At τὸ ſequi intentionem, tale quid non denotat. Ita Alexander, quem milites expiranti ſimilem ex Cydno amne in taberna-

 culum

culum deferebant, monebatur a Parmenione per literas, ne ſe committeret fidei Philippi medici. Sed præter illum nemo erat, qui experiri remedium aliquod audebat. Igitur re ſecum agitata, cum non inveniret, cur medici fidem damnaret, hoc animo ſumere medicamentum decrevit: *Atqui ſatius eſt, alieno me mori ſcelere, quam metu meo.* (Perinde, ut Julius Cæſar, qui, cum moneretur, propter inſidias ſtipatoribus ſe cingeret, dicere ſolitus eſt: *Satius eſt, inſidias ſubire ſemel, quam ſemper cavere.*) Jam ſi Philippus Alexandro toxicum propinaſſet, quo fuiſſet extinctus, ex intentione Alexandri, qua potionem ſumere decrevit, non fuiſſet mors ſecuta, quia nulla juſta ſuſpicio aderat, ob quam Philippi fidem contemneret.

§. 6. Relicta cauſa morali per omiſſionem, uti nuncupatur, ad cauſam moralē per commiſſionē, quam vocant, progredimur. Ea vero ſatis commoda ratione videtur dividi poſſe in cauſam moraliter moventem, quam vulgo cauſam per moralem motionem appellant, & cauſam moralem absq; morali motione. E.gr. 2. *Sam. XI, 15.* David

Digitized by Google

David erat cauſa moralis cædis Uriæ, & quidem talis cauſa moralis, cujus intentio ſe exerebat per commiſſionem, nempe per mandatū, eratque in ſpecie cauſa moraliter movens, quia mandato ſuo movebat Joabum ad hoc, ut Urias in fronte prælii collocaretur atque a tergo relictus ab hoſtibus occideretur. Contra 2. *Reg. XVII*, 31. Sepharvæi erant cauſæ morales interitus filiorum ſuorum, cujus intentio ſe quidem exerebat itidem per commiſſionem, nempe per applicationem ignis ad filios, non tamen erant cauſæ moraliter moventes, ſed absque morali motione.

*NOTÆ.*

I. Nunquam adduci potuimus, ut cauſalitatem cauſæ moralis in motione morali poneremus. Primo enim multæ dantur cauſæ morales, quæ nullatenus ſunt moraliter moventes: E. gr. is, cujus cuſtodiæ ac curæ furioſus commendatus eſt, ſi negligenter agit & furioſum non ſatis cuſtodit, cædis

a furioſo commiſſæ cauſa moralis dicitur, quamvis nulla motio moralis adſit, per quam furioſum moverit ad cædem patrandam. Idem judicium eſto de cauſa morali, quæ applicat agens ad patiens, aut patiens ad agens, ceu ex exemplo Sepharvæorum conſtitit. Nihil jam dicemus de aliis cauſis moralibus, quarum intentio per omiſſionem ſe exerit, de quibus ante egimus, & ubi res iterum ſatis manifeſta eſt. Quomodo enim e. gr. nauta abſens & forte etiam dormiens & nihil minus, quam naufragium intendens, tempeſtate maris vel aeris efficeret, induceret, excitaret, aut ulla ratione moveret ad disjiciendam & evertendam navem? Deinde in ordine ad illas quoque cauſas morales, quæ complent numerum moraliter moventium, negamus accurate philoſophando, moralem motionem eſſe cauſalitatem earundem, ſed intentionem habemus pro cauſalitate, prout quidem ea per talismodi moralem motionem ſe exerit.

II. Quia vero moralis motio variat, & vix una eademque ratione explicari poteſt, quid ſit motio moralis? ideo lubet in anteceſſum præcipuos cauſarum moraliter moventium modos verbulo tangere.

## §. 7. E præcipuis cauſæ moraliter moventis modis ſunt: I. Cauſa Mandans.

Digitized by Google

*Mandans*. 2. Cauſa *Conſulens*. 3. Cauſa *Demandans*. 4. Cauſa *Ratihabens*. 5. Cauſa *Laudans*. 6. Cauſa *Conſentiens ſeu Approbans*. 7. Cauſa *Impetrans*. 8. Cauſa *Merens*. 9. Cauſa *Satisfaciens*. 10. Cauſa *Provocans*.

*NOTÆ.*

I. Uti differunt ac ab omnibus facile pro diſtinctis habentur: *Cauſa phyſice movens*, ut faber malleum attollens & deprimens, & *cauſa moraliter movens*, ut mandans movens mandatarium: Ita oportet quoque diſcrimen admittere ac ſibi ſatis perſpectum reddere inter cauſam moraliter moventem, quæ eſt cauſa efficiens, & inter cauſam metaphorice moventem, quæ eſt cauſa finalis, item inter cauſam moraliter moventem & cauſam impulſivam: e.gr. alia cauſa eſt mandans, & alia rurſus cauſa eſt mandatum; alia cauſa eſt cauſa merens ſeu cauſa meritoria, & rurſus alia cauſa eſt meritum &c. Cauſa mandans & cauſa merens ſunt cauſæ morales, mandatum & meritum, dum movent, ſunt cauſæ impulſivæ. Sed de his accuratius agetur in capitibus de cauſa finali & cauſa impulſiva.

II. Hoc interim de *motione* adhuc notare libet

libet. *Cauſæ phyſicæ inſtrumentalis motio*, qua dicitur movere, eſt vera & *realis actio*, qua immediate producit effectum, virtute tamen ignobiliori, quam ad eum producendum requiritur: e.gr. movere dicitur aut motionem exercere malleus, quando immediate ab eo actus cudendi procedit, ita tamen ut ignobilior virtus ſit mallei, quam ad cudendum clavum requiritur. *Cauſæ phyſicæ principalis* motio in eo conſiſtit, quando vim immediate aliquid producendi per veram actionem inprimit inſtrumento, juxta canonem Metaphyſicorum: Inſtrumentum non movet, niſi moveatur. Ubi per inſtrumentum cauſa inſtrumentalis intelligitur. Et quia idem numero motus eſt, quo cauſa phyſica principalis & cauſa phyſica inſtrumentalis (ſi nempe cauſa phyſica principalis & cauſa phyſica inſtrumentalis ſpectentur ut relata, h.e. ut ſe mutuo ponunt & tollunt) effectum producunt, ideo hac etiam ratione utrique motio tribuitur. Patet igitur facili negotio, quod talis motio cauſæ morali, quatenus eſt cauſa moralis, non conveniat. Nam quatenus eſt cauſa moralis, neque immediate producit effectum, nec etiam cauſam inſtrumentalem phyſicam ad effectum producendum elevat, aut a cauſa phyſica principali ad effectum producendum elevatur. Pariter facile eſt diſcrimen inter motionem cau-

Digitized by Google

*cauſæ finali* & *motionem cauſæ morali* propriam aſſequi. Cauſa enim finalis movet ſui bonitate cognita ipſam cauſam phyſicã ad producendum effectum: At cauſa moralis hoc non præſtat, ſed movet eam ad aliud quid a ſe diſtinctum immediate producendum: e.gr. quando ſanitas dicitur movere ægrotum ad ſui conſecutionem, illud fit cognita ſanitatis bonitate, quæ appetitum ægroti allicit ad ſanitatis conſecutionem: Contra quando quiſpiam ſuo mandato movet alterum, ut homicidium patret, hoc ipſo movet mandatarium non bonitate ſui cognita, nec movet ad ſe producendum aut obtinendum, ſed ad patrandum homicidium. Pariter omnis cauſa finalis eſt metaphorice movens: At non omnis cauſa moralis eſt moraliter movens. Motio, unde cauſa finalis denominatur movens, eſt cauſalitas cauſæ finalis: At motio, unde cauſa moralis movens appellatur, non eſt cauſalitas cauſæ moralis. Nam ſi motio illa cauſalitas cauſæ moralis eſſet, omnis cauſa moralis eſſet cauſa moraliter movens; Cauſa movens, quæ ſic dicitur a motione cauſæ finali propria, dividitur in immediatam & mediatam: At, omnis cauſa movens ſic dicta a motione, quæ cauſæ morali tribui ſolet, eſt cauſa mediata. Cauſa movens, quæ eſt cauſa finalis, non eſt cauſa agens: Cauſa movens, quæ eſt cauſa mora-



Digitized by Google

lis ſemper eſt cauſa agens. Ut alia diſcrimina utriusque motionis, unde cauſa finalis & cauſa moralis moventes denominantur, nunc taceamus. Nec denique adeo difficilis laboris opus eſt inveſtigare diſcrimen inter *motionem cauſæ impulſivæ* & *motionem cauſæ moralis.* Incipientibus hoc diſcrimen eo facilius monſtratur, ſi cauſam impulſivam comparemus cum igni, qui domum accendit, & cauſam moraliter moventem, cum incendiario, qui ignem domui applicat: e.gr. mandans dum mandato movet mandatarium, quaſi applicat motivum movendo, mandatum animo movendi, mandatum vero ipſum movet, ita ut quemadmodum incendiarius ignem admovet domui, ut domus comburatur, mandans mandatum quaſi admoveat animo mandatarii, ut moveatur; & quemadmodum ignis applicatus comburit ædes, ſic mandatum moveat animum mandatarii. Pariter cauſa movens, ſi ſit cauſa impulſiva, non eſt cauſa agens: At cauſa movens, ſi ſit cauſa moralis, eſt cauſa agens. Tantum in præſenti adduxiſſe ſufficiat.

**§. 8. Cauſa moralis per commiſſionem, ut vocant, nec tamen moraliter movens cauſam phyſicam, rurſus variis modis ſubdividi poteſt. Et** for-

Digitized by Google

forſan facilis apparebit ratio diviſionis petita a varia cauſæ phyſicæ indole, per quam nempe cauſa moralis (cujus ſcilicet intentio ſe exerit per commiſſionem) agit, ita tamen, ut eandem moraliter non moveat. Scilicet *alia cauſa phyſica plane non fuiſſet productura effectum, ſed contrarium effectum productura fuiſſet, ſi absque cauſa morali fuiſſet:* Talis cauſa phyſica dici poterat cauſa ante cauſæ moralis per commiſſionem, non tamen cauſæ moraliter moventis cauſalitatem ad contrarium inclinans. *Alia cauſa phyſica inclinabat ad effectum, quem tamen non potuiſſet producere, nec productura fuiſſet ob defectum virium vel omnis aut alterius requiſiti.* Talis Cauſa Phyſica appellari cauſa inclinans poterit. *Alia cauſa Phyſica productura fuiſſet effectum, utut*

*fuiſſet abſque cauſa morali, ejusq́; cauſalitate.*

### *NOTÆ.*

I. Poterat quoque pro lubitu ſtatim diſtingui inter cauſam Phyſicam, quæ, ſi abſq; cauſæ moralis cauſalitate fuiſſet, productura erat effectum, & quæ non erat productura, & deinceps cauſa productura dividi in inclinantem & non inclinantem ad effectum producendum.

II. Utriusque cauſæ phyſicæ, cum inclinantis, tum ad contrarium inclinantis, inclinatio eſt vel naturalis, vel elicita: E. gr. inclinatio ignis ad calefactionem eſt naturalis, inclinatio hominis ad liberam locutionem eſt elicita.

§. 9. E præcipuis modis cauſæ moralis per commiſſionem, uti vocatur, quæ tamen non ſimul moraliter movens eſt, ſunt ſequentes: 1. Cauſa poſitive *Impediens*. 2. Cauſa poſitive *Removens impedimentum*. 3. Cauſa poſitive *Concedens* aut *Permittens*. 4. Cauſa *Suppeditans vires*. 5. Cauſa *Subminiſtrans occaſionem*. 6. Cauſa *Applicans*

*cans agens ad patiens*.7.Cauſa *Applicans patiens ad agens*.8. Cauſa *Participem facti ſe poſt factum reddens*.9.Cauſa *Receptans poſt factum* aut *Hoſpitium poſt factum prabens*. 10. Cauſa *Patrocinans poſt factum* ſeu Cauſa *cauſæ phyſica Patrocinio aut alia defenſione poſt factum ſubveniens*.

§.10. Poterant longe plures modi inveſtigandi varias ſpecies aut modos varios cauſæ moralis adduci, ſi opus fuiſſet. Ita cauſæ morales varie dividi poterant, ratione diviſionis ſtatim petita ab habitudine, quam quælibet cauſa moralis dicit ad cauſam phyſicam, tanquam cauſam principalem mediam. Aliæ enim cauſæ morales reſpiciunt tales cauſas medias principales, quæ in ſe ad immediate producendum effectum ſatis ſunt propenſæ,ut non ſolum nulla motione

tione indigeant, ſed quoque niſi aliunde impediantur, certo cauſæ efficientes immediatæ eorundem effectuum exſtituræ ſint. E. gr. Talis cauſa moralis cenſetur *Exod. XXI, 29.* dominus bovis cornupetæ reſpectu cædis a bove patratæ. Aliæ vero cauſæ morales tales dicuntur intuitu hujusmodi cauſarũ mediarum principalium, quæ aut plane nullam, aut nõ ſatis ſufficientem propenſionem habent, ad effectus ſuos immediate producendos; vel ſi habent unius tamen vel alterius circumſtantiæ aut occaſionis defectus eas impediebat, quo minus immediate ſuos effectus producturæ fuiſſent, aut producere voluiſſent vel potuiſſent: Talis cauſa moralis erat David reſpectu cædis Uriæ. 2. *Sam. XI.* & *XII.*

*NOTÆ.*

I. Sumamus alia exempla: Ita priori modo

modo homicidii cauſa moralis eſt tutor, quando eo præſente pupillus cultrum arripit, atque fratrem ſuum interficit, ſi nempe tutor potuit impedire hanc cædem ſine periculo, quam omnino, quia in tali caſu potuit impedire, debuit. Supponimus, pupillum idem facturum fuiſſe etiam in abſentia ſui tutoris. Poſteriori modo homicidii cauſa moralis eſt tutor, quando mandato ſuo pupillum movet, ut fratrem occidat: Item quando pupillus globulo trajicere vult fratrem, eſt vero aliquid obſtaculo, quo minus bombardam valeat diſplodere, quod obſtaculum removere pupillus neſcit, tutor tamen adſtans ac pupilli intentionem advertens eo animo obſtaculum removet, ut cædes patretur.

II. Varii alias modi a variis *Doctoribus*, cum *Metaphyſicis*, tum *Moralibus*, diſpeſcendi cauſas morales recenſentur. *Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione ſexageſima ſecunda articulo ſeptimo p.m.150*, novem recenſet modos hiſce duobus verſiculis incluſos:

*Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,*
*Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.*

Et quia hos modos ut ſufficientes communiter *Moraliſtæ* laudant in materia de cauſis moralibus damnorum & delictorum, ideo eos ex ipſorum mente explicare libet. Primus modus erat *Juſſio*, hoc eſt, poteſt quis

ſeſe

ſeſe *jubendo* ita gerere, ut ex prudentum æſtimatione ipſi effectus imputetur, dum nempe quis quis jubet alterum patrare homicidium. Alter modus erat *Conſilium*, hoc eſt, poteſt quis ſeſe *conſilium præbendo* ita gerere, ut effectus more, hoc eſt, æſtimatione prudentum ipſi imputetur, æque ac ſi immediate eum produxiſſet, dum nempe ſuaſit, hortatus eſt, imo & occaſionem, viam, modum & media ſuppeditavit, quibus ratius & facilius facinus perpetrari poſſet. Tertius modus erat *Conſenſus*, hoc eſt, *conſentiendo*, annuendo vel cauſam agentem laudando, & ita conſenſu vel delectatione ſua movendo alterum, ut effectum producat. Quartus modus erat *Palpo*, hoc eſt, *palpando*, connivendo & blandiendo, aut nimia benignitate utendo &c. Quintus modus erat *Recurſus*, hoc eſt, *recurſum*, *patrocinium & refugium præbendo*, dum cauſam principalem mediam ante vel poſt factum in tutelam ſuſcipit. Sextus modus erat *Participans*, dum v. gr. quis de illis, quæ ex facto contingunt, participat. Septimus modus erat *Mutus*, hoc eſt, *tacendo* e. gr. quando Magiſtratus mutus eſt, qui tenetur vitia coercere, ad illa vero patrata tacet vel non impedit. Octavus modus erat *non obſtans*, hoc eſt, non impediendo quis ita ſe gerere poteſt, ut effectus ipſi tanquam veræ cauſæ imputetur: E. g. quando non impedit, quod

quod impedire poteſt & debet. Recte hic monent *Moraliſtæ*, hanc cautionem adhibendam eſſe, ne quis habeatur pro cauſa morali, ſi vel maxime effectum non impediat, niſi ſimul hæc duo requiſita adſint: Scilicet requirunt, quod etiam veritas requirit, 1. ut potuerit; 2. ut debuerit effectum impedire is, cui tanquam cauſæ morali effectus imputatur. Cæterum utut rectiſſime doceant *Moraliſtæ*, neutrum ſine altero ſufficere, vix tamen adduci poſſumus, ut aliter opinemur, quam quod paſſi fuerint a *Moraliſtis* ſibi imponi, qui ex profeſſo de cauſa morali non impediente agentes ſenſa animi ſui ſic explicare ſatagunt: *Duo requiruntur ad hoc, ut quis effectum non impediendo ita ſe geſſiſſe dicatur, ut ſecundum prudentum exiſtimationem effectus ipſi imputetur: 1. ut potuerit; 2. ut debuerit effectum impedire. Si alterutrum deficit, hoc modo nemo cauſa moralis dici poteſt.* Hæc quando a *Moraliſtis* dicuntur in materia de cauſis moralibus damnorum & delictorum, locum omnino inveniunt tanquam veriſſima aſſerta: At quia eadem ad omnes caſus extenduntur, nihil fortaſſis falſius dici poterat. Quis enim dubitaret multas cauſas morales dari quæ non impediunt, quod non debebant impedire, debebant vero non impedire? Item non debebant impedire, nec debebant non impedire? Ergo hæc aſſertio

tio in adeo generali ſenſu prolata nequit approbari, quia multi profecto ſunt, qui non debuerunt impedire quod potuerunt, tamen cauſæ morales dici poſſunt, imo debent. Nonus modus erat *non manifeſtans*, hoc eſt, *non manifeſtando* id, e.gr. quod non manifeſtans impedire non potuit, efficere tamen potuiſſet, ut impediretur, modo manifeſtaſſet imminens periculum, ad quod manifeſtandum utique obligabatur. Approbat hoſce novem modos *Leonardus Leſſius de Juſtitia & Jure, Lib. II. Cap. 13. dub. 1. p. m. 143.* eosque paſſim a Doctoribus numerari ac approbari teſtatur, huncque novenarium numerum auctoritate *Gabrielis, Sylveſtri, Adriani, Medinæ, Soti, Covarruviæ, Navarri* tuetur: Idem *Petrus de Arragon opere ſuo Morali de Juſtitia & Jure qu. LXII. art. 7. p. m. 200.* confirmat, dum inter alia expreſſe ſcribit: *D. Thomas enumerat novem modos &c. Ex quo manifeſte ſequitur, quod ſecundum ſententiam illius, tantum ſint decem modi operandi injuſte. Primus eſt ejus, qui injuſtitiam exequitur, ut qui furatur vel occidit. Et de hoc non loquitur* (Thomas) *in iſto* (citato) *articulo. Secundus eſt, præcipere vel jubere, hoc eſt, autoritative, & quaſi cum quadam coactione inducere alios ad injuſte accipiendum. Tertius eſt conſulere, hoc eſt, per modum cujusdam adhortationis movere. Quartus conſentire, hoc eſt, tacite, vel expreſſe appro-*

Digitized by Google

approbare. Quintus adulari, hoc eſt, cum quadam laude & plauſu incitare. Sextus receptare, hoc eſt, per modum poteſtatis & defenſionis cujuſdam invitare. Septimus participare, hoc eſt, capere partem prædæ iniquæ, vel partialiter concurrere ad ipſum maleficium, quomodolibet operando. Octavus tacere, hoc eſt, non adhibere præceptum, vel conſilium, prout tenetur, ad cavendum damnum alterius. Id enim ſignificatur per mutum in præſenti. Nonus non obſtare, hoc eſt, non adhibere auxilium in opere, prout ex officio tenetur. Decimus & ultimus eſt, non manifeſtare, hoc eſt, occultare damnum jam factum, quod ex officio revelare tenebatur. Idem Johannes Azorius & Ludovicus Molina, ille vaſto Inſtitutionum Moralium opere, part. 3. l. 4. cap. 10. p. 214. & ſeqq. hic de Juſtitia & Jure Tom. 5. diſp. 729. p. 407. prolixe confirmant.

III. B. Martinus Chemnitius Tom. 1. LL. Theol. loc. 7. cap. 8. de peccato actuali p. 258. modos cauſæ moralis his incluſit verſiculis:

*Conſulo, Præcipio, Conſentio, Provoco, Laudo,*
*Non retego culpam, Non punio, Non reprehendo,*
*Non obſto, ſed Præcipio, & defendo alienum.*

IV. Aliis alia, & fere cuique ſua, methodus diſtinguendi cauſas morales placuit. Et ſane non eſt, quod quiſpiam exiſtimet, ac ſi cenſeamus omnes & ſingulos cauſæ moralis

modos a nobis enumeratos fuiſſe, cum ſolummodo uſu frequentiores, & fortaſſis ne hos quidem ſingulos, recenſere voluerimus: Habebit interim felix cauſarum moralium ſpectator occaſionem in variis modis cum in commodiores utilioresve claſſes redigendis, tum augendis, ſeſe exercendi, quam nemini invidebimus.

## CAPUT VIGESIMUM QVINTUM

### De

# CAUSIS MORALITER MOVENTIBUS.

§. I.

INter cauſas morales & ſimul moraliter moventes primum locum aſſignavimus CAUSÆ MANDANTI, hoc eſt, cauſæ morali, *cujus intentio ſe exerit per mandatum, quo movet cauſam phyſicam liberam ad effectum immediate producendum*, cujus ſcilicet effectus a cauſa phyſica immediate producti ipſa perſona mandans cauſa moralis eſt & dicitur: Exemplum legitur *1. Sam. XXII.* David a Saulo profugus

gus ad Ahimelechum Sacerdotem acceſſit, dicens ſe ad Regis negotia expedienda miſſum, ſibique deeſſe commeatum, ſubminiſtraret igitur, quos haberet panes & gladium. Ahimelech nullam ſubeſſe fraudem ratus, panes, ut vocant, propoſitionis, & gladium Goliathi depromſit. Doeg carceri tunc inclusus, poſteaque dimiſſus renunciavit Saulo, quod Ahimelech victu & armis juviſſet Regis hoſtem Davidem. Saul ira commotus Ahimelechum advocari juſſit, & non admiſſa excuſatione, ſervis injunxit, ut in conſpectu ſuo interficerent Sacerdotes. Sed cum ſervi a ſcelere abhorrerent, nec Domini imperata exequi vellent, Saul dixit Doego verſu decimo octavo: סב אתה ופגע בכהנים, *circumda tu & irrue in Sacerdotes.* Quibus obtemperans juſſis Doeg jugula-

 vit

vit ſacerdotes. Sic enim habent verba Sacri Codicis: בכהנים ויסב דויג הארמי ויפגע הוא *& circumdedit Doeg Edomita & irruit in Sacerdotes.* Ibi ergo SAUL erat cauſa moralis (Doeg vero cauſa phyſica) octoginta quinque cædium Sacerdotum.

*N O T Æ.*

I. Exempla *cauſæ moralis mandantis* in *Sacris* paſſim occurrunt. Memorabile certe exemplum erat, quod ſupra de Davide reſpectu cædis Uriæ, *cap. 23. not. 3. ad §. 7.* adferebatur. Ita JOSEPH erat *cauſa moralis mandans* effectus longe poſt obitum ipſius, nempe elapſo centum quadraginta & quatuor annorum ſpatio ſecuti. Dederat enim Joſeph fratribus ſuis mandatum de oſſibus ſuis transferendis in terram Canaan & illic ſepeliendis, ceu ex *Gen. L, 25. 26. & Ebr. XI, 22. liquet*: At Moſes demum poſt centum quadraginta & quatuor annos Iſraelitas ex Ægypto educens una ſecum abduxit oſſa Joſephi *ciſtæ* incluſa & tamdiu aſſervata, eaq; Iſraelitæ prope Sichem terræ, quam Jacob ab Hemoritis filiis Sichem emerat, mandarunt, *Joſ. XXIV, 32.* JOSUA mandato ſuo effecit,

Digitized by Google

cit, ut duces militiæ cervices quinque Regum captorum pedibus conculcarent, *Jos. X, 24. 25.* ABIMELECUS erat cauſa moralis (mandans) acceleratæ necis ſuæ, quando puero armigero ſuo in mandatis dederat, ut ſtricto gladio ipſum occideret, ne diceretur: Mulier (quæ nempe lapide molari fregerat cranium ejus) interfecit Abimelecum: quippe hoc mandatum puer celeriter executus eſt, *Jud. IX, 53. & ſeqq.* DAVID populum Ammonitarum & ſerræ & trahis ferreis & ſecuribus ferreis per mandatum ſuum ſubjecit, ſicque omnes Ammonitarum civitates perdidit, *II. Sam. XII, 31.* Rex JEHU Reginam Izebel mandato ſuo de feneſtra præcipitem dedit, ut ſanguine ejus & paries & equi conſpergerentur, ipſaque conculcaretur, *II. Reg. IX, 32. 33.* IDEM Rex mandato extitit cauſa decollatorum ſeptuaginta filiorum Regis Achabi, *II. Reg. X, 7. & ſeqq.* item mactatorum duorum & quadraginta fratrum Ahaſiæ Regis Juda, *ibid. v. 14.* & quis omnia cauſarum moralium mandantium exempla e ſacro codice arceſſeret?

II. Unicum exemplum profanum cauſæ moralis mandantis, idque nitidis *Lipſii* verbis, utut prolixum videatur, referre libet: *Erat* CAROLO AUDACI Burgundiæ & noſtro Duci, vir nobilis in ferventi gratia, atque ei præfecturam oppidi in Zelandia dedit.

 Ipſe

Digitized by Google

Ipſe ibi in otio, amorem concipit in fœminam corpore ſcitam & moribus, animo meliorem, ut docuit eventus. Primo aſpectus, obambulatio, ſuſpiria, & quæ ſolent amantes: mox audacior & verba miſcet, & affectum aperit, & ſolatium orat. Neque promiſſis abſtinet, & omnia tentat, quæ ſint expugnandæ. Fruſtra, munita undique caſtitas erat. Igitur deſperatione ad facinus ſe vertit. Præfectus erat, ut dixi, & Carolus noſter in bello; maritum igitur amatæ fœminæ proditionis inſimulat, & ſtatim in vincula miſſum carcere cuſtodit. Quo fine? ut vel hoc metu minisque illam moveat, & obnoxiam ſibi reddat: vel maritum ipſum amoveat, remoram amori. Cuſtodit igitur, & mulier caſta & viri amans ſtatim ad carcerem, a carcere ad præfectum, deprecatura aut liberatura, ſi poſſit. Præfectus: *Et tu o mea me rogas? Imperium quod in me habes, ignoras? affectum ſaltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim uterque, ille in meo, ego in tuo carcere aut vinculis: ah, quam facile utrumque ſolvis! quid renuis? amans peto, & per meam vitam; Præfectus peto, & per mariti tui vitam. Utraque agitur: & perire ſi debeo, perdam. Atqui miſerere, & mulierem te, & conjugem oſtende.* Mulier rubere ad iſta, & ſtupere: & tamen pro marito etiam timere. Conſtat magis animo, quam corpore: & trepidat & pallet.

Digitized by Google

det. Atque ille, quia moveri viſa & leviter vim verecundanti adhibendam ratus (ſoli erant) in lectum impellit, fruitur fructum, utrique mox acerbum. Nam mulier confuſa & lacrimabunda abiens, pudoris magis quam peccati ægra, iram & vindictam coquit: quam magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem?) Præfecti factum. Nam ille voti potitus, & cætera prolixa autumans, ſi æmulum ſuſtuliſſet: maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, ſed carcere ipſo factum: Atque ibi cadaver in arcam ligneam incluſum, mox ſepeliendum. Venit interea mulier, ſive accita ab ipſo (ut quidam tradiderunt) ſive ſponte & ſuper ſalute mariti anxia: ſed venit, & vel ex pacto maritum recipere ſe ſperat. Ille benigne effatus, Et *maritum*, inquit, *quæris*? habebis. *Abi* (& digitum ad carcerem intendit) *invenies & tolle*. Nihil ſuſpicata abit, videt & percellitur, & animo ac corpore lapſa ſuper cadaver ſe abjicit ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis, *Et hercules*, inquit, *reddidiſti maritum: gratia debetur, exſolvam*. Retinere & placare conatur, fruſtra: non tigris magis ſæviat, fœtu erepto, ſtatimque amicorum fidis advocatis, rem denarrat, ejus ordinem & culpam ſuam non culpam: ac conſilium viamque ultioni exquirit. Cen-

 ſent

ſent omnes ad Principem eundum: qui inter alias virtutes (inſignes habuit, niſi ſuperbia & pervicacia corrupiſſet) eximius juſtitiæ cultor erat. Accedit duobus amicis comitata, auditur; vix creditur. Et indignatur & dolet Princeps, hoc in ſuo ſolo, & e ſuis, quemquam auſum. Sed & mulieri edicere minaciter, niſi vera & certa afferret, malum habituram. Jubet manere in aula & in vicinum cubiculum ſecedere, dum præfectum vocat: nam forte & ipſe in aula erat. Venit; introducitur & mulier. *Hanc noſtin?* ait Princeps. Colorem homo mutat: & Princeps exſequitur: *At querelas, quas ſuper te defert, etiam noſti? Atroces ſunt, & quas nolim eſſe veras. Quid ais?* Vacillat, perplexe loquitur, negat aliquid, & annuit: donec Princeps ex vultu ipſo & ſermone culpam ſuſpicatus, ut tamen certior eſſet, remotis omnibus ſolum alloquitur. *Quam fidem mihi debeas, & quam beneficiis meis gratiam, non neſcis. Per hanc & illam te adjuro, ut quid in hac re ſit, liquido & ſine ambagine denarres. Fatenti gratia, aut aliqua ſeveritas, non deerit, nec abnuenti tormenta.* Ibi ille ad genua ſe abjicere, factum agnoſcere: denique mulierem culpæ omnis liberare, ſe onerare; ſed in gratia Principis refugium & ſolatium ponere. Quam ut magis impetret, illicitam libidinem purgaturum matrimonio offert. Princeps quaſi aures præbens & jam

Digitized by Google

jam mitior, mulierem revocari, quoſdam e ſuis aſſiſtere jubet. Et, *Heus tu, quoniam huc ventum eſt, mulier, placetne maritum hunc habere?* Illa abnuit: & tamen voluntatem aut juſſa Principis timens, adſpicit circumſtantes. Qui certatim innuunt aut ſuggerunt, accipiat conditionem viri nobilis, divitis, apud Dominum gratioſi. Victa dat manus, quas Princeps jungi cum præfecti jubet & ſolennibus verbis matrimonium firmari. Firmato, iterum Princeps: *Tu nove marite hoc jam nunc largire, ut ſi prior ſine liberis obeas, hæc conjux hæres omnium bonorum tuorum ſit.* Libens concedit, teſtes audiunt, tabellarius ſcribit. Tunc *Carolus* ad fœminam: *Dic ſodes, animo tuo factum jam ſatis? Satis*, inquit mulier: *At nondum meo*, ille ſubjicit: & ablegata fœmina jubet Præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cæſus, & pariter cæſum in arcam ligneam ſive capulum deponi. Facta ſunt. Vid. *Lib. 2. cap. 9. exempl. Polit.* 7. Erat hic per mandatum Dux Carolus Cauſa moralis duplicis ſatisfactionis a præfecto reapſe præſtitæ, qua nempe a duplici obligatione liberabatur. Alia enim obligatio erat ad reparationem damni, alia ad pœnam. Prioris ſatisfactionis cauſa moralis erat, quando jubebat manus ſtupratæ jungi cum præfecti manibus, & ſolennibus verbis matrimonium firmari. Firmato, eam



Digitized by Google

hæredem omnium bonorum præfecti inſtitui. Ipſa mulier fatebatur, ſibi eſſe ſatisfactum a Principe. Quippe quærenti Carolo: *Dic ſodes, animo tuo factum jam ſatis?* reſpondit: *Satis.* Poſterioris ſatisfactionis cauſa moralis exiſtebat laudatus Princeps, dum jubebat præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cæſus, & pariter cæſum in capulum deponi. Teſtabatur illud ipſum fœminæ ſibi ſatisfactum aſſerenti regerens: *Animo tuo factum eſt ſatis: At nondum meo.*

III. Huc ſpectant exempla omnium eorum factorum, quæ ex ſuperiorum mandato, item ex legumlatorum præſcriptis fiunt. Nec dubium eſt, quin doctrina de cauſa morali mandante in ea Politices parte, quæ Ariſtoteli ἀρχιτεκτονικὴ architectalis dicitur, uſum inſignem ferat.

§. 2. Mandatum alias videtur rectiſſime definiri hoc modo: Eſt *ipſa expreſſa intentio* (mandantis) *vim habens cogendi.* Unde hac ratione duo requiruntur ad mandatum: 1. ut ſit decretum ſuperioris, quo nempe ſibi ſubjectum obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat, 2. ut expreſſum ſit,

ſit, hoc eſt, ſatis idoneum ſignum adſit, ex quo ſuperioris intentio ab eo, quem obligat, colligi queat.

*N O T Æ.*

I. Non jam multa diſputabimus de diſcrimine inter legem a ſuperiori latam & mandatum: Sane inveniamus ſat eruditos viros, qui legem a ſuperiori latam habent pro mandato univerſali, & mandatum pro lege ſingulari. Et hoc hic loci verbulo tetigiſſe ſufficiat.

II. Dum ad mandatum requiritur, ut ſit *decretum*, omnino ſignificatur, illud eſſe intentionem: Omne namque decretum eſt intentio. Scilicet differunt decretum & intentio ut anguſtius & latius.

III. Verba: *expreſſa intentio vim habens cogendi*; tacite innuunt mandatum habere pro cauſa efficiente ſuperiorem: Coactio enim, prout in præſenti materia a Doctoribus accipitur, non competit niſi ſuperiori, τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ: Ex eo fundamento Doctores omnis omnino Juris demonſtrant, pœnas infligere non eſſe niſi Rectoris qua talis primo & per ſe: ut puta in familia patris; in republica regis; in univerſo Dei.

IV. Huc igitur omnes leges a ſuperiori latæ ſpectant: Sumitur autem notio ſuperioris hoc loco in ſenſu ajente, hoc eſt, pro

eo,

Digitized by Google

eo, qui ſibi ſubjectum agnoſcit, *in ordine ad quem ſuperior vocatur.* *Dicitur: in ſenſu ajente.* Nam & ſano ſenſu Gentes vocantur ſuperiores præciſe per hoc, quia non habent in terris ſe ſuperiores: Tantum enim Politica æſtimatione poteſt minima Gens, quantum maxima Gens; Non tamen ita dicuntur in ſenſu ajente, ſed negante. Igitur ſi duplex lex Gentium datur: Una quæ quoad rem non differt a lege naturali, altera, quæ poſitiva eſt; nullum dubium eſt, quin lex poſitiva latius pateat, quam lex lata a ſuperiori.

V. Sed & naturales leges, ſi ſpectentur (ſic enim omnino ſpectari poſſunt) prout ſunt decreta Supremi Numinis de actibus per ſe & ſua natura moralibus, (hoc eſt, de actibus voluntariis neceſſario cum natura rationali convenientibus aut disconvenientibus) quibus creaturas rationales tanquam ſibi ſubjectas obligat, mandata Dei univerſalia vocari poſſe nunquam negavimus.

§. 3. At in præſenti mandatum ſumitur non in eo ſolummodo ſenſu, qui præcedenti §. exprimebatur, ſed & per abuſionem, prout notat omne decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligare voluit, ut ad præſcriptum iſtius actionem

ſuam

Digitized by Google

ſuam componeret, ſive eum ad ta-
le quid, ad quod eum voluerat ob-
ligare, juſte potuerit obligare, ſive
minime.

*NOTÆ.*

I. Ex omni Jure notum eſſe debet, ad impoſſibile nullam dari obligationem: At turpia ſunt impoſſibilia, unde qui turpia dat in mandatis, non obligat. E. gr. quando herus ſervo ſuo in mandatis dat, ut homicidium patret, hoc mandatum nullam vim obligandi habet, quia eſt mandatum de per ſe ac ſuapte natura turpi & illicito. Dicis: Si tale mandatum non habet vim obligandi, cur mandati nomine nuncupatur. Reſpondetur, quia uſus hancce locutionem probat. Haberet enim vim obligandi, niſi eſſet de actu per ſe ac ſua natura turpi.

II. Sicut aliud eſt cauſa efficiens intentionis, & iterum aliud, cauſa efficiens per intentionem e. gr. qui nudam intentionem habuit cædis, h. e. habuit intentionem, quæ tamen ad nullum plane actum externum proceſſit, is recte dicitur cauſa efficiens intentionis cædis, cauſa vero efficiens cædis per intentionem ſalva veritate dici nequit: Ita quoq; licebit ſano ſenſu diſtinguere inter cauſam efficientem mandati & cauſam efficientẽ per mandatum. Nam ne quidem is ſemper pro

pro cauſa efficiente per mandatum habendus eſt, qui alteri mandavit effectum iſtum, qui mandatum ſequebatur. Potuit namque effectus ſequi mandatum, ut tamen non ſit ſecutus ex mandato tanquam ſua cauſa: E. gr. Sempronius turpi mercede dudum conductus ad homicidium patrandum juramento ſeſe obſtrinxerat, Titius vero hujus rei plane ignarus Sempronio, idem abſque mandati interventu certiſſime facturo, in mandatis dederat, accuratiores rerum Metaphyſicarum & Moralium æſtimatores non facile dixerint, Titium in talismodi caſu ſimpliciter fuiſſe cauſam moralem ſecuti & a Sempronio patrati homicidii, utpote qui tale factum ſolummodo (ceu loqvuntur) facilitaverat, quem id propter accuratiſſimi Doctores cauſam concomitantem dictum volunt.

§. 4. Alter locus adjudicabatur CAUSÆ CONSULENTI, hoc eſt, *cujus intentio ſe exerit per conſilium, quo cauſam phyſicam liberam movet ad effectum immediate producendum*, cujus ſcilicet effectus immediate producti ipſa perſona conſulens cauſa moralis cenſetur. *E.gr.* Talis cauſa erat Regina Izebel 1. Reg.

Reg. XXI, de cujus conſilio Rex Achab haſce literas internecinas: *Indicite jejunium, & ſedere facite Nabothum inter primores populi, & ſtatuite duos viros Belijael, qui teſtificentur contra eum, maledixiſti Deo & Regi, tunc educite eum & lapidate, ut moriatur;* annulo ſuo ſignari permiſerat. Erat ſane Regina cauſa cædis Nabothi, utpote cujus ipſe Deus eandem ream per Prophetam Eliam arguebat, & quidem cauſa libera mediata, ſuamque intentionem exerebat per conſilium adeo cruentum ſceleſtumque. Inde & ſacer codex hanc ἐπίκρισιν ſubjungit: *Enimvero non extitit ſimilis Achabo, qui dediderat ſe ad faciendum, quod oculis Dei malum videretur, quia uxor ejus Izebel incitabat, ſuadendo adducebat, ſeducebat ipſum.* (Has enim ſignificationes verbum הסתה obtinet.) NO-

## NOTÆ.

I. Exempla cauſarum moralium conſilentium in Sacris paſſim conſpiciuntur. Per conſilium fuit BILEAM cauſa moralis ſcortationis ab Iſraelitis patratæ, dederat enim Balaco conſilium impium de formoſiſſimis virginibus & fœmellis ſubornandis mittendisque in caſtra Iſraelitarum, cum quibus illi rem habentes Deum offenderent, ceu ex *Num. XXIV, 14. XXV, 1. 2. 18. XXXI, 16. Apoc. II, 14.* (ſi hæc loca inter ſe conferantur) colligere eſt. Per conſilium NAEMI fuit cauſa moralis conjugii inter Bohaz & Rutham initi *Ruth. III, 1. 2. ſeqq. IV, 10. & ſeqq.* Per conſilium CONSILIARII CHANUNIS Regis Ammonitarum erant cauſæ morales valde ignominioſæ violationis legatorum a Davide miſſorum & inde ſecutæ cladis *2. Sam. X.* Per conſilium JONADAB amicus Amnonis erat cauſa moralis inceſtus violenti ab Amnone commiſſi *2. Sam. XIII.* Per conſilium JOAB erat cauſa Abſalomi in gratiam a Rege recepti *2. Sam. XIV.* Per conſilium ACHITOPHEL erat cauſa moralis tot inceſtuum cum concubinis Davidis publice commiſſorum *2. Sam. XVI, 21. 22. 23.* Per conſilium HUSAI erat cauſa moralis ſervati Davidis totque animarum *2. Sam. XVII.* Per conſilium CONSILIARII RECHABAMI Regis, annis & conſiliis tyrones, cau-

cauſæ morales erant Iſraelis ab ipſo deſciſcentibus, regnique diviſi. 1. Reg. XI.

II. Cauſarum moralium conſulentium exempla quam plurima Politicorum libri, maxime qui de conſiliis atq; conſiliariis egerunt, ſubminiſtrant. Obiter incidit in memoriam factum non acutum modo ſed & valde lepidum Thomæ Mori, Angliæ quondam ſupremi Cancellarii; Hic enim ut vir erat prudentia gravis, moribus ſeverus, conſilio altus: ita quoq; in vitæ conſuetudine mire ſuavis, lepidus ac adeo facetus, ut in ipſis tribunalibus, imo etiam in carcere, in loco ſupplicii, in ipſo patibulo a facetiis non abſtinuerit. Sedente pro tribunali Moro, latrunculi quidam ex illis, qui ſacculos pecuniarios & crumenas mira facilitate reſecant, producuntur, præſentibus & jacturas ſuas graviter deplorantibus illis quorum fuerant reſectæ crumenæ. Hic ex aſſeſſoribus unus, vir gravis & ſenex, ipſos innocentes acerrime cœpit objurgare, quod ſacculos ſuos accuratius non ſervarent, ſed ſua incuria & negligentia nebulonibus illis furti hujus exercendi anſam præberent. Morus audita hominis importuna oratione, qua eos objurgabat, quibus juſtitiam adminiſtrare debebat, rejecta in proximum conventum hujus rei cognitione, ſequenti nocte unum ex latrunculis illis clam e cuſtodia ad ſe adduci fecit. Agit

*cum eo, ut proxima ſeſſione ſenis illius, qui ſic i-nocentes objurgarat, crumenam ſedenti pro tr-bunali reſecaret. Quod ſi faceret, gratiam -eo hac vice expectaret.* Recipit ſe facturum latrunculus, nec illibenter. Conſidente ig-tur cum ſuis aſſeſſoribus in proximo conver-tu Moro, evocatus inter primos latrunculi ille, ut objecto crimini reſponderet; ait ha-bere ſe quidem; quo ſe facile purget, non ta-men id facere poſſe, niſi ſecretum quoddam ad ſui purgationem pertinens, vel ſupremo Judici, vel ex Aſſeſſoribus alicui prius aperi-re permittatur. Rogat itaque, ut ei liceat id facere. Jubetur deligere quem velit ex omnibus cui hoc aperiat. Deligit ſenẽ illum. Ad quem accedens ut ei in aurem ſecretum ſuum demurmuret, eadem opera crumenam illi ad latus pendentem bene onuſtam celer-rime reſecat: moxque finito ſermone ad lo-cum ſuum deſcendit. Morus accepto indi-cio rei bene geſtæ, captata occaſione alterius cujusdam miſeri in diſcrimine capitis con-ſtituti aliqua præſenti eleemoſyna juvandi, collectam publicam fieri permittit; capto a ſe & a ſuis initio. Qvum ad ſenem primo fe-re ordine veniretur, eleemoſynam daturus reſectam ſibi crumenam videt: moxque & ira & pudore plenus jurat ſibi ad tribunal con-ſcendenti crumenam adfuiſſe. *Monens* igi-tur *eum Morus non eſſe objurgandos quibus id* in-

*[illegible]rtunii accidit, reddi a latrunculo crumenam ſui: ridentibus qui aderant omnibus, Morique [illegible]dentiam & facetiſſimam gravitatem pleno [illegible] collaudantibus.* Vid. *Thomas Stapletonus, An[illegible]*, Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius [illegible]aci primo, deinde Lovanii, in *libro, cui titulus: Tres Thomæ ſeu res geſtæ Thomæ Apoſtoli, Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Thomæ Mori*, & quidem in *vita Mori cap. 13. p.m.* 1030. Ita Morus & impunitatis & amicæ admonitionis cauſa moralis & cauſa phyſica ſimul extitit.

§. 5. Magna inter mandatum & conſilium cognatio intercedit, hoc tamen cum illo idem non eſt. Et ſane non modo ratione objecti & finis, ſed & in pluribus aliis convenire poſſunt: Differunt tamen in eo, quod mandato (abſolute tali) vis obligandi ſit intrinſeca, conſilio ſit extrinſeca.

*N O T Æ.*

I. Qui his verbis conſilium contradiſtingvunt, nihil aliud volunt, quam quod mandatum aptum natum ſit ad conſcientiam ejus, cui datur, adſtringendum: Conſilii autem obligatio pendeat ex arbitrio ejus, cui



Digitized by Google

cui fertur, tumque demum obliget, ſi auto[r] conſilii eum, cui impertivit, morali motion[e] ſua eo perduxerit, ut ſe ex ſemet quaſi ad obſequium conſilio præſtandum determinet.

II. Eodem res redit, ſi qua formula *mandatum* §. 2. expreſſa intentio vim habens cogendi, eadem *conſilium* expreſſa intentio vim habens alliciendi dicatur.

III. Parum ab hac ſententia abeunt, qui a mandato conſilium diſtingvunt, quod conſilium niſi volentibus non detur, mandatum etiam nolentibus feratur.

IV. Qui mandatum & conſilium in eo convenire docent, quod utrumque ſit propoſitio practica, qua quis alterius actionem dirigit, deque eo, quid ab ipſo faciendum vel omittendum ſit, judicat; Illi videntur metonymice loqui, utentes metonymia ſigni pro ſignato. Signum namque & mandati & conſilii eſt propoſitio practica, qua mediante & mandans & conſulens ei, cui mandat & conſulit, intentionem ſuam ſignificat. Ita ex duplici propoſitione Carolo S. Ludovici Regis Galliæ fratri a CLEMENTE IV. Pontifice Romano (a quo Rex utriusque Siciliæ nimium audaci ac iniquo facto creatus fuerat, juſto hærede Conradino quem Itali vocant, Conradi IV. Regis Siciliæ filio ac Friderici II. Cæſaris nepote adhuc ſuperſtite) cum eum conſuluiſſet, reſponſi loco transmiſſa:

miſſa: VITA CONRADINI MORS CAROLI, )( MORS CONRADINI VITA CAROLI; quisque cum Carolo facile potuit colligere ſanctiſſimi ſcilicet! Patris, inclementis Clementis, clementiſſimum, ſi Diis placet, conſilium, per quod cauſa moralis erat publicæ decollationis Conradini ex Caroli mandato conſiliique hujus executione in publico ejusdem conſpectu ſecutæ. Ita ATREBATENSIS cauſa moralis erat impediti triumphi a Carolo V. ex victis Germanis agendi. Dederat enim Cæſari conſilium, ut in literis, queis Landgravio Haſſiæ ſecuritatem promiſerat, vocabulum einig corrigeret & ſubſtitueret ewig/ ſicque Landgravio imponeret, qui opinatus ſe in nullam captivitatem detrudendum eſſe, poſtea ſemet dolo circumventum vidit, Hiſpanis optimo Principi illudentibus, quod patienter ferre deberet captivitatem, quæ non æterna futura. Inde poſtea evenit, ut Cæſar ſpretis Mauritii precibus ab ipſo Mauritio Germania pulſus dimittere Landgravium cogeretur, ut apud *Sleidanum, Thuanum* & alios legere eſt.

V. Nec tamen, ſi vel maxime metonymica phraſi utamur, hoc eſt, mandatum & conſilium per propoſitionem definiamus, ſemper propoſitiones ſunt: Ita mandatum TARQVINII non erat propoſitio, quando nempe nuncio præſente, cujus fidei parum

credebat, in horto ſuo maxima & altiſſima papaverum capita baculo decuſſerat, quo (nuncio non advertente factum tamen referente) obligavit filium, ut excellentiſſimum quemque Gabinorum aut exilio ſummoveret, aut morte conſumeret, ipſeque Tarquinius parens per mandatum abſque propoſitione extitit cauſa moralis tot cædium. *Livius Hiſt. Rom. Lib. 1.* Nec vero METII SUFFETII Ducis Albanorum conſilium propoſitione ſignificabatur, qui dubiam & ſuſpectam ſemper ſocietatis ſuæ fidem in ipſa acie Romanis Fidenas aggreſſis detexit eo, quod derelictis in conflictu eorum copiis prælio exceſſit, ac in colle proximo conſedit, id quidem intentans ut aut victis inſultaret, aut victores feſſos aggrederetur. *Liv. ibid.* Huc ſpectat ſequens factum militis Suetici: Præceperat Rex Carolus, Guſtavi Adolphi pater, quodam tempore nonnullis equitum vexillis, ut ad abitum ſe pararent, in Livonia deinceps militatura. Quod ut rectius exequerentur, ſingulis equitum certam deſtinaverat pecuniæ, farinæ, hordeique ſummam a præfecto rei frumentariæ ipſis numerandam. Erat ille lucri ſui, quam imperiorum regiorum obſervantior, ideo ex imperata ſumma non profecto parum detrahit cuilibet. Id callide ſubodoratus *equitum nonnemo, qua Regi arte*

fur-

*ſuorum præfecti proderet, ſtudioſe prorſus apud ſuum animum verſabat.* Poſtremo tale quidpiam comminiſcitur. Solebat Rex quotidie matutino tempore paucis comitantibus exire in navalia proxima, ibique fabrorum ſpectare diligentiam. Via erat tum vicina flumini præterlabenti. Ergo *eques* circiter id tempus *deſcendit in aquam, bordei pauxillum in eam conjicit, ſimul ſtipite huc illucque verſat, diligenter operi ſeſe ſimulans intentum.* Quem ut agitantem fluminis aquam vidit Rex tum ex more præteriens (& erat alias Regi non ignotus eques) mittit ex ſatellitibus, qui ex eo quæreret, quid ibi negotii tanta cura tractaret? Eques tanquam importuna illius interpellatione commotior, *ſtulte,* ait, *annon cernis, coquere me cereviſiam;* hocque reſponſo ſatellitem a ſe dimiſit. Qui cum ad Regem eſſet reverſus, reſponſumque equitis expoſuiſſet, Rex multo magis accenſus inſolito hoc & ſpectaculo, & reſponſo, miſit denuo, qui juberet eum ſerio expromere, quid eſſet rei, quod ageret in flumine. Tum eques: *Injunctum nobis eſt a Rege, ut peregre abeamus in Livoniam, ad id iter accepimus bordei pauxillum, & lupuli, quod cum ut facile ipſe æſtimare potes, nobis nequeat ſufficere ad potum, id hic projicio, & in ipſo flumine cereuiſiam mihi coquo, ut cum decurrat in mare, quod eſt ſubeundum nobis, toto itinere habeam vel ex aquis*

*cereviſiam mihi, atque potum.* Quod reſponſum cum rex cognoviſſet, equitem ipſum ad ſe jubet venire, quantumque eſſet hordei quod accepiſſet, pronunciare. Cumque ille rem ſimpliciter prodidiſſet, ſumma Rex accenſus ira jubet ad ſe adduci rei frumentariæ præfectum, eumque, cum objecta diluere non poſſet, ad patibulum furcamque condemnat. Fuiſſetque laqueo ſuſpenſus, niſi multorum magnorum virorum precibus Rex hactenus eſſet mitigatus, ut vitam quidem ei condonaret, cæterum ab officio remotum, omni deinceps exueret dignitate. *Ita callidum unius manifeſtavit commentum, quod intra conſcientiam plurium metus potentiæ majoris inanibus cum lamentis occluſerat.* Celeberrimus *Schefferus libro memorabilium Sueticæ gentis exemplorum c. VI. exemplo 4. p. m. 37. ſeq.*

VI. Quæ de juſto & injuſto mandato dicta ſunt, ea ad licitum & illicitum conſilium, mutatis mutandis, facile trahi poterunt.

§. 6. Tertio CAUSA DEMANDANS adducebatur, hoc eſt, ea cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per mandatum a nullo Superiore profectum: Ita PAULUS Apoſtolus erat cauſa moralis vitæ ſuæ

Digitized by Google

ſuæ a tribuno conſervatæ, quando ipſe in vinculis detentus cuipiam a Centurionibus ad ſe vocato demandaverat, ut filium ſororis ſuæ abduceret ad tribunum, ex quo tribunus, percipiens inſidias vitæ Apoſtoli ſtructas; ipſum, magna militum copia ſtipatum, ſalvum perducere juſſit ad Felicem præſidem, *Act. XXIII.*

*NOTA.*

Ita ARISTIDI, gloriæ & nominis cauſa periclitanti in exilium decennale mitti, (quod a genere ſuffragii oſtracismum Græci dicunt) cum in ſuffragia jam iretur, & ipſe quoque adeſſet, & ſtaret permixtus plebi, aliquis de numero, ſcribere, imperitus, ei propinquo demandabat, ut in teſtulam nomen Ariſtidis inſcriberet, damnandi ſcilicet ejiciendique. Ergo eum noſti? inquit: aut alibi is te læſit, nocuitque? neutrum, inquit alter: Sed hoc male habet, & damnatum eo, quod paſſim vocari audio juſtum. Teſtam accepit Ariſtides, & paruit, ac nomen ſuum promte inſcripſit.

§. 7. In eo demandatum (ſi ita



Digitized by Google

vocare liceat) & conſilium differunt a mandato, quod utrumque qua tale invito dari nequeat, ſic ut illud teneatur exequi: In hoc inter ſe differunt mandatum & demandatum, quod nempe demandatarius, quem vocamus, poſtquam in demandatum conſenſum eſt, demum obligetur.

*NOTÆ.*

I. Sunt, qui mandatum veteribus dictum credunt, quaſi manudatum, eo quod veteres in mandatis & accipiendis manus ſibi invicem dare conſveverant, quem etiam morem in multis promiſſionibus vulgus obſervat & retinet. Igitur mandare generatim ſignificat, alicui gerendum aliquid & exſequendum, committere.

II. *Moraliſtæ* probant diſtinctionem inter mandata publica & privata. Publica mandata dicunt proprie præcepta, ſive edicta, Magiſtratuum: Quæ quidem ſunt neceſſitatis, & huc referunt *authent. de mandatis Principum*. Privata vero mandata dicunt, cum negotium aliquod in judicio, vel extra judicium noſtro nomine conficiendum, amice & bona fide alicui commendamus. Mandatur

Digitized by Google

totidem alteri aliquando jurisdictio, ut litem aliquam componat, & dirimat, vel ſententiam in reum ferat, vel ut in aliquem inquirat, & animadvertat. Aliquando mandatur alicui lis exercenda, & tractanda, & ita conſtituitur procurator ad lites & Judicia. Aliquando mandantur alicui negotia gerenda, & bonorum, ac rerum adminiſtrationes, & tunc conſtituitur procurator negotiorum, vel adminiſtrator bonorum. Interim mandatum frequenter accipiunt, quatenus alicui negotium aliquod gerendum amice & bona fide committimus. Et hac ratione Doctores morales diſtinguere ſolent inter juſſum & mandatum. Vid. eximius Moraliſta *Johannes Azorius*, vaſto *inſtitutionum Moralium* opere, *Tom. III.* integro *libro IX.* imprimis *cap. 1. p. m. 634.* Pariter *JCti* mandatum definiunt per contractum, quo rogante & committente aliquo negotium, nomine ejus gerendum, quis gratis ſuſcipit. Hanc in rem in *Jure civili* extat titulus *mandati vel contra*, qui eſt *primus* in *Digeſt. lib. XVII.* & *tit. XXXV. in Cod. lib. IV*, & in *Inſtitut. lib. III. tit. 27.* eſt *de mandato*. *In Jure Canon.* extat *tit. XXXIIX. de procuratoribus lib. 1. Decret.* Mandatarius tamen latius patet quam procurator.

III. Itaque maluiſſemus inter cauſam jubentem & mandantem, quam inter cauſam man-

mandantem & demandantem diſtinguere, niſi philoſophos alterius locutionis autores habuiſſemus præeuntes. Satis eſto, ſi in re ipſa conveniamus.

§. 8. Quarto ſiſtebatur CAUSA RATUM HABENS, hoc eſt, cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per ratihabitionem. Talis cauſa moralis erat JOSUA, ratum habens exploratorum factum, ipſiq; meretrici Rahab & Parentibus omnibusque familiis ejus vitam donans. Scilicet exploratores Jerichuntis ei ſanctiſſime promiſerant fore, ut horum omnium vita ſervaretur, *Joſ. II. & VI.*

*NOTA.*

Ita CRITIAS cæterique Tyranni Athenienſium certos homines ad Lyſandrum in Aſiam miſerunt, qui eum certiorem facerent, niſi Alcibiadem ſuſtuliſſet, nihil earum rerum fore ratum, quas ipſe Athenis conſtituiſſet. Unde his permotus Lyſander, quia ſuas res geſtas manere voluit, Alcibiadem curavit interfici.

§. 9. Ratihabitionem Docto-

res

vocant, quando quis ex poſt facto, ut loqvuntur, approbat id, quod ipſo inſcio, tamen ex præſumta ipſius approbatione aut præſumto conſenſu cauſa phyſica egerat: Exprimit caſum (quem exempli loco adferre liceat) *Dynus ad R. J. Pontif. Reg. 10.* hiſce verbis: *Si vulneraſti Clericum nomine meo, & ego ratum habeo, perinde ſum excommunicatus, ac ſi mandaſſem a principio vulnerari.*

*NOTÆ.*

I. Si igitur ſolidis rationibus Philoſophicis doceri poteſt, cauſam moralem æque ſuam intentionem per ratihabitionem ac per mandatum exerere poſſe, non ſubeat mirari, cur & *Civili* & *Canonico Jure* ratihabitio retrotrahatur (ut verbis juris utamur) & mandato citra dubium comparetur.

II. Facile quisque capit, neminem per ratihabitionem cauſam moralem ejus dici poſſe, quod nullatenus explicari per alium poterat.

III. Latius quandoque ratihabitionis vocabulo Doctores Morales utuntur: Et hoc

hoc ſenſu etiam cauſam moralem per ratihabitionem dixeris *populum Thebanum* Epaminondæ ultima minantem, quod legi non paruiſſet, & quatuor menſibus diutius, quam populus juſſerat, geſſiſſet imperium: Cum enim ille in judicium veniens nihil eorum negaſſet quæ adverſarii crimini dabant, neq; recuſaſſet, quo minus legis (quæ morte mulctabat, ſi quis imperium diutius retinuiſſet, quam lege præfinitum foret) pœnam ſubiret, unum ab iis petivit, ut in periculo ſuo conſcriberent: *Epaminandas a Thebanis morte multatus eſt, quod eos coegit apud Leuctra ſuperare Lacedemonios; quos, ante ſe imperatorem, nemo Bœotiorum auſus fuit aſpicere in acie: Quodque uno prælio non ſolum Thebas ab interitu retraxit, ſed etiam univerſam Græciam in libertatem vindicavit, eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedæmonii ſatis haberent, ſi ſalvi eſſe poſſent. Neque prius bellare deſtitit, quam Meſſena conſtituta, urbem eorum obſidione clauſit.* Hæc cum dixiſſet, riſus omnium cum hilaritate coortus eſt: Neq; quiſquam judex auſus eſt ferre ſuffragium. Sic a judicio capitis maxima diſceſſit gloria.

IV. Difficilis certe & intricata quæſtio eſt de ratum habente, numne toties vera cauſa moralis dici poſſit, quoties citra dubium vera cauſa fuiſſet, ſi mandans fuiſſet. Maximi nominis & JCti & Morales Doctores negativam

rum defendunt, aliamque rationem eſſe volunt in delictis; aliam vero in contractibus. Hic enim ratum habens per ratihabitionem ſequentem (de qua nunc ſermo eſt, quamque abſolute ratihabitionem hic loci diximus) non fuit cauſa damni dati antea: Hic vero, eo ipſo quod nomine ipſius celebrati ſunt & id ipſe ratũ poſtea habet, ipſius nomine ratum celebratumve eſſe merito ſtatuerunt jura, ut perinde id haberetur, ac ſi ipſe a principio mandatum ad id dediſſet. Conſulantur *Magnif. Dn. Struv. Syntagm. exerc. 48. §. 11. p. m. 888. & ſeqq.* & *Ludov. Molina de juſtitia & Jure Tom. III. parte priore per integram disput. 729. p. 407. & ſeqq.*

§. 10. Quinto nominabatur CAUSA LAUDANS, hoc eſt, cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per laudem: Tales cauſæ Morales erant quadringenti iſti PROPHETÆ nequam, ad Regem Ahabum dicentes: Aſcende, quia hoſtem traditurus eſt Dominus in manum Regis, & maxime inter illos cornutus iſte Zedekias, ferrea cornua ſua oſtendens ajensque: Sic ait Je-

Jehova, his feries Syros, adeo u[t] conſumas eos; & poſtea contradi[-]centi Michæ colaphum impin[-]gens, *1. Reg XXII.*

**NOTÆ.**

I. Ita JONATHAN erat cauſa moralis Davidis conſervati inq; Regis gratiam reſtituti *1. Sam. XIX, 1. & ſeqq.* PAULUS nondum converſus erat cauſa moralis lapidationis Stephani, quod ipſe fatetur inter alia dicens: Domine cum effunderetur ſanguis Stephani martyris tui, ego quoque adſtabam & una applaudebam & cuſtodiebam pallia interimentium eum *Act. VIII. 1. & XXII, 20.*

II. Ita cauſæ morales cladis Gallici exercitus erant univerſorum templorum ANTISTITES, ſimul & ipſi vates Delphorũ, qui repente cum inſignibus atque infulis in primam pugnantium aciem procurrebant, Delphorum ſcandentes Gallos e ſummo montis vertice, partim ſaxo, partim armis obruentium conatus laudantes, ſummisque obſecrationibus monentes, ne deſiſterent. Quibus vocibus incenſi Delphi Gallorum ſtraverunt exercitum, Ducemque ipſum Brennum occiderunt, ut nemo ex tanto exercitu vel ad memoriam tantæ cladis ſupereſſet. *Juſtin. lib. XXIV, 8.*

§ II

§. 11. Laus hoc loco dicitur, cum quis id, quod fieri vult, utile & pulchrũ eſſe oſtendit: & ita alterum ad faciendum movet? Ita JOSUA & CALEB qui ante fuerant exploratores terræ promiſſæ laudabant terras exploratas, hacque laude ſtudebant placare animos totius populi ſeditioſos, ſed irrito conatu ac cum certiſſimo vitæ periculo, abſque divinæ comminationis interventu ſi fuiſſet. *Joſ.VI.*

§. 12. Sexto innuebatur CAUSA CONSENTIENS ſeu APPROBANS, h.e. cauſa moralis, cujus intentio ſeſe exerit per conſenſum: Talis cauſa moralis erat populus ISRAEL in Huſai conſilium conſentiens expreſſis hiſce verbis: Melius eſt conſilium Huſai conſilio Ahitophelis; hocque conſenſu movens Abſalonem, ut inſuper habito Ahitophelis conſilium Hu-

ſai ſequeretur *2. Sam. XVII, 14.*

## *N O T Æ.*

I. Ita per conſenſum LEA & RAHEL erant cauſæ morales diſceſſus Jacobi a Socero *Gen. XXXI, 4. & ſeqq.* AARON idololatriæ ab Iſraelitis commiſſæ *Ex. XXXII, 23. 24.* ABISAI erat cauſa moralis cædis Joabi, *2. Sam.* III, *27. & 30.* AHAB cædis Nabothi, *1. Reg. XXI, 7. 8. 13.* Rex JOSAPHAT belli ab Achabo geſti ipſiusque cædis Achabi indè ſecuti *1. Reg.* X*XII, 4. 29. 34.* Sapphira fati ſui oppido triſtis *Act. V, 9. 10.*

II. Ita cauſa moralis miſerrimæ mortis Pauſaniæ erat MATER ejus: Cum enim Pauſanias paucis ante gradibus, quam qui ſequebantur, in ædem Minervæ confugiſſet, ipſique Ephori, ne exire poſſet, ſtatim valvas ejus ædis obſtruxiſſent, tectumque eſſent demoliti, quo facilius ſub dio interiret, dicitur ea, jam magno natu, poſtquam de ſcelere filii comperit, inprimis ad filium claudendum lapidem ad introitum ædis attuliſſe. Ita HEINRICUS II. Galliæ Rex cauſa moralis erat vulnerati & dein mortui Caſtanei nobilis. Ipſe enim duellum, quo Caſtaneus injuriam ab altero ſibi, ut videbatur, illatam vindicaturus erat; probaverat, dum ambos in magno theatro congredi permiſit, in quo certamine Caſtaneus vulneratus ex vulnere poſtea obiit. *Thuanus lib. III. p. m. 62. b.*

Deus

Deus autem teſtaturus quantum ſibi diſpliceret hæc Regis permiſſio, Regi, qui cum Mongomerio Comite in haſtiludio concurrit, haſtis utrinque fractis vulnus infligi curavit, ex quo poſtea vitam miſere finiit *Id. lib. IXII. p. m. 454. b.*

§. 13. Conſenſus datur, cum quis vel ſciens adjuvat, vel ſaltem veniam concedit, absque qua res confici non poterat.

§. 14. Septimo indicabatur CAUSA IMPETRANS, hoc eſt, cauſa moralis, quæ ſuam intentionem exerit, dum certo modo a cauſa phyſica effectum impetrat, cujus nempe cauſa moralis eſt & dicitur. Talis cauſa moralis erat MOSES qui erectis manibus ſuis impetrabat, ut Iſraelitæ prævalerent Amalekitis, quibus, languentibus Moſis manibus, eopſe tempore viribus inferiores erant, donec Aaron & Hur ſuppoſito lapide hinc unus & illinc alter manus Moſis ad occa-



Digitized by Google

ſum ſolis usque ſuſtentaſſent, ſicq; Amalec ipſe cum omnibus ſuis Iſraelitarum manibus periiſſet. *Ex. XVII, n. 12.*

*N O T A.*

Ita AMURATHES jam inclinata ſuorum acie (triginta enim Turcarum millia ceciderant) Deum, ut fama eſt, Chriſtianorum in ultionem perfidiæ implorans (morem ſcilicet geſſerat Uladislaus ab Eugenio per Julianum legatum Cardinalem inſtigatus, ut violato jurejurando, quod minus e republ. præſtitiſſet, novum Turcis bellum faceret) ingenti Chriſtianos clade ſtravit, Rege etiam ipſo & Juliano Cardinale interfectis.

§. 15. Modi impetrandi nimium variant: Nec enim exiſtimandum eſt, ac ſi ſolummodo cauſam moralem impetrantem dictam velimus eam cauſam, quæ precibus ſuis cauſam phyſicam movet ad producendum effectum, ſicque eum ab agente phyſico impetrat, utut negari nequeat appellationem cauſæ impetrantis ei ſæpe κατ' ἐξοχὴν tri-

tribui. Impetramus igitur, nunc petendo, nunc dando, nunc faciendo, nunc ex dignitate, nunc ex promiſſione, nunc aliis atque aliis modis, ceu ex adjectis hiſce notis liquido conſtabit.

## NOTÆ.

I. Exemplis primo omnium libet illuſtrare *cauſam impetrantem per preces easque ſacras*. Notum alias eſt, quam plurima de phyſico ſubſtantiarum cœleſtium in ſubſtantias inferioris naturæ influxu in Philoſophorum ſcholis diſputari: Quicquid vero de eo ſit, longe & certior & major & præſtantior eſt influxus moralis ſacrarum precum: Senſit hoc, ut præclare alia, flumen illud aureum eloquentiæ *Chryſoſtomus in homiliis in epiſt. ad Epheſ.* *Orationis*, inquiens, *vis naturam ſuperat*. Quantus erat influxus orationis MOSIS & AARON, quæ terram fecit dehiſcere, ut Core, Dathan, & Abiram devorarentur. *Num. XVI*. Quantus influxus erat orationis, quæ maris rubri ſinum aperuit, ac ſexcenta hominum millia præter uxores ac pueros ſicco pede traduxit, *Ex. XIV*. Quantus influxus erat orationis trium PUERORUM, quæ rabiem camini cohibuit, calorem compreſſit, ardorem flammamque in fornace babyloni-

ca extinxit *Dan. III.* Quantus influxus orationis JOSUÆ fuit, quæ ſolem ſtare fecit & ulterius vetuit procedere *Joſ. XVIII.* atque EZECHIÆ, ut umbra retrocederet *Eſa. XXXVIII.* Item ELIÆ, quæ effecit, ut tribus annis pluvia in Samariam non deſcenderet *1. Reg. XVII.* item quæ ignem cœlo fecit deſcendere adeo vehementem, ut etiam lapides & ſaxa conſumeret *1. Reg. XVI.* quæ denique mortuum reſuſcitavit, oleumque fecit in immenſum excreſcere *2. Reg. IV.* Quis unquam de hujusmodi influxibus quicquam veri in Philoſophorum ſcriptis legit? Poteſtne corpus, quadraginta dierum ſpatio, ſine cibo ſolo naturæ auxilio ſervari? Effecit id oratio MOSIS in monte Sinai, & Eliæ in ſolitudine Horeb *Ex. XXXIV, 28. 1. Reg. XIX.* PETRUS ſuper mare velut in terra ambulabat. *Matth. XIV.* JACOB orando vincebat filium Dei, cum quo tota nocte luctatus fuerat *Os. XII, 4.* Quid CANANÆA MULIER non impetrabat? *Matth. XV.* Annon Dæmonia ejiciuntur oratione? *Matth. XVII.* & annon cauſis moralibus, quæ per preces impetrarunt effectus maximos, ſtupendos incredibiles, totus Sacer Codex ſcatet? Huc ſpectat illud Dei: *Invoca me in die tribulationis, & exaudiam te Pſalm. L, 15.* illudque Salvatoris: *Si duo veſtrum conſenſerint in re aliqua, quam petierint, fiet eis a Patre meo qui in*

cœlis

*eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati* *nomine meo, illic ſum in medio eorum. Matth.* *XVIII, 19. 20.*

II. Dantur etiam *cauſæ impetrantes per ſuas preces*: Ita totus POPULUS impetrabat a Rege Parente conſervationem vitæ Jonathanis 1. *Sam. XIV*, 45. ABIGAIL ſui ſuorumque ſalutem a Davide 1. *Sam. XXV.* DAVID a Philiſtæis donationem urbis Keilæ 1. *Sam. XXVII.* 5. 6. BATHSEBA & NATHAN creationem novi Regis, qui Davidi ſuccederet 1. *Reg. I.* Tertius CAPITANEUS ſui ſuorumque quinquaginta militum vitam 2. *Reg. I*, 13. Fœmina SUNAMITIS reſuſcitationem filii defuncti 1. *Reg. IV*, 27. *Per preces ſat callidas* fœmina THEKOA receptionem Abſalonis in aulam 2. *Sam. XIV.* Per preces FILIUS PERDITUS recuperabat gratiam Parentis *Luc. XV*, 25.

III. *Per ſeriam pœnitentiam* impetrabant AHAB & JOAHAS averſionem præſentis periculi 1. *Reg. XXI*, 27. & *ſeqq.* 2. *Reg. XIII*, 45. *Per mendacium* MICHAL impetrabat gratiam Regis Parentis 1. *Sam. XIX*, 17. PROPHETA alterius Prophetæ reditum 1. *Reg. XIII. Per calumnias* HERA vincula Joſephi *Gen. XXXIX.* ZIBA dimidiam partem bonorum, Mephiboſetho a Rege ante donatorum 2. *Sam. XVI*, 3. 4. *XIX*, 25. 26. 27. 29. *Per ſimulationem* DAVID dimiſſionem



Digitized by Google

nem ac liberationem e periculis capitis *Sam. XXI, 11. ſeqq.* GIBEONITÆ vitam *Joſ. IX. Per promiſſum* PHILISTÆI a Delila Simſonem *Jud. XV.* SAUL apparitionem ſpectri *1. Sam. XXVIII, 11. 12. 18. Per munera* homines injuſti a Filiis Samuelis juſtitiam cauſæ injuſtæ *1. Sam. VIII, 3.* DAVID aditum ad hoſtem *1. Sam. XXX, 11. 12. 18.* JOAS diſceſſum hoſtis ab urbe ſancta *2. Reg. XII, 18. Per pactum* RAHAB ſui ſuorumque conſervationem *Joſ. II, 12. & ſeqq. Per contractum* ABRAHAM ſepulchrum *Gen. XXIII. Per factum* a Deo mandatum POPULUS ISRAEL excidium Jerichuntis *Joſ. VI. Per ſciſſam Regis tunicam* DAVID inſigne teſtimonium vitæ bene actæ *1. Sam. XXIV. Per abreptam Regis haſtam ampullamque aquariam* IDEM pacem cum hoſte *1. Sam. XXVI.* Et quis omnes alios modos, utpote plurimos, recenſeret?

IV. Pleni etiam ſunt alii Hiſtoricorum libri talismodi cauſarum moralium exemplis, ſi hiſtoriarum monumenta excutiamus. *Per preces* LEGIO FULMINATRIX Chriſtianorum impetrabat a Deo, ut Antonini Pii exercitum diutina aquæ inedia laborantem ſubito pluvia cœlitus miſſa recrearet, tonitruaque & fulmina Quados in fugam verterent. *Per abſurdas preces* ANAXIMENES ſervabat patriam. Cum enim Alexan-

..Magnus a civibus injuria affectus animo ..poſuiſſet, Lampſacum ſe diruturum, A..ximenes Regi occurrit, pro patria ſervan..preces fuſurus. Quod, ubi Rex cognovit, ..te juravit, ſe Philoſophi precibus locum ..m daturum. Tum Philoſophus: *Ut pa..nam perdas*, inquit, *enixe te oro atque obte..tor.* Rex, ne contra juramentum faceret, Lampſacum ſervavit. *Per vulnera ſibi a ſemet..ipſis ſponte ſua inflicta* HOMERICUS ULYSSES & PISISTRATUS id impetrarunt, quod quæſierant. Hic enim fraude quidem ſed virtutibus pæne debitum regnum Athenis quæſivit, comem & benignum ſe civibus oſtendens, etiam liberalem, ubi opus; adeo ut refugium & aſylum injuria aut inopia preſſis haberetur. Suſpecta iſta optimatibus: neque neſciebat. Quos ut in ordinem redigeret, & ſatellitium pararet aliquo prætextu, ipſus ſe vulneravit. *Sic ſaucius, in forum delatus, ſanguinem & vulnera civibus oſtendebat, a potentibus illis, præmium ſcilicet benignitatis ſuæ in ipſos, accepta.* Quin & vitam ſuam periclitari, niſi ſubveniant, quibus eam conſecraſſet. Fremitus & indignatio populi, mox ſuffragia, & cuſtodia illi decreta. Qua cinctus, & inimicos ſuos ſtatim, & mox populum tyrannide oppreſſit. Ideo Solon do..lum odoratus ei ingeſſerat: *Non recte*, inquiens, O *Piſiſtrate, HOMERICUM ULYSSEM*

*SEM imitaris, ſiquidem ille flagris ſe conſcidit ut hoſtes falleret; TU te vulneribus, ut cives* Tertium ſubjungamus exemplum: PORCIA M. Catonis filia, nupſerat M. Bruto, marito heroina hac digno. Is cum agitaret de nece Cæſaris, etſi ſedulo ſilebat, tamen vultu manifeſtus erat grande aliquid & atrox agitare, præſertim amanti, & conjugi. Suſpicata igitur tale aliquid, & maritum ſilere quia diffideret imbecillitati: ſtatuit ſui ſumere experimentum, & fecit. Cultro tonſorio, cum ſola eſſet, graviter in femore ſe læſit. Secutus ſanguis largior, debilitas, atque etiam febris: cum Brutus domum venit, trepidus & re inopinata mœſtus; illa remotis arbitris, *Age mi marite, aſſide, eſt quod ſerio fabulemur. Ego tibi cum nupſi, conjux in domum tuam veni, non amica aut pellex: nec menſæ aut tori tantum, ſed triſtium lætorumque conſortem me dedi. Catonis filia ſum: & pro illa ſtirpe me cenſe. Quid ergo? de te queror? minime, ſi alia ſpecto, & ſolennia conjugiorum aut benivolentiam, ſive & amorem hunc externum. Sed altius ſpiro, & amicitiam etiam volo: atque unus ille in animo dolor eſt & pungit, fidem non haberi fidei meæ. Nam quid diſſimulas? nonne curam video, quæ te coquit? arcani magnique aliquid quod agitas? Cur me celas? auxilium ſi non ſperas, ſolatium expecta: nam de ſilentio poſſum apud te ſpondere. Non reſpice ad alias mei ſexus: ego (iterum*

*rum*

*(…dico) Catonis filia ſum; & addo, M. Bru-
ti uxor. Vel natura me a tali patre, vel conſue-
tudo a marito, fortem conſtantemque reddant,
etiam adverſus extremos metus. Quid verba
iis? rem vide. Cepi ipſa mei experimentum;
ecce hoc vulnus, quod ſponte intuli, ut diſce-
rem ecquid dolori aut tormentis par eſſem. Sum,
confide, poſſum ferre, poſſum contemnere: & mo-
ri O Brute cum marito, & pro marito poſſum.
Proinde ſi quid tu honeſti agitas, quod utroque
noſtrum ſit dignum, ne ſile.* Brutus admiratus
animum & oſculatus affectum, manus præ
gaudio in altum ſuſtulit: *O omnes cœlites,
adeſte volentes propitii, ac dignum me Porciæ
maritum præſtate.* Tum ordine conjurationem
aperit, & conſortes: nihil territæ, aut deter-
renti, imo animanti. *Per provocationem* a Re-
ge ad eundem Regem MACHETAS qui-
dam cauſam, qua cecidiſſe videbatur, vicit.
Dixerat nempe apud Philippum Macedo-
nem, Magni Patrem, cauſam, ipſeque Rex
eundem parum intente audiens, re non bene
tota cognita, damnaverat. At iſte nō tulit, &
Macedonica ac militari libertate, *appello*, di-
xit. Philippus miratus & iratus, *Tu a Rege? Ad
quem?* Machetas: *ad ipſum te ſed vigilantem
& attentum* ſive, ut alii efferunt, *ad Philip-
pum ſobrium.* Sed ſive incuria, ſive vinolentia
Regi objecta; excuſſit utramque, & re pro-
pius penſiculata injuriam Machetæ factam
agno-

agnovit, & vindicavit. *Per malitiam & vari*
*fraudes* multi multa omni tempore impetr
runt. Adeſto exemplum unius AGATH
CLIS varia hac arte impetrantis. Pater ei
gulus, pueritiam in ludi ſordibus, adoleſce
tiam in impudicitiæ, juventam in libidin
egerat. Ab omni parte infamis, odio civiu
& inopia ad latrocinium compellebatur. E
gradus quibus ad ſceptrum veniretur? Sec
mox miles, & dux e milite: id quoque cum
infamia, quod defuncti Damaſconis, cu
ſucceſſerat, uxorem ſtupro antea cognitam,
ſibi ceperat, & cum ea ingentes opes. His fretus, occupare imperium Patriæ bis conatus, bis repellitur; Denique in exilium agitur. Quid fit? jungit ſe Siculis Syracuſiorum hoſtibus, palam bello patriam petit, & obſidet: nihil efficit, cum Pœni in auxilium evocati ſtrenue propugnarent. Vi deſperata ad fraudes ſe vertit, Hamilcarem Pœnorum ducem ad pacem invitat (ea ſpecies & honeſtus titulus fuit) revera ad pactionem, ut cederet, & traderet ſibi Syracuſas. Ita factum. Regnat, cædes populi & principum facit: & ipſis conciliatoribus ſceptri Pœnis bellum infert & in Africam transfert. Præter ſpem varie victor, & præter ſpem mox victus deſerto exercitu, liberis amicis, pene ſolus in Siciliam effugit. Servat tamen regnum, etſi in vana ſorte: Immoritur ei, ſed ita ut pelli uxorem

li-

...sque videret, & ab nepote id eripi, non ... fruituro. CLEOPATRAM ſubnecta..., a parvula ad nequitias, libidines, & ...am factam. Tyrocinium fuit in Julio Cæ..., qui cum Alexandriæ obſideretur; illa ...em Ptolomæum & potiores (uti vide...ur) partes deſeruit, ad Cæſarem trans..., Vere, inquam, translata. Nam & hunc ...dum ad fallendum, & tuto transeundum, ...ogitavit. Portæ ſervabantur, atque exitus a ...lla Apollodorum quendam inducit, culcita ...ſe involvere & adſtringere, ut ſarcinam, ac ...c in regiam, ubi Cæſar, deferre: factum eſt, ...eponitur ante pedes ejus: & ecce ſoluta ...mergit Venus, non e mari, ſed e culcita; & ...ulcitellam mox ſe Cæſari ſubſternit. Nam ...ile, etſi in medio actu & æſtu etiam rerum, ...amen & ingenio illo, & mox forma ac lepo...re captus, adamavit: Et pretium libidinum ...adoleſcentula necem fratris, & regnum Ægy...pti, tulit.

§. 16. Octavo indigitabatur CAUSA MERENS, hoc eſt, cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per meritum: Talis cauſa moralis erat JONATHAN, meritis ſuis movens Davidem, ut Mephiboſethum multis magniſque beneficiis ma-

ctaret

ctaret. Ipſi enim Jonathani David vita oculisque carior fuerat, ardentiorique quam conjuges ſolent amore erga eum flagrans, proprii vitæ periculis eundem ex infinitis eripuerat, ea conditione, ut ſuis poſt obitum a Davide beneficeret, *2. Sam. IV, 4. IX. XXI, 7.*

*NOTA.*

Talis cauſa moralis erat ARISTIDES: Is enim, ad claſſes ædificandas, exercitusque comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret, delectus erat, qui conſtitueret. Ejus arbitrio quadringenta & ſexaginta talenta quotannis Delum ſunt collata, id enim commune ærarium Athenienſes eſſe voluerunt. Quæ omnis pecunia poſtero tempore Athenas translata eſt: Qua vero fuerit abſtinentia, nullum eſt certius indicium, quam quod, cum tantis rebus præfuiſſet, in tanta paupertate deceſſit, ut qui efferretur, vix reliquerit: Quo factum eſt, ut filiæ ejus publice alerentur & de communi ærario dotibus datis collocarentur.

§. 17. Meritum ab accuratioribus Philoſophis fere hunc in modum

dum definiri ſolet: Eſt realis relatio in genere morum actionis ad rem a recta ratione prædeterminatam, cujus ipſum agens morale capax exiſtit vi juſte ſervatæ inter ipſam actionem ipſamque rem præſtitutam æqualitatis, honeſtatis moralis amplectendæ gratia: Exempli gratia homicidium a Titio commiſſum eſt actio moralis, & quidem in ſpecie moraliter mala ſeu turpis, habetque pro conſequente morali meritum pœnæ capitalis, cum nemine cogitante Titius capax exiſtat pœnæ capitalis a recta ratione determinatæ, modo conſideretur æqualitas inter hoc delictum (commiſſum ſcilicet homicidiũ, tanquã malum actionis) & inter pœnam (capitalem, tanquam malum paſſionis) juſte ſervata, dum nempe Titio, qui vitam alteri eripuerat, rurſ9 publica auctoritate vita eripitur.

NO-

NOTÆ.

I. Varias meriti ſignificationes hic lo[illegible] recenſere, noſtri non eſt inſtituti. Verb[illegible] notamus modo definitam notionem meri[illegible] præ cæteris omnibus hic obtinere, utpote qu[illegible] uſu maxime recepta eſt. Nam licet non ne[illegible] gemus, latius notionem meriti & cauſæ me[illegible] ritoriæ extendi poſſe, tamen optimus lo[illegible] quendi magiſter (uſus) exigit, ut receptas do[illegible] ctrinas tueamur.

II. Uſus obtinuit, ut in Metaphyſici[illegible] Scholis notio meriti, unde cauſa moralis me[illegible] ritoria, item merens, appellari conſuevit, in ſignificatione morali ſumeretur.

**§. 18. Duo ſunt meriti requiſita: 1. ut actio (cujus ſc. relatio ad aliam rem meriti nomine cenſetur) fuerit ipſi agenti propria, hoc eſt, in agentis ſibi relicti poteſtate. 2. ut actio iſta ex æquo reſpondeat rei in ordine ad quam meritum dicitur, hoc eſt, ut ex utraque parte juſta æqualitas locum inveniat.**

NOTÆ.

I. Habet hæc doctrina plane eximium uſum in Theologia, utpote ad quam *Orthodoxi Theologi*, dum nos informant, omnino

pro-

procant. Quippe nullum renatum] poſſe cauſam meritoriam æternæ ſalutis, ſeu, od tandem eodem redit, bona opera renatum non poſſe dici merita aut opera meoria, ex utriusque (præſenti §. indicati) quiſiti defectu demonſtrant. Primo enim uet ex *Sacra Scriptura*, ópera DEO ut auri ſalutis æternæ placentia indigere ſpeciali piritus Sancti concurſu ſeu auxilio. (En defectum primi!) Secundo nulla datur proportio inter bona opera renatorum & vitam æternam. Sunt enim bona opera renatorum, hac in vita propter peccatum in carne hærens imperfecta & impura. Et quanquam renati ſecundum interiorem hominem faciunt, quæ DEO placent: tamen aſſidue & indeſinenter cum veteri Adamo luctari neceſſe habent, tantum abeſt, ut legem ſervare aut implere poſſint. *Form. Conc. p. 723. 724.* (En defectum ſecundi requiſiti!)

II. Forte nobis hic objicietur, ac ſi deſilierimus de genere in genus alterum, hoc eſt, Metaphyſicam ethice doceamus, cum tota doctrina de merito, prout modo conſideratur, citra dubium ad moralia ſpectet: Enimvero ab omni ejusmodi vitioſo ſaltu nos liberos pronunciabit, quisquis absque affectu ac probe perpendit, nobis non eſſe propoſitum hic loci agere de merito, niſi in quantum per iſtud cauſa moralis ſuam intentionem

exerit, indeque merentis cauſæ denominationem ſubit. Non igitur mirari ſubeat, cur e morali Philoſophia aliquid de merito hic diſſeruerimus, quandoquidem (uti diximus) a merito, uti moralis conſiderationis eſt, quædam ſpecies cauſæ moralis (aut, ſi ita malis loqui, perculiaris modus) appellationem accepit.

III. Ex dictis liquet, cur meriti requiſita recenſuerimus: quippe niſi hæc ſimul adſint, cauſa moralis merens exulabit.

IV. Nec hoc prætereundum ducimus, quod quandoque meritum ſumatur pro ipſa actione, qua quis mereri hoc vel illud dicitur; & hæc acceptio magis hujus loci eſt.

**§. 19. Meritum duplex eſt: Meritum boni, & meritum mali. Illud vocatur etiam κατ' ἐξοχὴν meritum: Hoc in Scholis demeritum appellari conſuevit.**

*NOTÆ.*

I. Sunt, qui duobus meriti requiſitis præcedenti §. traditis tertium adjiciunt, atque requirunt, ut actio fuerit **indebita**, hoc eſt, (ſi accommodate ad præſentem materiam loqui velimus) ut cauſa **moralis**, quam nempe meritoriam appellant, cauſæ phyſicæ neutiquam fuerit obligata ad talem actum

Digitized by Google

tam, quo promeruerat effectum cauſæ phyſicæ principalis. Verum hoc ipſum requiſitum eſt cauſæ moralis meritoriæ, ſic dictæ a merito boni, quod abſolute meritum vocari diximus, ſicut etiam hoc ſignificatu Theologi in Locis de juſtificatione hominis peccatoris coram DEO & bonis operibus utuntur.

II. De utriusque, cum meriti ſtricte dicti, tum demeriti notionibus ac requiſitis Doctores Morales videantur. Rem hanc prolixe perſecutus eſt vir ſui nominis (*Grotius*) *lib. 2. de J. B. & P. c. 20. & 21.* ipſaque hujus doctrinæ elementa ad eadem capita pro lubitu ex introductione peti poterunt.

§. 20. Cauſa moralis merens eſt duplex: meritoria in ſpecie ſic dicta & demeritoria. Utriusque exempla ſi ſubjecerimus, res fiet manifeſta.

*NOTÆ.*

I. Tales cauſæ morales merentes in ſpecie ſic dictæ erant JONATHAN (cujus exemplum §. 16. adferebatur) *2. Sam. IV, IX. XXI.* DAVID per duellum, cum Goliatho *1. Sam. XVII.* JABESITÆ per honorem ſepulturæ corporibus Saulis & Jonathanis cum proprio vitæ periculo exhibitum, *1. Samuel. XXXI, 11. 12. 13. 2. Sam. II, 5. 6. 7.* Multa

hæc in ſacro codice: unum alterumve e
aliis addamus: Sed hic in mentem veniun
quæ *Seneca* non minus vere, quam elegante
diſſerit præclare huc facientia: Non ſine ra-
tione ſacra eſt magnarum virtutum memo-
ria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bono-
rum non cum ipſis cadat. CICERONEM fi-
lium quæ res conſulem fecit, niſi PATER-
CINNAM nuper quæ res ad conſulatum re-
cepit ex hoſtium caſtris? quæ Sextum Pom-
pejum alioſque Pompejos, niſi UNIUS VI-
RI magnitudo? Tanta quidem, ut ſatis alte
omnes ſuos etiam ruina ejus attolleret. Quid
nuper Fabium Perſicum, cujus oſculum et-
iam impuri vitabant, ſacerdotem non in uno
collegio fecit niſi VERRUCOSI; & ALLO-
BROGICI & ILLI TRECENTI qui ho-
ſtium incurſioni pro republica unam do-
mum objecerant? Hoc debemus virtutibus,
ut non præſentes ſolum illas, ſed etiam abla-
tas e conſpectu colamus. Quomodo *illæ* id
egerunt ut non in unam ætatem prodeſſent,
ſed beneficia ſua etiam poſt ipſas relinque-
rent: Ita & nos non una ætate grati ſumus.
Ut loca ſordida repercuſſu ſolis illuſtrantur:
Ita inertes majorum ſuorum luce reſplen-
deant. *lib. de beneficiis IV. cap.* XXX.

II. Cauſæ morales demerentes erant,
ABIMELECH fratricida cum VIRIS
SICHEM *Jud. IX, 57.* ISRAELITÆ idolo-
la-

liter *Jud.* X, 6.8. it. 2. *Reg.* X, 32. PHILISTEI, auferentes arcam fœderis, 1. *Sam. V.* BETHSEMITÆ, eam attrectantes 1. *Sam.* VI, 19. item USA 2. *Sam. VI*, 6.7.8.9. ABIATHAR rebellis 1. *Reg. II*, 26. JOAB duplex homicida 1. *Reg. II*, 32. SERVUS ELIÆ contra voluntatem Domini accipiens munera 2. *Reg. V.* DAVID numerans populum 1. *Paral.* XXII. Satis ſit jam talium. Tangamus & alia exempla: MANLIUS erat Manlius cum præcipites agebat ſenes: Poſtquam mutari cœpit, unus factus eſt ex Senonibus. Unde Gallos depulerat, inde ipſe præcipitatus eſt, quia fortiter defenſam libertatem nefarie opprimere conabatur. Hujus ſupplicio æternæ memoriæ nota inſerta: Propter illum enim lege ſanciri placuit, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. SP. CASSIO plus concupita dominatio nocuit, quam tres magnifici conſulatus ac duo ſpecioſiſſimi triumphi profuerunt. Senatus enim populusque Romanus non contentus capitali eum ſupplicio afficere, interemto domum ſuperiecit, ut Penatium quoq; ſtrage puniretur. Eadem auſum SP. MÆLIUM conſimili exitu patria multavit. Eadem pœna M. FLACCUM & L. SATURNINUM cives ſeditioſiſſimos manſit. Viguit Romæ TI. & C. GRACCHORUM ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſſima: Sed quia ſtatum ci-

vitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt: Supremusque humanæ conditionis honos filiis Gracchi & nepotibus Africani defuit: Quin etiam familiares eorum, ne quis Reipubl. inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati ſunt. P. MUCIUS tribunus plebis OMNES COLLEGAS SUOS, qui duce SP. CASSIO id egerant, ut magiſtratibus non ſubrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit, adeoque unus tribunus eam pœnam NOVEM COLLEGIS inferre auſus eſt, quam novem tribuni ab uno Collega exigere perhorruiſſent. De his & pluribus videatur *Valerius Maximus lib. VI. cap.* 3. Ita Cambyſes MALI CUJUSDAM JUDICIS ex corpore pellem detractam ſellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit, ſicque & Rex, & barbarus atroci ac nova pœna judicis, ne quis poſtea corrumpi judex poſſit, providit.

III. Paucis notare lubet ſpuriam Pontificiorum diviſionem cauſæ meritoriæ in *meritoriam ex condigno & meritoriam ex congruo*, petitam a ſpuria meriti diviſione in tale ex condigno & tale ex congruo. Iſti enim *meritum ex condigno* vocant, quod præcedenti §. 17. definiebatur: *Meritum* vero *ex congruo* (quod etiam *meritum de congruo*, item *meritum congrui* appellant) dicunt, quod defici-

ab

abæqualitate aut juſta proportione: Seu, ut aliloqvuntur, quando inter actionem, quæ meritoria vocatur, & inter id, quod agens mereri dicitur, nulla intercedit proportio, ſic ut ipſa actio prorſus inæqualis ſit ei, quod meritum vocatur. Cæterum licet hujus rei inquiſitio præſentis loci non ſit, hoc tamen certiſſimum relinquimus, cauſam moralem meritoriam ex congruo nequaquam poſſe haberi pro vera cauſa morali meritoria. Nam ſi rem paulo intimius luſtremus, meritum ex congruo dupliciter ſpectari poteſt: 1. Ut alter tali congrui merito moveatur vi pacti inter merentem ex congruo, ut vocant, & ſe intercedentis: E.gr, dives mercator alicui ſtudioſo promiſit mille imperiales, hac lege, ut proprio marte diſſertationem academicam conſcriberet ipſiq; dedicaret, hæc diſſertatio meritum congrui vocari poterit. 2. Ut nihil plane intercedat inter ſic dictum meritum congrui & inter ipſum cauſæ principalis effectum: Ex. gr. ſi quis bonum alteri precaretur diem, hujusq; ſalutationis occaſione a ſalutato exciperetur lautiſſimo convivio. Priori modo ſi ſumatur cauſa meritoria de congruo nihil erit aliud, quam cauſa impetratoria, nullatenus vero cauſa meritoria dici poterit. Poſteriori modo conſideratam nemo iterum, ſi vel maxime errare velit, cauſam meritoriam dixerit.

 Quis

Quis enim tam ineptus eſſet, ut cauſam moralem meritoriam convivii diceret eum, qui ſalutaverat, cum certe ridiculum ſit taliſmodi actum velle dicere meritorium. Magis interim ineptiunt, imo prorſus deſirant Pontificii, dum bona opera aſſerunt utique mereri vitam æternam, ſi non ex condigno, tamen ex congruo, cum utrumque e diametro pugnet cum Scriptura S. omniq; orthodoxa Theologia, ipſumque mereri ex congruo nihil minus ſit, quam mereri.

III. Sæpenumero videamus turpiſſime confundi nec ſine manifeſto veritatis diſpendio perſonam merentis cum perſona quocunque modo impetrantis. Exemplo hoc vitium percipi poteſt: Sunto milites, qui alias ſtrictiſſimo jure omnique modo obligati erant ad fortiter ſubeundum pugnam, quibus tamen ſtrenue pugnaturis dux ex mera benignitate promiſerat pecuniam: Faciamus milites rigidi officii memores prælia præclara feciſſe, ſane in tali caſu prælium ipſum meritum aut meritorium proprie dici nequit, & quam pecuniam aliave beneficia poſt prælia commiſſa impetrant a duce, hæc impetrant tanquam gratuita officii & obſequii ſui præmia.

§. 21. Nono adferebatur **CAUSA SATISFACIENS**, hoc eſt, cauſa

moralis, cujus intentio ſe exerit
per ſatisfactionem, qua nempe
cauſam phyſicam liberam movet
ad effectum immediate producen-
dum: Tales cauſæ morales erant
ABIGAIL pro marito, *1. Sam. XXV*,
18. & 35. ABELI-BETHMAACHI-
TÆ caput Sebæ amputatum per
murum projicientes, *2. Sam. XX*,
21. DAVID ſeptem filios Saulis
Regis ad ſuſpendium dedens, *2.
Sam. XXI.* Ita EZECHIAS cum
fœdere non ſtetiſſet, quod cum Re-
ge Aſſyrio majores ejus pepige-
rant, bello petitus fatetur culpam
& Regi permittit arbitrium mul-
ctæ: idque cum feciſſet & poſtea
iterum bello laceſſeretur, fretus bo-
na conſcientia vim hoſtium ſuſti-
nuit, & Deum habuit faventem,
*2. Reg. XVIII, 7. 14. XIX.*

*NOTA.*

Ita PATER HORATIORUM filium ſu-

perſtitem ob ſororis cædem capitis damnatum pecunia expiavit. Ita CALLIAS cuſtodia liberavit Cimonem Miltiadis filium Athenienſem; Nam cum pater ejus litem æſtimatam populo ſolvere non potuiſſet, ob eamque cauſam in vinculis publicis deceſſiſſet, Cimon iisdem tenebatur, neque legibus Athenienſibus emitti poterat, niſi pecuniam, qua pater multatus eſſet, ſolviſſet. Hanc vero ſolutionem Callias præſtitit. Ita PONTIUS Samnis poſt res Romanis redditas, deditum belli auctorem, *Expiatum*, inquit, *eſt quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœleſtium fuit. Satis ſcio quibuscunque diis cordi fuit ſubigi nos ad neceſſitatem dedendi res, iis non fuiſſe cordi tam ſuperbi a Romanis fœderis expiationem ſpretam.* Mox, *Quid ultra tibi Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarum irarum, quem meorum ſuppliciorum judicem feram? Neminem, neque privatum, fugio.* Sic cum Thebani omnia æqua obtuliſſent Lacedæmoniis, ii autem ultra tenderent, bonam cauſam ab his ad illos tranſiiſſe, ait *Ariſtides, Leuctrica prima.*

§. 22. Satisfactio uti quidem hoc loco ſumitur, eſt reparatio damni, quod reparandum erat.

*NOTÆ.*

I. Ex Morali Philoſophia hic notandum venit

vat diſcrimen damni ab injuria: Differunt enim ut latius & anguſtius, quia omnis injuria eſt damnum, ſed non omne damnum eſt injuria.

II. Duplex igitur datur ſatisfactio, quæ hujus loci eſt. Una eſt reparatio damni reparandi, quod plane non eſt injuria. Altera eſt reparatio damni, quod eſt injuria, non tamen ſpectata, ut eſt punienda. Huc ſpectat locus Grotii l. 2. de I.B. & P. cap. 1. §. 2. inquientis: *Dantur actiones ob injuriam factam, UT REPARETUR: dantur etiam ob injuriam factam, UT PUNIATUR.*

III. Idem volunt, quibus hæc formula descriptionis placet: *Satisfactio eſt, quum quis damnum, quod qua tale compenſandum venit, compenſat.* Nam aliud eſt compenſatio damni qua talis, aliud vero compenſatio injuriæ qua talis. Exempli gratia: Conjux conjugi, durante matrimonio, res divortii cauſa dolo malo ſubtraxerat, hic quidem ob favorem matrimonii actio furti nec civilis nec criminalis de Jure Civili locum habet, datur tamen actio rerum amotarum conjugi adverſus conjugem ſurripientem, Magnif. Dn. Struve *Syntagm. Juris Civilis, exerc. 30. tit. 2. §. 65. ſeqq. & exerc. 48. §. 24.* Ecquis non videt, in dicto caſu damnum compenſari poſſe, utut ne quidem res, quas conjux conjugi furabatur, dicere liceat res dolo malo

ſub-

ſubtractas aut furto ablatas, ſed leniori vocabulo *amotas*.

IV. Abſit ut negemus, compenſationem injuriæ qua talis ſatisfactionis proprie dictæ vocabulo cenſeri poſſe, quis enim de eo dubitaret? Extat hanc in rem eximius tractatus *Hugonis Grotii de ſatisfactione Chriſti adverſus Fauſtum Socinum*, & *Gerh. Joh. Voſſii reſponſio ad judicium Hermanni Ravenſpergeri de iſto Grotii libro*: Hoc tantum dicimus, cauſam moralem per talismodi ſatisfactionem (vulgo ſatisfactionem pœnalem vocant) ſi uſum loquendi apud accuratiores Philoſophos receptum ſequamur, non ad cauſam moralem ſatisfacientem (ſatisfactoriam, ut vulgo nuncupant) ſed ad cauſam moralem (meritoriam) referri.

§. 23. Ultimo addebatur CAUSA PROVOCANS, hoc eſt, cauſa moralis, cujus intentio ſe exerit per provocationem, qua cauſam phyſicam movet ad effectum immediate producendum: Ita GOLIATH erat cauſa moralis & ſui interitus & cladis Philiſtæorum 1. *Sam. XVII*, 1.

NO-

## NOTÆ.

I. Sic enim Goliath: *Quid, Israelitæ, in ...m prodiiſtis? annon ego Philiſtæus; vos Sa... ...mancipia? Agitedum, deligite quenquam ve... ...m, qui deſcendat in hanc arenam. Si vicerit ... ſervire parati ſumus: Sin ego, vos noſtra ...tis mancipia.* Porro monſtrum: *hodie,* in... ...it, *laceſſivi omnem Hebræorum militiam; da... ...virum, qui cum congrediar.* Attonitus Saul ...um ſuis feroci gigantis provocatione maxi...mopere timuit. Poſt prodeuntem Davidem his excipit: *Quid puer? an ergo canis ſum? baculo abigendus? accede, alitibus carnes tuas tradam & feris.*

II. Imperante Turcis Amurathe II. factum, ut SCYTHA, ſtupenda gladiatoriæ artis peritia inſignis ferociter provocaret, aulæ Turcicæ Proceres, certaminis hac oblata lege, ut nudus quis contra nudum contenderet, poſitaque parma, quid manus valerent, quid ars, ſolo experiretur acinace. Deterriti hominis audacia Turcæ detrectant pugnam, non ſine inſigni macula palmam cedentes. Motus rei indignitate Amurathes ampliſſima propoſuit præmia, quibus ſuorum animos excitaret. At fruſtra. Duriori quippe certaminis lege facile præmiorum victus ſplendor. Proinde jamjam brabea arrepturus erat Thraſo, cum Georgius Caſtriotus (Turcis dictus Scanderbeg) Epiri Dux, a Johanne patre obſes datus Amurathi, de-

re-

repente proſilit: Heus, inquiens, Scytha, non ſine ſanguine hanc feres palmam. Hi adeſſe ſcias, quem tua quæſivit ferocia. Tri pudiant Turcæ: utrumque ducunt ad Amurathem, mox dictus certamini locus. Qui multa? prodeunt, exuunt indumenta, arri piunt enſes, pondere & longitudine æquales congrediuntur. Scytha quidem immani ictu petit Juvenem, quem dum læva eludit, dextra incidit cervices. Procidit iſte. Itaque Georgius detruncatum caput nudus, ut erat ſanguine barbari conſperſus, defert ad Amurathem. Qui eum non præmiis tantum, ſed inſigni etiam mactat encomio, quod Turcici nominis gloriam adeo ſtrenue vindicaſſet.

§. 24. Etiam provocationes variant, ceu exempla, quantum ad rationem præſentis inſtituti ſufficit, docere poterunt.

NOTÆ.

I. Ita cauſa moralis ſtragis erat NAHAS 1. *Sam*, *XI*. imminentis periculi NABAL 1. *Sam*. XXV. decollationis ſuæ SEBA 2. *Sam*. XX. cruentæ cladis Rex SANHERIB 2. Reg. XIV, 8. HANON Rex Ammonitarum 2. *Sam*. X. BENHADAD 1. *Reg*. XX, 3. detecta idololatriæ ELIAS 1. *Reg*. XVIII.

II. Ita non minus ferociter ſe legatis, quam inte.

inter amicos Rex Macedoniæ PTOLEMÆUS jactavit; *Aliter ſe pacem daturum negando, niſi principes ſuos obſides dederint, & arma tradiderint, non enim fidem ſe, niſi inermibus habiturum.* Renuntiata legatione riſere Galli, undique acclamantes *brevi ſenſurum, ſibi an ſibi conſulentes, pacem obtulerint.* Interjectis diebus prælium conſeritur, victique Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus ſaucius capitur: Caput ejus amputatum, & lancea fixum, tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur. Ita HANNIBAL ut palam faceret ſuis, quo loco Eumenes eſſet, tabellarium in ſcapha cum caduceo mittit: qui ubi ad naves adverſariorum pervenit, epiſtolam oſtendens, *ſe Regem,* profeſſus eſt, *quærere.* Statim ad Eumenem deductus eſt, quod nemo dubitabat, aliquid de pace eſſe ſcriptum. Tabellarius ducis nave declarata ſuis, eodem, unde ierat, ſe recepit. At Eumenes ſoluta epiſtola nihil in ea reperit, niſi quod ad irridendum eum pertineret. Cujus etſi cauſam mirabatur, neque reperiebatur: Tamen prælium ſtatim committere non dubitavit. Horum in concurſu Bithynii Hannibalis præcepto univerſi navem Eumenis adoriuntur: Quorum vim cum Rex ſiſtere non poſſet fuga ſalutem petiit: quam conſecutus non eſſet, niſi intra ſua præſidia ſe rece-

cepiſſet, quæ in proximo litore erant collocata.

III. Huc ſpectant formulæ denuntiationum, cum conditionatarum, tum purarum. Conditionata eſt denutiatio apud *Livium*, *Eam ſe injuriam, niſi ab ipſis qui fecerint dematur, ipſos omni vi depulſuros eſſe.* Et apud *Tacitum, ni ſupplicium in malos præſumant, uſurum promiſcua cæde:* & vetus ejus exemplum in *ſupplicibus Euripidis*, ubi THESEUS caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum:

*Vicina Theſeus qui tenet regni ſola*
*Humare poſcit mortuos: quod ſi datur,*
*Sic amica faciet gens Erechtidum tibi.*
*Hæc ſi probantur, tum refer retro pedem:*
*Si nemo paret, verba ſint hæc altera:*
*Jam mox ut arma pubis expectent meæ.*

Puræ conditionis formulæ: *Teſtor populum illum injuſtum eſſe, neque jus reddere.* Et altera: *Quarum rerum, litium, cauſarum condixit Pater patratus populi Romani Quiritum Patri patrato populi Priſcorum Latinorum, hominibusque Priſcis Latinis, quas res nec ſolverunt nec dederunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, puro pioque duello quærendas cenſeo, conſentio, conſciſcoque.* Et tertium carmen: *Quod populi Priſci Latini adverſus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bel-*
*lum*

*lum cum Priſcis Latinis juſſit eſſe Senatusque Romanus Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret; ob eam rem ego populusque Romanus populo Priscorum Latinorum bellum indico facioque.*

§. 25. Tantum de cauſis moraliter moventibus. Unicum addimus: Nempe cauſa moraliter movens duplex datur: Alia movet unica: Alia duplici aut multiplici motione.

NOTÆ.

I. Ita MICHAL erat cauſa moralis ſervati Davidis & conſulendo, & ſubminiſtrando occaſionem, & impediendo 1. *Samuel.* XIX. ABIGAIL ſalutis propriæ ſuorumque & petendo, & ſuadendo, & ſatisfaciendo 1. *Sam.* XXV. JEHU occiſorum Sacerdotum Baal & mandando & ſubminiſtrando occaſionem 2. *Reg.* X. Exempla profana adducere non opus eſt. Ita Thomas Morus & mandando, & increpando, & occaſionem ſubminiſtrando, ſupra *pag.* 1121. *& ſeqq.*

II. Nec hoc præterimus, varios ex allatis modis, inque primis cauſam impetrantem, nunc in laxiori, nunc in arctiori ſignificatu adhiberi.



Digitized by Google

# Caput Vigesimum Sextum
## De
# CAUSIS MORALIBUS PER COMMISSIONEM ABSQVE MORALI MOTIONE.

§. I.

PRimo cauſa moralis absque morali motione erat CAUSA IMPEDIENS, hoc eſt, quæ intentionem ſuam exerit, dum impedit, ex quo impedimento, tanquam ex ſua cauſa, effectus cauſæ phyſicæ ſequitur: Ita ZIBA erat cauſa moralis damni Mephiboſetho oborti, quia ea intentione una ſecum abducto Mephiboſethi mulo cum Davide in prælium iverat, ut miſer ac pedibus claudus Mephiboſeth domi manere cogeretur, ſicq; gratiam Regis & bona perderet 2. *Sam.* XVI. & XIX.

NO-

## NOTÆ.

I. Ita ZIPORA ſervati filii *Exod.* IV, 25. 26. JONATHAN conſervati Davidis 1. *Sam.* XX. Iterum HUSAI 2. *Sam.* XVII. DAVID Saulis 1. *Sam.* XXVI, 8. 9. OBADIA centum Prophetarum conſervatorum 1. *Reg.* XVIII, 4. ELISA filiorum viduæ ereptorum creditoris manibus 2. *Reg.* IV, 1. 2. ſervatorum Syrorum 2. *Reg.* VI, 22.

II. Unicum e ſacris, ſed notatu digniſſimum exemplum meus *Slevogtius* adfert *diſſ. de cauſa morali* §. 59. *p.* 726. *edit. nov.* verbis ſequentibus: Ita qui uxorem a toro arcet, atque eam veteri formula, ſuas ſibi res habere jubet, cum poteſtate συνοικεῖν ἑτέρῳ, ut *Joſephus*, vel להתנסבה לכל גבר, ut Ebræi loqvuntur, hoc eſt, *ut nubat &, cohabitet, cui velit*, idque facit, παρεκτὸς λόγου πορνείας, *extra rationem fornicationis*, multis modis ſeſe crimine adulterii alligat, quemadmodum hoc ipſe docet *Chriſtus Matth. V, 32.* Ego, inquiens, *dico vobis, omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Mox addit ſequentia: *Ubi verbo* ποιεῖ (Salvator) *expreſſe indicat, maritum, qui extra caſum fornicationis vel potius præter crimen adulterii uxorem a tori communione repellit, cauſam* (*Moralem*) *adulterii eſſe, non ſolum ejus, quod uxor committit, alteri nubens, ſed*

*etiam illius, quod iſte committit, qui eam ducit. Etſi enim Lex Moſis, ne aliquid gravius accideret, judicium de uxore marito indulſit; Chriſtus tamen oſtendit integrum marito non eſſe, ut ea poteſtate abutatur, & uxorem repudiet pro lubitu: ſed ea demum Deo placere divortia, quæ ſumma neceſſitas extorqueat, & ad quæ maritum cogat perfidia uxoris.* Tandem more ſuo, hoc eſt, accurate rem demonſtrat, ita diſſerens: *Extra hunc ergo caſum, qui a ſe uxorem repellit, ſive ipſe ducat aliam, ſive repulſa alteri nubat, fieri non poteſt, quin ſe alliget crimine adulterii. Si enim ipſemet aliam ducit,* CAUSA *adulterii* PHYSICA *eſt. Si dimiſſa uxor alii nubit, adulterii ejus ipſe eſt* CAUSA MORALIS. *Autor igitur adulterii eſt ejuſmodi temerarius uxoris ſuæ repudiator trifariam: I.* IN SE, *dum ipſe aliam ducit, priore uxore adbuc vivente. II. in* UXORE *repudiata, quam mœchari facit, dum ei poteſtatem concedit nubendi alteri, quam non potuit dare. III. in* ILLO *etiam, qui repudiatam ducit, in* PRIMO CASU PHYSICE, *in* POSTERIORIBUS DUOBUS MORALITER. *Ratio autem cur maritus in hoc caſu triplici ſe crimine polluat, hæc eſt, quia conjugium cum uxore repudiata adhuc conſtat & nexus conjugalis, in quo formam conjugii poſitam eſſe ajunt, nondum eſt ſolutus, quippe qui ſolvi nequit, niſi per alterutrius conjugis adulterium, quod in hoc caſu, de quo loquimur,*

*non*

Digitized by Google

*intervenit*. Hæc adduximus quia maximam lucem præſenti doctrinæ accendere videbantur.

III. Ita *ſi quis Chriſtianis claudat ludos literarios, ne diſcant bonas literas, quod fecit* JULIANUS; *vel prohibeat Lutheranis congreſſu cultus divini cauſa, quod faciunt* PAPALES; *ut deneget baptiſmum infantibus Lutheranorum, quod* CALVINIANOS *propterea nonnunquam feciſſe novimus, ut Lutheranos hoc modo in partes ſuas pertraherent. Hos omnes putamus morali ratione cauſare damnum, quod inde redundat, ſive corporale iſtud ſit, ſive ſpirituale.* Hæc tria exempla laudato *Slevogtio* debemus. Ita ISTIÆUS MILESIUS erat cauſa moralis victoriæ Dario conceſſæ indeq; ſecutæ. Nam Perſarum Rex Darius, ex Aſia in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decreverat, pontem fecerat in Iſtro flumine, qua copias traduceret, ejus pontis ipſe abſens cuſtodes reliquerat principes, quibus ſingulis ipſarum urbium perpetua dederat imperia. Sic enim putabat, facilime ſe Græca lingua loquentes, qui Aſiam incolerent, ſub ſua retenturum poteſtate, ſi amicis ſuis (principibus, quos ſecum ex Jonia & Æolide duxerat) oppida tuenda tradidiſſet: quibus ſe oppreſſo nulla ſpes ſalutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa cuſtodia crederetur. Hic, cum

crebri afferrent nuntii, male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus eſt pontis cuſtodes: Ne a fortuna datam occaſionem liberandæ Græciæ dimitterent. Ponte enim reſciſſo, Regem vel hoſtium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum: At Iſtiæus, ne res conficeretur, impediens effecit, ut poſtea Darius, claſſe quingentarum navium ad Eubœam appulſa celeriter Eretriam caperet, omnesque ejus gentis cives abriperet. Ita JONES nimium ſibi fidentes omnem ſpem ſalutis impediverunt. Cum enim victo Crœſo, cujus fiducia rebellaverant, ſupplices petiiſſent, ut Cyrus easdem cum iis pacis iniret conditiones, quibus cum Crœſo tranſegiſſet, ipſe venuſto admodum apologo reſpondit: Tibicen, ubi piſces in mari conſpexit, canere tibia cœpit, ratus, ad ſuavitatem cantus ipſos in litus progreſſuros, & ſaltaturos: ſed ſpe fruſtratus, reti in mare injecto, ingentem piſcium extraxit multitudinem. Et cum in ſicco videret palpitantes, dixit: Temperate nunc quæſo paulisper a ſaltationibus, ſiquidem me canente ſaltare noluiſtis. Hoc ipſo ſignificabat, ipſos qui tam ſuperbe hactenus amicas ſpreviſſent preces, jam omni deſtitutos auxilio gratis ſibi fieri ſupplices.

IV. Non omnis cauſa moralis impediens eſt per hoc cauſa moralis, quia impedivit, quod

quod impedire non debebat: Ita ex. gr. JOSEBA, filia Regis Joram, erat cauſa moralis, quia ea intentione impediebat cædem fratris ſui ſuffurando eum, ut regno tandem potiri poſſet, ipſeque eventus huic intentioni feliciſſime reſpondit 2. *Reg.* XI, 2. Pariter NEHEMIAS impediendo adventum hoſtium, quem non debebat non impedire, erat cauſa moralis extructi templi ſecundi *Nebem.* IV, 12. 13. Et nullum certe dubium eſt, quin æque Nehemias impediendo fuerit cauſa moralis boni, atque Ahasverus impediendo fuerat cauſa moralis mali: Hic enim impediebat ædificationem templi *Esræ* IV. Conferantur ea, quæ de cauſa morali omittente *cap.* XXIV, *p.* 1078. & *ſeqq. item* 1103. diximus.

§. 2. Secundo pro peculiari modo cauſæ moralis absque morali motione jure meritoque venditabatur CAUSA POSITIVE REMOVENS IMPEDIMENTUM: Talis cauſa moralis pereuntium principum Philiſtæorum cum uxoribus & aliis erat SAMSON, ſubruens columnas ædificii, ut totum corrueret *Jud.* XVI.



Digitized by Google

## NOTA.

Ita cauſæ morales erant VIRI removentes lapides quibus aditus ſpeluncæ, in quam quinque reges confugerant, claudebantur *Joſ.* X. ISRAELITÆ removentes ac deſtruentes Deos alienos *Jud.* X, 16. JOSIAS 2. *Reg.* XXIII. Ita Friderici I. temporibus cum ad recuperandas Solymas tota moveri videretur Europa, Philippus & Richardus Franciæ Angliæque Reges claſſem maximo adornarunt apparatu. Qua in mare Afrum delati primo omnium aſſederunt Damiatæ, olim Peluſio, clauſoque natanti vallo portu urbem ſtrenue oppugnarunt. At quo minus ex voto res procederet, *impedimento erant catenæ ferreæ portu claſſem prohibentes.* Quibus frangendis, GUILIELMI, Hollandiæ Comitis, navem Harlemum dictam deligunt: proramque & roſtrum ferris aliisque id genus armant ferramentis. Quid fit? cum ſtata vice Oceanus exæſtuans invehi cœpiſſet, *Hollandi ſecundo vento feruntur in catenas: quarum vinculis ex voto ruptis claſſis intrat portum.* Hanc rem oblivione hodienum aſſerit Harlemi in templo ſuſpenſa navis pictura & Harlemenſium inſignibus addita cum enſe crux. Ita BALDUINUS VII. Comes Flandriæ undecim equeſtris loci viros, quod tres mercatores per viam bonis, & deinde vita exuiſſent, in Palatium damna-

vit,

Digitized by Google

...ſtatimque ſe coram, laqueis injectis, de-
...mi ſuper tabulam annexos ad trabem juſ-
...ac *manu* tum *ſua tabulam ſubduxit*, *ac per-*
*...fecit ſuffocavitque*. Rem laudat Politicus
...gni nominis, modum improbat, quia po-
...iſſet debuiſſetque manibus hoc alienis.
Quod Metaphyſicis terminis ita enunciares:
...tuiſſet eſſe cauſa moralis, non tamen cau-
... moralis poſitive removens hoc impedi-
mentum. Ita TECTOSAGI, cum in anti-
quam patriam Toloſam veniſſent, compre-
henſique peſtifera lue eſſent, *non prius ſanita-
tem reciperavere, quam Aruſpicum reſponſis mo-
niti, aurum argentumq; bellis ſacrilegiisque quæ-
ſitum, in Toloſenſem lacum mergerent.* Quod
omne magno poſt tempore Cæpio Romanus
Conſul abſtulit. Fuere autem argenti pon-
do centum decem millia; auri pondo quin-
quies decies centum millia. Quod ſacrile-
gium cauſa excidii Cæpioni exercituique
ejus poſtea fuit, Romanos quoque Cimbrici
belli tumultus, velut ultor ſacræ pecuniæ in-
ſecutus eſt.

§. 3. Tertio cauſa moralis per commiſſionem absq; morali motione nuncupabatur Causa Positive Concedens aut Permittens: Talis cauſa moralis matrimonii

quod Boas cum Rutha celebrabat: erat PROPIOR COGNATUS *Ruth.* IV,6.

## NOTÆ.

I. Ita JOSUA permittebat Gibeonitis habitacula *Jud.* IX. DAVID permittebat Simei maledictionem, ut erat malum pœnæ non ut erat malum culpæ *2. Sam.* XVI, 11. & *1. Reg.* II, 9. 41. SACERDOTES Hieroſolymitani permittebant Saulo, ut Chriſtianis vincula injiceret *Act.* IX.

II. Unicum exemplum profanum inſtar plurium eſto. Cum Cleomenes, Rex Spartæ, grandi bello cum Achæis diſtineretur, ſed & Antigonum ac Macedonas timeret; a ſe impar, opem & opes a Ptolomæo Ægypti Rege petiit. Hic ſpem fecit, ea lege, ut hæc CRATESICLEA mater ejus itemque filius, obſides fidei in Ægyptum mitterentur. Durum & inſolens ſatis viſum Cleomeni, nec auſus matri proponere, etſi neceſſitas adigebat. Itaq; aliquoties loqui ea de re conatus, abſcidit, & abſceſſit. Mulier acuta animadvertit aliquid eſſe, & amicos ejus percontata; *Ecquid vellet effari Cleomenes, nec auderet?* Quin hortata eos eſt, ut incitarent & ſubmonerent. Tandem ergo Cleomenes poſtulata Regis aperuit: illa autem in cachinnum effuſa: *Et hoc erat,* inquit, *quod dicere aggreſſus, non dicebas?*

*Mitte*

*Mitte vero hoc corpuſculum quocunque terrarum, ubi uſui Spartæ ſit, potius quam hic ſenio & deſidia ſolvatur. At tu vir & Rex eſto.* Statimque inſtitit mitti & navigare. Deduxit igitur Cleomenes cum toto exercitu Tenarum usque, Laconiæ promontorium, ubi parata navis. Illic in templo Neptuni congreſſi, priusquam navim conſcenderet, mutuo complexu & lacrymis divelluntur. Sed illa egrediens: *Age Rex Spartanorum,* inquit, *compone vultum & animum, ac cave quisquam, qui foris adſiſtunt, lacrymantes nos videat, aut Sparta aliquid indignum admittentes. Hoc enim in nobis eſt, caſus Dii gubernabunt.* Sic fata egreditur alacri aſpectu, puerum manibus trahens: nec fœminam ſolum exuit, ſed matrem. Eadem paulo poſt, cum Ptolomæus parum ex fide ageret; & Cleomeni occaſio eſſet paciſcendi cum Achæis, ſed cunctaretur ob matrem: Illa reſcripſit animoſe; *ageret quod ex uſu & dignitate Spartæ eſſet, nec Ptolomæum hunc timeret, ob unam anum & puerum, quorum eſſet compos.* Exemplum cauſæ moralis poſitive conſentientis & permittentis ſpurcum & ſtupendum præbet CLAUDIUS Imperator, nomine quidem, ſed quem Meſſallina uxor ipſius, ut Elephantum parvus Æthiops regebat. Itaque jure hunc ponimus inter cauſarum moralium concedentium ac permittentium exempla. Libet vero iſtud Lipſii

Digitized by Google

Lipſii verbis referre: Erat Meſſallina ſævitiæ, avaritiæ, impudicitiæ, impudentiæ, omnium flagitiorum, (fas ſit in illa ſordida tali verbo uti) cloaca. Omitto cædes tot nobilium, quas patravit, tot exilia & fugas: In libidine non credo ab ævo tale monſtrum fuiſſe. Cottidie adulteria, novæ conditiones & admiſſarii: nec clam, ſed in ipſo palatio coram matronis & viris, quaſi infamia delectaret, venenabatur. Quin noctu veſte tecta, & Meſſallinam diſſimulans, ad publicum lupanar ire ſolita, proſtare inter infelices illas victimas, cellam ſuam & titulum habere, accipere æra & poſcere, & explere libidinem, nec ſatiare. Quid etiam? Marito ipſi illudere, & hunc adigere non teſtem flagitiorum, ſed exactorem. Vide. Erat Mneſter quidam, nobilis Pantomimus, in quo ardere mulier cœpit: & pro ſua verecundia ſolicitare ipſa & poſcere. Ille ſubduxit & renuit, Principem reveritus, ne torum ejus non impune macularet. Mulier ad hoc ridere. Et, *quid ais?* inquit: *Si ipſe Claudius meus jubeat, parebis?* incredibilia videbantur; fiunt. It ad maritum, perſuadet ILLI STIPITI ut Mneſterem vocet, & jubeat, in omnibus dicto ſibi audientem eſſe. Factum eſt: & mox hiſtrio libere, quaſi juſſu Domini res Domini egit. Eſtne quod ſupra etiam poſſit? Reperit. Vulgaria adhuc hæc probra videbantur: Novum

ex-

excogitat, & cui poſt factum vix ſit fides. Erat C. Silius Romanæ juventutis pulcerrimus. Hunc allicit, fruitur, & palam in amoribus habet. Præmium etiam eorum, facit conſulem, opes & decora aulæ ad eum transfert: & jam colebatur velut alter princeps. Non eſt ſatis. Oportet languentis voluptatis novum aliquod eſſe condimentum. Itaq; hoc addidit, ut maritum eum palam caperet: Vivo marito? vivo: Principe? Principe. Nec longius differtur, quam dum maritus Hoſtiam iret, & *quaſi de compacto* paullum ſecederet. Tũ nuptiæ & nuptialis tota pompa: Flos Senatorum & equitum adſunt, menſæ apparantur, lectulus genialis ſternitur, auſpices adhibentur, alia ſolennia: Quin & in mariti gremio nova nupta recumbit: Oſcula, complexus, & reliqua licentiæ conjugalis. Dum ſcribo, ſtupeo: *& adhuc etiam Claudius, nec excitabatur,* niſi liberti & in quorum manu res erant, metu mutationis eum commoviſſent. Itaque tandem finis fabulæ impoſitus: venit Romam, tollit æmulum, & mox conjugem: nec id quoque ſine aſtu liberti. *Lib. 2. cap. 2. exempl. 4. p. m. 145. ſeqq.*

III. Hic multa de permiſſione dici poterant, ex quibus ſequentia notamus: Scilicet *permiſſio* dupliciter ſumi poteſt: 1. *tantum in ſenſu negante*, & ſic permiſſio eſt, cum aliquis effectus cauſæ phyſicæ non impeditur, qui

qui tamen impediri poterat. 2. *in ſenſu ajente*, & ſic eſt hujus loci. Ideo addebatur vox: *poſitive*; dicebaturque *cauſa moralis poſitive permittens aut concedens*. Eſt hæc *permiſſio* poſitive ſumta iterum *duplex*: alia *dat jus ad aliquid omnino licite agendum*: alia *tantummodo dat jus, ne quis alius impedire licite poſſit*. De permiſſione & cauſa permittente in ſenſu negante ſupra *initio* c. 24. egimus.

§. 4. Quarto cauſa moralis per commiſſionem absq; morali motione erat CAUSA SUPPEDITANS VIRES: Tales cauſæ morales erant DAVID extructioni templi primi & DARIUS ſecundi ſumtus ſuggerentes 1. *Paral.* XXX. *Esræ* VI.

*NOTÆ.*

I. Ita HIERON Syracuſarum Rex populi Romani ſocius atque amicus, metu Romanæ potentiæ Carthaginenſibus omnia, quibus in bellum opus habebant, liberaliter ſubminiſtravit *Polyb. lib. 1.*

II. Huc ſpectat quæſtio ab *Hugone Grotio* ad jus naturæ relata: Quid liceat in eos qui hoſtes non ſunt, aut dici nolunt, ſed hoſtibus res aliquas ſubminiſtrant? Nam & olim & nuper de ea re acriter certatum conſtat, cum alii belli rigorem, alii commerciorum li-

libertatem defenderent. DEMETRIUS cum Atticam teneret exercitu, jamque vicina oppida Eleuſina & Rhamnuntem cepiſſet, Athenis famem facturus, navis frumentum inferre parantis & magiſtrum & gubernatorem ſuſpendit, atque eo modo deterritis ceteris potitus urbe eſt. *Plutarch. Demetrio.* POMPEIUS cuſtodes impoſuit Bosphoro, qui obſervarent, ſi qui mercatorum in Bosphorum navigarent, deprehenſis pœna mors. *Plut. in Mithridatici belli hiſtoria.* Romanos qui Carthaginenſium hoſtibus commeatus attulerant, ipſi Carthaginenſes aliquando ceperunt, eosdem iidem Carthaginenſes repetentibus Romanis reddiderunt. *Hugo Grotius* accurate diſtinguendum cenſet inter res ipſas. Sunt (1.) quæ in bello tantum uſum habent, ut arma. Sunt (2.) quæ in bello nullum habent uſum, ut quæ voluptati inſerviunt. Sunt (3.) quæ & in bello & extra bellum uſum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves, & quæ navibus adſunt. In primo genere (pergit) verum eſt dictum *Amalaſuinthæ ad Juſtinianum: In hoſtium eſſe partibus, qui ad bellum neceſſaria hoſti adminiſtrat. Procop. 1. Gotth.* Secundum genus querelam non habet. Sic *Seneca* tyranno gratiam ſe relaturum ait, ſi beneficium illi neque vires majores daturum eſt ad exitium commune, neque confirmaturum quas habet, id autem eſt

eſt quod reddi illi ſine pernicie publica poſſit: quod explicans addit: *pecuniam quæ ſatellitem ſtipendii teneat non ſubminiſtrabo; ſi marmora & veſtes deſiderabit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria ejus inſtruitur: militem & arma non ſuggeram. Si pro magno petet munere artifices ſcenæ & quæ feritatem ejus emolliant, libens offeram. Cui triremes & æratas non mitterem, luſorias, & cubiculatas, & alia ludibria Regum in mari laſcivientium mittam.* Et *Ambroſio* judice *largiri ei qui conſpiret adverſus patriam non eſt probabilis liberalitas lib. 1. c. 30. de officiis.* In tertio illo genere uſus ancipitis diſtinguit *Grotius* belli ſtatum. Nam ſi tueri me non poſſum, niſi quæ mittuntur intercipiam, neceſſitas, ut *Grotius* exponit, excuſabit, ſed ſub onere reſtitutionis, niſi cauſa alia accedat. Quod ſi juris mei executionem rerum ſubvectio impedierit, idque ſcire potuerit qui advexit, ut ſi oppidum obſeſſum tenebam, ſi portus clauſos, & jam deditio aut pax exſpectabatur, tenebitur ille mihi de damno culpa dato, ut qui debitorem carceri exemit, aut fugam ejus in meam fraudem inſtruxit, & ad damni dati modum res quoque ejus capi, & dominium earum debiti conſequendi cauſa quæri poterit. Si damnum nondum dederit, ſed dare voluerit, jus erit rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obſidibus, pignoribus aut alio mo-

Digitized by Google

modo. Hæc ea fini attulimus, ut judicare poſſent, qui vellent, annon hic quæſtio principalis ſit de cauſa morali: *Num ſcilicet is, qui hoſtis non eſt, aut non vult dici, hoſtibus tamen res aliquas ſubminiſtrat, ſit cauſa moralis belli adverſus eum, cujus hoſti res ſubminiſtrat, geſti?* Grotii diſtinctione iterum adhibita, dicendum erit, quod in primo caſu ſit cauſa moralis: in altero caſu non ſit, nec vero ex *Grotii* mente in tertio caſu. Contrarium tamen in tertio caſu *magni* itidem *nominis* & *JCti* & *Politici* pronuntiant, adeo ut hoſti obſidione preſſo & ad extrema redacto, ſi quis res neceſſarias advehere conatus fuerit, non minus in hoſtium numero ſicque pro cauſa morali belli habendus ſit, quam in primo caſu is nempe qui arma advexerat, ſaltem quod actum iſtum concernit. Is enim neuter eſt, qui neutrum juvat, adeoque alteri non ſubvenit, ſi abſque alterius damno fieri nequeat. Ita *prudenter* ELISABETHA *Angliæ Regina Hanſeaticis civitatibus conquerentibus naves ſuas a claſſe Anglica ſpoliatas, quibus tamen per pacta licerat amicis eſſe, hoſtibus Angliæ, reſpondit, non hoc eſſe cum utriſque colere amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros, imo hoc eſſe auxiliari hoſtibus & cum his adverſum alios facere.* Hi tamen adhuc diſtingvunt, num ſubminiſtratio iſta privato nomine ab negotiatoribus mercaturam exercentibus fiat, an vero

nomine publico & a principe utriſque amico? Illo caſu cenſent excuſatius delinqui, nec tam hoſtilem animum, quam lucri cupiditatem præſumi, atque hinc etiam mitius cum eis agendum eſſe. Et hoc eſt, quod ſupra prolixe tractavimus; Scilicet intentio eſt præcipuum momentum, ex quo, num quis cauſæ moralis denominationem incurrat, judicandum eſt. Conſulantur *Hugo Grotius lib. III, cap. 1. §. 5. & Magnif. Dn. Zieglerus animadverſ. in d. l.*

III. Et forte ad exempla cauſæ Moralis ſuppeditantis vires referri etiam poterit FILIA illa, quæ exerto ubere famem matris lactis ſui ſubſidio leniit. Quippe ſanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal ſuum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus non protinus ſtrangulavit. Aditum ad eam filiæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid cibi inferret, dedit: Exiſtimans futurum, ut inedia conſumeretur. Cum autem jam dies plures intercederent, ſecum ipſe quærens, quidnam eſſet, quod tam diu ſuſtentaretur; re curioſius obſervata animadvertit, matrem natæ uberibus alitam. Quæ tam admirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo ad triumvirum, a triumviro ad prætorem, a prætore ad concilium judicum perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impe-

pe-

peravit. Idem de pietate PERUS exiſtimabitur, quæ Patrem ſuum Cimona conſimili fortuna affectum, parique cuſtodiæ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo admotum aluit.

§. 5. Quinto cauſa moralis per commiſſionem absque morali motione erat Causa Subministrans Occasionem. Ita Milites Josuæ ficta fuga ſua reliquis poſitis in inſidiis ſubminiſtrabant occaſionem vincendi hoſtem Hajumq; expugnandi *Joſ. VIII.*

*NOTÆ.*

I. Ita cauſa moralis ſervatorum exploratorum erat RAHAB *Joſ. II.* conſervati Davidis MICHAL *1. Sam. XIX.* ejuſdem e periculis liberati FOEMINA abſcondens Jonathanem & Ahimaaz *2. Sam. XVII.* ſtragis Amalekitarum SERVUS AMALEKITÆ abducens Davidem ad hoſtium exercitum *1. Sam. XXX.* ſui interitus SIMEI ſervos fugitivos perſequens *1. Reg. II.*

II. CANDAULES Rex Lydorum uxorem, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus ſolebat, non contentus voluptatum ſuarum tacita con-

ſcientia, niſi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorſus quaſi ſilentium damnum pulchritudinis eſſet. Ad poſtremum, ut affirmationi ſuæ fidem faceret, nudam ſodali ſuo Gygi oſtendit. Quo facto, & amicum in adulterium uxoris ſolicitatum, hoſtem ſibi fecit: & uxorem, veluti tradito alii amore, a ſe alienavit. Namque brevi poſt tempore, cædes Candauli nuptiarum præmium fuit, & uxor mariti ſanguine dotata, regnum viri & ſe pariter adultero tradidit. ALBOINUS Lombardiæ Rex matrimonio adſciverat Roſimundam Cunimundi a ſe peremti filiam. Cui cum in convivio poculum propinaſſet, e ſoceri cranio confectum juberetque Reginam hilarius bibere cum patre ſuo, altum fœminæ dolorem impreſſit. Ardens ira mulier patris necem mariti ſtatuit cæde ulciſci, ad quam ſpe, pretioq; Peredeum ſollicitat, virum bellicoſiſſimum. Renuit aliquamdiu; tandem pudicitiæ pretio captus Alboinum meridiano indulgentem ſomno obtruncat. Sic Alboinus cauſa moralis cædis ſuæ exſtitit, quam ut moliretur Roſimunda (ſicque cauſa moralis eſſet) anſam ipſe per temulentiam dederat. Addamus adhuc aliud exemplum: Factum, ut ad Amyntam Macedonum Regem a Megabyzo mitterentur, qui bello Regem implicarent. Hi cum regali epulo excepti laſcivius attrectarent fœminas, contem-

tim

tum haberi Macedonas ratus ALEXANDER Amyntæ filius fœminas abduxit. Mox ſubmiſſi juvenes fœmineum in morem compti, quos mulieres arbitrati Perſæ nimium virus experti ſunt. Eosdem quippe cum iterarent luſus, a ſuo quiſq; amaſio ſunt trucidati.

III. Non ſtatim cauſa moralis eſt, qui occaſionem ſubminiſtrat: Nam ſæpe occaſio ſubminiſtrata negligitur, ipſeque effectus eam aut plane non, aut non ex ea ſequitur. Sed hæc ex ſupra dictis de cauſa morali in communi decidi poſſunt.

IV. Hic de occaſione quædam dici poterant. *Cicero* occaſionem ita definivit: *Eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi & non faciendi opportunitatem.* Alii, nec pauci ex Ethicis Doctoribus, docuerunt, circumſtantias quid ubi & quando, h. e. objecti, loci & temporis, facere occaſionem. Inde minus plenam occaſionem dixere, quando vel objectum obtentu difficile, vel locus non ſatis commodus, vel tempus minus vacivum eſt. Cæterum utut ſuo modo hæc tolerari poſſint, abſolute tamē loquendo, occaſio eſt *præſentia circumſtantiarum omnium, quæ quis aptus eſt ad effectum liberum producendum.* Et huc ſpectant verba *Procopii lib. 1. de bello Perſico*: *Occaſio reliqua omnia intra ſe continet.* Item *Polybii lib. XVII. Maximum eſt, ut belli imperatores opportunitatem temporis ex circumſtantiis cogno-*

*gnoſcant, poſſintque illam cum judicio conjicere.* Satis igitur eſto in præſenti monuiſſe, eum eſſe cauſam moralem ſubminiſtrantem occaſionem, qui nempe efficit, ut una pluresve circumſtantiæ præſentes ſint, absque quarum præſentia ſi fuiſſet, cauſa phyſica effectum non fuiſſet productura.

§. 6. Sexto cauſa moralis per commiſſionem absque morali motione erat CAUSA APPLICANS AGENS AD PATIENS: Talis cauſa moralis erant juſſu NABUCHODONOSORIS templum Hieroſolymitanum, regiam, palatia, domos incendentes *2. Reg.* XXV, 9.

*NOTÆ.*

I. Ita ABIMELECHUS, & familiæ ſuæ natus exitio & gentis, Sichemitarum reliquias peremturus ramum amputat, amputatum humeris imponit ſuis, hortatus milites; paria facerent. Qui ducem ſecuti ſuis quisque humeris ramum ad munimenti ferunt radices; ubi incenſis frondibus miſeri Sichemitæ miſere concremati *Jud. IX, 48. 49.*

II. Ita Alexander fuit cauſa moralis deſtructæ regiæ Perſarum. Cum enim aliquando celebraret convivium, cui pellices intererant,

erant, & ex his una Thais, ipſa quoque temulenta, maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmaret, ſi regiam Perſarum juſſiſſet incendi: Exſpectare hoc eos, quorum urbes Barbari deleſſent. Ebrio ſcorto de tanta re ferente ſententiam, unus & alter & ipſi mero onerati aſſentiebantur. Rex quoque fuit avidior, quam patientior. Quin igitur ulciſcimur Græciam, & urbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque ſurgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. *Primus* REX *ignem regiæ injecit; tum convivæ & miniſtri, pellicesque.* Multa cedro ædificata erat Regia, quæ celeriter igne concepto late fudit incendium. Quod ubi exercitus, qui haud procul urbe tendebat, conſpexit, fortuitum ratus ad opem ferendam concurrit. Sed ut ad veſtibulum regiæ ventum eſt, *vident regem ipſum adhuc aggerentem faces.* Omiſſa igitur, quam portaverant, aqua, *aridam materiam in incendium jacere cœperunt.* Hunc exitum habuit regia totius orientis, unde tot gentes ante jura petebant: Patria tot regum; unicus quondam Græciæ terror. PORCIA (Catonis filia, Bruti uxor, cujus ſupra mentio facta eſt) audiens de triſti in Philippis pugna, & Brutum ſuum fuiſſe, mori voluit: Sed amici, & cuſtodes impediebant. Illa ipſis & jam ſibi irata, *quid?* inquit, *mortem aliquis impediat aut neget?* Non



Digitized by Google

*poteſt: & Pater vos docuit.* Ac cum dicto proſiluit, & e *foco prunas ardentes hauſtas ori ingeſſit: & ſpiritum, quem emittere non potuit, ſuffocavit incluſum.* Ita cum fugiente ducis hoſtium nave, reliquæ Pergamenæ naves adverſarios premerent acrius, *hi Hannibalis juſſu repente in eas vaſa fictilia conjecerunt: quæ jacta initio riſum pugnantibus excitarunt, neque quare id fieret, poterat intelligi. Poſtquam autem naves completas conſpexerunt ſerpentibus, nova re perterriti, cum quid potiſſimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, ſeque ad ſua caſtra nautica retulerunt.* Trucidato Alboino ROSIMUNDA cum Peredeo Ravennam ad Longinum Exarchum profugit. Ubi *novis Longini ſollicitata amoribus Peredeo ex balneo redeunti affert veneni poculum. Miſer ſitibundus avide hauſit mediam fere partem. At mox animadverſo ſcelere Roſimundam evaginato gladio, quod reliquum erat, bibere coegit.* Sic uterque primo quidem Roſimunda, mox & Peredeus veneno præſentiſſimo perimitur. Subjungamus aliud: Luſitanorum Goæ degentium non paucis nubere feruntur Mauris & Indis natæ feminæ, ad Venerem inſigniter proclives. Quarum nec patris nec mariti præſentia reprimitur libido: fit quippe *ſeminis* cujusdam vi, ut minus præſentes vereantur, quam abſentes. Eſt ſcilicet ibi *ſeminis* genus (Dutrii vocant) quod cibo & condimentis

mentis admixtum hominem ſtipiti reddit a-quam ſimillimum, ſenſuumque & rationis uſum inhibet omnem. Eo ipſo velut Circes poculo maritos veneres iſtæ faſcinant, & ſuæ libidini impune litant. Interim miſelli iſti, quos videre jures, nihil vident; agitantur, vexantur, conviciis proſcinduntur; rident omnia: demulcent amaſios, atque oſculantur. Tandem, ubi libidini factum eſt ſatis, ſibi ipſis redditi, ſcenæ, in qua hiſtrioniam exercuerant, usque eo ſunt ignari, ut arcte ſeſe & graviter putent dormitaſſe. Vid. in ſuis *itinerariis* & *a Coſta* & *a Mandelſlo*.

III. Multi confundunt cauſam applicantem agens ad patiens cum cauſa morali applicante agens ad patiens: Nam ab illa ad ad hanc non ſtatim colligi poteſt: Ita e. gr. qui ignem ædibus ſubjecerat Dei providentia ac provida Patris familias cura ſtatim exſtinctum, nequit dici cauſa moralis incendii, niſi cauſam ſtatuere velis ſine omni effectu. Sic quoque aliud eſt eſſe cauſam applicationis iſtius: hoc enim eſt eſſe cauſam phyſicam; aliud vero, eſſe cauſam moralem, cujus intentio ſe exerebat per applicationem agentis ad patiens. Rurſus carnifex eſt cauſa applicans agens ad patiens, & quando facinoroſum decollat, & quando alium comburit: In hoc caſu eſt quidem cauſa moralis, in illo vero cauſa phyſica. Ratio eſt, quia accurate ſi

philoſophari velis, cauſa moralis (ut ſupra expoſuimus) eſt cauſa per aliam cauſam principalem e. gr. per ignem: At carnifex dum exiſtit cauſa decollationis, non agit mediante alia cauſa principali, quia gladius mera cauſa inſtrumentalis eſt. Et ſi tandem omnis cauſa applicans agens ad patiens pro cauſa morali venditari debet, mirum, ni vulpeculas Simſonis earumque caudas cauſas morales incenſæ ſegetis Philiſtæorum dixerint.

§. 7. Septimo Cauſa moralis per commiſſionem absque morali motione erat CAUSA APPLICANS PATIENS AD AGENS: Tales cauſæ morales erat PHOENICES, & hos in vicinia imitati aliquando ISRAELITÆ, liberos ſuos Molecho per ignem traducentes *Levit.* XVIII, 21. 2. *Reg.* XVI, 2. XXIII, 10. *Pſalm.* CVI, 37. *Jer.* VII, 31. XXXII, 35. Ita ipſi quoque Reges AHAS & MANASSE filios ſuos ſacrificarunt 2. *Reg.* XVI, 3. XXI, 6. 2. *Paral.* XXIIX, 3.

*NOTÆ.*

I. Erat apud illos ænea Saturni ſtatua, quæ

quæ manus ſupinas extendebat, ita ad terram inclinatas, ut impoſitus illis puer devolveretur, & in voraginem ignis plenam rueret. *Diodorus Siculus l. 20. num. 14.* Scientes prudentesque ſuos ipſi liberos ſacrificabant. Liberis qui carebant, emtos a pauperibus pueros, velut agnos vel avium pullos mactabant. Adſiſtebat rigida ſine gemitu mater. Si ingemuiſſet vel illacrymata eſſet, mulctabatur pretio, neque minus immolabatur. Perſtrepebant autem omnia circa idolum tibiarum & tympanorum ſonitu, ne ejulatus exaudiretur. *Plutarchus lib.* περὶ δεισιδαιμονίας *in fine.* Id vivicomburium Deo dabatur, ſtato quidem die quotannis: ſed aliquando & extra ordinem, & multiplicatis victimis, ſi clades aut triſtius aliquid civitati eveniſſet. Ut in ea, quam ab Agathocle acceperant, placuit decreto ducentos optimatum filios Saturno ſic immolari, & quis credat? totidem alii ſponte ſe obtulerunt. Affirmat hoc *Diodorus Siculus*, idemque *e Peſcennio Feſto* refert *Lactantius Inſtit. l. 1. cap. 11.* Cæterum Saturnus (cui Carthaginienſes litaſſe auctor eſt *Diodorus*) ſine dubio idem, qui Molech.

II. Poſtremus apud Aſſyrios regnavit SARDANAPALUS, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) præfectus ipſius, Medis præpoſitus, nomine Arbactus, cum admitti

ma-

magna ambitione ægre obtinuiſſet; invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitia corporis, & oculorum laſcivia omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere; progreſſus ad ſocios, quid viderit, refert; Negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe, quam virum. Fit igitur conjuratio: bellum Sardanapalo infertur. Quo ille audito, non ut vir regnum defenſurus, ſed ut metu mortis mulieres ſolent, primo latebras circumſpicit: mox deinde cum paucis & incompoſitis, in bellum progreditur. Victus, in regiam ſe recipit; & *extructa incenſaque pyra, & ſe & divitias ſuas in incendium* mittit: hoc ſolo (*Juſtino* judice) imitatus virum. C. MUTIUS adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur Romam liberam ab Hetruſcis obſideri; magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, Patribus approbantibus in hoſtium caſtra penetravit, inque confertiſſima turba prope regium tribunal conſtitit. Ibi cum ſtipendium forte militibus daretur, & ſcriba cum Rege ſedens pari fere ornatu multa ageret eumque milites vulgo adirent; timens ſciſcitari uter Porſena eſſet, ne ignorando regem, ſemetipſe aperiret quis

quis eſſet, ſcribam pro Rege obtruncat. Vadentem inde, qua per trepidam turbam cruento mucrone ſibi ipſe fecerat viam, comprehenſum regii ſatellites retraxerunt ante tribunal regis: Deſtitutus tum quoque infortunæ minas, metuendus magis quam metuens: Romanus ſum, inquit, civis: C. Mutium vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui, nec ad mortem minus animi eſt, quam ad cædem fuit, & facere & pati fortia Romanum eſt: Nec unus in te ego hos animos geſſi; longus poſt me ordo eſt idem petentium decus. Tibi juventus Romana indicimus bellũ, nullam aciem, nullum prælium timueris, uni tibi & cum ſingulis res erit. Cum rex ſimul ira infenſus periculoque conterritus circumdari ignes minitabundus juberet, niſi expromeret propere, quas inſidiarum ſibi minas per ambages jaceret: En tibi, inquit, ut ſentias quam vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt, *dextram accenſo ad ſacrificium foculo injecit*, quam cum velut alienato ab ſenſu torreret animo prope attonitus miraculo Rex, cum ab ſede ſua proſiluiſſet, amoveriq; ab altaribus juvenem juſſiſſet: Tu vero abi, inquit, in te magis, quam in me hoſtilia auſus. Juberem macte virtute eſſe, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret. Nunc jure belli liberum te, intactum inviolatumque hinc dimitto. Mutio poſtea SCÆVOLÆ dextræ

a clade dextræ manus cognomen inditum fuit.

§. 8. Octavo cauſa moralis per commiſſionem abſq; morali motione erat Causa Participans Post Factum: Tales cauſæ erant Ducenti Militum 1. *Sam.* XXX, 22.

*NOTÆ.*

I. Amalecitas Ziclagum perpopulatos perſequente Davide, cc milites defecti viribus ſubſtiterant. Qui cum cæſis prædonibus rapinæ partem depoſcerent, reliquos qui certamini interfuerant, experti ſunt duriores, cauſatos, indignum eſſe, ut ſuo ſanguine hoſtibus ereptæ opes inerti turbæ cederent: At æquior David notata ſuorum aſperitate utrosque rapti ex æquo fecit participes. Quod ipſum in conſuetudinem deinceps abiiſſe ſacræ Pandectæ teſtantur.

II. Ita CÆPIONI exercituique ejus ſacrilegium cauſam excidii fuiſſe *Juſtinus* ſcribit, eo quod omne aurum argentumque ſacrilegiis quæſitum, quod Tectoſagi, ut peſtifera lue liberarentur, in Toloſenſem lacum merſerant, magno poſt tempore abſtuliſſet, ſicq; ſacrilegii Romanus iſte Conſul ſeſe feciſſet participem.

§. 9. No-

§. 9. Nono cauſa moralis per commiſſionem absq; morali motione erat CAUSA RECEPTANS: Ita RAHAB erat cauſa moralis, quæ exploratoribus receptum dabat, quos tamen noverat urbem & territorium exploraſſe, nec ipſi Regi dedi ſibi poſtulanti dedebat *Joſ.* II.

*NOTÆ.*

I. Ita Iſraelitæ poſtulabant a BENIAMINITIS, ut dederent facinoroſos, erantq; ſecutæ cladis & excidii fere totius tribus cauſa moralis *Judic.* XX. Ita HEBRÆI Philiſtæis Samſonem quaſi maleficum ſibi dedi poſtulantibus dedebant, ne cauſa moralis receptans ſecuturi mali forent. *Jud.* XV.

II. Ita cauſa moralis ſervati Themiſtoclis, utpote quem Athenienſes abſentem proditionis damnaverant, cauſa moralis erat Admetus Moloſſorum Rex: Ad hunc enim Themiſtocles ante Argos habitans, poſtea Corcyram demigrans, confugerat: Timebat enim, ne propter ſe principes Corcyræ cauſa moralis (receptans) belli a Lacedæmoniis (qui apud Athenienſes Themiſtoclem accuſaverant) ipſisque Athenienſibus indicendi. Huc igitur cum veniſſet, & in præſentia

tia Rex abeſſet, quo majore religione ſe receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea ſe in ſacrarium, quod ſumma colebatur cerimonia, conjecit, inde non prius egreſſus eſt, quam Rex eum data dextra in fidem reciperet: quam præſtitit. Nam cum ab Athenienſibus & Lacedæmoniis expoſceretur publice, ſupplicem non prodidit, monuitque ut conſuleret ſibi. Difficile *enim* eſſe, in tam propinquo loco tuto eum verſari. Itaque Pydnam eum deduci juſſit, & quod ſatis eſſet præſidii, dedit. Hac re audita hic in navem omnibus ignotus adſcendit: Quæ cum tempeſtate maxima Naxum ferretur, ubi tum Athenienſium erat exercitus: Senſit Themiſtocles, ſi eo perveniſſet, ſibi eſſe pereundum. Hac neceſſitate coactus DOMINO NAVIS, quis ſit, aperit, multa pollicens, ſi ſe conſervaſſet. At ILLE clariſſimi viri captus miſericordia, diem noctemque procul ab inſula in Salo navem tenuit in ancoris, neque quenquam ex ea exire paſſus eſt. Inde Epheſum pervenit, ibique Themiſtoclem exponit: Cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit. Sic Lacædemonii MESSENIS bellum intulerunt, quod interfectorem quendam Lacedæmoniorum non dederent, & alio tempore ob non deditos eos qui miſſis ad ſacrum virginibus vim intulerant. Multa alia exempla ſingulari ſtudio collecta exhi-

Digitized by Google

exhibet *Hugo Grotius l. 2. de jure belli & pacis c. 21. §. 4.* quando demonſtrare ſatagit, quod civitas, apud quam degit qui culpæ eſt compertus, alterum facere debeat, aut ut ipſa interpellata pro merito puniat nocentem, aut eum permittat arbitrio interpellantis. Et hac ex *Grotii* ſententia civitas, quæ in talismodi caſu neutrum facit, CAUSA MORALIS (RECEPTANS) eſt ſecuti belli, ceu ex *§. 1. capitis citati*, ut & *§. 6. præcedentis capitis decimi ſeptimi* haud obſcure liquet. Huc ſpectat illud *Quintiliani declamatione CCLV*: *Proximos exiſtimo eos transfugis a quibus transfugæ recipiuntur.*

III. Forte huc trahi poterit vexatus ille caſus: An civitas civem innocentiſſimum in manus petentis tyranni vel hoſtium, ſalvo omni jure naturali, ſi moraliter certa ſit ſibi ferro & igne pereundum, ni poſtulatis ſatisfaciat, tradere poſſit, numque niſi id faciat, ſit cauſa moralis ſecuturi excidii? Hunc caſum veriſſimis exemplis illuſtratum & deciſum exhibet diſſertatio, cui titulus: Sanctimonia vinculorum per quæ Reſpublica cohæret, illuſtri caſu monſtrata.

§. 10. Decimo cauſa moralis per commiſſionem absque moralimotione erat Causa Patroci-

 NANS

NANS POST FACTUM, ſeu cauſa phyſicæ patrocinio aut alia defenſione poſt factum ſubveniens: Talis cauſa moralis ſubſecutæ rebellionis erat ABSALON ad litis cauſa cauſa peregre venientes dicens Cauſa tua juſtiſſima eſt optimaque, ſurdo vero nec juſtitiæ amanti Regi narraveris fabulam *2. Sam.* XV.

*NOTÆ.*

I. Recolente reſurrectionis dominicæ memoriam Othone I. factum, ut Ducis Svevici filius, qua tenerior ætas eſt libertate, ad dapes accederet, ac placentæ decerperet particulam Quo Dapifer viſo Principem baculo ferit & ſauciat. Graviter ea re offenſus, qui formandis pueri moribus præerat, HENRICUS A KEMPTEN Dapiferum adoritur & extemplo confodit. Concidit iſte. Imperator intervenit, excandeſcit, hominem ſubito ad ſupplicium rapi jubet. Quid miſer? ſupplex deprecatur juſtitiæ rigorem quanquam in caſſum. Nihil igitur cum precibus relictum eſſet loci, deſperatus Imperatorem corripit, dextraque capillo injecta proſternit, quem qui aderant vitæ periculo difficulter-

Digitized by Google

...eripuerunt. Sic ſcelus ſcelere auctum ..., quibus imperata cædes erat. Nobilem ...piunt, jamjam capite plectendum. At ...o quem Cæſaris ira damnaverat, ſuapte ...atur audacia. Imperator quippe, cum ad ...rediiſſet, revocato homine, ait: ſe agno... ...re vindicem Dei manum; dignas luiſſe pœ... ..., quod dicendæ prius cauſæ reo non fecis... ... poteſtatem. Tum Henricus, facta ſibi ...jus rei copia, rem, uti geſta erat, expoſuit; Vulnere Principis ſe commotum gladio da... piferum petiiſſe; ſed citra occidendi ani... mum: intuliſſe vim Cæſari, ſed dolore vi... ctum: hinc a juſtitia ſe appellare ad clemen... ...iam, qua immortale jam ſibi nomen conci... ...averit Imperator. Ita accidit, ut capitis ſup... plicium ipſi remitteretur: barbã tamen Impe... ratoriam quod violaſſet, oculos Imperatoris deinceps ſubeundi omnis adempta eſt licen... ...ia. At & hanc recuperavit virtus, cum poſtea nudus e balneo proſiliens inſidias vitæ Otto... nis I. ſtructas amoliretur. *Gotfridus Viterbien... ſis Chron. part. 17. in vita Othonis I. p. m. 748.* Si... mile exemplum *Cromerus lib. 10. Hiſt. Se... ptentr.* refert, quod Lipſii verbis recenſebi... mus: CASIMIRUS erat Dux Sendomirien... ſium, potens princeps, idemque poſtea Rex Polonorum. Viſum illi aliquando fuit tem... pus ludo fallere, & domeſticum quendam ſuum Joh. Conarium, equitem, ad aleam

vocat. Ille paret, ludunt, alternat fortuna: & tandê cum multa nox eſſet, atq; incaluiſſent: placuit uno jactu de tota ſumma decidere. Is felix Caſimiro fuit: & pecuniam totam ad ſe attraxit. Indignatus Johannes & ſorti ſuæ iratus, per calorem principem invadit, & fortiter os ejus depalmat. Clamor & ira omnium famulus Dominum, eques hunc principem. Capitale erat, ſed beneficio noctis elabitur, & mane tamen captus reducitur, & Caſimiro ſiſtitur puniendus: Ille re bene conſiderata in prudentem hunc ſermonem erupit: *Amici, iſte minus quam ego, peccavit: imo quicquid peccatum eſt, eſt meum. Calor & ſubita ira (cui nec ſapientes ſemper pares ſunt) transverſum eum egit, & mentem ac manum movit: ego cauſam cur præbui? cur oblitus conditionis & dignitatis meæ quaſi cum pari luſi? Imo tu Johannes non veniam a me ſolum ſed gratiam accipe. Utili caſtigatione me docuiſti ne quid in poſterum indignum principe committam, & intra decori ac gravitatis metas me ſiſtam.* Ita dixit, fecitque. *Lipſius l.2. c.12. exempl. 12. p.m. 305.*

II. Ita ſi jus naturæ reſpiciamus, advocatus ficta jura aut falſas ſententias allegans, ſi pars innocens hoc ipſo damnum patiatur, aut pars nocens pœnæ hoc modo ſubtrahatur, vera cauſa advocatus dicetur, ipſiusque advocati culpa erit, cum in cauſis civilibus, tum in criminalibus, ſive in his publi-

hic ſit conſtitutus, ut rei cauſam agat, ſive ab ipſo reo adſcitus ſit. Et mirari ſubeat, qua ratione ii qui meræ juſtitiæ naturalis ſacerdotes eſſe volunt, contrarium acerrime defendere non erubeſcant.

## Caput Vigesimum Septimum

De

# Causa Efficiente per se et per accidens.

*Item*

# De Effectu per se et per accidens.

§. I.

C*auſa efficiens per ſe* duplex datur: una *ex parte cauſæ efficientis ſeu ex parte ſui*; Altera *ex parte effectus.*

*NOTÆ.*

I. Hujus doctrinæ explicationem paulo prolixius perſequi ordo inſtituti poſcit. In nullo enim cauſarum genere tam frequenter hæc diſtinctio occurrit. Et inde factum credimus, ut multi primum ſibimet ipſis, poſtmodum aliis imponentes, cauſam per ſe & per accidens accurate definituri, haſce



Digitized by Google

haſce formulas vendiderint: In genere cauſa per ſe eſt, quæ per ſe & directe influit in effectum intentum: e.gr. Cædens ligna reſpectu actus ligna cædendi. In genere cauſa per accidens eſt, quæ influit etiam in effectum, ſed per accidens & indirecte citra intentionem. Sed *quis quæſo qui nulla præoccupatione faſcinatus eſt*, hanc diſtinctionem ita explicatam, *diſtinctionem generalem de cauſis, item cauſæ in genere diſtinctionem* vocabit. Conferantur ea quæ ſupra *pag.* 762. *& ſeqq.* allata ſunt.

II. Igitur præter ea, quæ de cauſa per ſe & per accidens in communi per integrum caput duodecimum tractavimus, & mutatis mutandis huc trahi poſſunt, paulo ſpecialiora hoc capite tangemus, ſaltem ut de idoneo horum terminorum uſu conſtet.

§. 2. *Cauſa efficiens per ſe ex parte cauſæ* efficientis ſeu ex parte ſui eſt *id, quod qua tale eſt vera cauſa efficiens*: e. gr. Architectus, quando exſtruit domum, qua talis eſt vera cauſa efficiens domus, ſicque eſt & dicitur ipſius domus cauſa efficiens per ſe ex parte cauſæ efficientis ſeu ex parte ſui. Contra

*cauſa*

Digitized by Google

*cauſa efficiens per accidens ex par-te cauſæ* efficientis eſt *id quod eſt vera cauſa efficiens ſed non ut talis* ex. gr. Muſicus quando exſtruit domum, quia licet non ut talis, hoc eſt, non ut eſt muſicus, revera tamē exſtruit domum, dicitur iſtius domus quam exſtruit, cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ efficientis.

## NOTÆ.

I. Quisq; videt cauſam efficientem per ſe & per accidens ex parte cauſæ formulis nota ſecunda ad §. 1. recenſitis explicari non poſſe. Nam dantur etiam cauſæ efficientes per ſe & per accidēs ex parte cauſæ quæ omni prorſus potentia & cognoſcendi & intendendi carent. Ita e.g. recte dico: hoc lucidum calefacit aquam, quando ignis calefacit aquam, qui tamen non ut eſt lucidus, aquam calefacit.

II. Multum intereſt probe perſpexiſſe cauſas efficientes per ſe & per accidens ex parte cauſæ. Nam quantum momenti adferat ad accuratum examen quorumvis negotiorum & actionum ſedula hujus rei inſpectio, ſi ſciamus diſpicere, num quid ut tale in genere motuum fuerit vera cauſa, an vero ipſum extiterit quidem cauſa, non tamen ut tale eſt?

norunt omnes, quibus ſolida Philoſophia Juris curæ cordique eſt. Libet uno vel altero exemplo uſum hujus doctrinæ ſaltem indicare: Si ulla materia in *Jure Gentium* ac *Civili* occurrit, quæ accuratam & exquiſitam ventilationem mereatur, profecto ea eſt, quæ de Regum, & qui alii iis pares (uti ſunt in Ariſtocratia Optimates, in Politia populus;) jus in Republ. ſummum obtinent, promiſſis & contractibus & juramentis agit. Rectiſſime vero non minus quam accuratiſſime monet *Grotius* in hiſce talibus ſolide ac ſufficienter dijudicandis maxime omniũ accuratos *JCtos* & *Politicos* opus habere diſtinctione inter *actus Regis, qui regii ſunt, & actus ejusdẽ privatos*. Videatur *libri II. de Jure Belli & Pacis caput decimum quartum*. Hoc eſt, videndum ſingulari cura, quid Rex aut Princeps egerit ut Rex aut Princeps, quidve Rex aut Princeps egerit ut privatus? It. quid egerit ut talis vel ut talis princeps? Nam ſæpe accidit, ut plurium populorum idem ſit caput, qui tamen populi ſinguli perfectum cœtum conſtituunt; neq; enim ut in naturali corpore non poteſt caput unum eſſe plurium corporum, ita in morali quoque corpore; nam ibi eadem perſona DIVERSA RATIONE CONSIDERATA caput poteſt eſſe plurium ac diſtinctorum corporum *Grot. lib. 1. cap. 3. §. 7.* Sed quid quæſo hoc aliud eſt, (judicent genuinæ Philoſo-

loſophiæ primæ æſtimatores) quam, ſi terminis Metaphyſicis efferamus, diſpicere, utrum Rex aut Princeps fuerit in genere morum cauſa per ſe ex parte cauſæ, an cauſa per accidens ex parte cauſæ? Ita diſquirit Grotius: *An ipſe Rex ut ſubditos ſuos, ita ſe quoq; reſtituere in integrum, aut contractum irritum facere, aut a jurejurando ſe exſolvere poſſit?* Reſpondet Grotius: *In regiis actibus, quæ Rex facit, eo loco habenda ſunt, quaſi communitas faceret: In tales autem actus ſicut leges ab ipſa communitate factæ vim nullam haberent, quia communitas ſeipſa ſuperior non eſt, ita nec leges regiæ: Quare adverſus hos contractus reſtitutio locum non habebit: venit enim illa ex jure Civili. Plane ſi populus Regem fecerit, non pleno jure ſed additis legibus, poterunt per eas leges contrarii actus irriti fieri, aut omnino aut ex parte, quia eatenus populus jus ſibi ſervavit: Ii autem actus Regum, qui pleno jure regnant, ſed regnum non ut proprium poſſident, quibus regnum aut regni pars, aut res fiſcales alienantur, ipſo naturæ jure nulli ſunt, ut facti de re aliena. At privati actus Regis conſiderandi non ut actus communitatis, ſed ut actus partis, ac proinde facti eo animo, ut communem legum regulam ſequantur. Unde etiam leges, quæ actus quoſdam aut ſimpliciter, aut ſi is qui læſus eſt velit, irritos faciunt, locum & hic habebant, quaſi ſub ea conditione contractum foret. Sic videmus reges quoſdam*

*adverſus fœnebre malum ſibi conſuluiſſe juris remediis.* Hæc *Grotius*, quæ ea fini noluimus tranſcribere, ut hic loci ſub disquiſitionis incudem revocentur, ſed ut ſolummodo illuſtribus exemplis, quibus totum Grotii caput plenum eſt, commendaremus idoneam ac utilem terminorum: Cauſæ per ſe ex parte cauſæ, cauſæ per accidens ex parte cauſæ, applicationem ad moralia ac uniuscujusque juris dogmata. Nam quod in hiſce talibus felicius proficere Politices jurisque Gentium ac Civilis cultores poſſint, ſi prius aſſveſcant non prolixæ, ſed utili dictorum terminorum Metaphyſicorum explicationi & applicationi, nos non amplius dubitare ſinunt Magni Nominis Viri verique æſtimatores primæ Philoſophiæ, ac certe gaudemus nosmet eos habere conſentientes. Quisque interim videt, quaſi mille exemplis uſum doctrinæ de cauſa morali per accidens ex parte cauſæ a nobis tacite fuiſſe monſtratum.

III. Æque amplum uſum eadem tractatio in *Moralibus* ac *Theologia* non tam promittit, quam potius certo præſtat. Afferamus optima *venerandorum Theologorum* pace unicum exemplum Theologicum, idque inſigne: Sociniani pertinaciſſimi impugnatores ſatisfactionis a Servatore noſtro JESU Chriſto pro peccatis noſtris præſtitæ inter alia plura argumenta, quibus immane quantum

tum, ſed fruſtra ſibi placent, nullum argumentum magis urgent, quam hoc ipſum, cui ipſe eorum Duxque caputque vim fortiſſimum tribuere non erubeſcit. Ita nempe *Socinus part. 3. c. 2. pag. 238.* argumentatur: *Deus remiſit nobis peccata noſtra per viſcera miſericordiæ ſuæ Luc. 1. 78. Ergo falſa ſunt omnia quæcunque de ſatisfactione docentur.* Ratio conſequentiæ eſt: *Quia remiſſio & ſatisfactio ſeſe mutuo tollunt.* Nam

| *Remiſſio ut ſit, requiritur:* | *Satisfactio ut ſit, requiritur:* |
|---|---|
| *1. Ne is, qui remittit quidquam, ſive ab eo qui debet, ſive a quopiam altero, qui vices debitoris ſuſcipere velit, exigat.* | *1. Ut is, cui ſatis fit, omnia ſive ab eo, qui debet, ſive a quopiam altero, qui vices debitoris ſuſcipere velit, exigat.* |
| *2. Ne is, qui debet, aut quiſpiam alius pro ipſo quidquam ſolvat.* | *2. Ut is, qui debet, ſeu is, qui ſatisfacit, aut quiſpiam alius pro illo omnia ſolvat.* |

Hæc *Socinus*, qui cum ſuis iſtud tandem propugnat acerrime, *a quocunque creditori pro debito ſatisfiat, modo ſatisfiat, non poſſe ullo modo debitorem* ſalva veritate *dicere, ſe illud debitum remiſiſſe.*

IV. Quid ad hoc *Socinianorum* argumentum reſponderi debeat, Philoſophus, quatenus eſt talis, dicere nequit, ad Theologum ſpectat iſtud negotium. Igitur abſit, ut ea de

de re judicandi partes ſumamus. Hoc tandem dicimus, quod ad præſentem ſcopum facit, & Philoſophiæ primæ (ut & moralis) limitibus continetur. Nempe ab *Orthodoxis Theologis* reſpondetur negando & conſequentiam & probationem ejus. Docent enim nullatenus ſibi invicem repugnare miſericordiam & juſtitiam in Deo, illarumve effectus, remiſſionem peccatorum & exactionem acceptationemq; ſatisfactionis pro peccatis, quoniam hæc omnia de Deo dicantur πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, cum Deus remittat nobis peccata per viſcera miſericordiæ ſuæ; reconciliatis ſecum per Chriſtum peccata non imputans *2. Cor. V, 19.* Idem vero Deus ſatisfactionem pro peccatis requirat & acceptet, per juſtitiæ ſuæ rigorem, ab omnibus legis ſuæ violatoribus tanquam judex univerſorum *Gen. II, 17. XVIII. 25. Deut. XXVII. 26.* Sic tamen, ut ipſe ex immenſo ſuo erga nos amore, quaſi privatim de ſuo iſtam ſatisfactionem ac redemtionis pretium, nobis, quotquot in Chriſtum, quem ipſe nobis redemtorem miſit, credimus, ſubminiſtret atque ſuppeditet *Joh. III, 16. Rom. VIII, 3. 2. Cor. V, 21.* Idque propter bonum publicum, gloriam nempe ſuam, & juſtitiæ & miſericordiæ, & gratiæ, & amoris. *Rom. III, 22. 23. & ſeqq. Eph. I. 6. 1. Joh. IV. 9.*

V. Et ſane in hocce *Theologorum* reſpon-

ſponſo etiam uſus præſentis materiæ ſe ex-tit, cum longe facilius iſtud aſſequatur, qui Philoſophiæ primæ (& Moralis) peritiam habet. Ex quo iterum æſtimare licet doctrinæ de cauſa per accidens ex parte cauſæ neceſſitatem. Annon enim (quod exemplum e morali Philoſophia petimus) ejus judicis & miſericordia & juſtitia celebratur, qui de jure quidem publico ut exactor juſtitiæ & vindex legum publicarum cedere, atque legum violatorem ſine violatione juſtitiæ impunitum dimittere nec voluerat, nec potuerat, interim boni publici cauſa non modo rationem monſtravit, qua & juſtitiæ publicæ ſatisfieret, & ſaluti miſeri rei ſive debitoris conſuleretur: verum etiam privatim de ſuo ſatisfactionem illam ſive redemtionis pretium præſtitit? Tantum abeſt, ut propterea minus erga miſerum reum propenſus audiat, ut contra potius & ſapiens, & juſtus, & munificus, & miſericors cenſeatur. Et licet in foro, cum criminales cauſæ aguntur, (*fatentur id JCti & Doctores Morales*) fidejuſſor pro eo, qui capite luendum admiſit crimen, hodie non accipiatur; Nam cur Veteres Græci, Romani & aliæ gentes etiam in pœnis capitalibus ſeu corporis afflictivis (uti loqui amant *Juris Conſulti*) alium pro alio ſubſtitutum tulerint, non eſt, quod miremur. Olim vulgo credebatur quisque in vitam ſuam id

juris

Digitized by Google

juris habere quod in res alias, quæ in proprietatem veniunt, quæ opinio ſi vera eſſet, jam & occidi in foro civili alius pro alio poſſet, & hoc pacto legibus ſatisfieret. At poſtquam verior ſapientia nos docuit dominium in vitam Deo exceptum, hanc Gentilium ſapientiam rectæ rationi repugnare demonſtramus: Iſtud interim fatemur a Gentilibus noſtram Metaphyſico-Moralem diſtinctionem utut ex principiis juri naturæ contrariis diſſeruerint, eruditiſſime fuiſſe applicatam. Ita enim egregie ſcribit *Valerius Maximus lib. VI. c. 5. num. 3. Nihil illis juſtitiæ exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrenſium a ſe ſaluberrimis atque utiliſſimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus ſecundum jus ab ipſo conſtitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnæ neceſſitatem adoleſcentulo remitteret, aliquamdiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, ſuo prius, deinde filii oculo eruto, uſum videndi utrique reliquit: Ita debitum ſupplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, ſe inter miſericordem patrem & juſtum legiſlatorem partitus.*

VI. Sane ſi vera fuiſſet Zaleuci opinio, quemque oculorum ſuorum eſſe ſummo jure dominum, ſique Deus non ſolummodo ei oculos dediſſet, ut ſervaret, ſed etiam ut ſalva juſtitia perdere poſſet, ipſe & ut juſtus filium

um oculo privaſſet, & ut miſericors uſum-
dendi reliquiſſet, ſicque miſericors pater
uſa oculi eruti & juſtus legislator cauſa
uli ſervati extitiſſet: Sed hanc ſententiam
an *Juris naturæ* præceptis pugnare certiſſi-
e credimus, idque oſtendi poteſt & ratione
*ſacrorum Oraculorum* auctoritate. Cæte-
um Servator noſter, dux vitæ & princeps,
lenum dominii jus habebat in vitam ſuam
humanam, ut eam adimendam in totius hu-
mani generis ſalutem obligare valuerit vo-
lueritque, ideoque, quæ ſumma DEI erat
*φιλανθρωπία* & ineffabilis gratia ac benigni-
tas, decretum fuit, ut paſſione ac morte ſua
juſtitiæ Divinæ pleniſſime ſatisfaceret, hanc-
que ſatisfactionem quisque noſtrum vera fi-
de finali ſuam reddere poſſet.

VII. Ergo *ἀπαιδευσίαν* ſuam Metaphyſi-
co-Moralem prodidit quidam Socinianus,
dum non erubuit ſic ſcribere: *Theſis noſtra
eſt: Remittat nobis Deus peccata per viſcera
miſericordiæ. Antitheſis eſt: Deus punit aut
ſatisfactionem requirit, per juſtitiæ ſuæ rigorem.
Effectus ſunt oppoſiti: ubi autem diverſus re-
ſpectus oppoſitionem tollens? An quia illud fa-
cit ex miſericordia; boc autem ex juſtitiæ rigo-
re?* Pergit iſte: *At iſtud nibil eſt. Eodem enim
modo dicerem; nibil repugnare, aliquem modum
rectum ſervare perpetuo in cibo & potu; &
tandem tamen indies ingurgitare ſe, epulari,
pota-*

*potare, belluari: quia alterum faciat ex temperantia, alterum ex intemperantia: & quia non ex eodem habitu iſta agat, etiamſi circa idem objectum; nullam tamen hic pugnam eſſe, ſed poſſe iſta ab eodem ſimul exerceri.* Tandem adjicit: *Ἄλλο illud, quod contradictionem tollit, ut quidem me Philoſophi præceptores mei, dum Philoſophiæ darem operam, docuerunt, conſideratur in objecto: quoties actiones contrariæ, ab uno agente prodeunt, eodem tempore. Si vero ſubjectum ſit idem, quod eodem tempore contraria patiatur: vel agentia eſſe diverſa oportet: vel ſubjectum non ſecundum idem pati, ſed ſecundum diverſas partes aut affectiones, ut: cum medicus ſimul unam partem ſanat, alteram partem ejusdem hominis vulnerat. Ex habitibus autem oppoſitis idem agens in idem, ſimul reſpectu ejusdem agere nequit.*

VIII. O miſeram Philoſophiam, qua tamen immane quantum iſte diſcipulus ſibi placet, adeo ut ſine rubore hæc verba poſuerit: *Conſideranda hæc adverſariis fuiſſent, antequam ad noſtra refutanda acceſſiſſent.* Profecto ſtupidum eſſe oportet, cui hujusmodi nugæ non ſint riſui, quique eas non audeat facile confutare. Primo, quis ſaniori judicio præditus ignorat temperantiam & intemperantiam eſſe contraria ſtricte ſic dicta, quibus perpetuo repugnat in eodem ſubjecto ſimul eſſe,

eſſe, ceu *Logicorum* pueri norunt: Unum namque contrariorum in ſe virtualiter includit alterius negationem e. gr. temperantia continet virtualiter intemperantiæ negationem, & eſt non intemperantia: Si igitur eidē inessent temperantia & intemperantia ſimul, idem eſſet temperans & intemperans, & ſic ſimul temperans & non temperans, adeoque contradictoria de eodem ſimul affirmarentur ſalva veritate, quod ſimpliciſſime eſt impoſſibile. Singulari ſtudio dicimus: Simpliciſſime impoſſibile. Nondum namque adducimur, ut cum *Suarezio* aliisque audacter ſtatuamus hoc, ut contraria ſint in eodem ſubjecto, ſaltem naturaliter eſſe impoſſibile, quia non habeant immediatam & formalem oppoſitionem negativam, ſed ſaltem eam inferant mediate, quatenus unius effectus (quæ *Suarezii* dictio eſt) incompoſſibilis ſit cum effectu alterius, quam incompoſſibilitatem *Suarez* dicit cenſetque a Deo impediri poſſe: Quippe quæſiti qui ſic ſtatuunt, in quonam ipſis ſic dicta incompoſſibilitas conſiſtat? reſpondebunt in eo conſiſtere; quod alter alterius involvat virtualem negationem. Si ergo Deus incompoſſibilitatem tolleret, qua ratione ſalva maneret eſſentia contrariorum effectuum? Sed tranſeant hæc. Cæterum utiquisque capit juſtitiam & miſericordiam non eſſe ſtricte ſic dicta con-

traria, ita vel maximus incipientium ſtupor aſſequitur, lapſum enormem judicii huncce diſputatorem commiſiſſe, quem ipſe agnoſcit, dum paulo poſt fatetur, *in homine forte id fieri poſſe,* huncque caſum moralem ponit: *Si quis injuriam fecerit vicario, aut locum principis tenenti, ipſe quidem vicarius læſori privatim injuriam condonat; vindicat autem ut vicarius: quia fidem dedit ſuo principi, ſe nullum ſcelus velle ſinere inultum.* Nam & iſtud nihil eſſet, ſi quod noſter ante negatum iverat, cum judicio negaſſet. Deinde quando dixit, ἀλλὰ illud, quod contradictionem tollit, conſiderari in objecto, quoties actiones contrariæ ab uno agente prodeunt, eodem tempore: hoc certe fruſtra profert. Annon enim ipſe in caſu a ſe formato diverſitatem reſpectuum agnoſcit, dum vicarium, quem vocat, ſimul condonationis & punitionis autorem facit. Unde nihil aliud habet, quod adhuc urgeat, quam quod ex parte Dei diverſitas reſpectuum monſtrari nequeat, quæ ad tollendam contradictionem ſufficiat. In Exemplo, quod ipſe attulerat, dicit *teneri vicarium, quia ſuperiori, quem vereri debet, ad hoc ſe obſtrinxerat; nec erat in ipſius poteſtate* eum, qui læſerat, plane impunitum dimittere, *princeps autem,* ait, *ſi vellet, poſſet homini remittere; niſi forte & ipſe*

Deo

*Deo expreſſe ſe obſtrinxiſſet; ad id non faciendum. In ſumma autem poteſtate nihil tale contingere poteſt. Neminem enim vereri poteſt Deus; Nemini fidem frangit. In ipſum, ut privatum, omnes injuriæ terminantur: & poteſt vel ulciſci, vel condonare ſine ullius injuria aut perjurio, niſi ſe expreſſe ad aliquid faciendum obſtrinxerit & ſine exceptione:* Non jam de eo diſputabimus, an pro ſua libera voluntate DEUS pœnitenti citra interventum ſatisfactionis peccata condonare poſſit? utut Theologorum ac Doctorum moralium autoritas magna ac venerabilis ſit, qui negativam veriorem credunt. Satis nobis eſt, quod ſumme devenerandi Theologi nos informent, Deum nolle peccatoribus propitium eſſe & peccata remittere, niſi propter Chriſtum mediatorem, quem illis ex gratia donavit, ejusque ſatisfactionem pro peccatis, idemque ſolidiſſimis probent Scripturæ Sacræ teſtimoniis. Tertio, quod tandem aſſerebat, ſi ſubjectum ſit idem, quod eodem tempore contraria patiatur, vel agentia oportere eſſe diverſa, vel ſubjectum non ſecundum idem pati: ex habitibus autem oppoſitis idem agens, in idem, ſimul, reſpectu ejusdem, agere non poſſe: hoc & ad præſens nihil facit, ſi de phyſicis & phyſice ſpectatis actionibus ipſi ſermo ſit, cum moralia non phyſice, ſed ethice debeant intelligi: & ſi de

actionibus in ſignificatu forenſi ac morali aſſertum ſuum intellectum vult, ipſe exemplum ſimul remittentis alteri eumque punientis in contrarium attulit: & quod præcipuum ejusque πρῶτον ψεῦδος evertit, ſemper fingit contraria, fingit oppoſita, ubi nulla ſunt, omnibus *Philoſophis Moralibus* ac *orthodoxis Theologis* id fatentibus. Remiſſionem ſemper contrariam ſtatuit ſatisfactioni, & ſatisfactionem remiſſioni, cùm tamen nec hæc illi, nec illa huic ſit contraria: verum ſubordinentur ſibi commode. Nam ceu venerandi Theologi nos informant, utriusque divina ſapientia admirandum reperit temperamentum, ſimul ut juſtitiæ divinæ ſatisfactum fuerit, & tum in eo, tum ex eo miſericordiæ glorioſe eluxerit in ſalvandis redemtis, & redimendis ſalvandis. Peccatum pœnam merebatur natura ſua, & divina conſtitutione. Edixerat Deus, quod pœnam eſſet repetiturus a peccatore: Juſtitia pœnam efflagitabat & ſatisfactionem, qua ſedata patuit locus miſericordiæ. Illi viam quærere, qua placari poſſet, ſupra humanam ſortem erat: Præceſſit ergo ſatisfactio, ſed Chriſti, atque ſeqvuta eam eſt, ejus vi & merito, peccatorum noſtrorum a Deo remiſſio. Diviniſſime ergo conſpirant illa, ut facile ex Theologorum venerabili doctrina liquet, non pugnant. Quis enim noſtrum ſic in-

for-

formatus a venerandis Theologis, modo leviter imbutus ſit Philoſophiæ fundamentis, hic ullam obſervaverit contrarietatem. Ubi enim ea eſſet? Oppoſita debent eſſe ſecundum idem, ad idem, eodem modo, quæ hic deſunt omnia. Gratuita remiſſio in Moralibus non excludit quodvis pretium redemptionis, ſed meritum ab eo præſtitum, cui obtingit remiſſio, ut, quod gratis remittitur, nobis remittatur abſque noſtris meritis. Imo ne illud quidem univerſaliter verum eſt, quod, cui ſatisfactum eſt pro debito, is non remittat gratis debitum. Contrarium percipi poteſt ſequenti exemplo morali: Debitor, qui ſua culpa nequit ſolvere, invenit alium quempiam, qui pro ſe ſolvat debitum, faciamus pretium perſolutum tale eſſe, ut creditor non teneatur ſolutionem acceptare, liberrima tamen voluntate acceptet; nulli dubitamus, quin creditor adhuc ſalvis juris naturæ regulis debitum condonaſſe dicatur creditori. Illud quoque obiter tactum volumus, quod aliud ſit agere eadem ejusdem reſpectu, & iterum aliud agere eadem eodem reſpectu: Nam & diverſo reſpectu idem agens ſimul, reſpectu ejusdem, in idem agere poteſt, cujus rei vel mille exempla ſuppetunt. Tandẽ quod nugatur idem *Socinianus*, ſi miſericordia & juſtitia ſimul Deo competerent, in ſupremo Numine fore accidentia realiter



Digitized by Google

diſtincta: Ad hoc quivis incipientes norunt reſpondere negando conſequentiam. Nam aliud eſt reale, aliud realiter diſtinctum: Juſtitia & miſericordia ſunt attributa DEI ex parte voluntatis realia, non tamen realiter diſtincta. Et utut non ſint de eſſentia Dei, ſunt tamen adhuc a parte rei ipſa Dei eſſentia. Ita patet inter Socinianos etiam inveniri, qui in prima rudimenta Philoſophiæ cum primæ, tum moralis, turpiter impingunt, ſicque propugnant viris ingenioſis, quales plerumque ſunt, prorſus indigna.

§. 3. Quæritur: *numne cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ ſit proprie & recte ſic dicta ac vera cauſa?* Affirmatur, & negatur. Affirmatur in ſenſu materiali ſeu diviſo, negatur in ſenſu formali ſeu compoſito. Nam ad illius ſenſus veritatem demonſtrandam ſufficit adduxiſſe omnia veræ cauſæ efficientis requiſita: Ad hujus vero ſenſus falſitatem ſatis eſt notaſſe, quod quemadmodum id plane non eſt vera cauſa, cui requiſita cauſæ nul-

late-

Digitized by Google

latenus competunt, ita nec iſtud qua tale vera cauſa ſit, cui, quatenus eſt tale, neceſſaria requiſita cauſæ tribui nequeant.

*N O T A.*

Repetantur ea, quæ præcedenti *capite* 12. *not*. 3. *ad* §. 6. *p*. 755. propoſuimus

§ 4. *Cauſa efficiens per ſe ex parte effectus* eſt *id, quod vera cauſa efficiens eſt alterius & quidem alterius qua talis*: ex. gr. architectus eſt cauſa efficiens per ſe ædificii ex parte effectus, quia architectus eſt vera cauſa ædificii, ut ædificii, cum ædificium ut ædificium per veram & realem ædificationem ab architecto in eſſe ſuo procedat. Contra *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus eſt id, quod plane non eſt vera cauſa efficiens alterius, cujus tamen cauſa efficiens per accidens vocatur, quia hoc ipſum effectui per ſe* (ejus quod

causa per accidens dicitur) *accidit aut cohæret; aut ſi eſt vera cauſa efficiens alterius, cujus cauſa efficiens per accidens dicitur, non tamen eſt cauſa efficiens alterius qua talis*: Exempla e *ſequenti* §. *hujus capitis*, ut & ex *c.12.* §.*4.* peti poterunt.

*N O T Æ.*

I. Melioris perſpicuitatis gratia utque captui incipientium & qui præconceptis opinionibus tam facile indulgent, conſulamus, exponere placet, quænam ſit ratio hujus appellationis, quando ſcilicet hæc determinatio (τὸ *per accidens*) voci: *cauſa*; adjicitur? Et quidem paucis notamus τὸ *per accidens* quando voci: *cauſa*; additur, ſemper denotare *accidentalem quandam cohæſionem aut connexionem*: Et in eo habemus omnes (quod ſciamus) Metaphyſicos, etiam eos, qui in præſenti materia alias ab invicem diſſentiunt, conſentientes. Et ſane non poſſumus, quin provocemus ad communem conſenſum Metaphyſicorum tanquam optimum judicem: Quippe in diſciplinarum vocabulis, ceu alibi dictum eſt, adhibere oportet diſciplinæ cujusque peritorum, multoque magis peritiſſimo-

merum; definitionem: Ecquis vero auſit negare, hoſce terminos: cauſa per ſe, cauſa per accidens, ad Metaphyſicam per ſe ſpectare?

II. Objiciat aliquis: Si toties τὸ *per accidens* eandem ſignificationem obtinet, quoties hæc ipſa determinatio adjicitur voci *cauſa*; fieri nequit, ut alia cauſa per accidens ſit vera cauſa ejus effectus, cujus cauſa per accidens vocatur, alia vero cauſa per accidens ejus effectus, cujus nempe cauſa per accidens dicitur, plane non ſit cauſa. Conſequentia videtur eſſe veriſſima, quia ſi ſemel hæc determinatio adjecta voci: *cauſa*; ſignificaret veram cauſam effectus, & iterum eadem determinatio adjecta voci: *cauſa*; non ſignificaret veram cauſam effectus, ſed non cauſam, qua ratione una eademque τὸ per accidens ſignificatio eſſe poſſet? Hic enim eſſet determinatio alienans, ſi cauſa per accidens non eſſet vera cauſa: Illic non eſſet determinatio alienans, ſi cauſa per accidens eſſet vera cauſa. Et fortaſſis hæc dubitatio cultorem Metaphyſices, qui eruditus videri malebat quam eſſe, vexare poterat, ut eam Gordium nodum eſſe crederet: Enim vero quisque, qui modo ab affectibus & a præconceptis opinionibus liber eſt, facillime videbit ad ſolutionem hujus dubii non eſſe opus Magni gladio. Nam nihil profecto



Digitized by Google

novi eſt, vocem in eadem ſignificatione diverſis vocibus adjectam nunc fieri determinationem alienantem, ceu Scholæ vocant, nunc minime. Ita e. gr. eadem manet ſignificatio vocis: *mortuum*, ſive addatur voci corpus, ſive addatur voci animal: Interim quando animal mortuum nominamus, ſic datur determinatio alienans, voci animal adjecta, quia vocis animal, cui additur, ſignificationem tollit, ut non amplius ſignificet, quod antea ſignificabat: Animal enim per ſe ſignificat vivum quidpiam & ſentiens, addita vero voce mortuum non amplius ſignificat vivum quidpiam. E contrario ſi mortuum addatur voci corpus, non tollit ejus ſignificationem: Nam corpus (prout Latini Philoſophi hac voce utuntur) per ſe notat ſubſtantiam habentem naturam, uti quidem natura in Phyſicis ſumitur, unde vox mortuum ſignificationem ſubſtantiæ naturalis nequaquam tollit. Clarius: animal mortuum non eſt animal, corpus mortuum eſt corpus. Sexcenta ejusmodi exempla adferri poſſent. Nec eſt, quod dicatur, audita voce: *corpus mortuum*, ſubintelligi animal mortuum vel plantam mortuam: Non enim jam quæſtio eſt de ſignificatione ſubintellecta, ſed de expreſſa ſignificatione. Sumamus alia exempla: Ita vox lapideus tollit ſignificationem vocis *homo*, dum digito rem oſtendens dico:
Ec-

Digitized by Google

Ecce hominem lapideum! nec tamen tollit eadem vox ſignificationem vocis ſtatua, ſi eandem rem monſtrans dicerem: Ecce ſtatuam lapideam! Sic in illa prædicatione: animal eſt animatum, animatum eſt prædicatum per ſe: At in hac prædicatione: corpus eſt animatum, animatum eſt prædicatum per accidens, quia corpus recte dividitur in animatum & inanimatum, nec ſublato omni animato tollitur omne corpus, utut ſublato omni animato omne animal neceſſario tollatur. His ita notatis, facile liquet, recte negari conſequentiam. Non enim uni eidemque voci additur τὸ *per accidens*, quando nunc *cauſæ efficienti per accidens ex parte cauſæ*, nunc vero *cauſæ efficienti per accidens ex parte effectus* adjicitur, quia *cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ & cauſa efficiens per accidẽs ex parte effectus* ſunt diſtinctiſſimæ notiones. Hinc licet τὸ *per accidens* ſemper ſignificet accidentalem connexionem, tamen quando additur illi voci complexæ *cauſa efficiens ex parte cauſæ*, notat accidentalem connexionem alicujus, quod alicui tanquam cauſæ efficienti ex parte cauſæ accidit, cum principio per ſe effectus, de cujus cauſa efficiente per accidens ex parte cauſæ nunc ſermo eſt: At quando τὸ *per accidens* adjicitur huic voci complexæ *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus*, tunc indicat accidentalem connexionem

Digitized by Google

tem alicujus (quod accidit aut cohæret effe-ctui per ſe) cum effectu per ſe. Exemplis res fiet clarior: Ita quando dico: pictor eſt domus cauſa efficiens ex parte cauſæ, certe quiſque terminorum Metaphyſicorum ſatis gnarus aſſequitur hunc eſſe ſenſum propoſitionis; Pictor ædificat domum adeoque eſt cauſa efficiens domus, non tamen ut pictor, ſed ut architectus. Notat igitur τὸ *per accidens* hoc loco accidentalem connexionem artis pingendi cum arte ædificandi. Dum enim pictorem voco domus cauſam efficientem per accidens; intelligo quidem architectum, verum non denomino eum ab arte architectonica, quæ eſt principium per ſe domus, ſed ab arte pingendi, quæ plane non eſt principium efficiendi domum, ipſique cauſæ efficienti domus per ſe accidit. Contra ſi hanc propoſitionem formem: Pater, qui filium mittit ad nundinas eo tempore, quo nihil aliud noverat, nec noſſe debuerat, quam iter ſatis tutum a latronibus fore, eſt cauſa per accidens cædis filii ſui, ſi in itinere a latronibus occidatur; profecto Metaphyſices cultor hic faciliime advertit, τῷ *per accidens* ſignificari hoc loco accidentalem connexionem ejus, quod plane non eſt effectus Patris, Patris tamen effectui per ſe accidit.

III. Idem volunt præſtantiſſimi nominis Metaphyſici & veteres & recentiores, dum in-

inter *cauſam efficientem per accidens ex parte cauſæ*, & inter *cauſam efficientem per accidens ex parte effectus* discrimen obſervaturos reſpicere jubent ad illud ipſum, quo mediante *cauſa efficiens per accidens* & id, cujus *cauſa efficiens per accidens* ſalva veritate appellatur, connectuntur: Aut enim illud datur *ex parte cauſæ efficientis*, aut *ex parte effectus*: ex.gr. quando pictor ædificat, illud ipſum, quo mediante pictor & ædificium connectuntur, eſt ars pingendi in pictore, qui ædificii cauſa efficiens per accidens dicitur: Contra quando Pater cauſa efficiens per accidens cædis filii, nuncupatur, hoc ipſum, quo mediante Pater & cædes filii connectuntur, non eſt in Patre, ſed ſolummodo ex parte effectus Patris datur, hoc eſt, ex parte miſſionis, cui cædes accidentaliter cohæret. Nec adeo impertinens doctrina eſt illorum, qui ita philoſophantur: In cauſa per accidens ex parte cauſæ ad unicum reſpicimus effectum: In cauſa vero per accidens ex parte effectus ad duplicem effectum: E.gr. quando dicitur, pictor ædificat, hic unicus datur effectus (nempe ædificium) qui pictori, ut cauſæ per accidens ex parte cauſæ, & architecto, ut cauſæ per ſe ex parte cauſæ tribuitur: Contra quando dicimus: Pater mittens filium in itinere a latronibus citra Patris culpam & voluntatem poſtea occiſum eſt cædis filii cauſa efficiens per acci-

dens

dens ex parte effectus, ibi duplex occurrit effectus, nempe miſſio filii & cædes filii, ut illius Pater ſit cauſa efficiens per ſe, hujus vero plane non ſit cauſa, dicatur tamen cauſa efficiens per accidens.

IV. Sed forſan adhuc excipi poterat contra datum reſponſum, eodem non tolli ſed magis magisque augeri motam difficultatem, cum ſane τὸ *per accidens* additum non *cauſæ efficienti ex parte cauſæ*, ſed *cauſæ efficienti ex parte effectus*, ex mente defenſorum hujus ſententiæ nunc prorſus tollat ſignificationem cauſæ efficientis ex parte effectus, nunc minime. Verum quid ad hoc reſponderi debeat, liquebit e proxime ſequentibus: Sufficiat in anteceſſum reſponſi loco notaſſe, quod quemadmodum diſtinctæ notiones ſunt: *cauſa efficiens ex parte cauſæ & cauſa efficiens ex parte effectus*, ſic quoque diſtinctiſſimæ notiones ſint *cauſa efficiens ex parte effectus ſimpliciter ita dicta & in certo ordine talis.* Unde quando aliquid *ſimpliciter* dicitur *cauſa per accidens ex parte effectus*, tunc tollitur omnis ſignificatio, veræ cauſæ efficientis: At quando cum addito vocatur *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus*, tunc τὸ per accidens non tollit ſimpliciter ſignificationem cauſæ efficientis ex parte effectus, ſed tollit ſolummodo ſignificationem certi ordinis cauſæ efficientis.

V. Ex

V. Ex huc usque notatis ſatis conſtare poſſe confidimus, nullius momenti eſſe hanc collectionem : Si ideo nequit dari homo mortuus, qui ſit quidem verus homo, non tamen ut talis, quia τὸ mortuus, ſi adjiciatur voci homo, eſt determinatio alienans, ſequitur, nunquam futurum eſſe, ut detur alicujus effectus cauſa efficiēs per accidens, quæ adhuc iſtius effectus ſit vera cauſa efficiens per accidens, licet non ut talis ſit vera cauſa efficiens, niſi defendatur, τὸ per accidens non eſſe determinationem alienantem. Sic namque colligi debebat, nec aliter abſque ſophiſticatione poterat: Si ideo nequit &c. ſequitur nunquam futurum eſſe, ut detur alicujus effectus cauſa efficiens per accidens ſimpliciter & omni modo, quæ adhuc iſtius effectus ſit vera cauſa efficiens, niſi defendatur τὸ per accidens eſſe determinationē alienantem. Sic vero ſi inſtituatur collectio, veriſſima eſt & manet.

VI. Iterum quis inſtare poterat, quærendo: Num ſi quis dicat ſe agere velle de cauſa efficiente per accidens, determinationem alienantem adjeciſſe voci cauſa efficiens dicendus ſit, nec ne? Reſpondetur, in tantum adjectam eſſe determinationem alienantem, in quantum is, qui ita loquentem audit, modo terminorum gnarus ſit, non poteſt aliter colligere ex audita determinatione, quam quod alter in ſe ſuſceperit tractatio-

nem

nem de eo, quod qua tale non eſt cauſa efficiens, ſive alias adhuc ſit cauſa efficiens licet non ut tale, ſive prorſus non ſit cauſa efficiens, nec ut tale, nec alio modo; item ſive in nullo cauſæ efficientis ordine ſit cauſa efficiens nec ut tale, nec aliter ſpectatum, ſive in certo ordine non ſit cauſa efficiens nec ut tale, nec aliter conſideratum. Regeri poterat: Si quis dicat ſe agere velle de animali mortuo, quisque videt hanc eſſe determinationem alienantem, æque ac ſi dixiſſet, ſe acturum eſſe de homine mortuo, cur ergo ſi τὸ per accidens determinatio alienans eſt, non eſt æque alienans & æque determinationem alienantem concipimus audito ſermone ejus, qui dixerat ſibi propoſitum agere de cauſa efficiente per accidens, quam ſi dixiſſet ſe decreviſſe agere de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus ſimpliciter & omni modo ſic dicta? Reſpondetur, quia longe diſpar ratio datur: Nam una ratione formali exprimi poteſt, quid vocetur animal mortuum, quæ & homini mortuo & bruto mortuo ſalva veritate tribui poteſt: At una ratione formali exprimi nequit, quid ſit cauſa efficiens per accidens, quæ & cauſæ efficienti per accidens ex parte cauſæ & cauſæ efficienti per accidens ex parte effectus ſive ſimpliciter, ſive in certo ordine tali æque tribui poſſit. Et qui id tentarunt ac ef-

effectu facile crediderunt, experiendo didicerunt, quam (non dicamus difficile, ſed) prorſus impoſſibile ſit: Quippe plures quidem talismodi formulas videre contigit, nullam vero, quæ iſtud, quod autores promiſerant, præſtet, quiſquam ante Græcorum Kalendas videbit. Veriſſimum manet præſtantiſſimorum Doctorum Metaphyſicorum aſſertum uno ore evidenter docentium, non poſſe cauſam per accidens in communi deſcribi. E pluribus paucos nominaſſe ſatis eſto. *Ariſtoteles lib. 2. Phyſic. cap. 5. t. 50.* ſic diſſerit: *Sicut dantur ens per ſe & per accidens, ita etiam cauſa per ſe & cauſa per accidens, ut ædium cauſa per ſe eſt architectus, cauſa per accidens muſicus. Quid igitur ſit cauſa per ſe, definitum eſt, quid vero cauſa per accidens indefinitum &c.* Præter hunc plura alia loca nominari poterant, ubi ex profeſſo Ariſtoteles de eo egit, quid ſint cauſa per ſe & cauſa per accidens, ſatisque utrumque & accurate expoſuit, nullibi vero definitionem cauſæ per accidens in communi reliquit, imo nunquam ſperavit. Vid. *V. Met. c. 2.* ubi poſtquam ex profeſſo de cauſa per ſe & per accidens egerat, tandem expreſſis verbis docet, cauſas per ſe eſſe proprie dictas cauſas, cauſas vero per accidens qua tales illis opponi. *2. Phyſ. c. 4. t. 40.* cauſam per ſe vocat *ὡρισμένον αἴτιον* cauſam definitã. Pariter *Suarez diſp. 17.*

*de cauſa efficiente in communi ſect. 2. num. 2.* *p.m. 367.* expreſſe ſcribit: *Cauſa per accidens cum non ſit vera cauſa, non poteſt commode una communi deſcriptione definiri, ſed variis modis dicitur. Aliquando enim dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ, aliquando vero ex parte effectus. Ex parte cauſæ ita deſcribitur &c. Ex parte effectus iterum variis modis dicitur &c.* Sic *B. Stalius* in *Tabella* & *Inſtitutionibus* cauſam per accidens in communi deſcribere conatus fuerat, poſtmodum vero re probe ponderata ac rectius perpenſa haud veritus eſt revocare aſſerta ſua, atque perſpicue docuit, cauſæ per accidens in communi neque definitionem, nec deſcriptionem dari poſſe, ſed cum diſtinctione definiendam eſſe, hoc eſt, diverſis definitionibus notionem cauſæ per accidens explicandam eſſe. Vid. *diſcurſus ad tab. XI. p.m. 69.*

VII. Cæterum non moramur illos, qui eo abſurditatis prolabuntur, ut credant, nullam vocem, in propria ſignificatione adjectam alteri voci, poſſe dici determinationem alienantem, niſi determinatio alienans maneat, ſi in eadem ſignificatione tertiæ cuipiam voci, latius patenti adjiciatur. Nam contrarium vel minus periti ſexcentis exemplis teſtabuntur. Vox *corporeus* quando in propria ſignificatione voci Deus additur, nullum certe dubium eſt, quin ſit determinatio

natio alienans: Sed quis de eo dubitaret, quod eadem vox adjecta alii voci latius patenti non ſit determinatio alienans? Annon enim ſubſtantia latius patet, quam Deus, nec tamen determinatio alienans eſt, ſi dicamus: Subſtantia corporea. Hoc exemplum ideo ſubjicimus, ut ſatisfieret iſti exceptioni, quaſi ad omnem determinationem alienantem requiratur, ut ſit vox importans privationem aut expreſſam negationem.

VIII. Supereſt forte unica exceptio, vi cujus quæri poterat, qua ratione ſi *τὸ per accidens*, voci *cauſa* additum ſemper notat accidentalem quandam connexionem, *cauſa per accidens* dicatur etiam reſpectu ejus, quod cum effectu per ſe neceſſario vel ut plurimum cohæret? Et certe ſolutione digna videtur hæc exceptio: non enim negari poteſt, utrumque ab *Ariſtotele* aliiſque magni nominis Philoſophis aſſeri. Ita ſi tollam lapidem utri in aqua impoſitum, duplex datur motus: unus lapidis, alter utris. Illius ego ſum cauſa per ſe, hujus vero ſum ratione influxus cauſa per accidens, quia in utrem ut ſurſum feratur, ego non influo (ut recepta dictione utamur) hoc eſt, utrem phyſice non moveo, ſed totus ille phyſicus motus utris eſt ab inſita utris levitate. Hic tamen poſterior motus, quo nempe uter ſurſum fertur, neceſſario & ſemper connectitur cum priori mo-



Digitized by Google

tu, quo lapis tollitur. Hoc exemplum adfert *Ariſtoteles 8. Phyſ. t. 32.* Et certè innumera talismodi exempla adferri poterant. Qui funem diſſecat, cui lapis alligatus erat, eſt ratione influxus cauſa efficiens per accidens, ut lapis deorſum moveatur, utut toties lapis decidat, quoties funem quis diſſecat. Qui Sole ſplendente removet valvas, eſt ratione influxus cauſa efficiens per accidens, ut conclave illuminetur, quod tamen toties illuminatur, quoties ſplendente ſole valvæ removentur. Qui ſplendente Sole contra intentionem valvas protrudit, is ſimpliciter dicitur cauſa per accidens ex parte effectus, nempe reſpectu illuminati conclavis, nec tamen negari poteſt, illuminationem conclavis cum effectu per ſe ſemper cohærere, ſive iſte effectus per ſe fuerit intentus a protrudente, ſive minime. Interim quia hanc difficultatem more ſuo, hoc eſt, accurate ac perſpicue ſolvit *B. Stalius*, verba laudatiſſimi Doctoris adſcripſiſſe ſatis eſto. Ita verò ille *diſputat de cauſis per ſe & per accidens §. 32. Certe ſi accidens dicitur non tantum id, quod raro alicui competit, ſed & illud quod ſemper vel ſaltem ut plurimum, quale eſt nigredo reſpectu corvi & frigidum reſpectu aquæ, quidni & Philoſopho licuerit in cauſis per accidens eas collocare, quarum actionibus aut effectibus ſemper vel ut plurimum aliquid accidit, inprimis cum* illis

Digitized by Google

*illis, qui hæc in parte diverſum ſentiunt, nullæ, quod ſciam, ſuppetant rationes?* Hæc B. *Stalius* his verbis *quidni & Philoſopho licuerit?* reſpiciens ad doctrinam *Ariſtotelis*, utpote qui caſum & fortunam dixerat *cauſam per accidens in iis quæ nec ſemper nec ut plurimum fiunt* 2. *Phyſ. t.* 56. & 57. His enim verbis *Ariſtotelis* meritiſſimus Vir hanc ἐπίκρισιν §. præcedenti 29. laudatæ diſſertationis adjecerat: *Quod ſi cauſa per accidens non reſpicit niſi ea, quæ raro accidunt, idque de ratione ejus eſt, jam in voce cauſa per accidens includitur, quod ſit in iis, quæ non ſemper nec ut plurimum fiunt: Ut quid igitur Philoſophus poſteriora hæc verba addidit?*

## §. 5. *Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus* triplex datur:

Una *ratione influxus tantum*, quam etiam *cauſam per accidens phyſicam excluſive ſumtam* vocant: Altera *ratione intentionis tantum*, quam *cauſam per accidens moralem excluſive acceptam nuncupant*: Tertia *ratione influxus & intentionis ſimul*, quam *cauſam per accidens phyſicam & moralem ſimul* appellant.



Digitized by Google

*NOTÆ.*

I. Placuit hanc diſtinctionem tot ſeculorum uſu probatam ac receptam ( Non enim nova eſt & anteactis temporibus inaudita) retinere: Alias facilius, nec fortaſſis inutiliter licuiſſet dichotomia uti, ita ut cauſa efficiens per accidens ex parte effectus *alia talis ſimpliciter & omni modo*, alia vero *talis ſecundum quid & certo modo* diceretur. Res tandem eodem redit, ſive cauſæ efficienti per accidens dichotomiam ſive trichotomiam accommodemus.

II. Priusquam vero de allatæ diſtinctionis indole ac veritate diſpiciamus, ordo instituti jubet ſingula membra fideliter explicare, ut de mente tot ac tantorum clariſſimorum Virorum, qui eandem uſurparunt, probarunt, laudarunt, illis Metaphyſices cultoribus conſtare poſſit, qui paſſi fuerunt ſe adduci, ut crederent hancce trimembrem diviſionem eſſe & falſiſſimam, & abſurdiſſimam, & prorſus impiam blasphemamque.

§. 6. *Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta eſt, *id, quod quidem effectus, cujus cauſa per accidens phyſica excluſi-*

ve

*ut ſumta vocatur, eſt vera cauſa mediata per intentionem, adeoque vera cauſa efficiens, non tamen eſt ipſius vera cauſa efficiens immediata:* E.gr. cum quis Sole lucente & conclavi undique clauſo removet valvas feneſtrarum, ut conclave illuminetur. Iſte enim qui removet valvas hac intentione, ut conclave illuminetur, eſt per intentionem, cujus efficacia ſe per remotionem impedimenti exerit, vera cauſa luminis in conclavi producti, ſicque hujus effectus vera cauſa efficiens eſt & rectiſſime dicitur: Quia tamen hujus effectus eſt cauſa efficiens mediata, non vero immediata, hoc eſt, ipſe in hunc effectum, nempe lumen in conclavi productum (ut *Metaphyſici* loqui amant) immediatum influxum non præſtat, cum homo removens valvas nullam prorſus

vim illuminandi habeat, ipſaque illuminatio per ſe a Sole ſit, ideo dicitur luminis in conclavi producti cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum.

## N O T Æ.

I. *Cauſa per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* ab aliis ita deſcribi ſolet: *Eſt id cum cujus vero & per ſe intento atque immediate producto effectu conjugitur effectus alius, itidem intentus, in quem tamen phyſice non influit.* Solet etiam brevitatis gratia hæc formula adhiberi: *Intendit quidem effectum* (cujus cauſa per accidens dicitur, propterea quod cum effectu ejus per ſe, in quem influit, conjungitur) *ſed in eum non influit.* Res tandem eodem redit, modo notetur, quod quando de *cauſa efficiente per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* agitur, ſemper unice uniceque reſpectus haberi debeat ad illum effectum, cujus nempe *cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum* vocatur, & ad *immediatum* (ut vocant) *influxum in iſtum effectum.* Ita in modo allato exemplo, effectus iſte, ad quem reſpicere neceſſum habemus, eſt lumen in conclavi productum, ipſeque immediatus influxus eſt immediata lumi-

luminis productio ſeu illuminatio: Jam quia removens valvas non illuminat conclave, ideo licet clariſſime advertere accidentalem connexionem illuminationis conclavis cum remotione valvarum. Dum enim ipſe removet valvas, remotio valvarum eſt effectus per ſe ipſius removentis tanquam cauſæ efficientis immediatæ, hoc eſt, talis cauſæ unde immediate procedit, illuminatio vero conclavis accidit aut cohæret remotioni valvarum; hoc eſt, illuminationis cauſa efficiens immediata is qui removet valvas non eſt, & ideo dicitur cauſa efficiens per accidens ratione immediati influxus. Cur vero cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione immediati influxus tantum dicatur, facile datur aſſequi, quia ratione mediati influxus adhuc eſt vera cauſa efficiens per ſe ex parte effectus, nempe cauſa moralis removens impedimentum, quæ ſane vera cauſa efficiens eſt, quia eſt cauſa per veram actionem, nempe intentionem, non tamen eſt cauſa efficiens immediata, ſed mediata, hoc eſt mediatum influxum præſtans ſeu mediante alia cauſa principali cauſans, ceu ex doctrina de cauſa morali in præcedentibus capitibus abunde tradita liquet.

II. Ut rectius utiliusque hæc percipiantur, ulterius obſervamus (quod obſervatu digniſſimum credimus) primario, abſolute

ac ex uſu loquendi maxime & præ cæteris recepto *cauſam efficientem per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* dici omnem ac ſolam cauſam moralem, cum omnis & ſola cauſa moralis ſit primario ac propriiſſime ſic dicta cauſa mediata per intentionem. Interim quia *intentio* ſecundario ac minus proprie etiam brutis tribuitur, ideo bruta quoq; (ſecundaria quadam ac minus propria appellatione) horum illorumve effectuum cauſæ efficientes per accidens ex parte effectuum ratione influxus tantum a quibusdam Doctoribus dicuntur. Ita quando canis ad fornacem accurrit & recubat ut calefiat, non tantum ſubjectum ſive materia caloris recepti, ſed & vera ejus cauſa efficiens eſt, neque tamen in ipſum influit, neque quia ratione caret, cauſa ejus moralis eſt, unde vocatur iſtius effectus (caloris in corpore ſuo producti) *cauſa efficiens per ſe ratione intentionis*, vocabulo hoc in laxiori minusque propria ſignificatione, cujus modo mentionem fecimus accepto, prout non tantum *actum voluntatis*, ſed & *appetitus ſenſitivi*, quem vocant, complectitur. Quod exemplum eſt *D. P. Muſæi Inſtitut. Metaph. cap. XI. §. 13.* Hoc igitur ſenſu admiſſo canis dicendus eſſet caloris in ſe producti *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum*, quia accurrit ad fornacem & recubat, qui eſt effectus

ctus per ſe canis tanquam cauſæ efficientis immediatæ, cum quo conjungitur calefactio, quæ per ſe a cane non eſt, cum canis ad fornacem accurrens & recubans nullam vim calorem in ſe producendi habeat. Conferatur ſeq. cap. *XIII.* §. 44. laudatarum *Inſtitutionum*. Quid quod celebres Philoſophi etiam rebus nulla potentia cognoſcendi præditis adeoque omnis cognitionis expertibus intentionem tribuunt: E.gr. materiæ docente Ariſtotele *appetitum* (intentionem) formæ i.e. inclinationem ad formam. Et tegulæ, dum tempeſtate a tecto abrepta delabitur, appetitum aut intentionem quietis in terra. Vid. *D. Petrus Muſæus cit.* §. 13. *cap. XI.* Quæ acceptio longe laxior & minus adhuc minusq; propria eſt.

III. Quæ *nota præcedenti* de varia intentionis acceptione recenſuimus, unice ea fini allata ſunt, ut conſtare poſſit, *cauſam efficientem per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* nunc latius patere quam *cauſam per accidens phyſicam excluſive ſumtam*, nunc vero latius patere *cauſam per accidens phyſicam excluſive ſumtam* quam *cauſam efficientem per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum*, prout quis diverſimode utitur hiſce terminis, ut tamen in alia acceptione adhuc pro terminis æquipollentibus ſalva veritate habeantur. Nam quia etiam verus influxus

da-

datur, qui non eſt immediatus, ſed mediatus, ſane ſi brutis omnibusque aliis rebus ratione carentibus quis intentionem tribuere noluerit, utique bruta aliæque res certorum effectuum dici poterunt *cauſæ efficientes per accidens ex parte effectuum ratione influxus tantum*, intellige *ratione influxus immediati tantum*, ut tamen non ſint *cauſæ per accidens phyſicæ excluſive ſumtæ*. Ratio eſt, quia *cauſa per accidens phyſica excluſive* ſumi dicitur, quando excludit cauſam per accidens ratione intentionis, ſimul tamen includit ſeu arguit cauſam per ſe ratione intentionis, ut ex exemplo removentis valvas ſupra allato liquet: Iſte namque erat ſimul cauſa per ſe ratione intentionis. Sed quomodo *cauſæ per ſe ratione intentionis* dici poterunt, quibus omnis intentio denegatur? Unde quibus hæc explicatio arridet, vocabunt e. gr. canem (cujus exemplum *nota 2.* tradebatur) caloris in ſe producti cauſam per accidens phyſicam & cauſam per ſe phyſicam: Cauſam per accidens phyſicam immediatam, cauſam per ſe phyſicam mediatam. Nec eſt quod dicatur, cauſam phyſicam per accidens cum immediatam tantum, cum mediatam tantum eſſe cauſam per accidens ratione influxus tantum. Nam utut hoc veriſſimum ſit, non tamen ex mente eorum, qui cauſam efficientem per accidens ratione influxus tantum & cauſam per accidens

dens phyſicam excluſive ſumtam pro iiſdem habent, hoc dici poterat, quia hi *cauſam phyſicam* hoc modo definiunt: *Cauſa phyſica eſt cauſa per actionem immediatam*. Seu ut alii efferunt: *Eſt cauſa quæ effectum ſuo influxu immediate attingit & producit*.

IV. Vidimus, qua ratione *cauſa per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* a *cauſa per accidens phyſica tantum* ut latius ab anguſtiori ſuo modo diſtingui poſſit: Nec vero difficile erit oſtendere, qua ratione inverſus ordo obtineat, ſi iterum aliter iidem termini capiantur. Nam ſi *cauſa per accidens phyſica tantum* ea dicatur, quæ non eſt cauſa efficiens *phyſica immediata* (quippe ſunt, quibus diviſio *cauſæ phyſicæ in immediatam & mediatam* non diſplicet) ſive alias ſit *cauſa mediata per intentionem*, ſive *abſque intentione*, e contrario *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* præciſe ea dicatur, quæ intendit, nec tamen influit, id eſt, quæ eſt *cauſa moralis per ſe*, quisque aſſequitur, aliquid poſſe eſſe *cauſam efficientem per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum*, ut tamen non ſit *cauſa per accidens phyſica tantum*. E. gr. ventus dejiciens tegulam qua homo vulneratur, eſſet cauſa per accidens phyſica tantum, quia eſſet cauſa efficiens phyſica non immediata, ſed mediata, nec tamen eſſet ea cauſa per accidens ex parte effectus

ratio-

Digitized by Google

ratione influxus tantum, quia eſſet cauſa mediata abſque omni intentione.

V. Cæterum ſive *cauſa per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* ſumatur in laxiori ſignificatu & *cauſa phyſica per accidens excluſive ſumta* in arctiori; ſive hæc in laxiori, illa in arctiori, vix tamen ullum adeo magnum uſum hæc diviſio Moralium ut & Juris ac Theologiæ Cultoribus promittit. Cui enim uſui in *ſuperioribus*, quas vocant, *Facultatibus* erunt hujusmodi diſputationes: Num canis ad fornacem accurrens & recubans ut calefiat; vel etiam planta excernens ſemen, ut ſibi ſimilis planta iterum aliam ſibi ſimilem generet; horum effectuum cauſæ per accidens ex parte effectuum ratione intentionis tantum, an cauſæ phyſicæ per accidens tantum, an utroque nomine nuncupari, an denique veræ cauſæ phyſicæ, nec ne dici queant? Et hoc forte movit multos Doctores, ut cauſam per accidens ex parte effectus *ratione intentionis* propriiſſime ſic dictæ & *influxus* immediati, quem phyſicum appellarunt, diſtinguerent, plane ſecuri de laxioribus *intentionis* & *influxus* ſignificationibus.

VI. Et ut finem explicandi faciamus, hoc omnino certiſſimum relinquitur, omnem *cauſam moralem per ſe* recte & proprie ſic dictam illius effectus, cujus eſt dicitur cauſa moralis, eſſe *cauſam efficientem per accidens ratione*

tione

Digitized by Google

tione *influxus tantum* ſeu *cauſam per accidens phyſicam excluſive ſumtam*. Sumimus *cauſam moralem* in ea ſignificatione, in qua indolem ejus ac genuinam rationem & modos ſupra *cap. 22. & quatuor ſeqq.* prolixe expoſuimus. Interim quamvis hæc propoſitio ſit veriſſima: *Omnis cauſa moralis per ſe* (ita ſumta, ut modo eam expoſuimus) *eſt ejusdem effectus cauſa phyſica per accidens*; Non tamen valet vice verſa: *Omnis cauſa phyſica per ſe eſt cauſa moralis per accidens.* Quo de in ſequentibus diſpicietur.

VII. Uſum ergo doctrinæ de *cauſa efficiente per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* ſeu de *cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta* monſtrare eſſet ea omnia quæ tot *capitibus not. præced.* citatis expoſuimus, reducere hucque transferre.

§. 7. Quæritur: ***numne cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta ſit vera cauſa?*** Reſpondetur: Qua talis ſeu quatenus non præſtat phyſicum influxum in effectum, non eſt vera cauſa (phyſica ſcilicet.) Ratio eſt, quia nihil eſt ve-

ra

ra cauſa phyſica, niſi præſtet verum influxum phyſicum in effectum: Eſt tamen vera cauſa, ſi aliter ſpectetur, nempe ratione intentionis, quatenus nempe ejusdem effectus eſt per intentionem vera cauſa mediata.

*N O T Æ.*

I. Teneantur ea, quæ *tribus ultimis notis ad §. præcedentem* diſſeruimus.

II. Notetur bene, ſermonem in *præſenti* §. eſſe de eodem effectu. Sumamus exemplum præcedenti §. adhibitum: Cum quis Sole lucente & conclavi undique clauſo ea intentione removet valvas, ut illuminetur conclave, eſt & non eſt ejusdem effectus, luminis in conclavi producti vera cauſa. *Non eſt vera cauſa phyſica* quod ita probatur: Quicquid non præſtat influxum phyſicum, illud, quatenus tale, ſeu quatenus non præſtat influxum phyſicum, non eſt vera cauſa. Atqui cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta non præſtat influxum phyſicum. E. cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta, quatenus talis ſeu quatenus non præſtat influxum phyſicum, non

non eſt vera cauſa. Major eſt manifeſta, modo repetatur, quod ſupra annotavimus, nempe per cauſam phyſicam intelligi cauſam efficientem, quæ immediate producit effectum, atque influxum phyſicum ſeu influxum cauſæ efficientis immediatum. Minor tam vera eſt, ut propoſitio contradictorie ipſi oppoſita contradictionem involvat, lubet tamen eandem exemplo illuſtrare. Quis quæſo dixerit removentem valvas ea intentione ut conclave illuminetur, præſtare influxum phyſicum, hoc eſt, actione ſua immediate producere lumen in conclavi: Si hoc ita eſſet, tunc removere valvas & illuminare conclave eſſent realiter unus idemque motus phyſicus. Jam vero removens valvas ea intentione, ut conclave illuminetur, eſt cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum ſeu eſt cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta. *Eſt vera cauſa*, quod probari poteſt hunc in modum: Quicquid præſtat verum influxum, illud eſt vera cauſa. Atqui cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta, ſi non ſpectetur, quatenus non præſtat influxum phyſicum, ſed quatenus ea intentione removet impedimentum, ut cauſa phyſica influxum in effectum præſtet, præſtat verum influxum. E. cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum ſeu

cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta ſi non ſpectetur, quatenus non præſtat influxum phyſicum, ſed quatenus ea intentione removet impedimentum, ut cauſa phyſica influxum in effectum præſtet, eſt vera cauſa. Major eſt evidentiſſima. Minor patet. Nam quatenus quis ea intentione removet impedimentum, ut cauſa phyſica influxum in effectum præſtet, eatenus is verum influxum præſtat mediatum: Supra namque *cap. 22 & ſeq.* prolixe demonſtravimus & influxum mediatum eſſe verum influxum, & cauſam moralem qua talem præſtare verum influxum mediatum. Jam vero nequit negari, quod is qui removet valvas ea intentione, ut conclave illuminetur, ſit luminis in conclavi producti cauſa moralis ſeu cauſa libera mediata. Et quod in hoc exemplo procedit, de omnibus cauſis efficientibus per accidens ratione influxus tantum ſeu cauſis per accidens phyſicis excluſive ſumtis dictum eſto.

III. Regeri ab incipiente aut minus perito poterat, hæc eſſe maniſeſto contradictoria: Idem reſpectu ejusdem effectus ſimul eſſe veram cauſam, & non eſſe veram cauſam. Sed reſponſio facilis eſt. Scilicet falſiſſimum eſt ſtatim dari vera contradictoria, ſi idem reſpectu ejusdem ſit tale & non tale: Aliud enim eſt *reſpectu ejusdem*, & aliud *reſpectu eodem*, quæ duo non raro turpiter confundun-

tur.

tur. Omnino *ejusdem effectus reſpectu* talis cauſi efficiens per accidens ex parte effectus ſeu cauſa per accidens phyſica excluſive ſumta *tus eſt vera cauſa*, & *eſt vera cauſa*: e. g. removens valvas ea intentione ut conclave illumiretur, eſt *reſpectu ejusdem effectus* vera cauſa & non cauſa: At non eſt *eodem reſpectu vera cauſa* & *non vera cauſa reſpectu ejusdem effectus.* Eſt enim *reſpectu ejusdem effectus*, nempe luminis in conclavi producti, *vera cauſa*, vera ſcilicet cauſa *moralis*, vera cauſa efficiens *mediata*: Non vero ſalva veritate dici poteſt, quod eodem reſpectu non ſit vera cauſa reſpectu ejusdem effectus, hoc eſt, quod non ſit vera cauſa moralis, vera cauſa efficiens mediata: licet veriſſimum maneat, quod ejusdem effectus reſpectu non ſit vera cauſa alio reſpectu. Scilicet non eſt luminis in conclavi producti vera cauſa efficiens phyſica, vera cauſa efficiens immediata.

§. 8. *Cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum* ſeu *cauſa moralis per accidens excluſive accepta* eſt *id quod effectus iſtius* (cujus nempe cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens

dens excluſive accepta vocatur *vera cauſa efficiens per ſe phyſica eſt, non tamen eſt cauſa phyſica libera.* Ex. gr. Findens ligna lædit quendam a tergo ſtantem, quem ſtare ibi neſciverat nec ſcire debuerat, ideo dicitur inflicti vulneris cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantū ſeu cauſa moralis per accidens excluſive accepta, eſtq; inflicti vulneris vera cauſa efficiens per ſe phyſica, nec tamen eſt cauſa phyſica libera.

*NOTÆ.*

I. Ab aliis deſcribitur: *Eſt cum cujus effectu vero & per ſe intento conjungitur effectus non intentus, in quem phyſice influit.* Item, *quæ effectum non intendit, in eundem tamen influit.*

II. Non eſt, cur prolixe moneamus, reſpectum habendum eſſe ad eundem effectum, item quid per cauſam phyſicam hoc loco intelligatur, cum hæc omnia nota ſint ex præcedentibus.

III. Unde *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum* hancce ſuam appellationem habeat, quisque ſtatim aſſe-

Digitized by Google

aſſequitur. Scilicet, quia eſt cauſa efficiens mi effectus quem non intendit: Iſte tamen effectus, quem non intendit, accidit aut cohæret effectui per ſe, quem intendit. E. gr. findens ligna eſt fiſſionis cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus & ratione intentionis: Ratione influxus, quia immediate producit hunc effectum; Ratione intentionis, quia ſciens & volens attollit & deprimit ſecurim, lignaque ex intentione findit: Cum hoc vero effectu per ſe ratione influxus & intentionis accidentaliter connectitur alius effectus, nempe vulnus inflictum, & hujus certe findens ligna æque eſt cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus, atque illius, quia æque hunc effectum atque illum immediate producit. Quia igitur utriusque effectus eſt cauſa efficiens per ſe cum hoc diſcrimine, ut unius, nempe fiſſionis lignorum ſit ſimul, ut effectus a ſe intenti, vera cauſa efficiens ſicque cauſa efficiens ratione intentionis ac per intentionem, alterius vero, nempe læſionis ut effectus a ſe intenti cauſa non ſit, ſicque læſionis non ſit cauſa efficiens ratione intentionis ac per intentionem, ideo vocatur cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum. Caveat interim Philoſophiæ primæ cultor, ne *cauſam phyſicam* confundat cum *cauſa naturali* prout ſupra *cap. 17.* a nobis



Digitized by Google

bis ſumebatur. Nam illic *cauſa naturalis* opponebatur *cauſæ liberæ:* Hic vero minime. E.gr qui ſciens & volens findit ligna, is recte eſt & dicitur cauſa libera fiſſionis lignorum, & eſt quoq; cauſa phyſica, non tamen eſt cauſa naturalis ita ſumta, ut cauſæ liberæ opponi tur. Imo ſi *in rigore* ſumatur cauſa per accidens ratione intentionis tantum, nulla cauſ phyſica eſt cauſa per accidens ratione intentionis tantum, niſi ſit cauſa phyſica libera. Dico ſi *in rigore* ſumatur: Non enim quæ circa §. 6. prolixe notavimus nunc totidem verbi repetere licet. Sane inveniuntur doctiſſimi Vi ri, qui negant omnem *cauſam per accidens ratione intentionis tantum* eſſe *cauſam phyſicam liberam:* Et dum hoc ſtatuunt, laxiorem ſignificationem vocis: *intentio;* urgent. E.g. quando canis petens carnem una ex improviſo mor det heri digitum, dicunt canem læſi digit cauſam per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum, eo quod intenderat ſo lummodo devorare carnem, cum quo effe ctu per ſe & intento alter effectus, per ſe non tamen intentus, nempe morſiuncula illa, qu *Plauti in Pſeud.* dictio eſt, conjungebatur. It quando tegula de tecto delapſa caput præte euntis vulnerat, hanc quoque hujus læſion cauſam per accidens ex parte effectus ration intentionis tantum appellant. Dicunt enin quod tegula in tali caſu intendat motum, ſe

utάύϱως loqvuntur, velit deorſum ferri, atque præter intentionem tegulæ cum ipſius effectu conjungatur alius effectus, dum nempe caput prætereuntis graviter vulnerat.

IV. Egimus *præcedenti nota* de appellatione *cauſæ efficientis per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum*: Sed majorem fortaſſis & certe prolixiorem explicationem exigit altera appellatio, quando nempe *cauſa moralis per accidens tantum* vocabatur, de qua *infra* dicetur.

§. 9. Quæritur: *Num cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive accepta ſit vera cauſa?* Reſpondetur: Quatenus talis non eſt vera cauſa efficiens libera, quia omnis vera cauſa libera eſt cauſa per intentionem. Eſt vera cauſa efficiens phyſica, quia effectum iſtum non intentum (cujus cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſi-

ve accepta dicitur) immediate producit.

## NOTÆ.

I. De eodem effectu hic iterum ſermo eſt. Repetamus allatum exemplum: Vulneris inflicti is, qui inter findendum præter omnem intentionem a tergo ſtanti infligit, quatenus eſt & vere dicitur cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu quatenus eſt cauſa moralis per accidens excluſive ſumta, non eſt vera cauſa, quatenus tamen phyſice vulnus infligit, eſt vera cauſa.

II. Cauſam per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſam moralem per accidens excluſive acceptam, *qua talem non eſſe veram cauſam* (intellige *liberam*) probatur ſequenti ſyllogiſmo: Quicquid non habet intentionem effectus, illud quatenus tale, ſive quatenus non habet intentionem effectus, non poteſt eſſe vera cauſa libera. Atqui cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive ſumta non habet intentionem effectus, cujus cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive accepta vocatur. E. Cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per ac-



Digitized by Google

accidens excluſive ſumta non eſt vera cauſa libera. Major probatur, quia omnis cauſa efficiens libera eſt cauſa per intentionem. Minori contradictorie oppoſita propoſitio maniſeſtiſſimam contradictionem involvit. E. gr. ideo ſindens ligna vocatur cauſa efficiens per accidens læſionis ratione intentionis tantum, quia non habet intentionem læſionis. Idem de omnibus aliis exemplis judicium eſto.

III. Cauſam per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſam moralem per accidens excluſive acceptam eſſe veram cauſam, probatur ſequenti argumento: Quicquid verum influxum phyſicum præſtat, illud eſt vera cauſa phyſica. Atqui cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive accepta verum influxum phyſicum præſtat. E. Cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive accepta eſt vera cauſa. Major nulla eget probatione. Minor facile patet; E.gr. ſindens ligna verum præſtat influxum, quia immediate infligit vulnus. Idem in omnibus aliis exemplis obtinet.

§. 10. *Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione utriusque*, hoc eſt, influxus & intentio-

 nis

nis ſimul, ſeu *cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul* eſt *id, cum cujus vero & intento effectu per ſe accidentaliter cohæret aut conjungitur alius cauſæ effectus, cujus* (id quod cauſa per accidens ratione utriusque ſeu cauſa phyſica & & moralis ſimul vocatur) *nullatenus* (nulla prorſus ratione nulloq; modo) *eſt vera cauſa*: Ex.gr. Qui tollit lapidem utri in aqua impoſitum, quem ipſi impoſitum eſſe ignorat, & hoc ipſo non eo fine tollit, ut uter ſurſũ feratur, & innatet, dicitur is motus utris ſurſum facti cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu cauſa per accidens & phyſica & moralis. Ratione intentionis, quia nec ſcit, nec ſcire debuit lapidem eſſe utri impoſitum. Ratione influxus, quia ipſe in utrem, ut ſurſum feratur, non influit

ſtuit, ſed totus ille motus eſt ab inſitu utris levitate, cujus tamen motus utris dicitur cauſa per accidens ex parte effectus, quia motui quo ipſe lapidem tollit, accidentaliter cohæret.

*N O T Æ.*

I. Nihil amplius dicemus de laxiori *intentionis* voce, qua nempe ratione etiam bruta, item plantæ resque inanimatæ certorum effectuum cauſæ efficientes per accidens ratione influxus & intentionis ſimul dici queant: Nam ut ſupra monuimus, hæcce talia vix ullum uſum in practicis ſtudiis præſtant.

II. Ex ante dictis facile quoque colligi poterit, qua ratione ſic extendi notio cauſæ efficientis per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul poſſit, ut latius quam cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul pateat.

§. II. Quæritur: *Num cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis & influxus ſimul ſeu cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul ullo modo ſit*

*ſit vera cauſa?* Reſpondetur; nullo certe modo nullaque ratione. Aut enim eſſet cauſa phyſica, aut cauſa moralis. Sed non eſt phyſica, quia nullum influxum phyſicum præſtat. Nec eſt moralis, quia non habet intentionem effectus. E. nullatenus eſt cauſa.

***NOTÆ.***

I. Non opus eſt ut probationem allatam in ſyllogismi formam redigamus, utpote quæ ex ſyllogismis §. 7. & §. 9. adductis facile cognoſcitur.

II. Metuimus, ne lectorem ſtuporis inſimulemus, ſi toties repetamus, de uno eodemque effectu, & quidem illo, cujus cauſa per accidens ex parte effectus inquiritur, ſermonem eſſe. Alias nemo tam ſtupidus eſt, quin aſſequi valeat, etiam cauſam per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu cauſam per accidens phyſicam & moralem ſimul eſſe reſpectu alius effectus veram cauſam efficientem per ſe ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu veram cauſam per ſe phyſicam & moralem ſimul. E. g. is qui in *præcedenti §.* vocabatur cauſa efficiens per accidens ex parte

te effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul reſpectu iſtius motus, quo uter ſurſum ferebatur & innatabat aquis, reſpectu alterius motus, quo nempe lapidem tollebat, quem utri impoſitum eſſe penitus ignoraverat, erat veriſſima cauſa efficiens per ſe ratione influxus & intentionis ſimul, ſeu cauſa per ſe phyſica & moralis ſimul.

III. Non igitur hæc duo inter ſe pugnant: *Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul nullo plane modo nullaque ratione eſt vera cauſa:* Et *cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul ſeu cauſa per accidens phyſica & moralis ſimul eſt vera cauſa.* Item, *nec formaliter nec materialiter eſt vera cauſa:* Et *materialiter eſt vera cauſa.* Nam reſpectu diverſorum effectuum hæ duæ negationes duæque affirmationes intelliguntur. Non eſt vera cauſa, nec formaliter nec materialiter, reſpectu illius effectus, cujus cauſa per accidens ratione utriusque dicitur: Reſpectu alius effectus eſt vera cauſa, ſed dum ſic ſpectatur, non amplius ſpectatur formaliter ſeu ut cauſa per accidens ex parte effectus.

IV. Cæterum quod de cauſa efficiente per accidens ratione influxus tantum, item ratione intentionis tantum, in præcedenti-

bus

bus §§. diximus, quod reſpectu ejusdem effectus diverſo reſpectu ſint cauſæ per ſe & per accidens, hoc contra omnem veritatem de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus, ut *hoc* §. ſpectatur, dicetur.

V. Et ſic *hoc & præcedenti* §. de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus *ſimpliciter, abſolute ac omni modo tali: in* §§*is* vero *prioribus* de cauſis efficientibus per accidens ex parte effectus *certo modo ac ſecundum quid* talibus disquiſitum fuit.

§. 12. Egimus huc usque de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus, nec vero dubium eſt, quin nunc facilius cognoſci poſſit, quotuplex ſit *cauſa efficiens per ſe ex parte effectus*? Nempe alia eſt *talis ratione influxus tantum*, quam etiam *cauſam phyſicam per ſe excluſive ſumtam* vocant: alia eſt *talis ratione intentionis tantum*, quam *cauſam moralem per ſe excluſive ſumtam* nominant: alia eſt *talis ratione influxus & intentionis ſimul*

*mul*, quam *cauſam per ſe phyſicam & moralem ſimul* appellant.

§. 13. *Cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantũ ſeu cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta eſt id quod immediate influit in effectum, non intentum* h. e. cauſa efficiens immediata effectus iſtius, cujus cauſa efficiens per ſe ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica excluſive ſumta dicitur. E. gr. qui ligna findit & lædit a tergo ſtantem, quem ibi ſtare neſciverat, eſt vulneris a tergo ſtanti inflicti cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica excluſive ſumta.

*NOTÆ.*

I. Cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta dupliciter ſumi poteſt: 1. in ſtrictiori magisque relativo ſenſu, prout nempe hoc loco illud dicitur cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta,

*quod*

*quod ſimul ejuſdem effectus eſt cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per accidens excluſive ſumta.* E.gr. cum quis ſindit ligna & præter intentionem lædit a tergo ſtantem, is læſionis iſtius eſt ſimul cauſa efficiens per ſe ex parte effectus & cauſa efficiens per accidens ex parte effectus: Cauſa per ſe ratione influxus tantum ſeu cauſa per ſe phyſica excluſive ſumta: Cauſa per accidens ratione intentionis tantum ſeu cauſa per ſe moralis excluſive accepta 2. in laxiori minusque relativo ſenſu, prout ſcilicet id vocatur cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta, quod plane non eſt cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa per accidens moralis excluſive ſumta: Qualiſmodi cauſæ per ſe ex parte effectus ratione intentionis tantum erunt omnes cauſæ efficientes immediatæ, quæ nempe ratione carent, multoque magis, quæ omni prorſus potentia cognoſcendi deſtituuntur, niſi in magis magisque laxa ſignificatione etiam illis intentio tribuatur.

II. Quæ amplius dici poterant, ea ſupra §. 6. explicuimus, ad quem ut & *c. 22.* ubi de cauſa phyſica actum eſt, lectorem benevolum remittimus.

## §. 14. *Cauſa efficiens per ſe ex*

*par-*

Digitized by Google

*parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per ſe excluſive ſumta eſt* cauſa moralis, prout quidem eam ſupra *c. XXII.* §6. difinivimus hoc eſt, *cauſa efficiens libera mediata.* E. gr. removens valvas ea intentione, ut illuminetur conclave, eſt luminis in conclavi producti cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione intentionis tantum, ſeu cauſa moralis per ſe excluſive ſumta.

*NOTÆ.*

I. Cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione intentionis tantum ſeu cauſa moralis per ſe excluſive ſumta nentiquam poteſt ita rurſus diſtingui, ut alias cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione influxus tantum ſeu cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta *not. 1. ad præced.* §. diſtinguebatur. Ratio eſt, quia ut ſupra §. 6. *not.* 6. vidimus, omnis cauſa efficiens libera mediata non poteſt non eſſe cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus (immediati) ſeu cauſa phyſica per accidens excluſive ſumta.

II. Quæ hic dici poterant de cauſa effi-

ciente per ſe ex parte effectus ratione intentionis tantum, quaſi nempe latius patens cenſeri poſſit; ita ut ratione carentia hanc quoq; appellationem ſubeant, numero tamen cauſarum moralium per ſe excluſive ſumtarum penitus exeſſe jubeantur, ex §. præcedenti huc trahere cuivis erit facile.

§. 15. Cæterum quia in tota hac materia nulla certe notio tanta laborat ambiguitate totq; errationibus dedit cauſam, atq; cauſa moralis per ſe & per accidens, utriusq; ſignificationes prout quidem cognitu utiles & neceſſariæ Moralium, item Juris & Theologiæ cultoribus exiſtunt, expendemus. Eſt vero triplex utriusque acceptio. Primo *cauſa moralis per ſe ex parte effectus* idem ſignificat, quod *cauſa efficiens libera ſeu a cujus intentione procedit effectus.*

§. 16. Cauſæ morali per ſe ex parte effectus hocce primo modo acceptæ opponitur *cauſa moralis*

per

*per accidens ex parte effectus*, quæ tamen iterum *duplex* eſt: *Una, quæ nequidem illius effectus, cum quo alter, cujus cauſa moralis per accidens audit, immediate conjungitur, libera cauſa per ſe dici poteſt.* E.gr. tegularius vento de tecto dejectus prætereuntem occidit: Ubi tegularius cædis cauſa moralis per accidens ex parte effectus vocatur. *Altera, a cujus voluntate libera procedit effectus, cum quo alter effectus, ex parte cujus cauſa moralis* per accidens dicitur, immediate conjungitur. E.gr. Mittit pater filium ſuum Lipſiam eo tempore, quo cuncta viarum exiſtimantur eſſe tutiſſima, fit tamen, ut filium, quem miſit pater, invadant prædones & ipſum ſpolient. Hic pater cauſa moralis per accidens ex parte effectus vocatur, qui tamen nihil minus eſt, quam vera cauſa.

## N O T Æ.

1. Priorem cauſæ moralis per accidens ex parte effectus notionem in allato exemplo lepide expreſſerat ipſe ob occiſum maritum, à defuncti uxore accuſatus, dum eidem riſu exceptæ hoc reſponſum dedit, quod velit viciſſim præterire, ſi ipſam tecto inſidentem ventus dejecturus ſit. Imo dantur hoc modo cauſæ morales per accidens ex parte effectus, quibus nullus plane effectus liber tribui poterat. Exemplum damus: Puerulus imitaturus lanionem, quem viderat mactare porcum, ex puerilitate (quæ *Senecæ* dictio eſt) teneriori fraterculo mortiferum vulnus inflixit: mater, quæ in inferiori ædium parte bimeſtrem filiolum laverat, triſti moribundi voce commota, cum tenerrimum ejus corpus vulneratum ferro confectumque vidiſſet, iratiſſima miſerrimum mactatorem eodem cultro transfodit: mox iterum memor puſionis in baptiſterio jacentis eum aquâ ſuffocatum invenit, ſeque ipſam ſuſpendit: Ipſi tandem marito, ſpectatori quatuor funerum, trium filiorum unicæque matris, intolerabilis mœror extinxit animam. Pontifex Romanus, Poeta alias excellentiſſimus, totam rem geſtam diſticho includere in rei memoriam tentavit, ſed fruſtra: periculum quoque fecit ſpe promiſſi præmii pauper Poeſeos cultor, nec minus infelici ſucceſſu, qui tandem

præ

præ nimia indignatione diabolo iſtud poematis genus commendans hoc diſtichon ab atro tragœdo dictatum calamo excepit:

*Sus, pueri bini, puer unus, nupta, maritus,*
*Cultello, lympha, fune, dolore, cadunt.*

In adducto exemplo puerulum natu majorem ſi quis cauſam moralem per accidens ex parte effectus dicere velit, eidem tandem non adeo refragabimur. Nam hoc certum eſt ipſum nullatenus fuiſſe cauſam moralem per ſe ex parte effectus, quia non poterat uti ſua libertate, eratq; (ſi ita loqui liceat) voluntas præſens tanquam abſens. Interim quia libertas eſſentialis eſt cujusvis hominis voluntati, negari nequit pueros etiam in numero eorum, qui libertate præditi ſunt, contineri. Magis tamen proprie cauſa moralis per accidens ex parte effectus is, qui alias libertate uti poterat, dicetur.

II. Ad poſteriorem cauſæ moralis per accidens ex parte effectus notionem illuſtrandam fortaſſis ſequens exemplum veriſſimum facit: Cæmentarius ſocium operarium demiſerat in puteum, ut cæmentitium fundamentum repararet, hic vero, ſubito exorta tempeſtate adverſa, in puteo hærens tonitrua & fulminum tactus vehementer extimeſcebat, tandem ab illo iterum extractus perfidiæ eum vehementiſſime increpuit, quod tot tantisq; fulminibus ipſum expoſuiſſet:

iſſet: mox in conclave una cum cæmentario ſe conferens fulmine percuſſus ſubito obiit. Ubi hujus interitus cauſa per accidens ex parte effectus erat, qui ea intentione alto ex puteo eum eduxerat, periculum metuens magnum ne periret, qui tamen forte non periiſſet, ſi ibi manſiſſet.

III. Hanc cauſæ moralis acceptionem nequaquam a nobis fingi, ſed in Metaphyſicorum Scholis receptam eſſe teſtatur *Suarez tomo 1. diſputationum Metaphyſicarum diſp. 17. ſect. 2. num. 6.* dum ita diſſerit: *Cauſa moraliter efficiens dupliciter dici poteſt: Aliquando enim dicitur cauſa moralis ſolum quia libere efficit: Et hoc modo cauſa moralis non omnino contradiſtinguitur a phyſica generatim ſumta, ut a nobis explicata eſt, ſed diſtinguetur a phyſica naturaliter ac neceſſario agente: Sic enim voluntas dum libere amat, vera ac phyſica cauſa eſt ſui amoris, quem tamen* MORALITER SEU LIBERE *efficit. Alio vero modo ſumitur cauſa moralis, ut diſtinguitur omnino a Phyſica &c.* Hæc *Suarez.*

IV. Et certe noluiſſemus hanc ſignificationem adferre, niſi uſus loquendi apud Moralium Magiſtros, Theologos & JCtos receptus eam adeo probaret. Ita namque nec aliter accipiunt notionem cauſæ moralis, quotquot idem agens cauſam efficientem per ſe ratione influxus tantum ſeu cauſam phyſicam per ſe excluſive ſumtam & ſimul cauſam mora-

lem

accidens unius ſcilicet ejusdemque
s reſpectu vocant.

17, Deinde *cauſa moralis*
*ex parte effectus* accipi con-
præciſe pro quavis *cauſa li-*
*mediata*; ſeu quod idem eſt,
auſa efficiente mediata per in-
onem ſtricte ſic dictam, quæ
genuina cauſæ moralis defi-
eſt, prout de ea c. XXIV. egi-
In oppoſitione ad hanc *cau-*
*ralis per accidens ex parte ef-*
*s* dici etiam poterat *illud*
*s, quod liberum eſt*, & a cujus
ntate effectus omnino proces-
d immediate, niſi uſus philo-
andi hancce locutionem fere
us repudiaret: Ex. gr. hac ra-
mandatarius quisque eſſet
moralis per accidens ex par-
ectus, v. gr. cædis mandatæ &
immediate patratæ. Imo ſic
nis cauſa phyſica, qua ſcilicet



Digitized by Google

mediante cauſa moralis effectum produxiſſet & adhuc minus impropriè cauſa phyſica libera, ex parte iſtius effectus cauſa moralis per accidens dici poſſet. Sed hæc ſignificatio in Moralibus nullius notabilis uſus eſt.

## NOTÆ.

I. Licet hæc ſignificatio cauſæ moralis per accidens ex parte effectus non ſit uſu recepta, maxime tamen uſus probat ſignificationem oppoſitam, ceu ex ſupra *p. 1270.* allato *Suareſii* loco abunde liquet, resque ipſa & quotidiana praxis hoc edocent.

II. Ne igitur huic alteri ſignificationi cauſæ moralis per ſe ſignificatio allata cauſæ moralis per accidens tanquam recepta a minus cauto primæ philoſophiæ cultore opponeretur, eam adjecimus.

§. 18. Tertio *cauſa moralis per ſe ex parte effectus* idem ſignificat quod *cauſa efficiens libera, qua ſimul agens morale eſt:* ut: cauſa efficiens homicidii quatenus eſt tale: ſive fuerit cauſa libera immediata adeo-

adeoque phyſica, ſive fuerit cauſa libera mediata, quæ alias in famoſiori ſignificatu cauſa moralis per ſe dicitur: E. gr. hoc modo cauſa moralis per ſe homicidii quispiam dicitur, qui dolo malo, ut JCti & Morales Doctores loqvuntur, cauſa occiſi hominis fuit, ſive ipſe alias manu ſua eum occiderit, ſive per alium: Et hoc tandem ſenſu ex parte effectus *cauſa moralis per accidens in rigore* 1. vocatur, *cum cujus effectu libero conjungitur effectus non liber, qui tamen alteri in genere morum tribui poteſt:* E. g. fidit quis ligna libera ſua voluntate & inter findendum a tergo ſtantem læſit hominem cœcum, quem alter dolo malo a tergo findentis collocaverat, in tali caſu is, qui hocce dolo uſus fuerat ac malitioſa fraude, ex parte damni miſero homini dati vocatur cauſa moralis

per ſe: E contrario is qui immediate cœcum læſerat, laborans ignorantia moraliter invincibili, nuncupatur recte cauſa moralis per accidens læſionis: quippe non erat cauſa libera læſionis, exiſtebat tamen cauſa libera illius motus, quo ſecurim attollebat, quem motum læſio aut damnum ſequebatur, ſed contra moventis intentionem. 2. cauſa moralis per accidens ex parte effectus hoc tertio modo etiam dicitur *is, qui plane non erat cauſa libera effectus, cum quo alter effectus, ex parte cujus cauſa moralis per accidens vocatur, conjungebatur*: e.g. commiſſa alicui gubernatori fuit cura ac defenſio navis, alius vero navem in manus hoſtium traditurus, ne defendendi eam cumque hoſte pugnandi eſſet præfecto claſſis poteſtas, ei ſoporem medicum dare coegit, reſpectu ab-

repta

reptæ navis iſte præfectus claſſis recte dicitur cauſa moralis per accidens, ut tamen ſomni, quem hæc abreptio ſequebatur, nequaquam fuerit cauſa libera per ſe.

§. 19. Quæritur *numne cauſa moralis per accidens ex parte effectus in prima & tertia ſignificatione ſit vera cauſa?* Negant accuratiores Metaphyſici & Morales Doctores iſtud conſtanter, quibus pleniſſime ſubſcribimus moti firmiſſima ratione: Nihil namq; cauſa moralis per accidens ex parte effectus dicitur, niſi effectus iſte, ex parte cujus ita vocatur, eſſentiam ſuam inde nec acceperit, nec habuerit. At unde verus effectus moralis non proceſſit in eſſe ſuo, ut Metaphyſici loqvuntur, h.e. unde effectus nec accepit nec habet eſſe ſuum, illud ex parte hujus effectus nequit eſſe, adeo-

adeoque nec ſalva veritate dici, vera cauſa moralis.

§. 20. Hæc de cauſis efficientibus per ſe & per accidens in univerſum dicta ſunto. Quam materiam eo pluribus expoſuimus, quod eam *Ariſtoteles, Græci Interpretes, Arabes, Latini Philoſophi* præſtantiſſimi & Veteres & Recentiores ita tractarunt, laudarunt, probarunt.

*NOTÆ.*

I. Mirabitur forte benevolus lector, cur hæc peculiari §. præceptique loco poſita fuerint? Sed deſinet mirari, ſi audiat, his noſtris temporibus extitiſſe, qui non erubuerunt ſuæ Philoſophiæ cultores dicam an admiratores eo adducere, ut crederent totam hancce doctrinam eſſe *Jenenſis Stalii* ac *diſcipulorum ipſius* pura puta figmenta, figmenta inutilia, abſurda, falſa ac prorſus impia. Quamvis enim hæc ſint miſera, quæ ſunt miſerrima, ipſeque communis ac perpetuus *Cl. Virorum & veteris & hujus ævi* conſenſus facile convincat eos, qui idoneos libros evolvunt: tamen alii, qui eos non aſpiciunt, non modo fidem his nugamentis habent, quæ vel affectata inſcitia vel livor & veteri ſapientiæ de-

detrahendi libido illis expreſſerat, ſed etiam famæ Virorum de Academia noſtra inſigniter meritorum poſt fata inſultant.

II. Lubet igitur ſolidis omnique exceptione majoribus teſtimoniis denuo confirmare, hanc doctrinam non eſſe novum ullius Jenenſis Profeſſoris inventum vel commentum. Explicat *Ariſtoteles* ex profeſſo, & quid ſit *cauſa efficiens per ſe & per accidens ex parte cauſæ* & quid *cauſa efficiens per ſe & per accidens ex parte effectus?* Illud quidem *l. 2. Phyſ. c. 5. text. 50.* ubi ſic diſſerit: ὥσπερ οὖν ἐστι τὸ μὲν καθ' αὑτό, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οὕτω καὶ αἴτιον ἐνδέχεται εἶναι, οἷον οἰκίας, καθ' αὑτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικόν, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸ λευκὸν ἢ τὸ μουσικόν: Τὸ μὲν οὖν καθ' αὑτὸ αἴτιον ὡρισμένον. Τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, ἀόριστον. ἄπειρα γὰρ ἂν τῷ ἑνὶ συμβαίη. *Sicut ens aliud eſt per ſe, aliud per accidens, ita etiam cauſa eſſe poteſt, ut ædium per ſe cauſa eſt, quod eſt ædificandi facultate præditum, per accidens vero album aut muſicum: Quæ igitur eſt cauſa per ſe, definita eſt, quæ vero per accidens indefinita, quoniam infinita uni poſſunt accidere.* Et *cap. 3. text. 33.* ἔτι δ' ὡς τὸ συμβεβηκὸς καὶ τὰ τούτων γένη, οἷον ἀνδριάντος ἄλλως Πολύκλειτος, καὶ ἄλλως ἀνδριαντοποιός, ὅτι συμβέβηκε τῷ ἀνδριαντοποιῷ τὸ Πολυκλείτῳ εἶναι. *Præterea dicuntur cauſæ ut accidens, & horum genera, ut puta, ſtatuæ aliter cauſa eſt Polycletus, aliter*

*ſtatua-*

*ſtatuarius quoniam accidit ſtatuario, ut ſit Polycletus.* Sequitur deinde καὶ τὰ περιέχοντα τὸ συμβεβηκός, οἷον εἰ ὁ ἄνθρωπος αἴτιος. *Et ea quæ accidens continent,* (e.gr. Polycletum) *ſunt cauſæ, ut homo eſt cauſa ſtatuæ,* (Homo quippe continet Polycletum, ut ſpecies ipſum individuum) ἢ ὅλως τὸ ζῷον, *aut omnino ipſum animal* (quod cum ſit genus *hominis, cauſa ſtatuæ dici poteſt.* Et porro: Ἔστι δὲ καὶ τῶν συμβεβηκότων, ἄλλα ἄλλων πορρώτερα καὶ ἐγγύτερα. *Sunt vero accidentium quoque alia aliis remotiora & propinquiora,* veluti ſi albus & Muſicus dicatur cauſa ſtatuæ, & non ſolum Polycletus & homo. Similiter ſe rem habere dicit Philoſophus, ἐφ' ὧν αἰτιά τὰ αἴτια τούτοις ἐπὶ τῶν αἰτιατῶν, ut explicat *Simplicius 2. Phyſic. t.35.* In *effectibus vel ratione effectorum,* ſi cauſæ conſiderentur καὶ τὰ μὲν καθ' αὑτό, τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ait idem, ὅσα φησὶν ἐπὶ τῶν αἰτίων εἴπομεν, τὰ αὐτὰ καὶ ἐπὶ τούτων ἐροῦμεν, ὧν αἴτια αἰτιά εἰσι λέγω δὴ τὰ αἰτιατά, *quæ de accidentibus cauſarum dicuntur ea quoque de accidentibus effectuum intelligenda veniunt.* Sicut enim quod accidit cauſæ dicitur cauſa per accidens, ſic quod accidit effectui, effectus per accidens. Conf. *Lib. XI. Metaph. totum caput ſeptimum.* Variant autem iſtæ conjunctiones, ut *d.l.* docet *Ariſtoteles:* Nam & neceſſarium nexum effectus & accidens quodammodo habere poteſt, ut ſi quis columnam moveat, ſimul etiam

etiam lapidem ſuperimpoſitum movebit, ſed per accidens, quia accidit columnæ habere ſibi impoſitum lapidem; vel ſi quis ab utre in aqua lapidem removeat, per accidens ipſum utrem movebit, quia accidit utri lapidem ipſi eſſe impoſitum; quæ exempla habet *Ariſtoteles lib. 8. Phyſ. text. 32. Quodammodo movet,* inquit, *quodammodo non: Movet enim per accidens, καθ' αὑτὸ μὲν γὰρ οὐ κινεῖ ἀλλὰ γὰρ τὸ προηγουμένως ἐνεργεῖ, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κινεῖ,* ait, *Simplicius in iſtum locum;* quemadmodum qui pilam ad parietem projicit, ille quidem movet, at paries non movet, ſed dicitur movere per accidens, cum obſiſtit, ut reſiliat pila. Sic omnia impedimenta & removentia prohibens dicuntur cauſæ per accidens reſpectu ejus, quod accidit effectui, ut ſat perſpicue explicat eundem locum Paraphraſtes Ariſtotelis κατ' ἐξοχὴν ſic dictus *Themiſtius* (qui ſeculo quarto a nato Chriſto floruit) in brevi ac eruditiſſima ſua *paraphraſi in libros Ariſtotelis Phyſicos,* & *Johannes Philoponus cognomento Grammaticus* qui vixit ſeculo VI. (condiſcipulus *Simplicii:* uterq; enim præceptorem habuit. *Ammonium,* qui ad differentiam Ammonii Sacci *Hermias* a Patre vel ab eloquentia dictus eſt) eruditiſſimis *commentariis in Phyſicos libros.* Hoc modo & nauta ſua abſentia eſt cauſa ſubmerſionis navis per accidens, quod exemplum habet *Ariſtoteles lib. 5. Metaph.*

*taph.*

*taph. c. 2.* & *lib. 2. Phyſic. text. 30.* Interdum ex mente Philoſophi raro aliquid accidit cauſæ vel effectui, veluti ſi figulo ollam facture opus pereat ſub manibus; Et huc pertinet fortuna, quam *Ariſtoteles definit cauſam per accidens in iis, quæ per electionem ob certum finem operantur;* & *caſus, quem dicit cauſam per accidens in iis, quæ fiunt non ſimpliciter, nec ut plurimum*, ſed tamen ob certum finem, ut ita caſus & fortuna ſecundum *Ariſtotelis* doctrinam peculiares quaſi ſpecies ſint cauſæ per accidens ex parte effectus, ita ut ab ipſis ad cauſas per accidens ex parte effectus, non tamen a cauſis per accidens ex parte effectus ſtatim ad caſum & fortunam argumentari liceat: Nam expreſſe *Ariſtoteles*, ut aliquid dicatur cauſa per accidens, ſufficere docet, ſi aliquid detur accidentaliter conjunctum aut cohærens: Ut autem aliquid dicatur caſus vel fortuna, requirit præterea contingens raro, non ut plurimum, & actionem propter certum finem, cum quo conjungitur aliquid ex improviſo. *Vid. XI. Metaph. c. 7.* Unde etiam demonſtrat, reſpectu Dei nihil fieri caſu, cum ubi mens plurima, ibi fortunæ minimum *2. Magn. Moral. cap. 8.* Imo ad cauſas efficientes per accidens *Ariſtoteles* refert, ſi aliquid ne quidem cum ipſa cauſa aut effectu conjungatur, ſed tantum in eodem tempore: Nam & id *Ariſtoteles* vocat cauſam per accidens

dens

Digitized by Google

dens, ſi ambulante aliquo fulſerit, vel terræ motus contigerit, ita ut ipſo judice ambulans ſit fulguris cauſa per accidens 1. *poſter. Analyt. cap.* 4. & motus terræ cauſa per accidens 1. *prior. Analyt. cap.* 12. Quid quæſo jam facilius eſſet, quam laudatorum *Interpretum Græcorum*, idem uberius & explicatius tradentium, expreſſa teſtimonia e *locis librorum Phyſicorum Ariſtotelis* modo allegatis huc transſcribere? Sed hac ratione ex labore uno geminum nobis efficeremus, & in re adeo manifeſta quæque dudum ſilentium deprecata fuit, immoraremur. Interim non eſt, quod citatio *phyſici textus* admirationem lectori in *Metaphyſica* verſanti moveat. Quippe idem prorſus V. *Metaphyſ. libro per integrum caput ſecundum* traditur, quod totum certe cum *capite tertio ſecundi Phyſ. libri* convenit, niſi quod *hoc* & *ſeqq. capp.* prolixior hujus doctrinæ tractatio quam in Metaphyſicis conſpicitur. Et hoc fortaſſis movit *B. Stahlium*, cur in *Diſputatione de cauſis per ſe & per accidens ad textus phyſicos Ariſtotelis*, quaſi in iis tota ſua doctrina de cauſa per ſe & per accidens fundamentum habeat, provocaret. Quemadmodum vero Peripatetica Philoſophia vigente, doctrina hæc de cauſa per ſe & per accidens continui fuit uſus: ita eadem cum Græcorum (*Ariſtotelis, Alexandri, Themiſtii, Ammonii, Simplicii, Philoponi,*

 qui

qui ab *Averroe* citantur) *libris*, ipſisque Phi-
loſophis quibuſdam captivis abductis una
ad Arabes publica Gymnaſia in Africa eri
gentes tranſiit. Sufficiat unicum Arabis phi
loſophi, *Averrois*, (quia hic tanti fecit *Ariſt*
*telem*, quanti commentatorum nemo, & v
latum unguem ab eo diſcedere ipſi religi
fuit, a *Latinis commentator*, æque ac *Alexan*
*der Aphrodiſienſis*, qui ſeculo tertio a nat
Chriſto vixit, ἐξηγητὴς κατ' ἐξοχὴν ab omni
bus reliquis interpretibus Græcis, dictus
teſtimonium allegare. Sed quid eſt, quo
chartam impleamus? Idem profecto, quo
*Ariſtoteles*, totidem certe & longe pluribu
verbis in *commentariis* ſuis, maxime ad *lib. I*
*phyſ. cap. 2.* tradidit. Nec eſt, quod admiratio
nem alicui moveat, cur *Averroem*, qui demum
ſeculo XIII. a nato Chriſto (ceu ipſe teſtatur)
floruit, appellemus? Quanquam enim ſecu-
lo VII. & VIII. *Arabes* Philoſophiæ ſtudia ex-
colere cœperint, & multi apud illos clari fue-
rint Philoſophi, omnibus tamen Averroes
palmam præripuit. Docuit ipſe Cordubæ
in Hiſpania, ubi Barbari celebre Gymnaſium
ſeculo VIII. fundarunt, poſtquam literarum
& Philoſophiæ ſtudia cum imperio in Hi-
ſpaniam eodem ſeculo transfretaverant. Poſt
Arabes merito nominamus *Latinos*, quia ab
illis Philoſophiæ primæ ſtudia rurſus ad La-
tinos transierunt poſt *Petrum Lombardum*

ſen-

ſententiarum compilatorem (quem Clariſſimi Viri Scholaſticorum Patriarcham appellant) jam ſeculo XIII. Cum enim Fridericus II. Enobarbi nepos diſcentium ſtudia egregie juvaret, & Ariſtotelem alioſque libros ex Græca & Saracenica lingua in latinam transfundi curaret, inde complures prodierunt in occidente *Peripatetici*, quorum agmen & familiam jure ducit *Albertus Magnus*, nobilis Svevus, Ratisbonenſis Epiſcopus, Colonienſis Doctor, qui omnes fere *Ariſtotelis libros* præſertim *Metaphyſicos* commentariis non contemnendis illuſtravit: *Primus Latinorum*, inquiunt *Centuriatores Magdeburgenſes*, *quicquid in Græcis, Latinis, Arabibus, Ebræis Philoſophis egregium fuit, perſcrutatus eſt.* Sed iſte profecto de cauſa efficiente per ſe & per accidens Græcis interpretibus prorſus ὁμόψηφα tradit, ac ſi a *Themiſtio, Simplicio* & *Philopono* totidem verbis tranſtuliſſet. Hujus diſcipulus in conventu Colonienſi (ut habet *Trithemius*) fuit *Thomas de Aquino* Italus ordinis Prædicatorum, cujus commentaria in Ariſtotelis libros cæterorum *Scholaſticorum* omnium poſt ipſum ſcriptis præferenda. Hic vero eandem doctrinam eodem modo enucleavit. Sic enim *lectione octava in 2. Phyſ. Ariſtotelis* diſſerit: *Sciendum eſt, quod cauſa per accidens dicatur dupliciter: Uno modo ex parte cauſæ, altero ex parte effectus. Ex parte*

*quidem cauſæ, quando illud quod dicitur cauſa per accidens conjungitur cauſæ per ſe, ſicut ſi album vel Muſicum dicatur cauſa domus, quia accidentaliter conjungitur ædificatori: Ex parte vero effectus, quando accipitur aliquid, quod accidentaliter conjungitur effectui, ut ſi dicamus quod ædificator ſit cauſa diſcordiæ, quia ex domo facta accidit diſcordia.* Rurſus lectione tertia in libr. V. Metaph. Ariſtotelis ſequentia tradit: *Sciendum eſt, quod aliquid poſſit dici cauſa per accidens alterius dupliciter: Uno modo ex parte cauſæ, quia ſcilicet illud, quod accidit cauſæ, dicitur cauſa per accidens, ſicut ſi album dicatur cauſa domus. Alio modo ex parte effectus, ut ſcilicet aliquid dicatur cauſa per accidens alicujus, quod accidit ei, quod eſt effectus per ſe. Quod quidem poteſt eſſe tripliciter: Uno modo, quia habet ordinem neceſſarium ad effectum: Unde removens probibens dicitur movens per accidens, ſive illud accidens ſit contrarium, ſicut cholera prohibet frigiditatem, unde ſcamonea dicitur infrigidare per accidens, non quia cauſat frigiditatem, ſed quia tollit impedimentum frigiditatis, quod eſt ei contrarium, ſ. choleram: Sive etiamſi non ſit contrarium, ſicut columna impedit motum lapidis. Unde removens columnam, dicitur per accidens movere lapidem ſuperpoſitum. Alio modo, quando accidens habet ordinem ad effectum, non tamen neceſſarium, nec ut in pluribus, ſed ut in paucioribus*



Digitized by Google

*bus, ſicut inventio theſauri ad foſſionem in terra, & hoc modo fortuna & caſus dicuntur cauſæ per accidens. Tertio, quando nullum ordinem habent, niſi forte ſecundum exiſtimationem, ſicut ſi aliquis dicat ſe eſſe cauſam terræ motus, quia eo intrante domum accidit terræ motus.* Pariter *Johannes Duns Scotus*, Thomatricies junior atque acerrimus ejus adverſarius, quamvis alias Philoſophiæ primæ dogmata ſæpenumero intricet magis quam extricet, (ob intricatum loquendi genus Doctor ſubtilis dictus) tamen in præſenti materia cum *Thoma* pleniſſime conſpirat, idemque verbis non adeo obſcuris exponit: Ita enim *comment. in Ariſtotelis libros Metaphyſicos l.5.c.2.n.17. Notandum etiam*, ait, *quod cauſa per accidens poſſit dupliciter ſumi: Scilicet, vel ex parte effectus, vel ex parte cauſæ. Primo modo dicitur cauſa per accidens, ſed reſpectu ejus quod accidit effectui per ſe quod poteſt etiam dupliciter intelligi: Uno modo, quia habet ordinem neceſſarium ad effectum per ſe, ſicut remotio impedimenti habet ordinem neceſſarium ad effectum, & propter hoc agens removens impedimentum dicitur agens per accidens.* Exemplum: *Aperiens feneſtram eſt cauſa illuminationis domus, & removens trabem eſt cauſa deſcenſus lapidis exiſtentis ſuper trabem. Alio modo poteſt eſſe, quando effectus per accidens habet aliquem ordinem ad effectum per ſe non ne-*

 ceſſa-

*ceſſarium, nec ut in pluribus, ſed ut raro. Exemplum: Inventio theſauri ad foſſionem foveæ, & hoc modo caſus & fortuna dicuntur cauſæ per accidens II. Phyſicorum. Deinde dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ, quando ſcilicet dicitur cauſa effectus id quod accidit cauſæ per ſe. Exemplum: Hoc modo album, & Muſicum, & Polycletus dicuntur cauſæ ſtatuæ per accidens, quia quodlibet eorum accidit ſtatuæ factori, ut ſtatuæ factor eſt. Sed ſunt ibi gradus ſecundum propinquius & remotius.* Hæc *Scotus*. De pluribus Scholaſticis quid eſt, quod laboremus? Omnes enim vel Thomam vel Scotum vel Occamum in hac re conſentientes ſeqvuntur. Credo his teſtimoniis (quæ a CL. Viris dudum allata & prolixius deducta ſunt, nuncque ſolummodo repetuntur) *Stahlum* noſtrum omni ſuſpicione novitatis liberari. Sed loquatur pro eo communis Germaniæ Præceptor, *Philippus Melanthon*, qui eandem doctrinam de cauſa efficiente per ſe & per accidens Studioſæ Juventuti apprime commendat. Expreſſe enim *Phyſica ſua, lib. 2. de cauſis* primo loco tradit diſtinctionem inter cauſas per ſe & cauſas per accidens, cum ex parte efficientis, tum ex parte effectus: *Aliæ*, inquiens, *ſunt per ſe cauſæ, aliæ per accidens. Hæc prima diſtributio non eſt membrorum æqualium. Nam cauſa per accidens re ipſa non eſt cauſa: ſed ſic*

propter

*propter quandam vicinitatem appellatur, ut infra dicam. Cauſa per ſe eſt propria cauſa. p. m.* 216. Rurſus expreſſe ſcribit: *Non ſolum in Philoſophia, ſed omnino in tota vita plurimum refert diſcernere per ſe cauſas & cauſas per accidens pag. m. 235.* Poſtea ſtatim mentionem cum cauſæ per accidens ex parte cauſæ, tum cauſæ per accidens ex parte effectus facit. Numne *Melanthon* denatus anno ſexageſimo ſuperioris ſeculi hæc *Stalti* ſic dicta figmenta *Stalio* (poſt octo annos obitus *Melanthonis* demum lucem aſpicienti) debet?

III. Sed videamus, quidnam in hac ſententia deſideretur, & quibus argumentis refutetur, ut eo apertius conſtet, qua veritate, quove colore vel prætextu, & abſurditatis, & falſitatis, & atrocis impietatis damnata fuerit? Duo in ea deſiderantur: 1. Quod cauſa per accidens dicatur aliquis reſpectu hujusmodi effectus, quem intendit, cum ad effectum per accidens requiratur, ut non intendatur vel intentus ſit, hæcque ſit cauſæ per accidens definitio: Eſt principium influens in effectum non intentum; adeo ut per accidens & indirecte influere ſit juxta naturalem judicandi modum citra intentionem influere, ſic ut nulla præoccupatione faſcinatus eum, qui hac intentione valvas aperit, ut conclave illuminetur, cauſa per accidens illuminationis nequaquam vocaturus ſit, ſed quilibet

dictLurus cauſam per ſe quamvis moralem: Verumenimvero ſi aliquid cauſa per ſe nullo habito reſpectu ad intentionem dici poteſt,& veriſſime cauſa per ſe etiam illa vocatur, quæ omnis omnino intentionis expers eſt: Quidni etiam cæteris paribus cauſa per accidens aliquis dici poſſet reſpectu hujusmodi effectus, quem intendit? Sane intentio, ut hoc loco ſumitur, & actionem liberam a neceſſitate (quam actionem liberæ voluntatis elicitam dicunt) notat, requiritur ad cauſam per ſe liberam. Quemadmodum igitur non omnis cauſa efficiens per ſe debet eſſe cauſa libera; ita nec omnis cauſa efficiens per ſe debet eſſe cauſa efficiens libera ſeu reſpectu effectus, quem intendit. Eſt ergo vitioſiſſima hæc definitio cauſæ efficientis per accidens ex parte effectus; (Nam de cauſa efficiente per accidens ex parte cauſæ nulla difficultas movetur) *Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus eſt principium influens in effectum non intentum.* Nam quia oppoſitorum una diſciplina eſt, unaque ratio; Certe ſi cauſa per accidens ex parte effectus in communi per hoc eſſet cauſa efficiens per accidens ex parte effectus, quod ſit principium influens in effectum non intentum; cauſa per ſe ex parte effectus in communi ſpectata per hoc eſſet cauſa efficiens per ſe ex parte effectus, quod ſit principium influens in effectum in-

ten-

Digitized by Google

tentum. Et ſi per accidens & indirecte influere eſſet juxta naturalem judicandi modum, citra intentionem influere, utiq; per ſe & directe influere eſſet juxta naturalem judicandi modum ſecundum intentionem aut per intentionem influere. Ergo ſol quando illuminat conclave, & ignis quando calefacit aquam in olla, & planta quando plantam generat, & canis quando canem, non erunt cauſæ efficientes per ſe reſpectu hujusmodi effectuum, quia non ſunt principia influentia in effectus intentos. Manet igitur πρῶτον ψεῦδος, ad effectum per accidens quocunque modo talem requiri, ut non intendatur vel intentus ſit. Hoc enim ad cauſam efficientem per accidens ex parte effectus talem ratione intentionis requiritur. Exemplum allatum quod attinet, veriſſimum eſt, eum, qui hac intentione valvas aperit, ut conclave illuminetur, eſſe cauſam efficientem per ſe moralem, quia per intentionem eſt vera cauſa illuminationis, ita ut mediatum influxum (quem verum influxum eſſe ſupra probavimus) præſtet in lumen intentum: Inde vero nondum ſequitur, eum non poſſe dici cauſam efficientem per accidens hujus effectus nempe luminis in conclavi producti ratione phyſici ſeu immediati influxus. Nulla namque ratio dari poteſt, cur quis cauſa efficiens per accidens phyſica dici nequeat qui phyſice



Digitized by Google

ſeu immediate non influit in effectum effectui ſuo, in quem phyſice ſeu immediate influebat, accidentaliter cohærentem aut connexum, cauſa vero per accidens moralis dici poſſit, qui phyſice ſeu immediate influit in effectum non intentum. Sicut enim ad cauſam per accidens ratione intentionis ſufficit effectum non eſſe intentum: Ita ad cauſam per accidens phyſicam ſufficiet effectum non eſſe immediate ſeu phyſice productum, modo utrobique effectus per accidens accidentaliter cohæreat aut conjungatur effectui per ſe. Hæc enim ratio, quæ adferebatur, (Quia influit in effectum intentum, ideo nequit dici cauſa per accidens) nulla eſt, & manifeſto petit id, quod in principio quærebatur. Ita dicendum erat: Quia influit in effectum intentum, ideo nequit dici cauſa per accidens ratione intentionis. Hoc enim veriſſimum eſt: Neutiquam tamen hæc duo inter ſe pugnant: Quia influit in effectum intentum, ideo nequit dici cauſa per accidens ratione intentionis, &, quia ita influit in effectum intentum, ut tamen phyſice ſeu immediate non influat, ideo cauſa per accidens ratione phyſici ſeu immediati influxus dici poteſt. Regeritur: E. cauſa per ſe & cauſa per accidens ſunt unum & idem. Reſpondetur: Veriſſimum eſt, unum idemq; reſpectu ejusdem effectus poſſe eſſe cauſam per ſe & per acci

dens,

dens, ſed non eodem reſpectu: Cauſam per ſe reſpectu mediati influxus, cauſam per accidens reſpectu phyſici ſeu immediati influxus, quod ſupra *pag.* 1250. & 1252. explicuimus. Quemadmodum enim hæc duo inter ſe non pugnant; Eſſe principium phyſice ſeu immediate influens in effectum non intentum e. g. vulnus a tergo ſtanti inflictum, & non eſſe principium phyſice ſeu immediate influens in effectum intentum e. gr. intentum vulnus, quod a tergo ſtanti infligitur; ita nec ſibi invicem hæc duo repugnant, eſſe principium mediate influens in effectum intentum, e. gr. lumen in conclavi productum, &, non eſſe principium immediate influens in effectum intentum e.gr. lumen. In priori caſu infligens vulnus a tergo ſtanti, quem ibi ſtare neſciverat, quia eſt principium phyſice ſeu immediate influens in effectum non intentum, dicitur cauſa per accidens: Quidni igitur in poſteriori caſu aperiens valvas ea intentione, ut conclave illuminetur, quia non eſt principium immediate influens in effectum intentum, cauſa per accidens dici poterit? Illud tamen adhuc juſtiſſimo titulo urgeri poſſe videbatur, fore contra communem Theologorum, JCtorum & Philoſophorum conſenſum, ſi quis e. gr. eum qui mandat alteri, ut patret homicidium, eaque intentione movet alterum ad ho-

homicidium patrandum, homicidii diceret cauſam per accidens, cauſam per ſe homicidii eſſe negaret, quis Theologorum, JCtorum aut Philoſophorum Moralium eundem non reprehenderet aut derideret? Verum hoc dubium utut primo intuitu haud exiguam ſpeciem veritatis præ ſe ferre videatur, animoque præconceptis opinionibus obruto negotium faceſſat, ſolvi tamen facile poteſt. Scilicet quoties Morales Philoſophi, item Theologi & JCti de homicidii cauſa per ſe & per accidens agunt, toties disquiſitionem inſtituunt de homicidii cauſa libera per ſe & cauſa libera per accidens, quia ad homicidium requiritur ut ſit actio libera ſeu intenta: Eſt enim homicidium actio moraliter mala ſeu maleficium: At intentio diſtinguit maleficia. Dum ergo ex philoſopho Morali, Theologo aut JCto quæritur: An Morali, Theologica aut Juridica æſtimatione is qui mandavit alteri ut homicidium patraret, homicidii ex ipſius intentione ſecuti atque ab altero patrati cauſa efficiens per ſe, num cauſa efficiens per accidens dici debeat? Senſus hic erit & non alius: Num cædis intentæ & a mandatario, quem vocant, & a mandante is, qui mandat dici debeat cauſa per ſe, an cauſa per accidens? Hic quisq; haud dubie cognoſcit aliter reſponderi non poſſe ad quæſtionem, quam quod cædis a ſe intentæ mandans

Digitized by Google

dam cauſa per accidens dici nequeat, quia alias non eſſet cauſa cædis a ſe intentæ, quod tamen manifeſto falſum eſt, quia Morali, item Theologica & Juridica æſtimatione quiſpiam cædis a ſe intentæ cauſa per ſe dicitur, ſive immediate ſeu phyſice, ſive mediate influat. Tu occidiſti, Nathan ad Davidem dicebat: Hic vero Uriæ nullam manum admoverat. Nihil intereſt, ajunt JCti, ad hoc ut quis homicida ſit, utrum ipſe manu ſua occiderit, an vero mortis cauſam dolo malo, animoque occidendi præbuerit, & pro ſiccario etiam is habetur, qui alteri ut homicidium committeret, ſaltem mandavit. Exinde tamen nondum ſequitur, ſententiam de cauſa efficiente per accidens ratione influxus phyſici eſſe contra Theologorum JCtorum & Philoſophorum Moralium conſenſum. Nam utut in quæſtione (modo allata) quæ ex principiis Moralibus, Theologiæ vel Juris, decidenda erat, notio *cauſæ per accidens ratione phyſici influxus* non adhibeatur, non tamen ideo hæc notio e *Metaphyſica* juſto titulo penitus exeſſe jubebitur, quia Metaphyſico propoſitum eſt agere de cauſis per ſe & per accidens, ſive ſint cauſæ per ſe vel per accidens ratione intentionis, ſive ſint cauſæ per ſe vel per accidens non ratione intentionis, ſed ratione immediati influxus. Ergo præter conſenſum Philoſophi moralis eſt, dicere mandantem

qui

qui ſuo mandato ad homicidium patrandum moverat, cauſam per accidens homicidii non vero contra ipſius conſenſum eſt, h.e. ipſe non negat ratione intentionis mandantem homicidii cauſam per accidens dici poſſe, prout cauſa per accidens opponitur cauſa per ſe liberæ, hoc eſt principio influendi in effectum intentum. Cæterum an mandans in tali caſu Metaphyſica æſtimatione cauſa per accidens ratione phyſici ſeu immediati influxus dici poſſit, ſi nempe cædes non ſpectetur, ut eſt homicidium (homicidium quippe terminus moralis eſt, adeoque ad Metaphyſicam non ſpectat) nec ut eſt cædes intenta, quamvis ſit cædes intenta, quamvis ſit homicidium, ſed ut eſt cædes phyſice ſeu immediate producta? Philoſophus moraliſt, item Theologus & JCtus, dicet eſſe quæſtionem Metaphyſicam. Unde *Metaphyſicus* hunc terminum: *Cauſa per accidens ratione phyſici ſeu immediati influxus* in ſe & per ſe *Metaphyſicum* tamque diu apud *Metaphyſicos* receptum æque ac terminum *cauſa per accidens ratione intentionis ſeu ratione effectus intenti* explicat & declarat, dumque in explicatione cauſæ per accidens ex parte effectus duplici modo ſumtæ, nunc ratione phyſici ſeu immediati influxus, nunc ratione intentionis ita procedit, ut utramque acceptionem enucleet, diſtincte proponat, va-

riis

riis exemplis illuſtret, variiſque materiis applicet, notionem cauſæ per accidens latius quam decet ſeu res in ſe patitur, minime extendit. Idem ſupra *pag. 1272. & ſeq.* voluimus, quando notionem cauſæ moralis per accidens ita ſumtam, ut idem ſignificet quod cauſa per accidens ratione phyſici ſeu immediati influxus ut tamen ſimul ſit cauſa per ſe moralis, nec uſitatam *in ſcholis phyſicis* nec utilem eſſe diximus, quæ tamen ſuam approbationem adhuc apud *Metaphyſicos* invenit, & ſane uſum non exiguum in *practicis diſciplinis* præſtat. Faciamus hujus rei exemplum: Omnis omnino *Juris* ut & *Theologiæ Moralis Doctores* ventilant quæſtionem: Quando duo unius ejusdemq; numero delicti e.gr. homicidii ſunt participes, ita quidē ut alter fuerit mandans, alter mandatarius, num in utrumque eadem, an vero in alterum & in quem, major minorve culpa ſit transferenda? Quisque a ſtudio partium liber (dum hic quæritur de conſortibus unius ejusdemque numero ſceleris) videt quæſtionem eſſe de duabus cauſis per ſe ratione intentionis, ut tamen altera ſit ſimul cauſa per accidens ratione immediati influxus ſeu cauſa per accidens phyſica e.gr. mandans, altera vero ſit ſimul cauſa per ſe ratione immediati influxus ſeu cauſa per ſe phyſica, e. gr. mandatarius. Et ſane aliter *JCti*, aliter *Morales Doctores* &

*Theo-*

*Theologi* pronunciant, quia hi internum animi tribunal, illi externum forum inſtruunt. *In foro* enim *externo* ad externa & quæ in ſenſus incurrunt, aut alias faciliorem probationem admittunt, primo reſpicitur loco, ſicque ſæpenumero cauſa per ſe ratione immediati influxus graviori pœnæ ſubjicitur, cauſa vero per accidens ratione immediati influxus mitiori, cum influxus mediatus plerumque obſcurior ſit, aut altioris indaginis, influxus vero immediatus certior: At *internum* ſeu *conſcientiæ forum* intimiora dijudicat. Alii talismodi caſum decidunt diſtinctione adhibita inter *ſtatum naturalem* & *legalem*, adeo ut *in illo* agens morale, quod ſimul cauſa per accidens eſt ratione immediati influxus ſeu cauſa per accidens phyſica, *in hoc*, quod ſimul cauſa per ſe phyſica eſt, primo teneri putent loco. Imo non ſolummodo de mandante, ſed de aliis quoq; cauſis moralibus per ſe & phyſicis per accidens diſquiritur, nec ſaltem ubi de æſtimatione pœnarum, ſed & quando de reparatione damnorum agitur.

IV. Deſideratur 2. in tradita doctrina, quod cauſa per accidens dicatur etiam illa, a qua effectus nullo modo dependet, hoc eſt, quæ neque in effectum influit, neque eum intendit, neque ita ſeſe gerit, ut merito ipſi imputetur effectus, cum tamen ubi nullus plane influxus eſt, ibi cauſa eſſe nequeat, ſi-

ve

Digitized by Google

per ſe, ſive per accidens. Sed quid facilius dici poteſt, quam ad hæcce talia reſpondere? Quisquis enim rem ſine affectu æſtimat, is probe perſpicit, τὸ *per accidens* dum voci *cauſæ* adjicitur, eſſe determinationem alienantem, ut in præcedentibus abunde probatum dedimus; hocque dum admittere cogitur, adeo abſurdus non erit, ut quærat amplius: Cur cauſa per accidens dicatur, a qua effectus nullo modo in eſſe ſuo procedit? In promtu enim ratio eſt: Scilicet ideo cauſa per accidens dicitur etiam illa, a qua effectus nullo modo in eſſe ſuo procedit, quia cauſa per accidens qua talis nunquam eſt id, a quo effectus in eſſe ſuo procedit. Unde quemadmodum nihil prohibet, quo minus cauſa per accidens ratione intentionis dicatur id, quod effectum, cujus cauſa per accidens dicitur, non intendit; quove minus cauſa per accidens ratione immediati influxus vocetur id, quod nullum immediatum influxum præſtat: Ita nihil quoque obſtat, quo minus cæteris paribus cauſa per accidens ratione intentionis & immediati influxus ſimul dicatur aliquid reſpectu iſtius, cujus plane non eſt cauſa, & in quod nec influit nec ipſum intendit. Dico: *cæteris paribus.* Quemadmodum enim non omne quod non intendit effectum, id propter ſtatim cauſa per accidens ratione intentionis dici poteſt: Ita nec

omne quod nec intendit effectum nec ull
modo in eum influit, ſtatim cauſa per acci-
dens dicetur. Nullam igitur uberiorem re-
ſponſionem meretur quæſtio hæc: Qua ra
tione cauſa per accidens aliquis dici poſſit ex
parte effectus, qui neque in effectum influit
neque eum intendit, neque ita ſeſe gerit, u
merito ipſi imputetur effectus? Nam 1. eo-
dem modo quæri poſſet: Qua ratione cauſa
per accidens aliquis dici poſſit ex parte effe-
ctus ratione intentionis, qui effectum non
intendit, neque ita ſeſe gerit, ut merito ipſi
imputetur effectus? Et quod ad hanc quæ-
ſtionem reſpondebitur ab adverſa parte, ſibi
reſponſi loco capere neceſſum habebit. Non
enim eſt, quod dicatur, hoc poſterius ideo
fieri, quod cauſa per accidens ratione inten-
tionis adhuc ſit vera cauſa. Quippe cauſa
per accidens ratione intentionis tantum (NB.
tantum) eſt adhuc vera cauſa, non tamen ra-
tione intentionis, niſi recurratur ad πρῶτον
ψεῦδος. 2. Ideo dicitur cauſa per acci-
dens ex parte effectus qui neque in effe-
ctum influit, neque eum intendit, neque
ita ſeſe gerit, ut merito ipſi imputetur effe-
ctus, quia ſcilicet iſte effectus (ſeu id quod
alias veram ſui cauſam agnoſcit, utut hoc,
quod cauſa per accidens vocatur, nullo mo-
do nullaque ratione ejus vera cauſa ſit) acci-
dit aut cohæret effectui per ſe iſtius, quod cau-
ſa

ſa per accidens vocatur: Jam vero ante bis mille annos *Ariſtoteles* eum vocavit cauſam per accidens ex parte effectus, cujus effectui per ſe accidit aut cohæret effectus, in quem non influit, quem etiam non intendit, & circa quem neutiquam ita ſeſe gerit, ut merito ipſi effectus iſte imputetur: Idemque (quod ante 2000. annos *Ariſtoteles* docuit) diſtinctiſſime & expreſſiſſime ante 1200. annos *Themiſtius* & ante 1000. annos *Philoponus* tradiderunt, atque apud præſtantiſſimos Doctores in hunc usque diem hæc locutio recepta fuit. Nullius ergo momenti eſt iterata quæſtio: Ubi nullus plane influxus eſt, neque moralis, neque realis, neque intentionalis, quomodo ibi quæſo cauſa eſſe poterit, quamvis per accidens, qui concipit cauſam per accidens, concipit aliquam cauſalitatem? Nam ex hactenus dictis reſponſio liquet. Omnino ita eſt: Ubi nullus plane influxus eſt, neque moralis, neq; realis, neq; intentionalis, ibi nulla vera cauſa eſſe poteſt. Quod enim cauſa per accidens ratione intentionis & influxus ſimul dicitur, de eo nec dici poteſt, quod ſit vera cauſa per ſe, nec de eo ſalva veritate dicetur, quod ſit vera cauſa non tamen niſi per accidens, cum plane non ſit vera cauſa. Regeritur: Qui concipit cauſam per accidens, concipit etiam aliquam cauſalitatem. Primo reſpondetur, hoc dupliciter intelligi poſſe: 1. Eo ſenſu,

Qui concipit cauſam per accidens, concipit veram aliquam cauſalitatem, unde cauſa per accidens hoc habet, quod ſit & dicatur vera cauſa effectus, quamvis per accidens. 2. Hoc ſenſu: Qui concipit cauſam per accidens, concipit veram aliquam cauſalitatem, unde cauſa per accidens non quidem hoc habet, quod ſit cauſa per accidens, inde tamen habet, quod ſit cauſa per ſe effectus cui alter effectus (cujus vera cauſa non eſt, cauſa per accidens eſt & dicitur) accidit aut cohæret, adeo ut alterius effectus, cujus plane non eſt vera cauſa, cauſa per accidens dici nequaquam potuiſſet, niſi ex parte ejus (quod ſc. cauſa per accidens ex parte effectus vocatur) locum inveniſſet cauſalitas, unde habuiſſet, quod eſſet alius effectus, (cui ſic dictus effectus per accidens accidebat aut cohærebat) cauſa efficiens per ſe. Si priori ſenſu intelligatur, falſiſſima eſt hæc propoſitio: Qui concipit cauſam per accidens, concipit etiam aliquam cauſalitatem: Si poſteriori ſenſu, veriſſima manet, ſed nihil adverſus veram ac receptam ſententiã evincit. Deinde diſtinguendi ſunt illi, qui auditis his vocibus *cauſa per accidens* ſuis conceptibus indulgent. Aut enim ſciunt, quam ſignificationem τὸ per accidens, ſi adjiciatur cauſæ ex parte effectus, in Scholis Metaphyſicorum obtineat, aut neſciunt: Si prius, hoc eſt, ſi ſciunt, τὸ per accidens eſſe in præſenti adjectionem alienantem

tem, non poterunt concipere veram cauſalitatem, per quam ſcilicet hoc, quod ſimpliciter & omni modo eſt cauſa per accidens ex parte effectus, ſit cauſa, quamvis per accidens: Nam qui concipit id, quo ſcit ſignificari, quod nullo modo eſt cauſa, non concipiet cauſalitatem: Perinde enim eſſet, ac ſi diceres: Qui concipit id, quod nullo modo eſt cauſa, concipit cauſalitatem, hoc eſt, id, per quod iſtud, quod nullo modo eſt cauſa, eſt cauſa. Si poſterius, hoc eſt, ſi neſciunt, tales abſurdos ac falſos conceptus formant non Metaphyſicorum, ſed ſua culpa. Eſto tyrunculus, qui ſciat, quid ſignificetur voce: *virgo*; ignoret, quid ſignificetur voce; *deflorata*: Iſte ſemper dicet; Ubi nulla plane virginitas eſt, quomodo ibi quæſo virgo eſſe poterit, quamvis deflorata? Qui cõcipit virginem defloratam, concipit aliquam virginẽ. At quemadmodum tyro novit vocem; *deflorata* additam voci *virgo* eſſe adjectionem alienantem: Ita Metaphyſicorum tyrones norunt, τὸ *per accidens* huic notioni *cauſæ per accidens ex parte effectus* additum eſſe determinationem alienantem. Excipitur: Annon aliquid in effectum influere poteſt, atque cauſalitatem exercere proprie loquendo, quamvis per accidens ſaltem ſeu indirecte? Adde quod ligni fiſſor non diffitentibus diſſentientibus ſit cauſa per accidens vulneris, quod citra in-

tentionem a tergo ſtanti infligit ſecuri. Ubicunque realis eſt influxus, ibi cauſa proprie dicta locum invenit. Reſpondetur ad hanc exceptionem: Omnino fieri poteſt, ut aliquid in effectum influat atque cauſalitatem exerceat proprie loquendo, quamvis per accidens ſaltem ſeu indirecte. Ita Muſicus quando ædificat, in effectum influit, atque cauſalitatem (cauſalitas enim eſt ædificatio) exercet proprie loquendo, quamvis ſaltem per accidens. Non enim Muſicus per ſe in effectum influit, hoc eſt, non ut Muſicus, ſed ut architectus. Sed qui hoc exemplo utuntur, confundunt cauſam per accidens ex parte cauſæ cum cauſa per accidens ex parte effectus. Hic enim de cauſa efficiente per accidens ex parte cauſæ nulla eſt quæſtio, ſed unice uniceque de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus. Rurſus fiſſor ligni dum præter intentionem a tergo ſtantem vulnerat, influit in effectum atque cauſalitatem exercet proprie loquendo, quamvis ſaltē per accidens, h. e. quamvis ratione intentionis non exerceat cauſalitatem: Sed, qui hoc exemplum urgent, confundunt cauſam per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum formaliter ſpectatam cum cauſa per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum materialiter ſpectata. Hoc enim ſupra *pag. 1257.* oſtendimus, quod cauſa efficiens

ciens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum materialiter ſpectata in effectum influat atque cauſalitatem exerceat proprie loquendo. Iterum qui ea intentione movet valvas, ut illuminetur conclave, eſt cauſa efficiens ex parte effectus ratione immediati influxus, in effectum tamen (mediate) influit atque cauſalitatem exercet proprie loquendo, quia ut ſupra *pag. 1247.* demonſtrabatur, cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione immediati influxus tantum formaliter ſpectata non eſt vera cauſa, materialiter ſpectata eſt vera cauſa. Unde hæc omnia fruſtra urgentur, quia de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus hoc loco agitur, quæ iſtius effectus, cujus cauſa efficiens per accidens ex parte effectus vocatur, nullatenus eſt vera cauſa, ſive formaliter ſive materialiter ſpectetur. Hæc igitur conſequentia nulla eſt: Si aliquid in effectum influere poteſt atque cauſalitatem exercere proprie loquendo, quamvis per accidens ſaltem ſeu indirecte, ſequitur, id quod in effectum non influit, nec effectum intendit, non poſſe dici cauſam per accidens ex parte effectus. Quis enim non advertit, totam hancce collectionem niti falſa hypotheſi, quaſi nihil poſſit dici cauſa per accidens ex parte effectus, niſi ſit vera cauſa effectus. Cæterum quod attinet allatum exemplum, fa-

temur lubentiſſime, ligni fiſſorem eſſe cauſam per accidens vulneris, quod citra intentionem a tergo ſtanti infligit: Nec hoc diffitemur, ligni fiſſorem præſtare verum & realem influxum, & eſſe cauſam proprie dictam: At quatenus præſtat verum & realem influxum eſtque cauſa proprie dicta, eatenus non eſt vulneris cauſa per accidens ex parte effectus. Et quatenus eſt vulneris cauſa per accidens ex parte effectus, eatenus non præſtat verum & realem influxum, nec eſt cauſa proprie dicta. Eſt enim ligni fiſſor vulneris inflicti vera cauſa phyſica, quia verum influxum phyſicum ſeu immediatum præſtat. Non eſt vulneris inflicti vera cauſa libera, quia non præſtat influxum phyſicum liberum: Rectiſſime tamen vulneris cauſa libera per accidens dicitur, quia ipſius libero effectui, nempe fiſſioni, cohæret effectus non liber, ſcilicet vulnus a tergo ſtanti inflictum. Plura hac de re in mox ſequentibus dicentur.

V. Pergimus ad argumenta, quibus veritas receptæ ſententiæ impugnatur. Argumentum primum ſic ſonat: Quæcunq; cauſa revera præſtat influxum in effectum, illa eſt vera cauſa. Atqui cauſa per accidens revera præſtat influxum in effectum. Æ. Cauſa per accidens eſt vera cauſa. Minor probatur ſequenti argumento: Ligni fiſſor revera præſtat influxum in effectum, quo citra intentionem ali-

aliori vulnus infligit. Atqui ligni fiſſor eſt cauſa per accidens vulneris E. Quædam cauſa per accidens revera præſtat influxum in ſeſectum. Reſpondetur: Totum argumentum aberrat a ſcopo, nec probat id, quod in quæſtione erat. Hæc enim propoſitio: Cauſa per accidens eſt vera cauſa, non eſt propoſitio veræ aſſertioni, quam tuemur, contradictorie oppoſita. Quippe omnes norunt, ſermonem in oppoſitione contradictoria eſſe debere de eodem & ſecundum idem: Unde non contradicunt Ariſtotelicæ ſententiæ defenſoribus, qui hanc propoſitionem: *Cauſa per accidens eſt vera cauſa*, defendunt, utpote quam ii, quorum ſententiam tuemur, nunquam negarunt aut in dubium vocarunt. Rem hanc in præcedentibus liquide expoſitam denuo dedocere haud pigrabimur. Scilicet quisquis contradicere vult Ariſtotelicæ ſententiæ defenſoribus, ſuamque antitheſin ſolide defendere, is tenetur probare, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ qua talis ſit vera cauſa, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte effectus qua talis ſit vera cauſa, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum quæ talis ſit vera cauſa libera, vel quod cauſa efficiens per accidens ratione influxus phyſici ſeu immediati qua talis ſit vera cauſa phyſica, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte ef-

 fectus

fectus ratione intentionis & influxus ſimul qua talis ſit vera cauſa efficiens, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis & influxus ſimul ſit vera cauſa, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum ſit vera cauſa ratione intentionis, vel quod cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus phyſici tantum ſit vera cauſa phyſica. Hæc enim ſpectant ad præſentem quæſtionem: An cauſa efficiens per accidens qua talis ſit vera cauſa? Et qui nullum ex his aſſertis impugnat eique directe contradicit, violat leges contradictionis, nec cum Ariſtotelicis, ac Ariſtotelicorum aſſertorum defenſoribus, ſed cum ſeipſo pugnat aeremque verberat. Jam ſi repetamus concluſionem allati argumenti, patebit eam nulli ex allatis aſſertionibus contradicere. Ita namque ſeſe habebat concluſio: E. Cauſa per accidens eſt vera cauſa. Ecquis vero eam concluſionem negat? Quis eam in dubium vocat? Tantum abeſt, ut eandem Ariſtotelici Ariſtotelicæq; doctrinæ defenſores negent, ut hanc etiam propoſitionem univerſalem: Omnis cauſa efficiens per accidens eſt vera cauſa, ſalva veritate defendi poſſe cenſeant; Nam omnis cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ eſt vera cauſa ejus, cujus cauſa efficiens per accidens dicitur, ſed non qua talis eſt vera cauſa: e.gr.

Digitized by Google

e.gr. Muſicus reſpectu ædificii, quia licet non ut Muſicus ædificet, verum tamen influxum præſtat. Omnis quoque cauſa efficiens per accidens ex parte effectus eſt vera cauſa, ſi nempe non habeatur reſpectus ad effectum per accidens, ſed ad effectum per ſe, cui (effectus per accidens) accidit aut cohæret: E.gr. Qui tollit lapidem, quem utri in aqua impoſitum ignorat, eſt motus, quo uter ſurſum fertur, cauſa efficiens per accidens ex parte effectus, cum ratione intentionis, tum ratione influxus, & eſt vera cauſa, habito reſpectu ad motum, quo lapis tollitur, cum ratione intentionis, tum ratione influxus. Imo cauſa efficiens per accidens ex parte effectus vel ratione intentionis tantum, vel ratione influxus phyſici ſeu immediati tantum, ſemper eſt vera cauſa etiam reſpectu ejusdem effectus alia tamen ratione ſpectati: e.g. fiſſor ligni dum præter intentionem a tergo ſtantem vulnerat, eſt vulneris inflicti cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum, & eſt vulneris iſtius vera cauſa efficiens ratione influxus. Contra removens valvas ea intentione, ut illuminetur conclave, eſt luminis in conclavi producti cauſa efficiens per accidens ratione influxus tantum, & eſt vera cauſa ratione intentionis. Quibusnam ergo hæc aſſertio: *Cauſa per accidens eſt vera cauſa*, opponitur? Certe nemi-

mini minus, quam Ariſtotelicis ac Ariſtotelicæ Philoſophiæ aſſertoribus, utpote qui ambabus manibus hanc aſſertionem amplectuntur. Suntne hæ duæ propoſitiones contradictoriæ: Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus qua talis (quatenus ſcilicet eſt cauſa per accidens ex parte effectus) non eſt (effectus illius, cujus cauſa per accidens ex parte effectus vocatur, in quantum ejus cauſa efficiens per accidens ex parte effectus vocatur) vera cauſa: Et, cauſa per accidens eſt vera cauſa. Nam ſi vel maxime utraque propoſitio intelligatur de cauſa efficiente per accidens, poſterior tamen de omni cauſa per accidens tam illa, quæ ex parte cauſæ, quam quæ ex parte effectus talis eſt, intelligi poterat, cum prior expreſſe agat ſolummodo de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus. Imo intelligatur tandem poſterior præciſe de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus, nondum tamen priori contradicitur, quia prior expreſſe agit de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus qua tali: In poſteriori vero ſermo non eſt de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus qua tali, ſed de re, quæ cauſa efficiens per accidens ex parte effectus dicitur. Hoc tamen omnino adhuc repetimus, cavendum, ne cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ſimpliciter talis cum cauſa efficiente per accidens ex parte effe-

effectus ſaltem in certo ordine tali confundatur. Hanc enim cautionem ſupra ſingulari ſtudio adhibuimus, uſumque ejus conſpicere licet in allato proſyllogismo ſic ſe habente: Ligni fiſſor revera præſtat influxum in effectum, quando citra intentionem alicui vulnus infligit. Ligni fiſſor eſt cauſa per accidens vulneris E. Q. cauſa per accidens revera præſtat influxum in effectum. Quis quæſo à præconceptis opinionibus liber non videt, hic agi de cauſa per accidens ex parte effectus non ſimpliciter tali? Nemo enim adeo ſtupidus eſſe poteſt, ut dicat ligni fiſſorem, dum revera præſtat influxum in effectum, quando citra intentionem alicui vulnus infligit, nullum prorſus præſtare influxum in effectum, nulloque modo eſſe veram cauſam inflicti vulneris. Idem enim eſſet, ac ſi diceret: Ligni fiſſor dum revera vulnus citra intentionem alicui infligit, nec ex intentione nec citra intentionem vulnus infligit. Eſt igitur ligni fiſſor dum revera præſtat influxum in effectum, quando citra intentionem alicui vulnus infligit, in genere efficientis vera cauſa per ſe ex parte effectus, & eſt ſimul in certo ordine (non tamen in omni ordine) cauſæ efficientis non cauſa, quia certam ſpeciem vel ſi ita malis loqui, certum ordinem vel modum cauſæ efficientis cauſa libera conſtituit. Conceditur ergo totus proſyllogismus, ſi hoc

hoc modo intelligatur: Ligni fiſſor revera præſtat influxum in effectum, quando citra intentionem alicui vulnus infligit, adeoque eſt (vulneris inflicti) vera cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione phyſici ſeu immediati influxus. Ligni fiſſor quando citra intentionem alicui vulnus infligit, eſt (vulneris inflicti) cauſa efficiens per accidens ex parte effectus non quidem ſimpliciter & omni modo talis, ſed talis in certo ordine, nempe eſt cauſa efficiens per accidens ratione intentionis tantum E. Quædam res, quæ eſt cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione intentionis tantum, eſt vera cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ratione phyſici ſeu immediati influxus. Inde vero nec ſequitur, cauſam per accidens ex parte effectus ſimpliciter & omni modo talem eſſe effectus iſtius, cujus cauſa efficiens per accidens ſimpliciter, item cauſa efficiens per accidens ratione intentionis & influxus ſimul dicitur, veram cauſam: Nec exinde fluit colligique poteſt, cauſam efficientem per accidens in certo ordine talem, qua talem eſſe veram cauſam, hoc eſt, in ordine cauſæ efficientis eſſe veram cauſam, ad quem ordinem reſpectus habebatur, quando cauſæ efficienti talis ordinis τὸ per accidens addebatur. Retineamus allatum exemplum: Ligni fiſſor quando præter intentionem a tergo ſtanti vulnus infli-

fli-

Digitized by Google

ſtigit, dicitur cauſa per accidens ratione intentionis ſeu cauſa libera per accidens, ſicq; dicitur in certo ordine cauſa per accidens ex parte effectus, quia cauſa libera eſt certa ſpecies aut certus modus cauſæ efficientis, unde per accidens quando additur cauſæ efficienti liberæ ex parte effectus, omnem quidem ſignificationem cauſæ efficientis liberæ tollit, ſed non omnem ſignificationem cauſæ efficientis tollit, quia a negatione ſpeciei aut modi ad negationem generis non valet consequentia. Regeritur: Quamvis exemplum cauſæ per accidens ſecundi modi (intelligitur cauſa per accidens ex parte intentionis tantum, & vocatur ſecundi modi, quia qui triplicem cauſam efficientem per accidens ex parte effectus ſtatuunt, ſecundo loco eam ponunt, dum nempe aliã cauſam per accidens ex parte effectus talem vocant ratione influxus, aliam cauſam per accidens ratione intentionis, aliam ratione utriusque) a nobis admittatur, falſo tamen habetur pro cauſa per accidens ratione intentionis: Eſt omnino ligni fiſſor ratione influxus cauſa per accidens. Aut enim influit in vulnus per ſe aut per accidens. Sed quis dicat, quod per ſe ſeu directe influat? Relinquitur igitur, quod per accidens. Reſpondetur: Primo, quia cauſa per accidens ex parte effectus qua talis non eſt vera cauſa, ceu ſolide ac ſufficienter

ter demonſtratum eſſe credimus, ligni fiſſor, quatenus præſtat influxum phyſicum ſeu immediatū, dum nempe, quamvis citra intentionem vulneret a tergo ſtantem, revera a tergo ſtantem vulnerat, nequit dici cauſa per accidens ratione influxus: Nam per ſe ipſe influit, per ſe vulnus infligit. Iterum excipiebatur: Quis dicat, quod per ſe ſeu directe influat? Relinquitur igitur, quod per accidens. Reſpondetur: Quisque ſtudio partium liber dicet, quod per ſe influat, quia ipſe utique vulnerat, idemque vulnus a tergo ſtanti inflictum fuiſſet, ſi vel maxime fiſſor ligni ſciens & volens a tergo ſtantem vulneraſſet, niſi quispiam non ſine maxima abſurditate dicere velit, vulnus inflictum non eſſe verum effectum vulnerantis, non eſſe verum vulnus, niſi ſit vulnus intentum, niſi vulnerans animum vulnerandi habeat. Secundo, ſi fiſſor ligni, dum a tergo ſtantem præter intentionem lædit, non eſt cauſa per ſe ratione influxus, quænam igitur res cauſa per ſe ratione influxus dicetur? Numne ſecuris? Sed hæc (non diffitentibus contradicentibus) eſt cauſa inſtrumentalis, cujus (itidem non diffitentibus contradicentibus) una eademque actio eſt, adeo ut hæc actio nequeat dici influxus phyſicus ſeu immediatus cauſæ inſtrumentalis, quæ non a cauſa principali & inſtrumentali æque immediate proficiſcitur, actio-

cum non repugnet unam eandemque numeri actionem a duobus agentibus procedere, ſemper ſint agentia ſubordinata. Ut nihil dicamus de eo, quod ex mente contradicentium cauſa per accidens in communi, quamvis falſo, definiatur, quæ influit in effectum non intentum: Numne vero ſecuris habuit animum vulnerandi? Quidnam ergo erit vulneris cauſa efficiens per ſe ratione influxus? Non enim eſt, quod dicatur, nullam adeſſe cauſam per ſe, cum nemo ſit, qui intenderit vulnus. Quippe de hoc nulla hic eſt quæſtio, quia non quæritur, quæ res intenderit vulnus, ſed quæ res vulneraverit? De eo, quomodo quilibet effectus per accidens ad cauſam efficientem per ſe reduci poſſit & debeat, diſſeruit *B. Stablius Regg. Phil. part. 1. diſp. 7. reg. 4.* quæ ſic ſe habet: *Omnis effectus per accidens reducitur ad cauſam per ſe*; ceu infra oſtendetur. Interim ne hoc epiphonema audiatur: Relinquitur hinc, quod tertius modus cauſæ per accidens ex parte effectus, qui & ratione influxus & ratione intentionis talis dicitur, merito rejiciatur cum primo modo, hoc eſt, cauſa per accidens ratione influxus tantum, & ſolus ſecundus ſit verus cauſæ per accidens modus; Lubet B. *Stablii* verba e laudatæ *diſputationis de cauſis per ſe & per accidens §. 32. & 33.* huc transferre. Ita vero ille: *Quod non nemo tantum pro*

*cauſa per accidens habendum cenſet*, quæ influi in effectum non intentum, *reliquas autem excludendas propterea, quod nullum influxum habeant ad ea, quorum reſpectu cauſæ per acciden dicuntur, indeque ſimpliciter cauſæ non ſint, nimis puerile eſt. Perinde enim eſt, ac ſi quis ſyllogismum in forma peccantem ſyllogismum* conten*tioſum eſſe neget, propterea quod non habea vim* concludendi *eoq; ſyllogismus ſimpliciter non ſit.* (In præcedentibus enim ex Ariſtotelis doctrina Logica *1. Top. c. 1.* It. *de interpretatione c. 11. & 1. Elench. c. 4.* oſtenderat, ſyllogismum peccantem in forma ſyllogismum quidem contentioſum appellandum eſſe, sed nonſyllogismum.) *Quin ſi quid cauſa per accidens dici nequit propterea quod non influit in id, cujus reſpectu cauſa per accidens vocatur, nec omnia quæ ſub tertio genere & ſub caſu & fortuna continentur, cauſæ per accidens nominari merebuntur. Move loco tabulam, ita ut lapis ipſi impoſitus decidat, & adſtantem, quem tu adeſſe neſcias, vulneret, cauſa fortuita & ſic revera per accidens es reſpectu læſionis, nullum tamen præſtas in illud vulnus influxum, ſicut conſpicuum eſt.* Tantum de primo argumento.

VI. Videamus alterum argumentum: Quicquid habet nomen cauſæ, illud merito habetur pro vera cauſa, ſi non poſſit monſtrari prægnans ratio nominis rationem deferendi. Atqui cauſa per accidens habet nomen

nen cauſæ. E. Stet hoc argumentum talo ſic firmum tamdiu, quamdiu non oſtenditur prægnans illa ratio, quæ nominis rationem urget deſerendam eſſe. Sed talis hactenus monſtrata nondum fuit. Cæterum quia ſupra conati ſumus prolixe oſtendere rationem illam prægnantem, quam dudum Clariſſimi Viri monſtraverant, nihil eſt, quod moremur diutius. Saltem hoc addimus, etiam illos, qui alias in diverſa abeunt, dudum vidiſſe prægnantem illam rationem, quæ hic urgeat, nominis rationem deſerendam eſſe. Ita enim *celeberrimus Vir in ſua Metaphyſica, parte generali, cap. 15. de cauſa & cauſato, Porism. 17. p. m. 505. Cauſa per accidens ex parte effectus in hac explicatione* (prout ſcilicet ab Ariſtotelicæ Philoſophiæ defenſoribus explicatur) *dicitur ſaltim æquivoce cauſa, quemadmodum* SERRA CEREA *ſerra &* VIRGO DEFLORATA *virgo dicitur*. Neceſt, quod excipiatur, ante conceſſum fuiſſe, cauſam efficientem per accidens ex parte effectus quandoque eſſe veram cauſam e. gr. fiſſorem ligni dum præter intentionem a tergo ſtantem lædit, eſſe veram cauſam læſionis. Nam ad hoc ante reſponſum fuit, non eſſe veram cauſam, quatenus eſt cauſa efficiens per accidens ex parte effectus. Sicut enim qui hominem quempiam improprie vocat brutum, adhuc negat eum eſſe animal irrationale,

non tamen id propter negat eſſe animal: Ita qui cauſam per accidens ratione intentionis tantum negat eſſe veram cauſam liberam, ideo non negat eam in alio ordine ſeu non qua talem eſſe veram cauſam. Imo ſi aliquid poteſt eſſe verum vulnus veraque læſio, utut non ſit vulnus intentum intentaque læſio, quidni aliquid poſſit adhuc eſſe vera cauſa efficiens vulneris ac læſionis, utut non ſit vera cauſa in ordine cauſæ liberæ ſeu vera cauſa ratione intentionis? Tandem nihil eſt, quod regeratur, hæc duo neutiquam ſe invicem tollere: In effectum influere atque cauſalitatem exercere proprie loquendo, &, accidentaliter influere. Item, eſſe veram cauſam, & eſſe veram cauſam, quamvis per accidens, cum homo per accidens ſit doctus, & tamen vere ſit doctus; Eqvus per accidens currat, & tamen vere currat. Nam quod eſt & recte dicitur cauſa per accidens ex parte effectus, hoc quia qua tale plane non eſt cauſa, adeoq; qua tale in effectum non influit nullamque cauſalitatem exercet, ideo qua tale nec accidentaliter, nec aliter influit, ſicque de eo dici nequit, quod ut cauſa per accidens ex parte effectus ſit vera cauſa, quamvis per accidens. Toto igitur cœlo differunt: vera cauſa qua talis, quamvis per accidens: & vera cauſa per accidens qua talis. Regeritur: Si cauſa per accidens ex parte effectus plane non

eſt

eſt vera cauſa, cur dicitur vera cauſa, quamvis per accidens? Reſpondetur: Nec dicitur vera cauſa per ſe, nec dicitur vera cauſa, ita ut per accidens dicatur vera cauſa, ſed dicitur vera cauſa per accidens. Regeritur: Is ſibi contradicit, qui ne quidem admittit aliquid eſſe veram cauſam, ita ut per accidens ſit vera cauſa, idem tamen veram cauſam per accidens vocat. Reſpondetur: Ergo etiam ſibi contradicit, qui negat virginem defloratam eſſe veram virginem, ſerram ceream eſſe veram ſerram; aſſerit tamen ſalva veritate, hanc eſſe veram virginem defloratam, hanc rem eſſe verã ſerram ceream. Regeritur: Ubi ergo manet veritas canonis: Quod per accidens tale eſt, eſt vere tale? Reſpondetur: Canonem manere veriſſimum, modo recte intelligatur. Senſus enim hic eſt: De quo aliquid accidentaliter prædicatur, de eo vere prædicatur. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſes: Ad prædicationem accidentalem requiritur, ut ſit vera. Sed quid hoc ad præſens? Nam quando dico: Petrus eſt hujus effectus e.g. læſionis cauſa per accidens ex parte effectus ratione intentionis & influxus ſimul, tunc de Petro nec eſſentialiter, nec accidentaliter prædicatur τὸ cauſam eſſe, ſed prædicatur de eo accidentaliter τὸ cauſam per accidens eſſe. Et quemadmodum qui ſalva veritate hanc prædicationem accidentalem: Thais eſt vera virgo deflorata; format, vere



Digitized by Google

& accidentaliter de Thaide prædicat τὸ eſſe veram virginem defloratam, non autem vere & accidentaliter de Thaide prædicat τὸ eſſe veram virginem: Ita nec qui ſalva veritate hanc prædicationem accidentalem: Petrus eſt hujus effectus e. gr. vulneris inflicti vera cauſa per accidens ex parte effectus ratione intentionis & influxus ſimul; format, vere & accidentaliter prædicat de Petro, τὸ eſſe veram cauſam, ſed τὸ eſſe veram cauſam per accidens. Ergo quod cauſa per accidens vocatur, non eſt tale (cauſa) per accidens, quia de eo non affirmatur τὸ eſſe cauſam, ſed τὸ eſſe cauſam per accidens: Unde quia plane non eſt tale, nempe cauſa, nec eſt vere tale. Argumentamur hunc in modum: Quicquid non eſt vere tale, hoc non eſt per accidens tale. Atqui cauſa per accidens qua talis non eſt vere cauſa. E. Cauſa per accidens qua talis non eſt per accidens cauſa. Major eſt manifeſta: Quippe omnibus notum eſt ad prædicationem accidentalem conſenſu omnium Logicorum requiri, ut ſit vera: Prædicationem, quæ vera eſt, Logici in eſſentialem & accidentalem dividunt. Minor ex antecedentibus liquet. Paucis; Quisquis ita colligit: Petrus eſt cauſa per accidens E. eſt vera cauſa; aut τὸ per accidens ſumit, prout afficit copulam principalem, ſicque ſignificat veram, ſed accidentalem, prædicati *cauſa* cum ſubjecto

hanc connexionem, & ita rectiſſime infert E. eſt vera cauſa: Sed hoc nihil facit ad præſens, quia dum de cauſa per accidens agimus, non agimus de eo, de quo accidentaliter prædicatur, quod ſit cauſa, nec unquam Ariſtotelici atque Ariſtotelicæ Philoſophiæ defenſores hunc terminum ita ſumſerunt: Aut τὸ per accidens accipit, ut eſt determinatio alienans rei cauſa ex parte effectus adjecta, ſed ſic non minus falſa erit hæc collectio: Eſt cauſa per accidens E. eſt vera cauſa; quam ſi ita collegiſſet: Non eſt vera cauſa E. eſt vera cauſa. Aut, Thais eſt vera virgo deflorata E. eſt vera virgo. Diabolus eſt DEUS hujus ſeculi 2. Cor. IV. 4. E. eſt Deus. Et hæc circa alterum argumentum dixiſſe ſufficiat.

VII. Nihil ſupereſt, quam ut diſpiciamus, quodnam illud crimen ſit, quo ſententia, uti quidem his quaternionibus a nobis tradita eſt, arguitur? Scilicet impietatis arguitur, eo quod ſtante hocce triplici aſſerto (I. Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus triplex datur: Ratione influxus tantum; Ratione intentionis tantum; Ratione intentionis & influxus ſimul. II. Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus qua talis non eſt vera cauſa. III. Cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentio- ſimul, illius cujus cauſa per accidens ex parte effectus ratione utriusque dicitur, prorſus

non eſt vera cauſa, ſive ea qua talis ſeu formaliter, ſive materialiter ſpectetur) ſequatur, Deum eſſe cauſam per accidens omnium ſcelerum, quæ ab impiis patrantur creaturis. Verum negamus & pernegamus conſequentiam, quæ ſic ſe habebat: Si cauſa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus & intentionis ſimul defenditur ac ita deſcribitur, prout in præcedentibus §§. factum eſt, ſequitur, Deum eſſe cauſam per accidens peccati. Negamus hanc conſequentiam & ſanctiſſime pernegamus. Et ut obiter hoc addam, Ampliſſima Facultas Philoſophica in Alma Salana noſtra (quamdiu indignus ego membrum Laudatæ Facultatis, nempe per hos novem annos fui) nunquam defendit, nunquam aliis, quibus prohibere poterat, non prohibuit defenſionem hujus aſſertionis: DEUS eſt cauſa per accidens peccati. Quid? quod Ampliſſima Facultas illis, qui vel hanc quæſtionem: An Deus ſit cauſa per accidens peccati? ſolius exercitii gratia quocunque modo ventilare aut ſolummodo attingere voluerunt, iſtud prorſus prohibuit. Horum enim theſes cenſuræ ſubmiſſas præſcitu & auctoritate Facultatis ego officio cenſoris functus antehac plus ſimplici vice expunxi & delevi.

§. 21. Huc usque egimus de

cauſa

Digitized by Google

cauſa efficiente per ſe & cauſa efficiente per accidens: Agendum nunc erit de effectu per ſe & effectu per accidens. Et quidem cum *effectus per ſe*, tum *effectus per accidens*, rectiſſime diſtinguitur in *talem ex parte cauſæ efficientis & talem ex parte effectus* ſeu ex parte ſui. NOTA.

Cum *cauſa efficiens per accidens* & *effectus per accidens* ſint oppoſita, quot modis unum illorum dicitur, tot & alterum dicetur.

§. 22. *Effectus per ſe ex parte cauſæ efficientis* eſt *ens, quod ab alio ente qua tali per veram & realem actionem in eſſe ſuo procedit*: E.gr. Ædificium eſt ædificatoris effectus per ſe ex parte cauſæ efficientis, quia aliud ens eſt architectus & aliud ens ædificium, & ab ædificatore qua tali ædificium per veram & realem actionem procedit in eſſe ſuo. NOTA.

Repetantur ea quæ *de cauſato pag.* 543.

*cauſato per ſe ex parte cauſæ* *pag. 768. & ſeqq.* item *de effectu* *pag. 870. & ſeqq.* ſupra *capit* *VIII. XII. & XV.* diſſeruimus.

§. 23. *Effectus per accidens ex parte cauſæ efficientis* eſt *ens quod ab alio ente non tamen qua tale per veram & realem actionem in eſſe ſuo procedit*: E. gr. Ædificium eſt Muſici effectus per accidens, ſi nempe Muſicus iſtud exſtruat, cum aliud ens ſit ædificium, aliud ens Muſicus, ipſumque ædificium a Muſico per veram & realem actionem, nempe ædificationem, in eſſe ſuo procedat, ſed non a Muſico qua tali, quia Muſicus ut Muſicus non ædificat, ſed ut ædificator.

§. 24. Quisque effectus per accidens ex parte cauſæ efficientis reduci poteſt, imo debet reduci poſſe, ad cauſam efficientem per ſe ex parte cauſæ efficientis. Ratio eſt, quia cauſa efficiens per accidens ex

par-

Digitized by Google

parte cauſæ efficientis & cauſa efficiens per ſe ex parte cauſæ efficientis ſemper ſunt unum idemque a parte rei: Ex. gr. Ædificii cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ efficientis datur, ſi Muſicus iſtud exſtruat, cauſa autem efficiens per ſe ex parte cauſæ efficientis eſt ædificator: Sunt igitur Muſicus & ædificator unum idemque a parte rei, nempe unum ſuppoſitum, quia Muſicus iſte eſt ſimul ædificator, & ut Muſicus iſtud ædificium non poterat exſtruere.

## NOTÆ.

I. Uſum hujus doctrinæ in Morali & Politica doctrina, item in Theologia & Jurisprudentia ſupra *in hoc ipſo capite not. 2. & ſeqq. ad §. 1. a pag. 1207. usque ad pag. 1223.* monſtravimus. Repetamus ex ſupra allatis exemplis: Unum Theologico-Morale, alterum Juridico-Politicum. Ita Socinianus fruſtra & impie urgebat hanc propoſitionem: Deus miſericors exigit ſatisfactionem pro peccatis; eſſe falſam, abſurdam, impiam,

Quan-

Quanta enim abſurditate ac impietate hoc dicatur, quisque videt, qui debito modo hunc effectum per accidens, qui nempe in hac propoſitione Deo miſericordi ut cauſæ efficienti per accidens ex parte cauſæ adſcribitur, reducit ad cauſam per ſe, Deoque juſto ut eſt juſtus, adſignat, ceu ſupra loco citato a nobis factum eſt. Hic namque exerit ſeſe uſus hujus aſſerti, quando docuimus, reductionem effectus hujusmodi per accidens ad cauſam per ſe eſſe quærendam in ipſa cauſa, quæ alio atque alio modo concepta & cauſa per ſe eſt, & cauſa per accidens. Pariter reductione tali opus erat quando de privatis Regis aut Principis actibus agebatur, quorum ſcilicet autor extiterat non ut Rex aut Princeps vel etiam non ut talis Rex aut talis Princeps, ubi iterum Rex aut Princeps, item Rex hujus Populi cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ dicebatur.

II. Qui diſtinctionem inter effectum per ſe ex parte cauſæ & effectum per accidens ex parte cauſæ rejicere doctrinamque de reductione effectuum per accidens ex parte cauſæ ad cauſas per ſe explodere non erubeſceret, forſan haud adeo diſſimilis futurus eſſet illi ruſtico, qui viderat epiſcopum quendam recognoſcere equitum turmas, non infula ornatum, ſed galero; non toga, ſed ſago. Admirans enim id ipſum, adiit mona-

nachum, quo jure id fieret, percontatus. Tandem accepto reſponſo, id fieri ab Epiſcopo, non ut Epiſcopo, ſed ut Duce militiæ, repoſuit: Quid vero fieret de epiſcopo, ſi Dux militiæ forte præda diaboli evaderet?

§.25. *Effectus per ſe ex parte effectus* ſeu ex parte ſui eſt *aliud ens quod qua tale ab alio ente per veram & realem actionem in eſſe ſuo procedit*: E.gr. ædificium eſt Muſici effectus per ſe ex parte effectus, quando nempe Muſicus iſtud exſtruit: Tunc enim ædificium qua tale per veram & realem actionem nempe ædificationem, in eſſe ſuo a Muſico procedit, non quidem ut Muſico, ſed ut Architecto.

*NOTA.*

Studio attulimus hoc exemplum, ut una conſtaret de diſcrimine inter effectum per ſe ex parte effectus, qui tamen non eſt effectus per ſe ex parte cauſæ efficientis, & inter effectum per ſe ex parte effectus, qui ſimul eſt effectus per ſe ex parte cauſæ efficientis. Quippe erat hoc exemplum effectus per ſe ex parte effectus priori modo ſumti, hoc eſt, ſimul

ad

Digitized by Google

ad cauſam efficientem per accidens ex parte cauſæ efficientis relati. Igitur recte dicimus: ædificium eſt effectus per ſe Muſici, quando ab ipſo exſtruitur, quia ſermo eſt de effectu per ſe ex parte effectus, quamvis ſimul ſignificetur effectus per accidens ex parte cauſæ efficientis: At qvum dicimus: ædificium eſt effectus per ſe ædificatoris, ſic ſpectatur effectus per ſe ex parte effectus, ut ſimul eſt effectus per ſe ex parte cauſæ efficientis. Facile hoc diſcrimen aſſequitur, qui modo attendit ea, quæ in præcedentibus expoſita fuerunt: Quia enim cauſa efficiens per ſe ex parte cauſæ & cauſa efficiens per accidens ex parte cauſæ a parte rei ſemper ſunt una eademque cauſa, ideo fieri aliter nequit, quam ut effectus per ſe ex parte effectus ſemper alio atque alio reſpectu ſit & effectus per ſe ex parte cauſæ & effectus per accidens ex parte cauſæ.

§. 26. *Effectus per accidens ex parte effectus duplex datur:* Primo enim eſt *effectus alius ab effectu per ſe* & dicitur *effectus per accidens, quia alicujus effectui per ſe accidit aut cohæret.* E.gr. Talis effectus per accidens ex parte effectus eſt motus utris reſpectu ejus qui tollit la-

lapidem utri impoſitum, quem ipſi impoſitum eſſe ignorat, adeoque non eo fine tollit, ut uter ſurſum feratur. Ipſe enim nec phyſice ſeu immediate influit, nec intendit: Non influit phyſice, quia ipſe utrem non movet, ſed levitas utri inſita: Non intendit, quia utrem adeſſe prorſus ignorat. Eſt igitur motus utris effectus per accidens ex parte effectus non modo ratione influxus, ſed etiam ratione intentionis, ſi nempe ad removentem lapidem utri impoſitum, quem ipſi impoſitum eſſe ignorat, utpote cauſam per accidens ex parte effectus referatur. *Secundo* effectus per accidens ex parte effectus datur, *qui a parte rei unum idemque eſt cum effectu per ſe ex parte effectus*, h. e. una eademq; res datur, quæ ſub alia ratione eſt effectus per accidens ex parte effectus, & ſub alia ratione eſt effectus

per ſe ex parte effectus. E. g. Si quis intuens ædificium flavum dicat: Hujus flavi cauſa efficiens fuit ædificator; is exprimit effectum per accidens ex parte effectus, quia hoc ædificium, quod omnino flavum eſt, adeoque hoc flavum, non tamen qua flavum, ſed qua ædificium agnoſcit ædificatorem veram ſui cauſam efficientem. Nam ædificator eſt cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ædificii ut ædificii, & tinctor eſt cauſa efficiens per ſe ex parte effectus ædificii ut flavi, adeoque ædificium ut flavum eſt ædificatoris effectus per accidens ex parte effectus, æque ac tinctoris effectus per ſe ex parte effectus vere dicitur.

NOTA.

Eſt hæc doctrina *Ariſtotelis*, quam ex diſtinctis textibus ſingulari ſtudio collegit B. *Stalius*, qui *ſupra cit. reg. 4. diſput. 7. §. 5.* videatur.

§. 27. *Effectus per accidens ex parte*

*parte effectus priori modo ſumtus* reducitur ad cauſam per ſe, dum nempe *reducitur ad illud unde in eſſe ſuo procedit.* Scilicet diſpar ratio eſt reductionis effectus per accidens ex parte effectus ad cauſam per ſe, & effectus per accidens ex parte cauſæ ad cauſam per ſe, quia effectum per accidens ex parte cauſæ reducimus, dum unam cauſam eſſe oſtendimus, cui alia ratione tribuitur effectus per accidens ex parte cauſæ, ut cauſæ per accidens, & alia ratione ad eam ut cauſam per ſe reducitur: At effectus per accidens ex parte effectus non eſt verus effectus illius, reſpectu cujus effectus per accidens ex parte effectus dicitur, ſi ſit ſimpliciter ejus effectus per accidens ex parte effectus.

*N O T Æ.*

I. Dicitur: ſi ſit ſimpliciter ejus effectus per accidens ex parte effectus. Nam fieri poteſt, ut effectus per accidens ex parte ef-

fectus priori modo, quem ſupra §. 27. explicuimus, accipiatur, nec tamen ſit ſimpliciter effectus per accidens ex parte effectus, ſed ſimul effectus per ſe ex parte effectus in alio ordine cauſæ efficientis, ut tamen interim in alio ordine cauſæ efficientis effectus per accidens ex parte effectus maneat. Utrumque exemplis illuſtrabimus: Ita ſpoliatio ac cædes filii eſt Patris mittentis filium effectus per accidens ex parte effectus ſimpliciter ſic dictus, quia non influit Pater in ſpoliationem & cædem, non etiam intendit ſpoliationem & cædem, ſed prorſus præter ipſius intentionem & absque ipſius phyſico influxu accidit. Imo dolet, quando ipſi tale quid narratur. Contra effectus per accidens ex parte effectus ſecundum quid, ſeu tantum in certo ordine eſt inventio theſauri reſpectu ejus, qui fodit agrum & præter intentionem invenit theſaurum: Non enim negari poteſt, quod inventio theſauri ſit fodientis agrum & theſaurum præter intentionem invenientis effectus per ſe ex parte effectus, quia (verba ſunt B. *Stahlii Suarezium* ſecuti) *phyſice loquendo, & quantum ad ipſum actum inveniendi* is qui inter fodiendum invenit theſaurum, *non minus vera cauſa eſt, quam ſi ſtudio quæſitum theſaurum inveniret*. Manet interim inventio theſauri effectus per accidens ex parte effectus ſecundum quid ſeu tantum in certo ordine, hoc eſt

eſt effectus per accidens ratione intentionis, quia nõ eſt effectus liber. Pariter effectus per accidens ex parte effectus ſecundum quid ſeu tantum in certo ordine eſt illuminatio reſpectu removentis valvas ea intentione, ut illuminetur conclave; Certum namque eſt illuminationem eſſe ipſius effectum liberum per ſe ex parte effectus. Interim non eſt effectus phyſice ſeu immediate ab ipſo productus.

II. Hæc omnia eo facilius intelliguntur, ſi in memoriam ſedulo revocentur, quæ ſupra, de cauſa efficiente per accidens ex parte effectus tradebantur.

III. Factum, ut Rex quidam mutato habitu peregre proficiſceretur, de ſe judicia ab hoc illove ſubdito expiſcaturus. Proinde nactus ruſticum, variam injicit ſermonis anſam; quo accidit, ut iſte, quicquid unquam ſeu laude dignum ſeu vituperio de Rege inaudiſſet, proderet libertime. Tandem quæſitum: Anne unquam vidiſſet Regem? negat. Tum Rex: Quem, inquit, urbem mecum iniens a præfectis nudatis capitibus videris excipi, Regem eſſe ſcito. Sic ventum ad ſtationes, miles ſubito coit, præfecti aperiunt capita; omnes, quod ſolet præſente principe, operoſe peragunt. Hic iterum a comite ſuo interrogatus homo quem jam cenſeret Regem, Pol, inquit, alteruter noſtrum fuerit. Conſimiles admodum huic credimus,

qui doctrinam de effectibus per accidens & reductione eorundem ad cauſas per ſe tanquam inutilem ſpernunt.

§. 28. *Effectus per accidens ex parte effectus poſteriori modo ſumtus reducitur ad cauſam per ſe, dum oſtenditur, unde qua talis per veram & realem actionem in eſſe ſuo proceſſerit*: E.g. ad cauſam per ſe, ædificatoris effectus per accidens reducitur, quando indicatur, ædificium hoc quod flavum eſt, non ab ædificatore habere, ſed a tinctore.

§. 29. De cætero quemadmodum ſupra §. 5. cauſa efficiens per accidens ex parte effectus triplex tradebatur: Una ratione influxus tantum; altera ratione intentionis tantum; tertia ratione influxus & intentionis ſimul; Ita facile eſt mutatis mutandis *effectum per accidens ex parte effectus* triplicem tradere: Unum *ratione influxus tan-*

*tantum*; Alterum *ratione intentionis tantum*; Tertium *ratione influxus & intentionis ſimul.*

*NOTÆ.*

I. Præſtat hæc doctrina inſignem uſum in Theologia, hocque titulo a *Melanthone* Theologiæ ſtudioſis commendatam fuiſſe, ſupra *pag. 1286.* vidimus. Adeamus hiſtoriarum ſacrarum libros: Indigna Iſraelitas ſervitute preſſerant Ægyptii laboribusque attriverant immenſis, indignati advenarum felicitatem. Quod ipſum non ultra laturum Numen Moſen ex ardenti rubo compellatum amandabat, qui populi urgeret libertatem. Sed initio usque eo nihil profecit Moſes, ut Rex populi, quem dimittere abnuebat, labores juberet duplicari. Quis diceret Moſen vel duplicaſſe labores, vel ea intentione veniſſe, ut labores duplicarentur *Exod. III. & V.* Erat igitur MOSES nullatenus vera cauſa laboris duplicati, ſed cauſa per accidens, quem tamen Iſraelitæ *Exod. V, 21.* habebant ex errore pro vera cauſa. Devictis Midianitis, qui Iſraelitas ad extremam redegerant egeſtatem GIDEON injuſſu Dei veſtem e manubiis ſacravit, quo animo? diſputant Interpretes. Certe ſuperſtitioni anſam dedit, quod poſtea ſpolium illud inceſta religione coleretur *Jud. VIII.* cum DAVID inaudiſſet,



Digitized by Google

Saulis juſſu Ahimelechum cum Sacerdotibus miſere trucidatum, dixit ad filium Ahimelechi: *Cognovi in illo ipſo die, quoniam ibidem Doeg Edomita, quod renuntiando renuntiaturus ſit Saulo, Ego circumdedi in omni anima* (omnem animam) *domus Patris tui.* Hic jam disquirunt Interpretes, num David cauſa moralis per ſe cædis LXXXV. Sacerdotum fuerit, idque ex verbis Davidis adductis colligi poſſit, dum teſtatur, cædem Ahimelechi ſacerdotumque reliquorum non fuiſſe ſecuturam, niſi fraude circumveniſſet Ahimelechum, gladio Goliathi panibusque per ficta mandata emendicatis. In disquiſitionem quoque vocatur, quid de AHIMELECHO dicendum? *1. Sam. XXII.* Siphitarum proditione certior factus Saul, ubi David deliteſceret, denuo ipſum acerrime perſequebatur. Et tum quidem, ſi unquam ad triarios res rediit: nec ulla elabendi ſpes armis undique circumclauſo. Sed quid fit? Rege juveni fortiſſimo jam imminente, advolat qui Philiſtæos excurriſſe, cunctaque regionis depopulari nunciaret. Sic avocato Rege David certiſſimum vitæ periculum evaſit, nec tamen PHILISTÆOS cauſam per ſe liberationis ratione intentionis quisquam dixerit. *1. Sam. XXIII.* Abſalonem ex prælio, contra Parentis copias inito, profugum perdecora cæſarie quercui illigari videt miles; nec mora:

ra: Joabus quippe notata HOMINIS vecordia, quod perduellem non trucidaſſet, Abſalonem, meritum quidem hanc impietatis pœnam, tribus haſtis confodit *2. Samuel. XVIII.* NAAMAN Regis Syriæ præfectus lepra pollutus & ab Eliſa Propheta ſanatus promiſit, ſe nolle in poſterum Deorum falſorum genua incerare, ſed vero Israelis DEO thura allaturum fore, ut ſibi ſemper benignum ac propitium habeat, ſi in æde Rimmonis, quam Rex Syriæ ſæpe adorationis gratia viſitabat, ſe incurvaret, ut quod officium ejus erat, Regem humeris ſuis ſuſtentaret, *2. Reg. V, 17. 18.* Quæri ſolet, num Naaman ante converſionem fuerit cauſa moralis per ſe idololatriæ a Rege exercitæ, poſt converſionem vero reſpectu ejuſdem idololatriæ ab eodem Rege commiſſæ dici poſſit cauſa moralis per accidens ex parte effectus? Sed ne multis moremur, ad præſentis materiæ utilitatem commendandam ſufficere credimus, ſi *Theologiæ* & *Moralium* cultores cumprimis ad doctrinas de *ſcandalo* ut & de *fato* remittamus, in quibus certe, ſi ullibi, uſus hujus capitis luculentiſſime ſe exerit. Illud adhuc obiter addimus, ſæpenumero ab adverſariis Sacro Codice turpiter abutentibus pro cauſis per ſe venditari, de quibus apud Orthodoxos ſatis ſuperque conſtat, nullo modo nullaque ratione cauſas dici

poſſe. Capiamus unum vel alterum exemplum: Joſephus morti vicinus cum pietatis certæque gentilibus ſuis fiduciæ eſſet monumentum relicturus, teſtamento ſanxit, ut Ægypto egredientes oſſa ipſius ſecum asportarent, & promiſſo Patribus ſolo conderent. Quo ipſo Papicolæ ſua de reliquiis ſanctorum (etiam quorum nomina ignorantur) ſtabilire ſatagunt, neſcias quorum exſiccata Sole oſſa pro ſanctorum membris venditantes. Eo ſpectant illæ conſequentiæ ex Monachalibus locis cauſarum deductæ: Quia DEUS creavit hominem ad imaginem ſuam, ideo imagines in templis cultus gratia ſunt collocandæ, & ita collocatæ tolerandæ. Quia Chriſtus in oratione, quam Dominicam vocamus, juſſit petere panem quotidianum, ideo Laicis non eſt porrigendus calix. Et quæ ſunt ſexcenta hujusmodi alia nugamenta, quæ non ex Axiomatibus Metaphyſicis & Locis Analyticis, ſed regulis ſanctæ ſuæ, ſi Diis placet, prudentiæ deducenda eſſe cenſent.

II. Pariter *Jurium* Cultoribus paſſim obveniant oportet exempla cauſæ moralis per ſe & cauſæ moralis per accidens ex parte effectus. Annon enim exempla ſatis manifeſta *Ulpianus L. Item Mela 11. D. ad Legem Aquiliam* exhibet verbis ſequentibus: *Item Mela ſcribit: Si cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percuſſa, in tonſoris manus eam deje-*

jece-

*jecerit: & ſic ſervi, quem tonſor radebat, gula ſit præciſa adjecto cultello: in quocunque eorum culpa ſit, eum lege Aquilia teneri. Proculus, in tonſore eſſe culpam. Et ſane: ſi ibi tondebat, ubi ex conſuetudine ludebatur, vel ubi tranſitus frequens erat: eſt, quod ei imputetur. quamvis nec illud male dicatur, ſi in loco periculoſo ſellam habenti tonſori ſe quis commiſerit, ipſum de ſe queri debere.* Plures caſus *eadem lege* adducti ibidem videantur. Et ſane extra dubitationem ponimus cauſam moralem per accidens ex parte effectus a minus cautis non raro haberi pro cauſa morali per ſe ex parte effectus, & contra, idque cum magno innocentium damno ac nocentium lucro. Unde in moralibus & forenſibus negotiis hujus rei inquiſitio ſæpe magnam diligentiam deſiderat. Notum eſt, quam graves difficultates & a *Politicis* & a *JCtis* magni nominis moveantur circa illam quæſtionem: *An & in quibus caſibus ei, qui immediate actionem patrat, illa penitus non imputari debeat, ſed alteri, qui eandem imperavit?* Et huc ſpectat *l. Is damnum 169. D. de diverſis regulis Juris*, quando *Paulus* JCtus ita pronunciat: *Is damnum dat, qui jubet dare: Ejus vero nulla culpa eſt, cui parere neceſſe ſit.* Item, dum *Ulpianus l. ad ea 157. eod. tit. Ad ea*, ait, *quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſervis, ſi vel dominis, vel his qui vice dominorum ſunt (veluti*

*tutoribus & curatoribus ) obtemperaverint.* Quam ſane arduam & difficilem quæſtionem unice ea fini tangimus, ut Jurium cultori Metaphyſicæ doctrinæ de cauſis per ſe & per accidens probe gnaro ampliſſimum hujus doctrinæ uſum in memoriam revocemus. Innumeri caſus recenſeri poterant, ad quos uſus præſentis doctrinæ ſe extendit, niſi in re adeo manifeſta nollemus morari.

III. Hiſtoriarum profanarum monumenta excutienti ſæpe occurrunt exempla causarum per ſe vel per accidens moralium facilima, ſæpe valde intricata. Liceat unum vel alterum adducere: Cum Ptolomæus, quem Romani in regnum poſtea reſtituerunt, primo ſocius & amicus a Senatu P. Q. Romano dictus eſſet, magna lætitia publica & concurſus fuit. Erant & Romani in turba: atque inter eos miles caſu (non enim ſponte) felem occidit, clamor, ira, tumultus. Non inſcitia miſeri, non Romani nominis reverentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miſerat ad ſedandum & deprecandum: Nihil horum juvit, quin ille ſtatim millenis manibus diſcerperetur, ſic ut nec funeri aut rogo aliquid ſupereſſet. Quis non diceret, Romanum militem nullatenus fuiſſe veram cauſam ſuæ cædis, fuiſſe tamen ejus cauſam per accidens ex parte effectus. Addamus aliud: Romam olim Arnul-

Digitized by Google

nulphes Imperator miro ac ridendo caſu occupavit. Acie diſpoſita factum forte, ut ex dumeto proſiliret lepuſculus, quem ubi miles huncque alii atque alii cum clamore ſeqvuntur, Romani in muris excubantes, impetu hoc ſe peti putant, metu dilabuntur facilemque hoſtibus irrumpendi præbent viam. Sic lepore duce capta a leonibus urbs, mundi domina. Sed quis de eo ambigeret, longe aliud factum eſſe, atque primus miles leporem inſectans exiſtimaverat, qui adeo cauſa per accidens extitit. Unicum adhuc adjiciamus: Anno 1500. in quodam Saxoniæ oppido contigit, divitem mercatorem negotiationis cauſa domo proficiſci, relicta domi uxore, filia unica & ancilla, quibus clam lictor civitatis in cella domus ſeſe abſcondens, ibidem ancillam primo, quæ ad promendum vinum deſcenderat, poſt filiam, quæ diutius morantem accerſitum venerat, demum & matrem ipſam atque ita domum totam crudeliter obtruncavit, deinde bona omnia ſecum abſtulit. Senatus effractis domus jam aliquamdiu clauſæ foribus, omnia perluſtrans, nil præter tria cadavera iſta reperit, certo reputans a Patrefamilias tam crudele facinus perpetratum. Qui nihil tale ſuſpicans cum peracta negotiatione domũ revertitur, ſtatim capitur, torquetur, tormentorum vi ad confeſſionem ne cogitati quidem

ſce-

ſceleris adigitur; quid plura? ab ipſo lictore ſupplicio afficitur. Sed non multo poſt inter jurgia a propria uxore homo nefarius pro merito ſupplicio, forcipibus candentibus, carne fruſtatim diſcerpta, pœnas luit. *Conrad. Lycoſth. in theatro vitæ humanæ lib. 15. anno 1500.* Certe nullum dubium eſt, quin in tali caſu Senatus noluerit haberi pro vera cauſa ratione intentionis, hujus ſcilicet rei quando innocens a nocente torquebatur, ad confeſſionem ne cogitati quidem facinoris adigebatur, occidebatur. Sed miſſis his exemplis, unum aut alterum adferamus, quo occaſio ventilandi dubios caſus præbeatur. Xerxes, qvum accepta clade e Græcia in Aſiam ſe reciperet, & a ſtrimonia ingenti vento vexaretur, maxime quod navis referta vectoribus erat: Nam ſuper contabulationes erant frequentes Perſæ, qui cum Xerxe vehebantur; metu perculſus cum clamore interrogavit gubernatorem, num qua ſalus eis eſſet? Et qvum ille reſpondiſſet: Here, nulla admodum eſt, niſi aliqui ex his vectoribus abeant: Tum Rex iſta locutus eſt: Viri Perſæ, nunc aliquis veſtrum declaret, ſe curam habere Regis: In vobis enim videtur ſita eſſe ſalus mea. Quæ ubi dixiſſet, illi, eo adorato, deſilierunt in mare, ac ita levata navi Xerxes incolumis in Aſiam pervenit. Ubi qvum in terram egreſſus eſſet, gubernatorem, quod Regis vitam

tam

Digitized by Google

tam ſervaſſet, corona donavit aurea: quod autem multos Perſarum perdidiſſet, decollavit. Refert idem exemplum ex *Herodoti l. 8.* B. *Slevogtius diſſert de cauſa morali* §. *61.* pag. *728. edit. nov.* & addit: *Nempe quia dixerat gubernator, navem cum rege ſervari non poſſe, niſi aliqui eorum, qui vehebantur, exirent, & hoc dicto Regem moverat, ut aliquos Satraparum ſuorum peſſum ire juberet; interitus eorum gubernatori imputabatur, ut qui Regi talia locutus impediverit, quo minus illi ſervarentur, quod tamen, an jure ſit factum, in quæſtionem venire poteſt.* Hæc *Slevogtius.* Simile exemplum fere habet *Arrianus libro Septimo:* Cum aliquando Alexander non procul a Babylone in paludibus navigaret, ingens ventus diadema, regium capitis ornamentum, abripuit, ut illud arundini adhæreret. Nauta inde avulſum non manu geſtavit, ne natans madefaceret, ſed capiti impoſitum attulit: Alexander huic in præmium diligentiæ talentum dari, ſed dein caput amputari juſſit. Inſerit ſe his exemplis Leontii Philoſophi cujusdam Athenienſis filia, Athenais nomine, multo ingenii corporisque lepore, aut venere. Pater occulto aliquo de fortuna ejus præſagio, omnes opes moriturus duobus filiis reliquerat; huic ſolos centum aureos, cum elogio, *ſuffecturam ei fortunam ſuam.* Igitur cum fratribus litigat, ut injuria affecta.

Sed

Digitized by Google

Sed infirmior ſexus aliam etiam accipit, & pulſa ab iis Conſtantinopolin venit, ut viam futuræ magnitudini aperiret. Inſinuat ſe, & commendat cauſam Pulcheriæ Imperatoris ſorori: cui ſtatim ita placuit, ut percontata, ecquid virgo eſſet, in aulam acceperit, ſed baptiſmo, rudem ad id Chriſtianæ religionis, prius ablutam. Nomen ejus in Eudociam mutat: Ac ſic denique amat, ut fratri Theodoſio, apud quem omnia poterat, conjugem deſponderet. Hem, aſcenſus? ſed ecce & dejectio. Nam diu felix eo conjugio, amata & amans, in ſuſpicionem probri incidit, hac cauſa. Imperator inſigne & prægrande pomum dono acceperat: quod porro uxori ſuæ blandiens transmiſit. Accepit illa & idem mox Paullino, facundo & erudito viro, ideoque eruditæ fœminæ caro, nihil ſequius cogitans dedit. Quod ille, ignarus unde eſſet, iterum Imperatori ut regium aliquod munus offert. Mirari ille, & primum ambigere; mox agnoſcere, & ſuſpicari. Atque ita propere ad uxorem veniens, callide pomum ab ea repetit, antea donatum. Hæc totius facti ignara temere & juveniliter aſſerit, ſeſe ediſſe: iterumque rogata dicit, atque adeo jurat. Imperator ſerio tum offenſus, & mendacii arguens, pomum profert. Nec ſatis. De amore occulto & improbo ſuſpicatus, Paullinum occidit, illam abdicat & relegat. Militis cujus

Digitized by Google

ejusdam factum & dictum ſubjungemus. Legaverat Auguſtus moriens militibus certam pecuniæ ſummam, poſt mortem diſtribuendam. Sed Nero, qui avarus admodum erat, diu poſt mortem nihil adhuc diſtribui curaverat. Erat autem miles, qui ſperabat, joco quodam ſe impetraturum, ut pecunia exſolveretur. Hinc ad mortui militis loculum accedebat, ſiſtere juſſis bajulis, quaſi aliquid dicturus eſſet mortuo commilitoni. Cum hoc Nero videret, explorare ſtatim juſſit, quidnam miles ille vellet. Tum renunciatum eſt Imperatori, ipſum monuiſſe commilitonem, ut Auguſto nunciaret, legata ſua nondum eſſe diſtributa: Nero autem miſeri hominis jocum contrario, ſed crudeli, eludens joco, occidi eum juſſit, ut ipſe nuncium ad Auguſtum rectius perferret. Huc forte ſequens exemplum ſub circumſtantiis a *Livio* commemoratis trahi poterit. Ita enim ille *lib. I.* Noviſſimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit. Nihil enim per iram aut cupiditatem actum eſt, nec oſtenderunt bellum prius quam intulerunt. Conſilio etiam additus dolus. Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci. Hujus filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat. Aquam forte ea tum ſacris extra mœnia petitum ierat, accepti obrutam armis necavere: ſeu ut vi capta potius arx videre-

tur,

tur, ſeu prodendi exempli cauſa, ne quid usquam fidum proditori eſſet. Additur fabula, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna ſpecie annulos habuerint, pepigiſſe eam, quod in ſiniſtris manibus haberent, eo ſcuta illi pro aureis donis congeſta. Sunt qui eam ex pacto tradendi quod in ſiniſtris manibus eſſet, directo arma petiſſe dicant: & fraude viſam agere, ſua ipſam peremptam mercede.

IV. Doctrina de effectibus per ſe & per accidens certiſſimum quoque uſum præbet ſequentes ſimilesque caſus decidere volentibus. Notabilis ſimul & tragicus caſus eſt, qui tempore *B. Lutheri* olim Erffurti obtigit, ceu ipſe teſtatur, eundemque totidem verbis in *Comment. in Gen. c. XXXVI.* refert. Erphordiæ puella quædam ex honeſta familia & pudica cuidam ſervivit diviti mulieri viduæ: Ejus filius adoleſcens captus forma & amore puellæ ſollicitavit eam ad concubitum: Indignum facinus averſans puella (ut honeſtam decet) aliquoties a ſe repulit adoleſcentem furioſum. Mater, re deliberata, init rationem cum puella jubetque in filii amorem conſentire, & certam horam, qua convenire & rem perficere tutiſſimum videretur, conſtituere. Se enim eo ipſo tempore conſtituto ejus occupaturam lectum & hac occaſione filium tam indigna conantem repreſſuram. Conſilium

pro

probat puella, init pactum, hora noctis præfiׅta adeſt, petens ex pacto concubitum puellæ. Mater, quæ antea Filii furores, hac arte cohibere ac frenare conſtituerat, victa libidine & inſtinctu Diaboli, filio proſtituit corpus. Naſcitur ex indigno & inceſto concubitu fœmella, quam expoſitam & ab aliis educatam mater tandem ad ſe recepit, mota affectu materno. Idem Filius harum rerum omnium ignarus, & hanc amare cœpit, ſibiq; uxorem dari poſtulat: Mater in ſummis anguſtiis conſtituta dehortatur filium & reluctatur, quantum poteſt, cupiditati illicitæ: ille, invita & repugnante Matre, dat fidem puellæ ducitque eam in uxorem. (Nam eo tempore uſitata & rata erant clandeſtina ſponſalia) Poſt nuptias mater dubia & deſperabunda ſibi ipſi vult inferre manus violentas, angitur enim de inceſtu, qui fieret inter conjuges ſingulis noctibus, nec poterat conjugium dirimere. Cum autem ſola conſcia eſſet, nec ſola poſſet ſuſtinere amplius dolorem & anguſtiam animi, accedit confeſſorem, negotium exponit & petit ab eo conſilium & conſolationem. Ille incertus & attonitus atrocitate rei, non habet, quod conſulat. Itaque JCtis idem caſus offertur, hi quoque de jure ambigunt, ut in caſu inuſitato & cenſent committendum eſſe divinæ bonitati. Verum id non ſatis erat, nec dum

 libe-

liberata erat conſcientia a dubitatione & deſperatione. Tandem ad Theologorum collegium defertur res, hi optimam ſententiam tulerunt. Primo quærebant, an ſciret filius conjugem ſuam eſſe Matris filiam conceptam ex ſuo ſangvine. Mater negavit eum id ſcire. Solus Deus, inquit, & ego conſcia ſum. Deinde interrogabant, an eſſet bonum conjugium & quomodo inter eos conveniret. Optime, inquit. Decreverunt ergo adflictæ conſcientiæ Matris abſolutione conſulendum eſſe, Filio autem matrimonium jam diu ſponſalibus ac ſolennitatibus nuptiarum copulaque carnali confirmatum concedendum. Matrem enim eſſe unicam perſonam, quæ non poſſet probare rem, & ſecutura ingentia mala diſtractionem conjugum. Hæc Megalander *Lutherus*. Exemplum *Ariſtoteles* adfert de Merope. Hæc enim Polybii Regis Corinthiorum uxor, interfecto uno filio, cum in alterum incidiſſet, & eum interimere voluit, ignorans eſſe filium, exiſtimans eſſe ſicarium quendam & hoſtem ſuum, qua de re periit elegantiſſima Euripidis Tragœdia Creſphontes, quam latine vertit Ennius, teſte Cicerone. Eodem modo Oedipus patrem proſtravit, & cum matre nuptias contraxit. Sic in ſacris Jacob patriarcha fraude Labanis ſoceri, cum putaret ſe cum ſponſa Rahele cubare, cum ejus ſorore Lea concubuit. Accidit

dit aliquando, ut vidua honeſta ac pudica citius quam in urbem reverti poſſet, nocte oppreſſa in molam ſe reciperet & a molitore noctem peteret, qui ea lege, ut ſecum concumbat, admiſit. In dubio eſt animus, ſtupet, huc illuc impellitur, conſentit tandem, conveniunt de loco & hora. Viduæ quorſum eventurum hoc ſit curæ eſt, qui tamen ſe expediat, reperit. Abit intro & molitoris uxori rem omnem aperit. Conſilium capiunt, viſum eſt utrique viro aliquam adferre fallaciam, permutant veſtes: Uxor, quam miris modis maritus dudum odiſſe cœperat & cum qua nunquam rem habuerat, viduæ faciem mentita in locum conſtitutum ſe confert. Venit maritus, ſuamque, quam viduam eſſe putabat, uxorem comprimit, abit & ſervo pariter animum explere præcipit, idque loquitur, quo magis libido incendatur. Approperat ſervus, vicem ſupplet. Oritur diluculum, vidua ſuas veſtes induta, molitorem graviter corrigit, fallaciam uxore teſte oſtendit, integra exit. Servus poſt fornacem hæc audiens ſibi male metuit. Molitor ſe deceptum ſentit. Harsdörffer im Schauplatz Luſt und Lehrreicher Geſchichte *Cent. 2. Hiſt. 79. pag. 298.* Inveniamus doctiſſimos Viros, quibus in decidendo placet Metaphyſica diſtinctio effectus per accidens in totum & in tantum: Aliis perplacet diſtinctio ſu-

pra §.26.&ſeqq.p.1326.&ſeqq. tradita inte
effectum per accidens priori & poſterio
modo ſumtum: Verum res tandem eoden
redit, quicunque modus loquendi placuerit
Rectiſſime dici credimus, filium viduæ, quo
exemplum primo loco adferebatur, nec cau
ſam per ſe nec cauſam per accidens in totum
fuiſſe. In tantum enim erat prioris concubi-
tus, nempe concubitus cum propria matre
cauſa per ſe ratione intentionis, inque genere
morum, in quantum ſpectatur non ut concu-
bitus cum matre, ſed ut concubitus cum non
ſua, item ut concubitus illicitus, quia ipſe
probe noverat ſe ſolutum ſicque cum non
ſua rem habere: In tantum vero erat illius
concubitus non cauſa ratione intentionis,
non cauſa in genere morum, cauſa per acci-
dens ratione intentionis, in quantum conſi-
deratur ut concubitus cum matre, ut ince-
ſtus, cujus tamen inceſtus mater fuerat cau-
ſa per ſe ratione intentionis, cauſa per ſe in
genere morum: Pariter poſterioris concu-
bitus, nempe concubitus cum propria filia
& ſorore ſimul, in tantum erat quidem cauſa
per ſe ratione intentionis, in quantum ſpe-
ctatur non ut concubitus cum filia & ſo-
rore ſed ut concubitus cum fœmina volun-
tarius: In quantum vero conſideratur, ut
concubitus cum filia ſimulque cum ſorore,
ſic non erat cauſa per ſe ratione intentionis,
cauſa

Digitized by Google

cauſa per ſe in genere morum, quia ipſe laborabat ignorantia invincibili, atque adeo erat cauſa moralis per accidens ex parte effectus, hoc eſt, non cauſa. Nec minus recte pronunciatur, in priori caſu concubitum cum propria matre, ſed non ut concubitum cum propria matre, fuiſſe filii effectum per ſe ratione intentionis, inque poſteriori caſu concubitum cum filia & ſorore fuiſſe patris & fratris effectum per ſe ratione intentionis, ſed non ut concubitum cum filia & ſorore.

V. Colophonis loco notamus, utrumque veriſſimum eſſe, & omnem cauſam per accidens reduci poſſe ad cauſam per ſe, &, non omnem cauſam per accidens reduci poſſe ad cauſam per ſe, modo cum grano ſalis accipiatur. Nam hoc certiſſimum eſt, non omnem cauſam per accidens moralem reduci ad cauſam per ſe moralē poſſe. Repetatur, ſi placet, exemplum ſupra *cap. 25. §. 1. not. 2. p. 1109.* allatum, & addantur ſequentia: Tum mulierem ignaram (Dux Carolus) eo mittit: quæ inopinato iterum caſu conterrita, duobus maritis eodem fere tempore, eodem certe ſupplicio amiſſis, mox in morbum incidit, & cito obiit; Hoc ſolum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priore conjugio divites relinqueret nova hæreditate. In hoc exemplo Dux CAROLUS erat mortis fœminæ cauſa per accidens Moralis ſeu ratione intentionis:

At fruſtra reductio cauſæ per accidens moralis ſeu ratione intentionis ad cauſam per ſe moralem ſeu ratione intentionis hic quæritur. Capiamus aliud exemplum: POLYCRATES, Samiorum Tyrannus, adeo fortunam habuit obſequioſam, ut omnia optata conſequeretur & quicquid aggrederetur, efficeret. Is ne omnis incommodi expers eſſet, admodum gratum ſibi annulum de induſtria in profundum abjecit: Quem tamen continuo recuperavit, capto piſce, qui eum devoraverat. Ecquis dubitat Polycratem hic fuiſſe recuperati annuli cauſam per accidens moralem ſeu ratione intentionis: Hoc enim ſupponimus ipſum contra intentionem ſuam annulum recuperaſſe, ceu *Cicero* & *Valerius Maximus* teſtantur. *Polycratem*, ſcribit *Cicero*, *felicem appellant. Nihil ei acciderat quod nollet, niſi quod annulum, quo delectabatur, in mare abjecit. Ergo infelix una moleſtia Felix rurſus, cum is ipſe annulus in præcordiis piſcis inventus eſt. lib. 5. de finibus.* Ad quem vero hominem ut cauſam per ſe moralem ſeu ratione intentionis hic effectus reducetur? Aliter tamen judicandum venit de quacunque cauſæ per accidens ad cauſam per ſe reductione. Nam mere apparens contradictio eſt, quando *B. Stalius* & alii ante & poſt ipſum, ad omnem effectum per accidens omnino requirunt, ut reduci poſſit ad cau-

ſam

ſam efficientem per ſe. Hi enim non agunt præciſe de cauſis ratione intentionis. Accedit, quod ipſis perinde ſit, quomodocunque tandem effectus per accidens ad cauſas per ſe reducantur. Ita inventio theſauri eſt effectus per accidens ratione intentionis, dum quis fodit agrum, & præter intentionem theſaurum invenit: Reduci vero hic effectus poteſt ad cauſam per ſe phyſicã, nempe ad ipſum invenientem. Sed hac de re non eſt, cur prolixius agamus. Videatur interim, ſi lubet, *B. Stablius* aliquoties citata *regula 4. diſput. 7.*

## Caput Vigesimum Octavum

## De

# USU PRACTICO DOCTRINÆ DE CAUSA EFFICIENTE.

§. I.

Primus uſus practicus eſt ſibi aliisque perſpectum reddere, quidnam in Moralibus, Politicis, Theologia, Jurisprudentia ſit hujus vel iſtius actionis aut negotii cauſa efficiens? Omnes enim hæ ſcientiæ ſunt de actionibus. Ubi hæc tria notanda veniunt: I. Cauſa effi-



Digitized by Google

ciens, quæ communiter nomine agentis nuncupari ſolet, eſt perſona. II. Ex parte cauſæ efficientis dantur neceſſaria requiſita, cum primaria, tum ſecundaria, hæcq; quo accuratius ab invicem diſtingvuntur, eo ſolidior doctrina practica ſperari poteſt. III. Quæſtio de cauſa efficiente in practicis diſciplinis pro materiarum varietate variis modis effertur. Et huc in primis ſpectant QVIS? CUIUS? CUI LICEAT? QVEM OPORTEAT? A QVO? CUIUS AUTORITATE? CUIUS INSTINCTU? PER QUEM? CUIUS OPE VEL AUXILIO? QVIBUS ADMINICULIS? Hæ enim quæſtiones & plures recte intellectæ hunc genuinum ſenſum parere poſſunt: Quænam ſit cauſa efficiens? adeoque quæſtiones dicuntur de cauſa efficiente.

*N O T Æ.*

I. Quia nulla actio Moralis, Politica, Theo-

Theologica aut Forenſis datur, niſi ſit actio libera, facilime datur aſſequi, cur cauſæ efficientis titulo in Moralibus, Politicis, Theologicis aut Forenſibus negotiis nihil nuncupetur, ſeu quod idem eſt, nullum ens in *Morali* & *Civili Philoſophia, Theologia* ac *Juriſprudentia* agentis nomine veniat, niſi ſit perſona, aut ſeſe habeat per modum perſonæ, quod poſterius de anima in ſtatu ſeparato intellectum volumus. Et hac de re ſupra *cap. XVII.* & *ſeqq.* ſatis actum fuiſſe confidimus.

II. Notitia haud vulgaris primariorum & ſecundariorum requiſitorum cauſæ efficientis ſtudiis practicis magnum momentum adfert: Qua de re ſequentia generalis fundamenti loco notare libet. *Materiale cauſæ efficientis*, quando de actionibus Moralibus, Politicis, Theologicis, Forenſibus ſermo eſt, diximus eſſe perſonam, adeoque ſi de actionibus ac negotiis humanis verba fiant, hominem. *Ratio cauſandi ex parte taliſmodi cauſæ efficientis* eſt liberum ejus, quod agentis nomine venit, arbitrium, hoc eſt, voluntas, ut gaudet ſua libertate; Ideo in mere humanis actionibus, infantis, furioſi, amentis nulla habetur ratio, nec perſonarum nomine in Philoſophia de negotiis & actionibus humanis, item Juris doctrina facile cenſentur. Sunt ibi perſonæ non perſonæ, hoc eſt, habent liberum arbitrium, quod tamen in Civilibus

non valet ſe exerere aut exercere ſuam libertatem. Adeſt liberum arbitrium ſecundum ſuam ſubſtantiam: Abeſt ſecundum rationem potentiæ, quia non adſunt omnia, quæ potentia, ut ſeſe exerere valeat, prærequirit. Tum vero demum ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis in practicis diſciplinis rectiſſime ſpectatur, quando non ſolummodo de libertate phyſica, ſed etiam de libertate Morali diſpicitur. Idem volunt omnium Jurium Doctores, quando in perſonis duo cumprimis ſemper attendere jubent: Voluntatem & Facultatem. Quamvis (ut obiter hoc moneamus) hæc duo (voluntas ſcilicet & Facultas) quandoque ſic ſpectentur, ut utrumque phyſicæ conſiderationis ſit hocq; ſine illo, & illud ſine hoc eſſe poſſit. Sæpe enim voluntas quidem phyſice propenſa eſt, facultas autem phyſica deeſt: Interdum facultas phyſica in promptu, non autem voluntas. Quemadmodum enim perſona ſæpenumero agit per aliam perſonam: Ita voluntas etiam agit, quod per aliam potentiam agit, quo de ſupra actum fuit. Ad idem requiſitum ex parte cauſæ efficientis reſpexerunt *JCti*: Ita *Ulpianus l. Sed & ſi 5. §. Et ideo 2. D. ad L. Aquil.* furioſum, quadrupedem, tegulam & infantem inter ſe comparat. Verba hæc ſunt: *Et ideo quærimus, ſi furioſus damnum dederit, an legis Aquiliæ actio ſit. Et Pegaſus*

*ſus negavit. Quæ enim in eo culpa ſit, cum ſuæ mentis non ſit? Et hoc eſt veriſſimum: Ceſſabit igitur Aquilia actio: quemadmodum ſi quadrupes damnum dederit, Aquilia ceſſat: aut ſi tegula ceciderit. Sed & ſi infans damnum dederit, idem erit dicendum.* Ad hoc fundamentum etiam recurritur, quando de minoribus, de minorennitate, de venia ætatis & a Philoſophis Moralibus & a JCtis tractatio ſuſcipitur. Minores enim etſi non ſatis perfectam voluntatem habere credantur, ut & fœminæ, idque propter voluntas tanquam neceſſarium requiſitum ex parte efficientis ab alio efficiente ejusque voluntate tanquam neceſſario requiſito pendeat, id tamen nec perpetuum eſt, nec per ſe ſufficit ad culpam elidendam. Non fœminam ſexus, ut pueros ætas excuſat: *Cauſalitas ex parte efficientis* eſt conſenſus, h.e. actus liberæ voluntatis ſeu liberi arbitrii qua talis, quo quis voluit hoc agere ſeu hujus negotii autor eſſe e. gr. voluit ut invito primo res ſua eriperetur; voluit adſectari conjugem ſecundi; voluit ut Urias in primis ordinibus locatus hoſtibus occidendus objiceretur. Hæc *cauſalitas* vocatur etiam *voluntas, inſtitutum, animus, propoſitum.* Ad hanc ipſam cauſalitatē præciſe reſpiciunt *Doctores Morales* ac *JCti*, dum in æſtimandis ac dijudicandis delictis ut & aliis negotiis jubent diſpicere, quo animo, quo propoſito, qua voluntate

quis

quis egerit? Utrum quis ex inſtituto egerit nec ne? Ita *Ariſtoteles III. Moral. Nicom. c. 2.* demonſtrat ab hoc actu (quem Metaphyſicorum ſtilo cauſalitatem ex parte agentis diximus) magis quam ab ipſis actionibus mores dijudicari. *VIII. lib. cap. 13.* evidenter deducit morum rationem atque vim omnem in hoc actu eſſe poſitam. *II. Eudem. cap. ultimo* iterum monet ex hoc actu (tanquam ipſa ratione formali perſonæ ut agentis ſeu, quod idem eſt, cauſæ efficientis in ſocietate civili) judicandum eſſe, num quid in genere morum alicui tanquam agenti ſeu cauſæ efficienti imputari poſſit? Tacemus innumera alia loca idem manifeſtiſſimis & rationibus & exemplis declarantia. Cui volupe eſt rem penitius inſpicere, adeat integrum *librum tertium ad Nicomachum*, ut & *quinti libri caput octavum*. Aliorum *Celebrium Doctorum Moralium* ſuffragia adducere eſſet Soli lucem affundere. Et ſane in nulla re major firmiorque inter *JCtos & Philoſophos* conſenſus eſt. *In maleficiis voluntas ſpectatur l. Divus 14. D. ad l. Corneliam de ſicariis.* Addatur *l. Lege Cornelia 1. §. Divus 3. D. eod. tit. Tolle voluntatem ex medio, omnis actus eſt indifferens*, effatum eſt *Baldi* JCti, quod apprime commendat *Gothofredus JCtus ad l. 20. C. ad legem Juliam de adulteriis.* Conſulantur *III. ad Nicom. cap. 1. & 2.* ut & *Euſtratius & Acciajolus ad h.l.*

*h. l.* Item *V. ad Nicom. caput octavum*, & *ad h. l. Giphanius.* Conſ. *l. invito 69. D. de reg. jur. l. fœdiſſimam* 20. *C. ad Leg. Jul. de adult.* Tetigimus neceſſaria requiſita primaria ex parte agentis ut practicæ conſiderationis eſt. De cætero neceſſarium *requiſitum ſecundarium* eſt uſus rationis. Qui enim rationis uſu citra culpam ſuam carent (Dicitur: citra culpam. Nam qui aliter ea carent, morali æſtimatione ea non carent) perinde ſe habent, ac ſi non eſſent perſonæ, habent enim voluntatem, ac ſi nullam haberent, cum ea uti nequeant. Hinc minores uti firmiori infirmiorive judicio ſunt præditi, ita magis minusque agentium moralium nomen merentur. Si enim agentis nomine non venit, qui rationis caret uſu, utique eo magis creſcet in minoribus ea capacitas, quo altiores radices judicium egit. Ad hunc Metaphyſicum fontem regreditur *Ariſtoteles*, dum *lib. V. Nicom. cap.* 11. explicat, quâ ratione non omnia injuſte facta pari loco habenda ſint, gradusque moralitatis in actionibus ac negotiis definit. Add. *l. Sed & 5. §. Et ideo 2. D. ad leg. Aquil.* verba finalia: *Quod ſi impubes* &c. cum *notis Dionyſii Gothofredi.* Hæc igitur in genere dixiſſe ſufficiat. Interim non eſt, quod parum exercitatus ſtudiorum practicorum cultor exiſtimet, ac ſi hæc generalis notitia ſufficiat. Quippe ſpecialior cujusvis negotii tractatio ſpe-

cia-

cialius examen horum requiſitorum poſcit. Capiamus unum vel alterum exemplum, illudque velut obiter tangamus, quando non datur hanc materiam ob ſuam prolixitatem ex dignitate perſequi. Uſu frequens eſt materia de acquiſitionibus dominiorum, quam & *JCti* & *Moraliſtæ* communiter ita tradunt, ut duo ad acquiſitionem dominii neceſſaria pronuncient: nempe traditionem & titulum. *Nunquam nuda traditio transfert dominium: Sed ita, ſi venditio aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur. l. nunquam 31. D. de adquirendo rerum dominio.* Et *Traditionibus & uſucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur. l. traditionibus 20. C. de pactis. Quotiens duobus in ſolidum prædium jure diſtrahitur, manifeſti juris eſt, eum, cui priori traditum eſt, in detinendo dominio eſſe potiorem l. quotiens 15. C. de rei vindicatione.* Nullum dubium eſt, quin Metaphyſicarum doctrinarum probe gnari facillime admiſſuri ſint, utrumque requiſitum non eſſe ejusdem rationis, ſed alterum primarium, ipſamque cauſalitatem ex parte efficientis, alterum ſecundarium ſeu cauſam ſine qua non. Audiamus, ſi placet, hac de re philoſophantem *Ludovicum Molinam* vaſti *operis ſui de Juſtitia & Jure tom. 1. tract. 2. diſp. 4. p.m. 43. Explicato jure & dominio, dicendum eſt breviter, quid nomine tituli juris & dominii*

in-

*intelligatur. Radicem igitur ac originem, unde dominium aut jus quodvis oritur, appellant Juriſperiti titulum dominii aut juris.* QVOD SI METAPHYSICORUM MORE LOQVENDUM NOBIS SIT, *ea* RATIO FUNDANDI RELATIONEM DOMINII AUT JURIS, *quæ illius eſt velut* RADIX & ORIGO, *appellatur titulus dominii & juris. Verbi gratia: Titulus dominii aut juris in aliquod regnum, eſt, quempiam eſſe legitime electum in Regem, aut carnali propagatione tanquam primogenitum originem trahere a legitimo Rege, aut jure belli Regnum occupaſſe, aut aliud ſimile, quod ſufficiens ratio ſit fundandi jus Regni. Emptio item, permutatio, donatio, eſſe aliquid relictum in teſtamento, aut legitime ſuccedere defuncto ab inteſtato, eſt titulus dominii aut juris rerum, quæ his viis comparantur. Legitima electio alicujus in cathedram, epiſcopatum aut beneficium, eſſeve quippiam horum legitime collatum alicui, eſt titulus dominii aut juris cathedræ, epiſcopatus aut alterius beneficii. Dixi, eam rationem fundandi, quæ eſt velut radix & origo: quoniam ad comparandum dominium aut jus in re præter titulum, regulariter neceſſaria eſt etiam tanquam ratio fundandi, conditione ſine qua non, traditio & apprehenſio rei: Attamen illa non eſt radix & origo dominii aut juris in re, ſed ſolum eſt* CONDITIO SINE QVA *regulariter* A RADICE ET ORIGINE, NEC *dominium,*

NEC

NEC *jus in re emanat. Id ergo, quod eſt ratio fundandi dominium, aut jus, tanquam illius radix & origo, ſive ſimul requiratur aliquid aliud tanquam* CONDITIO SINE QVA NON, *ſive nihil aliud ulterius requiratur, eſt quod appellatur titulus dominii aut juris. Porro titulus interdum eſt verus, quando ſcilicet eſt vera radix, & origo dominii aut juris: interdum vero eſt ſolum præſumptus, quando ſcilicet præſumitur* VERA RADIX ET CAUSA, *& tamen reipſa non eſt. Ut quando quis bona fide emit rem aliquam, aut illam dono accepit ab eo, cujus illa non eſt, credens illum eſſe legitimum dominum rei illius, aut procuratorem domini rei illius. Talis namque emptio, aut donatio, licet non ſit* RADIX ET CAUSA SUFFICIENS *ad transferendum dominium: Eſto traditio accedat, præſumitur tamen talis interim, dum bona fides adeſt. Qui ergo rem bona fide ita poſſidet, dicitur poſſidere illam cum titulo non quidem vero, ſed præſumpto. Qui autem rem poſſidet ſine* RADICE & CAUSA *vera aut præſumta, quæ ſufficiens ſit ad transferendum dominium juſve, jure dicitur ſine titulo poſſidere.* Hæc *Molina.* Addamus *Laymannum*, *Theologiæ* ſuæ *Moralis libro tertio de juſtitia & jure, tractatu primo de principiis juris, capite quinto de jure dominii & rerum diviſione, numero ſeptimo p. m. 263.* terminos Metaphyſicos eodem modo expreſſe applicat, dum ſequentia tradit: *Quæritur: Quænam*

*num ad acquiſitionem dominii ſeu pleni ſeu non pleni requirantur? Reſpondeo. Ordinarie duo requiruntur: Titulus ac traditio: quorum neutrum per ſe ſolum ſufficit. Titulus dicitur, quod eſt velut radix, origo ſive ratio fundandi dominium v. gr. emptio eſt titulus, id eſt,* JUSTA CAUSA *comparandi dominium mercis: & legitima electio ad regnum vel beneficium eſt titulus ſive* JUSTA CAUSA *acquirendi dominium regni, vel quaſi dominium beneficii. Inſuper autem tanquam* NECESSARIA CONDITIO, *ordinarie loquendo, traditio ſeu apprehenſio rei requiritur. Nam inſtituto v. gr. emptionis contractu, emptor ante mercis traditionem acquirit ſolum actionem perſonalem adverſus venditorem, non item realem, ſeu rei inhærentem, ita ut ex ea obligatio tranſeat ad quemvis poſſeſſorem. Idque adeo verum eſt, ut ſi venditor eandem rem alteri vendat ac tradat, huic poſteriori ejus dominium acquiratur.* Hactenus *Laymannus.* Ex his putamus ſatis conſtare laudatam diſtinctionem plane eximium uſum in tam ampliſſima materia præſtare. Ut nihil jam dicamus de ejusmodi quæſtionibus, num traditio ſit requiſitum neceſſarium ſecundarium, ſi merum jus naturæ reſpiciatur, an neceſſitas hujus requiſiti ſit ſolummodo ex lege civili? Quod poſterius *Grotius* acriter defendit, cum prioris defenſores magni itidem nominis JCti exiſtant. Item, num traditio ſit neceſſa-

rium requiſitum ſecundarium in omnibus, an vero non in omnibus caſibus? Nobis enim unice propoſitum eſt de idonea applicatione notionum Metaphyſicarum ad materias practicas agere, hujusque rei gratia, tam illuſtre exemplum de acquirendis rerum dominiis attulimus. Adſunto alia exempla: Annon per Philoſophiæ & Moralis & Civilis, item Jurisprudentiæ & Theologiæ ampliſſimas partes vagatur doctrina de promiſſis, pactis, contractibus, abſolutis & conditionatis, aliisque negotiis nunc pure nunc ſub conditione ſuſceptis? E. gr. Legat Accius Mævio mille aureos, ſi gibboſam Bertham duxerit: Ratio fundandi, ut Moraliſtæ Metaphyſicorum more loqui amant, & origo, adeoque requiſitum neceſſarium primarium eſt voluntas Accii: At ſecundarium requiſitum neceſſarium ſunt nuptiæ cum Bertha initæ. Neglectus enim hujus conditionis omnem diſpoſitionem ſuſpendit, ita quidem ut ſi legatarius, quem vocant, hoc eſt, is cui legabatur, ante impletam conditionem ad plures abeat, una cum vita ipſius omnino legatum expiret. Huc igitur tota doctrina *Juris Civilis de legatis quæ ſub conditione fiunt* præſertim *e futuro pendente* & de *donationibus mortis cauſa* ſpectat. Ita enim Imperator *Juſtinianus l. & nomen 1. §. ſin autem 7. C. de Caducis tollendis: Sin autem aliquid ſub conditione re-*



Digitized by Google

*linquatur vel caſuali* (ut: Lego Titio M. ſolidos, ſi naves ex India appulerint) *vel poteſtativa* (ut: Lego Titio M. ſolidos, ſi ex hac domo migraverit) *vel mixta* (ut: Lego Titio M. ſolidos, ſi Bertham duxerit) *quarum eventus ex fortuna, vel ex honoratæ perſonæ voluntate, vel in utroque pendeat, vel ſub incerto die: expectari oportet conditionis eventum ſub qua fuerit derelictum, vel diem: ut tunc cedat, cum vel conditio impleatur, vel dies incertus extiterit. Quod ſi in medio is qui ex teſtamento lucrum ſortitus eſt, decedat, vel eo ſuperſtite conditio defecerit, hoc quod ideo non prævaluit, manere diſponimus ſimili modo apud eos a quibus relictum eſt: niſi & hic vel ſubſtitutus relictum accipiat, vel conjunctus, ſive heres, ſive legatarius hoc ſibi acquirat: cum certi juris ſit & in inſtitutionibus & legatis & fideicommiſſis, mortis cauſa donationibus poſſe ſubſtitui.* Abrahamus ſi ſine liberis deceſſiſſet, res ſuas Eliezero relicturus fuerat, ut indicat locus *Gen. XV, 2.* quod tamen ob defectum hujus ſecundarii requiſiti aliter evenit. Rurſus quando *Philoſophia Moralis* qua talis docet, ad moralem abolitionem culpæ moralis (quousque ea philoſophicæ conſiderationis eſt) duo neceſſario requiri: ſatisfactionem & retractationem, operæ pretium eſt expendere, quo pacto utrumque requiſiti neceſſarii nomine veniat. Scilicet ſatisfactio eſt ipſa ratio fundandi & origo, vera ratio cauſandi

in actu ſecundo poſita, vera cauſalitas: At moralis retractatio eſt requiſitum neceſſarium ſecundarium, quod ne quidem medium moralis abolitionis dici poteſt, niſi in ſenſu minus proprio, quo media etiam vocantur, quæ conſequendi finis cauſa non ſunt, ſed ex parte ſubjecti ſaltem ut conditiones ſeſe habent. Nam quodvis peccatum morale præter peccantem reſpicit etiam ſuperiorem, & ob violatum ejus jus cum injuria & offenſa ipſius conjunctum eſt, ſicque a peccatore licet ſerio pœnitente reſcindi & aboleri nequit, ſed tantiſper eum ſtringit, dum juri tertii ſatisfiat.

III. Cauſæ efficienti relative opponi effectum, ſupra oſtendimus: Sed & hoc in memoriam revocaſſe juvat. Nam ut non quælibet cauſa efficiens ſtatim in *practicis diſciplinis* agentis nomine venit: Ita nec quivis effectus ab *idoneo diſciplinarum practicarum cultore* ſtatim effectus titulo cenſebitur. Morali æſtimatione nihil effectus nomine dignum eſt, niſi agnoſcat cauſam efficientem ſui liberam. *Jurium Doctores* ita efferunt, niſi ſit, quod imputari poſſit: Latet vero ambiguitas in voce: Imputari. Quantum ad præſens, communiter *Moralium* & *Juris Doctores* eam hunc in modum definiunt: *Eſt judicium viri prudentis aut rectæ rationis aut propriæ conſcientiæ judicantis, factum ad aliquem vel ad ſemet pertinere quoad omnes effectus juris.*

Vo-

Vocant enim effectum juris obligationem, & ideo factum ad aliquem quoad omnes effectus juris pertinere, idem eſt, ac laude vel culpa, præmio vel pœna dignum eſſe, aut ad dandum vel faciendum aliquid obligatum eſſe. Et ſane aliter ſe res habet, quando de reparatione damni & ceſſatione lucri; aliter vero quando de abolitione moralis culpæ *Doctores Practici* ſolliciti ſunt. Quemadmodum enim quævis moralitas vel eſt rectitudo moralis ſeu honeſtas vel malitia moralis ſeu turpitudo: Ita imputatio moralis duplex rectiſſime ſtatuitur, alia actus moraliter recti ſeu honeſti, recte facti, alia actus moraliter mali, hoc eſt, peccati moralis. Interim longe aliter ſumitur imputatio in aliis caſibus ac negotiis, ut modo diximus. Capiamus unicum exemplum: Bonæ fidei poſſeſſor & malæ fidei poſſeſſor, ſi rem meam poſſideant, ſunt morali æſtimatione *ejusdem prædicamenti*, ſi ita loqui liceat, quando ſcilicet de reparatione rei meæ agitur. Hoc eſt, vir bonus & fur æque tenentur mihi rem meam reſtituere. Dum enim a bonæ fidei poſſeſſore æq; rem meam repeto, atque ſi malæ fidei poſſeſſor eſſet, conquerenti ſe cum fure æquari, a ſe rem æque exigi, ac ſi furatus eam eſſet, juſte repono: *Sibi hoc imputet.* Diſtinguendum enim hic eſt inter obligationem ex re & obligationem ex delicto. Ex re ipſa bonæ

ac malæ fidei poſſeſſores æque tenentur, ſicq; idem utrique imputamus. At bonæ fidei poſſeſſor tantum ex re tenetur, fur ex delicto & re ſimul. Unde huic poſſeſſio ad pœnam imputatur, iſti minime, hujusque imputationis ratione ille cum hoc nec æquari nec comparari poteſt. Preſſior ergo ſignificatio imputationis eſt, qua audita (quod ſæpenumero fieri conſuevit) culpam concipimus, quamvis hæc iterum nunc magis coarctetur, nunc iterum extendatur. Culpa enim nunc notat relationem ad peccatum morale, eam quidem, vi cujus etiam ceſſante delicto, ceſſante injuria, delictum, injuria imputari autori ſuo poteſt. Germ. Sünden-Schuld/Boßheit-Schuld. Nunc arguit negligentiam deſtinata animi malitia carentem, qua quis negligit atque ignorat ea, quæ ſcire & obſervare debuiſſet ac potuiſſet. Germanis, Nachläßigkeit/ Unachtſamkeit / Fahrläßigkeit. Illam *Moraliſtæ* culpam Theologicam, hanc vero culpam Juridicam appellant. Vid. *Ludovicus Molina de Juſt. & Jure, tom. 2. de contractibus diſp. 293. num. 3. p. m. 187.* qui etiam *ſequ. n. 6. p. m. 189.* expreſſe diſtinguit inter imputationem ad culpam Theologicam & imputationem ad culpam juridicam, & utriusque explicationem ad *Morales* & *Juridicas Scholas* pertinere, cum exemplis declarat, tum *Doctorum Moralium & Juris* unanimi con-

conſenſu confirmat. Adeſto unicum exemplum, quod ipſe etiam adhibet: Si quis per juris ignorantiam ſolvat legata non detracta ex eis Falcidia, illam amittit, ipſiq; ſoli imputatur, quod non poſſit eam repetere. Conſulantur e JCtis maximi judicii *Didacus Covarruvias tom. 1. part 2. relect. Reg. Poſſeſſor m. f. §. 7. n. 8. p. m. 466. ſeqq.* & *Magnif. Dn. Struve Syntagm. Jur. Civ. exerc. 19. §. 15.* Pariter in delictis aliter *Morales Philoſophi* ac *JCti*, aliter *Theologi* accipiunt. Hi enim imputationem in ſimplicem & permutatoriam dividunt, ſimplicem vocantes, quando ſubjectum ipſum in ſe ſpectatur, & ita de ipſo ipſiusque effectu prout in ſe eſt æſtimatio inſtituitur: ut, *Lev. XVII, 18.* αἷμα λογισθήσεται τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ *ſanguis imputabitur viro illi:* Permutatoriam nuncupant, quando a Judice in conſideratione ſubjecti vel perſonæ attenditur, non quid in ſe ea habeat, ſed quid acceperit ab alio. Et talis, in humanis judiciis, in cauſis criminalibus ſummorum *JCtorum* accuratiſſimorumque *Doctorum Moralium* conſenſu locum nec habet, nec habere poteſt: At in admirando illo juſtitiæ & miſericordiæ divinæ temperamento in Chriſto locum omnino habuit. *Pſ. LXIX, 5. Quæ non rapui, ſolvi*, per imputationem permutatoriam, ut *Theologi Orthodoxi* explicant. Utramque imputationem nunc in arctiori;

nunc in laxiori ſignificatu *Theologi* ſumunt, prout nunc reſpectum ad culpam arguit, nunc minime. Hoc eſt, agnoſcunt imputationem *effectus* mali & *effectus* boni cum ſimplicem, tum permutatoriam. Illius exempla modo aderant: Hujus exempla in *Sacris Scripturis* & *Theologorum Orthodoxorum ſcriptis* paſſim extant. Dividunt namque eam in talem per ἐπιείκειαν & ex æquitate, nam ſi perſona in gratia eſt, factum approbatur *Pſ. CVI, 31. & reputatum eſt ei in juſtitiam*, inque talem per ἀνεσβοδίκαιον: Ei enim qui operatur, merces ex debito imputatur. *Rom. IV, 4.* Cujusmodi imputationem operanti ſecundum debitum factam in creaturis nullam; ſed in ſolo Chriſto locum habere docent. Ecquis igitur non videt, quam ampliſſimus ſit uſus doctrinæ Metaphyſicæ de effectu & efficiente in media *Philoſophia* & *Morali* & *civili*, inque media *Jurisprudentia* & *Theologia*, quem ſi unico verbo nunc indicare tenerer, remitterem *Philoſophiæ Practicæ, Jurisprudentiæ* & *Theologiæ* genuinos cultores ad *doctrinam practicam DE IMPUTATIONIBUS*, quam & *Morales Doctores* & *JCti* & *Theologi* (& ex his *Martinus Chemnitius*, *Menzerus*, *Joh. Gerhardus*, *Hunnius*, *Hopfnerus* & alii) fuſius perſeqvuntur. In communi imputationem, ut moralis conſiderationis eſt, dici videas actum practicum rectæ rationis, quo

actus

Digitized by Google

actus morali ratione ad aliquem pertinere judicatur. Nihil nunc dicemus de ea imputationis doctrina, quando Orthodoxi *Theologi* & accuratiores *Doctores Morales* ita philoſophantur; Niſi promiſſo cadere & jusjurandum violare eſſent actus neceſſario & per ſe turpes, ut adeo Deus duobus vinculis moralibus quaſi teneretur eique IMPUTARI poſſent, hoc eſt, injuſtus aliquo modo dici poſſet, ſi non ſtaret promiſſis, ſi violaret jusjurandum, ex eo quod Deus fidelibus ac piis ad vitam æternam perducendis promiſerit & juraverit, nemo πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἔχει τέλως validamque conſolationem habere poſſet. Vid. ſi placet hac de re *Introduct. ad Hug. Grot. de I. B. & P. lib. 1. c. 1. p. 209. & ſeqq.*

IV. Ex hactenus dictis credimus cordato & ſedulo practicarum diſciplinarum cultori facilius conſtare poſſe, haud exigui momenti quæſtionem eſſe de cauſa efficiente, ſi ſufficienter & ſolide deciſa cenſeri debeat, eique multas deciſu & neceſſarias & utiles quæſtiones indiſſolubili nexu junctas eſſe. Non enim ſatis accurate reſpondere novit ad quæſtionem: QVIS? eique æquipollentes, qui quæſtiones ei annexas aut plane non aut non ſatis intelligit. Capiamus exempla: Ita quando quæritur in Theologia, quænam ſit cauſa efficiens meritoria prædeſtinationis ad

æternam ſalutem, juſtificationis, converſionis, renovationis, æternæ ſalutis? Reſpondetur: Chriſtus Θεάνθρωπος, idque Scripturæ Sacræ luculentiſſimis teſtimoniis ſolidiſſime probatur, declaratur, confirmatur. Mox omnia ac ſingula requiſita neceſſaria ex parte cauſæ efficientis meritoriæ in ordine ad tales effectus a ſolidæ eruditionis Theologicæ amantibus expenduntur. Materiale cauſæ efficientis meritoriæ ſpectatur, dum de Chriſti Perſona, duabus naturis earumq; proprietatibus, duarum naturarum hypoſtatica unione, communicatione idiomatũ &c. ex inſtituto agitur. Ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis meritoriæ attenditur, dum de Chriſti merito pia ac ſolida diſquiſitio inſtituitur. Cauſalitas ex parte cauſæ efficientis in conſiderationem vocatur, dum de paſſione & morte Chriſti ſolida ac ſalutaris tractatio ſuſcipitur. Rurſus quando diſquiritur, quænam ſit cauſa efficiens Scripturæ Sacræ? & reſpondetur: Deus. Annon ſimul & de ratione cauſandi & cauſalitate ex parte efficientis agitur? De illa, dum de autoritate Dei diſpicitur, ac infinitæ & inæſtimabiles perfectiones ejus, cumprimis infinita ſcientia Dei, infinita ſapientia, infinita veracitas, infinita bonitas, infinita juſtitia expenduntur: De hac, dum de ipſa θεοπνευστία diſquiritur, hicque revelationis modus aliis revelationis iti-

itidem divinæ modis contradiſtinguitur. In *Juriſprudentia, Morali & Civili Philoſophia* dum de his, illis, iſtis negotiis ac actibus habentibus effectum juris, vel naturalis tantum, vel naturalis & civilis ſimul, vel alius tractatur, annon operæ pretium exigit diligenter examinare omnia jura quæſita, ipſaq; jura a jurium uſibus curate diſcernere, hoc eſt, rationes cauſandi & cauſalitates probe noſſe? Annon in Moralibus arduæ quæſtiones ſunt: Num in quovis homine naturalis inclinatio detur ad turpe? Num ex lumine naturæ cognoſci ac demonſtrari poſſit, in quovis homine eſſe potentiam vitandi ſingula peccata moralia, ſemper tamen conjunctam cum impotentia vitandi omnia peccata moralia? Quid corporis mixtura, ætas, ſexus, educatio, aſtrorum influxus & id genus alia in pravis aut bonis affectibus excitandis valeant? Quid de virtutibus & vitiis hæreditariis ſeu gentilitiis, ut vocantur, ſit ſentiendum? An ex lumine naturæ quicquam Philoſopho Morali qua tali conſtare poſſit de labe peccati originalis, qua omnium hominum animi ſunt infecti & coinquinati? An in diſciplina Juris naturalis quisque, qui ex genuinis principiis eam tradere vult ac genuini & accurati Doctoris officio fungi geſtit, abſtrahere debeat a perfectione naturæ humanæ, & pro adæquato ſubjecto

ope-

operationis, quod Ethici vocant, habere hominem in corrupto ſtatu, vel potius formare conditionem primi hominis utcunque in mundum projecti? An pleraque præcepta Juris naturalis naturam hominis corruptam manifeſte præſupponant? An in ſtatu naturæ integræ jus naturale futurum fuiſſet diverſum? An in naturæ integræ ſtatu præceptis legis naturæ negativis particularibus locus eſſe potuiſſet? Hæc vero & id genus plura quæſita circa doctrinam de ratione cauſandi ex parte agentis moralis moveri poſſunt & ſolent. Pariter dum disquiritur de meritorum, imputationum, obligationum fundamentis uſus doctrinæ Metaphyſicæ ſimul ſe exerit.

V. Diximus quæſtiones de cauſa efficiente in practicis diſciplinis pro materiarum varietate variis modis efferri. Et eo inprimis retulimus quæſtiones: *Quis? Cujus? Cui liceat? Quem oporteat? A quo? Cujus autoritate? Cujus inſtinctu? Per quem? Cujus ope vel auxilio? Quibus adminiculis?* Melioris perſpicuitatis gratia hanc rem paulo uberius declarabimus. In practicis diſciplinis QVIS notat cauſam efficientem maxime vero principalem, ſpectatam inſprimis, quoad *conditionem ac ſtatum*, quo pertinent *varia vitæ genera ac ſtudia, ordines, ſexus, ætates*: Ex. gr. quis jus pœnæ affectet, privatus an rector?

Si

Si puer deliquerit, an malitia ætatem ſuppleat? Nam ubi de criminibus agitur, interdum miſeratio ætatis ad nullam aut mediocrem pœnam judicem perducit, ut *Tryphoninus JCtus* loquitur *l. auxilium 37. D. de minoribus viginti quinque annis*, atque illud quidem ex vetuſtiſſimo & jam olim apud Romanos recepto more, quo nefas erat impuberes, aut eos etiam, qui nondum ſumſiſſent virilem togam laqueo pœnas pendere ac triumvirali ſupplicio affici, ut apud *Tacitum lib. 5. Annal. ex Dionis l. 47. & Apolog. Apuleji ſecunda* erudite ab *Juſto Lipſio* animadverſum reperitur *ad finem comment. in* dictum *lib. 5. Annal. Tac.* Pueri impuberes, qui furtum feciſſent, ex *LL. XII. Tabb.* Prætoris arbitratu verberabantur, ut legere eſt apud *A. Gellium Noct. Attic. lib. XI. cap. 18.* & huc ſpectat etiam *l. infans 12. D. ad legem Corneliam de ſicariis: Infans vel furioſus, ſi hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur: Cum alterum innocentia conſilii tuetur, alterum fati infelicitas excuſat.* Interdum ætatis ſuffragio minores non juvantur, ut verbis *Impp. Severi & Antonini l. in Criminibus 1. C. Si adverſus delictum ſuum utamur.* Nam legibus antiquis etiam, quæ contra leges admittebantur dolo malo, nominatim in impuberibus ſevere vindicabantur. *Cur enim fieret ætatis excuſatio adverſus præcepta legum, ei, qui dum leges invocat, contra eas commit-*

Digitized by Google

*mittit?* ſcite philoſophatur *Tryphoninus in fine l. auxilium 37. D. de minoribus viginti quinque annis.* Hoc enim facto contingit, ut Reipubl. ratio ſalva permaneat. *Pœnæ leves non poſſunt refrenare juventutis inſaniam & ingenii ferocitatem, neque rerum honeſtarum contemptores ad temperantiam reducere*, ait *Dionyſ. Halic. l. 2.* Hæc exempli loco adferimus, quia dum & *Doctores Morales* & *JCti* inſignem huncce locum communem: *An & quando ætas in delictis excuſet?* accurate tractant, quid quæſo aliud quam accuratam deciſionem quæſtionis. QVIS? intendunt? Vidd. *Petrus Faber ad Regulam Juris centeſimam octavam p. m. 27. Antonius Cujacius Paratitl. in 24. tit. l. 9. Codicis Juſtinianei p. m. 76.* quorum ſcripta, *illius* quidem *ad Regulas* Juris, *hujus* omnia Romani Juris ſtudioſis *Hugo Grotius* eximie commendat *ſparſione florum ad Jus Juſtinian.* ad *l. ejus eſt non nolle 3. D. de reg. Jur. p. m. 311.* Deducunt eam materiam communiter ex Philoſophicis fundamentis *Doctores* ad *l. 108. &* III. *D. de Reg. Jur.* ad *l. 37. D. de minoribus 25. ann.* ad *l. 1. & 2. C. ſi adverſus delictum*, qui conſulantur. Intereſt etiam æſtimaſſe, quam apta fuerit perſona ad delictum intermittendum? E. gr. qui, cum ſit opulens, nequiter quicquam facit, hunc ſi eſſet pauper, quid non facturum putas? Item, quam apta ad malum perferendum? ex. gr. mul-

Digitized by Google

mulcta eadem pauperem onerabit, divitem minime. Vili ignominia leve erit malum, honorato grave. Invenies, qui flagellis, quam colaphis cædi malit. A ſacerdote commiſſum peccatum gravius cenſetur aliorum delictis. Nec ſolummodo in delictorum & pœnarum morali taxatione, ſed etiam in omni omnino negotio, ut recte æſtimetur, reſpiciendum eſt ad quæſtionem: QVIS? E. gr. in contractibus: Quis contraxerit, ſitne pater familias, an filius familias, & ſi paterfamilias ſit, num ſit ſui juris, an vero ſub poteſtate curatoris? In judiciis: Quis in judicium vocet? Quis teſtis producatur? Quis ſit ipſe actor? E. gr. an Magiſtratus inquirat ex officio, ut loqvuntur? Quis judex? Quis advocatus, verbi gr. an publice ſit conſtitutus, ut rei cauſam agat, an vero ab ipſo reo adſcitus ſit? Harum namque quæſtionum ventilatio varias exceptiones non raro ſuggerit. Et quid multa verba facimus? Certe dum omnia & ſingula officia & virorum bonorum, & Parentum ac liberorum, & Dominorum ac ſervorum, & maritorum & uxorum, & civium, & adultorum juniorum ſeniorumque, & imperantium, ſubditorumque quis recte & decenter percurrit, quæſtionem: QVIS? tractat.

VI. Ariſtoteles ipſe in morali factorum examine primo loco ponit circumſtantiam: QVIS? hoc eſt, quæſtionem de cauſa efficien-

te,

te, dum *III. ad Nicom. cap. ſecundo* ſcribit: *Operæ pretium eſt, quid & quotuplices circumſtantiæ ſint, accurate diſpicere. Nimirum QVIS agat, quid agat, & qua in re verſetur actio. Interdum vero & quo, puta inſtrumento &c.* Cumquo *Hugo Grotius* JCtus pleniſſime conſentit, dum *lib. II. de J.B. & P.c. 20. §.37.* expreſſe ait: *Perſona ejus qui fecit ad aptitudinem judicandi maxime pertinet.* Illud obiter addimus, ridiculum ac perabſurdum eſſe, ſi quis ad quæſtionem: QVIS? e.gr. quis concubuit cum aliena uxore? reſpondere velit: homo; quando jam ſupponebatur, de actione humana quæri. Alia enim æſtimatio phyſica eſt, alia vero æſtimatio moralis, hæcque illam ſemper in quæſtionibus de actibus & negotiis humanis præſupponit.

VII. Quæſtioni: QVIS? ſeu de cauſa efficiente reſpondere diximus quæſtiones: CUJUS? ex.gr. Cujus ſit, pœnas irrogare, gratiam delicti facere? Cujus ſit eligere Magiſtratum, vocare miniſtrum eccleſiæ? Cujus ſit facere teſtamentum? Cujus ſit detrahere falcidiam de legatis? Cujus ſit corpus & animam perdere in gehenna? Cujus ſit Reges deponere? CUI? Cui liceat punire? Cui quæſitum ſit jus vitæ & necis? Cui jus ſuccedendi ab inteſtato competat? Cui liceat bellum gerere? Cui liceat vim vi repellere? Cui liceat ſacramenta adminiſtrare? Cui claves

cœli

cœli ſint traditæ? QVEM oporteat? Quem deceat? Quem oporteat defendere vitam ſuam? Quem oporteat injuriam pati? Quem deceat contemptu vindicare injurias? Quem oporteat tympana ſequi? Quem oporteat ab inteſtato decedere? Quem deceat cœlibatus? Quem oporteat publice confiteri ſuam religionem? Quem oporteat pœnitentiam Eccleſiaſticam agere? A QVO? A quo ſit omnis poteſtas? A quo ſit inita conventio v.gr. num ſit fœdus, an ſponſio? A quo hæreditas, aut bonorum ſucceſſio, aut legatum petatur? A quo Scriptura Sacra habeat auctoritatem? A quo baptiſmus ſit inſtitutus? CUJUS AUTORITATE? Qua poteſtate quis fecerit? Si enim perſona publica, habens poteſtatem gladii occidat, longe diverſa actio eſt ab ea, qua occidit privatus. CUJUS INSTINCTU? e.gr. cujus juſſu, mandato, conſilio? PER QVEM? an per mandatarium, an per procuratorem, negotiorum geſtorem &c. CUJUS OPE VEL AUXILIO? QVIBUS ADMINICULIS? Hæc ut eo rectius a Practicarum diſciplinarum cultoribus & percipiantur & adhibeantur, maxime ſibi commendatam habeant oportet Metaphyſicam diſtinctionem inter CAUSAM EFFICIENTEM PRINCIPALEM, *a qua maxime actus aliquis aut opus aliquod peragitur*, & CAUSAM EFFICIENTEM IN-

STRUMENTALEM, *qua ſcilicet principalis cauſa utitur ad effectum producendum tanquam inſtrumento.* Nam in *Moralibus, Civilibus, Forenſibus, Chriſtianis* (ſi ita loqui liceat) *negotiis* nihil pene efficitur ſine adminiculo inſtrumentorum quorundam, ut proinde ad plenam quæſtionis QVIS? notitiam in *Moralibus, Politicis, Juridicis, Theologicis*, non ſufficiat ſolius principalis naturam rationemque noviſſe, ſed non minus ipſa quoque inſtrumenta accurate ſunt pernoſcenda, quoniam ea quemadmodum ſeſe habeant permultum intereſt. Et vero cum CAUSA EFFICIENS alia ſit MEDIATA alia IMMEDIATA, ceu ſupra oſtenſum, ſæpenumero uſu venit, ut illa hac fere tanquam inſtrumento abutatur. Huc ergo inprimis tendunt quæſtiones allatæ: *Cujus autoritate? Cujus inſtinctu? Per quem? Cujus ope vel auxilio? Quibus adminiculis?* Et quamvis cauſa efficiens principalis Moralium, Forenſium, Theologicorum negotiorum ſemper ſit perſona, ceu ſupra *pag. 1353.* docebatur: Cum inſtrumentali tamen cauſa efficiente longe aliter comparatum eſt. Utimur enim homines rebus ſive animatis ſive inanimatis plurimis ad Morales Civilesque effectus tanquam inſtrumentis. Perſonæ quoque complures inſtrumenta noſtra ſunt in Morali ac Civili vita, in foro, in curia. Hujus ſane condi-

ditionis ſunt cum alia, tum ſervitia omnia, & quicquid eſt civiliter miniſtrantium, imo & ſociorum vel amicorum. Omnia enim ejuſmodi ſunt inſtrumenta ſocietatis, non animata duntaxat, ceu de ſervis loquitur *Ariſtoteles*, talia enim nobis ſunt & bruta animantia, verum rationis etiam capacia.

VIII. Hic non poſſumus, quin commendemus magni uſus diſtinctionem inter inſtrumenta phyſica & moralia: E. gr. Phyſicum inſtrumentum homicidæ eſt gladius: Morale eſt mandatarius, qui non movetur phyſice ut gladius, ſed per mandatum. Et vero etiam in Moralibus ac Civilibus, item Forenſibus negotiis & actionibus diſtinctio inter cauſam Moralem principalem & cauſam moralem inſtrumentalem locum invenit, quicquid ſit de vocis appellatione. Quid enim prohibet, quo minus diſtinguatur inter cauſam efficientem, *quæ propria autoritate effectum moralem aut civilem (morale aut civile negotium) mediate producit per intentionem*: & cauſam efficientem, *quæ aliena autoritate effectum mediate per intentionem producit*. Illam enim præſtantiſſimi Doctores cauſam moralem principalem, hanc cauſam moralem inſtrumentalem appellant. Ita enim *Hugo Grotius*, eruditi orbis miraculum, *lib. 1. de Jure Belli & Pacis cap. 5. §. 1.* ſcribit: *Ut in aliis rebus, ita & in voluntatis actionibus*

*tria eſſe ſolent* EFFICIENTIUM *genera,* PRINCIPALES, *adjuvantes*, & INSTRUMENTA. Mox §. 3. explicat, quidnam intelligat per inſtrumenta: *Inſtrumenta cum dicimus, non arma hic intelligimus, & ſi quæ ſunt his ſimilia, ſed eos qui ita agunt ſua voluntate, ut ea voluntas ab altero pendeat. Tale inſtrumentum eſt patri filius, pars quippe ejus naturaliter; tale & ſervus, quaſi pars ex lege; nam ſicut pars non tantum pars eſt totius eadem relatione, qua totum eſt totum partis, ſed hoc ipſum quod eſt totius eſt: ita poſſeſſio eſt aliquid ipſius poſſidentis. Democritus:* οἰκέτῃσιν ὡς μέρεσι τοῦ σκήνεος χρῶ ἄλλῳ πρὸς ἄλλο. *Famulis tanquam partibus corporis aliis ad aliud utere. Quale autem in familia eſt ſervus, tale in Republica eſt ſubditus, ac proinde inſtrumentum imperantis.* Quæ verba *Grotii* ſatis declarant, quod cum ſervus recte vocari poſſit Domini, filius patris, ſubditus imperantis inſtrumentum, etiam ſervum, filium, ſubditum, ſi quid ex mandato Superiorum mediate efficiunt, ſano ſenſu vocari poſſe cauſas inſtrumentales morales. Imo ſi tandem quid deſiderabitur in hiſce modis loquendi, aut illud fuerit, quod dicantur, ejusmodi agentia cauſæ morales, aut quod dicantur cauſæ inſtrumentales. Non illud: Ejusmodi enim agentibus, quatenus agunt ex inſtinctu & mandato ac autoritate alterius, ſimulque mediate producunt effectum, com-

pe-

petit vera definitio cauſæ moralis. Nec hoc, quia quod inſtrumentum alterius dicitur, quando non agit, rectiſſime cæteris paribus cauſa inſtrumentalis vocari poteſt, quando jam agit illud, cujus gratia inſtrumentum dicitur: E.gr. ſerra quando pendet de pariete, non cauſa inſtrumentalis, ſed inſtrumentum vocatur, quia quatenus pendet de pariete, non producit effectum: At quando quis ſerra apprehenſa & hinc inde reciprocata ſecat lignum, ſerra eſt cauſa inſtrumentalis, quia jamjam illud agit, cujus gratia inſtrumentum dicitur: Sic etiam ſervus, filius, ſubditus vocantur inſtrumenta Superiorum, etiam quando non agunt: Quid igitur obſtat, quo minus, ſi jam agant ex voluntate & præſcripto Superiorum, recte vocari poſſint cauſæ inſtrumentales, quia jam illud agunt, propter quod dicebantur inſtrumenta Superiorum. Huc ſpectat locus Ariſtotelis *1. Polit.* cap. 3. *Inſtrumentorum quædam inanima ſunt; quædam animata, veluti gubernatori navis quidem inanimis eſt, qui vero proram regit animatus. Nam miniſter in artibus locum inſtrumenti obtinet. Sic & res poſſeſſa inſtrumentum eſt ad vitam: & res familiaris multitudo inſtrumentorum eſt: & ſervus poſſeſſum animatum: & tanquam inſtrumentum ante inſtrumenta omnis miniſter.* Exemplis cauſam moralem principalem & inſtrumentalem illuſtrabimus. Ita

David cædis Uriæ erat cauſa moralis principalis, quando præcipiebat eam ſcriptis his ad Joabum literis: *Locate Uriam in principio prælii fortis, & a tergo recedite ab eo, ut percutiatur & moriatur.* Joabus erat cauſa moralis inſtrumentalis: Ipſe enim ex intentione & juſſu Regis ſui locabat Uriam in principio prælii fortis, ut percuteretur & moreretur. 2. *Sam. XI.* Uterque erat cauſa moralis cædis Uriæ, neuter cauſa phyſica: Cauſa enim phyſica erant Ammonitæ. Unde etiam Deus Regem per Prophetam ſequenti *capite XII, verſ. 9.* ſic alloquitur: *Uriam Chittæum percuſſiſti gladio, & uxorem ejus accepiſti tibi in uxorem, ipſum vero occidiſti gladio filiorum Ammon.* His namque verbis poſterioribus, ut videtur, indicatur, filios Ammon fuiſſe cauſam phyſicam. Eo ſpectant verba *Rabbi David Kimchi a B. Slevogtio* laudata: *Percuſſiſti gladio, eo ipſo dum præcepiſti Ioabo, ut eum loco periculoſo ſtatueret, & occidiſti gladio filiorum Ammon. Poſtquam dixit, percuſſiſti eum gladio, cur dicit, & ipſum occidiſti gladio filiorum Ammon? Vult dicere, quod nece Uriæ, dum eum occidit gladio Ammonitarum, duo mala fecerit, nempe quod occiderit eum, & cadere fecerit per manus eorum, qui ſunt hoſtes Israelis.* At cauſæ mediatæ per intentionem & David mandans & Joab Uriam collocans in fronte prælii hocque ipſo mandatum exequens erant: Da-

David enim inſtinctu proprio, Joab vero Davidis inſtinctu egit, quod egit. Videamus alia exempla: Sic gratiæ Abſaloni a Rege factæ cauſa moralis principalis erat Joab; inſtrumentalis Thekoa. Hanc enim Joab ſubornabat, ut Regem lugubri veſte induta accederet verbisque conceptis alloqueretur: O Rex: Vidua ſum! Ancilla tua duos filios habet; imo habuit, inter hos lis exorta ruri, & cum non eſſet qui eos clade prohiberet, alter alterum occidit. At non ſatis mali hoc eſt: Tota namq; familia ſanguinis vindex ſuperſtiti nato meo vitam eripere nomenque mariti mei defuncti delere molitur: Inopis nunc Te miſereſcat mei. Huic Rex: Abi domum tuam atque animo bono eſto, confeſtim huic medebor malo. Vivit Jehova, ne capillus nati tui pereat. Ad quæ mulier: Ignoſcat Rex ancillæ: Cur Tu tantum adverſus DEI populum in animum induxti malum? Cur Rex filio veniam non impertit? Cur extorrem filium aulæ non reſtituit? Cui Rex: nonne hujus rei autor Joab eſt? ne me celes. Ad hoc mulier: Næ, ſic eſt ut dixti *2. Sam. XIV*. En cauſam principalem Joabum, inſtrumentalem Thekoam, utramque iterum non cauſam phyſicam, ſed moralem. Pari modo mutati animi Abſalonis, animi peſſimi & extrema feſſo Regi minantis cauſa principalis erat David: inſtrumentalis Huſai. Hunc



Digitized by Google

enim David ad Abſalonem in urbem remittebat, ut Ahitophelis conatus & irritos redderet,& eos Davidi per Ahimaazum & Jonathanem filios ſacerdotum aperiret, quod etiam ex voto contigit. *2.Sam.XV.* Sic horrēdæ cladis Aſſyriorum cauſa principalis erat Sanherib, inſtrumentalis Rabſake, qui juſſu Regis blaſphemo ore probra ignominioſa adverſus DEUM evomebat? *2. Reg. XVIII.* uterque non phyſica cauſa, ſed cauſa moralis. Plura exempla adferre nec vacat, nec lubet.

IX. Liceat obiter tangere rationes, ob quas cauſa inſtrumentalis moralis ceu monſtrum Metaphyſicum rejicitur. Sunt vero ſequentes: I. Unanimi conſenſu in genere cauſa inſtrumentalis a Metaphyſicis hactenus fuit definita, quod ſit ea, quæ virtute ignobiliori influit in effectum, quam ad eum producendum requiritur. Annon talis cauſa inſtrumentalis requirit influxum realem ad effectum producendum, qui eſt cauſæ phyſicæ? Quæcunque igitur cauſa non præſtat realem influxum in effectum, illa non eſt inſtrumentalis. Atqui nulla cauſa moralis præſtat realem influxum in effectum. E. Nulla cauſa moralis eſt inſtrumentalis. II. Cauſalitas cauſæ moralis eſt, quod ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali influxu non producit. Quæcunque igitur cauſa ita ſeſe non gerit, ut merito ipſi imputetur

tetur effectus, illa non eſt moralis. Atqui cauſa inſtrumentalis ita ſeſe non gerit, ut merito ipſi imputetur effectus. E. III. Neutiquam convenit auribus purioribus audire, appellationem cauſæ inſtrumentalis, ubi cauſa eſt moralis. Exempli loco adferre ſolent ſervum quem mittit Conſul ad lictorem, ut hic alium hominem, qui furti forte accuſatus, vinculis conſtringat & in carcerem conjiciat, ubi Conſul cauſa moralis principalis, ſervus ad lictorem miſſus ad conſtringendum furem cauſa moralis inſtrumentalis, lictor vero ipſe cauſa phyſica appellatur. Verum quis on videt durum eſſe & minus conveniens ppellare ſervum ad lictorem miſſum cauam inſtrumentalem conſtrictionis furis. Nullus hic eſt realis influxus, quo tamen cauſa inſtrumentalis cum principali concurrere debet ad producendum effectum, etſi virtute ignobiliori. Deſideratur inſuper cauſalitas cauſæ moralis, cum ſervus ad lictorem miſſus non ita ſeſe gerat, ut ipſi merito imputetur effectus: Lictor exequitur voluntatem Magiſtratus, non ſervi miſſi, qui nihil aliud facit, quam quod intimatum mandatum, cujus intuitu & cauſalitate morali cauſa phyſica unice agit, lictori ſaltem ſignificet. Hæ ſcilicet rationes ſatis validæ creduntur, ob quas cauſa inſtrumentalis moralis ceu monſtrum Metaphyſicum rejiciatur:

Enimvero ſi CAUSA MORALIS INSTRUMENTALIS ut in antecedentibus fuit explicata, monſtrum Metaphyſicum eſt, fortaſſis monſtrum erit ſine monſtro. Nam quod ad primum attinet, veriſſimum eſt, cauſam inſtrumentalem phyſicam a Metaphyſicis hactenus fuiſſe definitam, quod ſit ea, quæ virtute ignobiliori influit in effectum, quam ad eum producendum requiritur, phyſicum tamen ſeu immediatum influxum in effectum præſtat. Igitur rectiſſime aſſeritur ad talem cauſam inſtrumentalem requiri influxum phyſicum ſeu immediatum, adeoq; realem ad effectum producendum. Sed quid inde evincitur? Nihil certe, niſi quod cauſa inſtrumentalis moralis non ſit cauſa inſtrumentalis phyſica, quod defenſores diſtinctionis inter cauſam moralem principalem & cauſam moralem inſtrumentalem ambabus manibus largiuntur. Argumentum erat tale: Quæcunque cauſa non præſtat realem influxum in effectum, illa non eſt inſtrumentalis. Atqui nulla cauſa moralis præſtat realem influxum in effectum E. nulla cauſa moralis eſt cauſa inſtrumentalis. Reſpondetur, ambiguitatem eſſe in his vocibus: realis influxus in effectum. Primo enim realis influxus in effectum idem eſt quod influxus phyſicus ſeu immediatus. Deinde realis influxus idem eſt, quod verus influ-



Digitized by Google

fluxus in effectum, ſive ſit immediatus, ſive mediatus. Si priori ſenſu ſumatur realis influxus in effectum, vera eſt major ſic limitata; Quæcunque cauſa non præſtat phyſicum influxum in effectum, illa non eſt cauſa inſtrumentalis phyſica; ſimulque conceditur totum argumentum, modo concluſio mutila abſit, adeoque inferatur, ut inferenda erat, hoc nempe modo: E. Nulla cauſa moralis eſt cauſa inſtrumentalis phyſica. Quod ſi vero major; Quæcunque cauſa non præſtat phyſicum ſeu immediatum influxum, illa non eſt inſtrumentalis; nude & crude ponatur, manifeſto a talismodi opponente committitur fallacia ejus, quod in principio quærebatur. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Quæcunque cauſa moralis non eſt phyſica, illa non eſt cauſa moralis. Si enim ideo vera cauſa moralis inſtrumentalis dari non poſſet, quia cauſa moralis non præſtat realem (hoc eſt, phyſicum ſeu immediatum) influxum in effectum; certe nec cauſa moralis vera cauſa efficiens eſſet, quia non præſtat phyſicum ſeu immediatum influxum in effectum. Si poſteriori modo realis influxus in effectum accipiatur, falſiſſima erit minor, quæ ſic ſe habebat: Nulla cauſa moralis præſtat realem influxum in effectum. Eodem forte redibit objectio ſic formata: Quæcunque cauſa ad producendum effectum opus non ha-

habet ut elevetur, illa non eſt inſtrumentalis. Nulla cauſa moralis ad producendum effectum opus habet, ut elevetur E. Nam ſi quæratur, quid per elevationem intelligatur? qui ſibi tali objectione placet, reſpondebit intelligi motionem phyſicam. En petitionem τ̃ ἐν ἀρχῇ. Quod ſecundi argumenti loco dicebatur, cauſalitatem cauſæ moralis eſſe, quod ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali influxu non producat: Ad hoc tria reponimus: 1. Qui dicit cauſalitatem cauſæ moralis eſſe, quod ita, ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali influxu non producit, aut falſum dicit, aut nihil dicit. Falſum dicit, ſi negat cauſam moralem præſtare realem influxum: Aliud enim eſt realis influxus cauſæ efficientis, aliud realis influxus cauſæ phyſicæ, quæ ſolummodo ſive ſpecies ſive modus cauſæ efficientis eſt, quo de ſupra *cap. XXII.* egimus. Nihil dicit, dum cauſalitatem cauſæ moralis eſſe dicit, quod ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus; Semper enim redit quæſtio: Per quidnam ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus? Et hoc demum erit vera cauſalitas cauſæ moralis. Facile magnam admirationem Philoſophiæ primæ cultoribus minus exercitatis movere poterat, cur adeo multi, etiam qui magni & Philoſophiæ primæ probe periti videri volunt,

Digitized by Google

lunt, (& fortaſſis quandoque malunt videri quam eſſe) ad ſolide ac ſufficienter declarandam cauſalitatem cauſæ moralis hæcce talia ſufficere credant, ſi nempe doceatur cauſalitatem cauſæ moralis eſſe, quod ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali effectu non producit: At magis exercitati & idonei cultores accuratioris Philoſophiæ dudum deſierunt mirari. Si enim ſcapham ſcapham dicere liceat, procul omni dubio occaſio hujus rei (& quod tam confidenter adeo multi ita philoſophentur, imo huncce modum philoſophandi pro puro, genuino & ſolido confidentiſſime venditent) extitit vulgaris & incipientiũ gratia facta loquendi ratio, qua etiam *B. Stalius* noſter aliique e noſtris uſi fuerunt. Quando igitur captui ἀπαιδεύτων ſeſe accommodantes dixerunt, cauſam phyſicam eſſe quæ realem præſtat influxum in effectum: Cauſam vero moralem, quæ realem influxum non præſtat, ita tamen ſe gerit, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali influxu non produxerat. Inde factum credimus, ut multi putarent cauſam moralem non eſſe veram cauſam, multoque minus cenſerent eam eſſe veram cauſam efficientem, exiſtimantes tantum æquivalere veræ cauſæ. Et quoniã qui Philoſophiam docere ſatagebant, alii poſt alios, ut fieri ſolet, ſibi primũ (ita enim credo) deinde aliis perſuaſerant,

rant,

rant, hoc ipſum non eſſe veram cauſam, quod veræ cauſæ tantum æquivaleat quoad imputationem effectus, id demum in tralatitium dogma invaluit, ut ſola cauſa phyſica vera cauſa efficiens, eo quod præſtet realem influxum in effectum, e contrario cauſa moralis, eo quod realem influxum non præſtet, ſed ſolummodo ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali effectu non producit, neutiquam vera cauſa, ſed ſaltem veræ cauſæ æquivalens diceretur. Imo nonnulli eo audaciæ abierunt, ut cauſam moralem germanice verterent eine Schein-Urſache, eine bloſſe Schein-Urſache, eine Urſache auf den bloſſen Schein. Vocarent etiam eine Urſache pro forma. Enim vero de hac re nec *Stahlio* noſtro, nec ulli alii Philoſopho accuratiori quicquam in mentem venit. Semper enim habuerunt cauſam moralem pro vera cauſa: Nunquam cenſuerunt eam ſolummodo veræ cauſæ æquivalere. Dicat aliquis, quid ergo cauſæ ſit, cur eam dixerint ita ſeſe gerere, ut non minus ipſi imputetur effectus, quam ſi realem influxum præſtitiſſet? Reſpondetur, inde non ſequi, eam non eſſe veram cauſam, vel veræ cauſæ æquivalere: Hoc ſaltem inde a ſolidæ Philoſophiæ æſtimatore colligi poſſe, cauſam moralem non eſſe veram cauſam phyſicam, ſed ſolummodo veræ cauſæ phyſicæ æquivalere. Quaſi vero aliquid non

pos-

Digitized by Google

poſſet eſſe vera cauſa efficiens, niſi ſit vera cauſa efficiens phyſica? Aut, quaſi aliquid non poſſet præſtare verum & realem influxum, niſi præſtaret influxum phyſicum ſeu immediatum. Rem exemplis declarabimus: Quando quis ea intentione ignem tecto ſubjicit, ut ædes incendio pereant, is ſecuti incendii non eſt vera cauſa phyſica, non enim eſt verus ignis domum incendens: Dicitur tamen veræ cauſæ phyſicæ æquivalere, quia ita ſe geſſit, dum ignem ea intentione, ut domus incendio conſumeretur, tecto ſubjecit, ut tam ipſi imputetur effectus, quam ſi immediate eum produxiſſet, ſicque cauſa phyſica extitiſſet. Nam ſi incendiarius ipſe fuiſſet ignis, aut ſi per impoſſibile naſus ipſius purus putus ignis fuiſſet, naſumque ea intentione ædibus admoviſſet, ut domus incenderetur, naſoque ſuo immediate incendiſſet domum, non tamen ipſi hic effectus, cujus hac ratione futurus fuiſſet cauſa phyſica, magis imputari potuiſſet, quam nunc imputatur. Ita cur Deus dicit per Prophetam ad Davidem: Tu occidiſti Uriam? Cur omnium Jurium Doctores pronunciant nihil intereſſe ad hoc, ut quis homicida ſit, utrum ipſe manu ſua occiderit, an vero mortis cauſam dolo malo animoque occidendi præbuerit e.gr. alteri, ut homicidium committeret, ſaltem mandaverit? numne ideo, quia

quia mandans in tali caſu non eſt vera cauſa, ſed æquivalet veræ cauſæ? Abſit hoc, quia alias dici non poterat ad mandantem: Tu occidiſti, (nam qui vere occidit, eſt vera cauſa occiſionis) ſed dicendum erat: Tu non occidiſti, æquivales tamen occidenti. Sed piget hæc talia fuſius perſequi, quandoquidem hac ratione reducenda erant omnia, quæ ſupra de vero ac reali cauſæ moralis influxu ſatis magna prolixitate diſſeruimus. 2. Si vel maxime ponamus cauſalitatem cauſæ moralis eſſe, quod ita ſeſe gerat, ut merito ipſi imputetur effectus, quem reali influxu non producit, adhuc tamen cauſa inſtrumentalis dabitur, quæ hac ratione ſimul eſt cauſa moralis. Quippe ex exemplis ſupra *p. 1382. & ſeq.* allatis hoc facile conſtare poterit, modo quispiam a præconceptis opinionibus adhuc liber ſit. Annon enim vera cauſa moralis occiſi Uriæ erat Joab, vera cauſa moralis gratiæ Abſaloni a Davide exhibitæ Thekoa, vera cauſa moralis mutati animi Abſalonis erat Huſai? Erant tamen cauſæ inſtrumentales. 3. Cur alii cauſæ morali inſtrumentali effectus in genere morum imputari poſſit in totum, alii in tantum, alii cauſæ morali inſtrumentali in genere morum nullatenus imputari ſoleat vel etiam poſſit, mox indicabitur. Satis eſto jam dixiſſe, omni veræ cauſæ morali inſtrumentali tanquam veræ cauſæ

cauſæ morali inſtrumentali effectum imputari. Ad argumentum igitur allatum, quod ita ſe habebat: Quæcunque cauſa ita ſeſe non gerit, ut merito ipſi imputetur effectus, illa non eſt moralis. Atqui cauſa inſtrumentalis ita ſeſe non gerit E. Reſponſio facilis eſt. Quantum enim ad majorem propoſitionem attinet, duplex poteſt eſſe ſenſus horum verborum: *ut merito ipſi imputetur effectus:* (1) ut idem ſit, ac ſi dictum fuiſſet, ut jure ipſi tanquam morali agenti imputetur effectus. (2) ut idem valeat, ac ſi diceretur: ut ſalva veritate ipſi tanquam veræ cauſæ, ſive principali, ſive inſtrumentali, imputetur effectus, non habita ratione moralitatis. Si priori modo verba capiantur, major falſiſſima eſt: Confunduntur enim cauſa moralis et agens morale, item imputatio in genere morum, h. e. moralium actionum, & imputatio in genere cauſæ efficientis, quæ tamen maxime ab invicem differunt, ceu ſupra integro *capite XXIII.* oſtendimus. Quippe imputatio poſterior ſæpiſſime locum invenit, ubi prior prorſus exulat. Si poſteriori modo verba apprehendantur, minor falſiſſima eſt, ceu ex ſupra dictis patuit & e mox dicendis clarius patebit. Quando denique tertio loco notabatur, neutiquam convenire auribus purioribus audire appellationem cauſæ inſtrumentalis, ubi cauſa eſt moralis, cre-



Digitized by Google

dimus magnam latitare ambiguitatem in hac locutione: Auribus purioribus; ceu ex exemplo refutato liquet. Urgebatur enim, neminem non videre durum eſſe & minus conveniens, appellare ſervum a conſule ad lictorem miſſum, ut hic hominem furti accuſatum vinculis conſtringat & in carcerem conjiciat, cauſam moralem inſtrumentalem conſtrictionis furis. Rationes hæ urgebantur: Nullum hic eſſe realem influxum, quo tamen cauſa inſtrumentalis concurrere debeat ad producendum effectum, etſi virtute ignobiliori. Verum quis non videt iterum confundi verum & realem influxum cum vero & reali influxu phyſico ſeu immediato? Adeſt omnino realis influxus, quia cauſa moralis inſtrumentalis vera & reali actione aliquid confert: Non vero adeſt verus & realis influxus phyſicus, quem ſcilicet præſtitiſſe dicatur in effectum. Pariter virtus cauſæ moralis inſtrumentalis ſemper ignobilior eſt, quam virtus cauſæ moralis principalis, quia hæc propria autoritate, illa autoritate aliena agit: Cæterum ſi virtute ignobiliori influere idem eſt, ac phyſice elevari ac moveri, talis virtus non requiritur ad cauſam moralem inſtrumentalem, quia cauſa moralis inſtrumentalis qua talis plane non eſt phyſica cauſa. Deſiderabatur inſuper cauſalitas cauſæ moralis, cum ſervus ad lictorem miſſus



Digitized by Google

ſuis non ita ſeſe gerat, ut ipſi merito imputetur effectus, ipſeque lictor exequatur voluntatem Magiſtratus, non ſervi miſſi, qui nihil aliud faciat, quam quod intimatum mandatum, cujus intuitu cauſa phyſica unice agat, lictori ſaltem ſignificet. Sed quis non videt, dum talismodi cauſalitas deſideratur, deſiderari cauſalitatem cauſæ moralis principalis, adeoque quod deſideratur, fruſtra deſiderari, cum hic ſermo ſit de ſervo ut cauſa morali inſtrumentali? Ex eo, quod lictor exequatur voluntatem conſulis, non ſervi miſſi, hoc ſolummodo ſequitur, ſervum miſſum non eſſe cauſam moralem principalem: Inde tamen nondum colligi poteſt, ſervum miſſum in tali caſu non fuiſſe cauſam moralem inſtrumentalem, quia negari nequit, lictorem executum fuiſſe voluntatem conſulis a ſervo ſibi ſignificatam.

X. Ut hac de re eo rectius judicium ferri poſſit, eam promiſſi memores paulo uberius perſequemur. Sane ſi dicendum ſine affectu, quod rei veritas poſtulat, omnem difficultatem parit vox *imputandi*. Hæc enim ut ſupra *p. 1364. ſeqq.* vidimus multas admittit ſignificationes, quæ tamen ad præſentis aſſerti veritatem obtinendam (quando aſſerimus: cuilibet cauſæ morali inſtrumentali imputari poſſe effectum, cujus cauſa moralis inſtrumentalis dicitur) nequicquam ſpe-

ctant. In præſenti namque vere imputare idem eſt ac ſalva veritate aſſerere, quod hic vel ille effectus ſuo modo procedat in eſſe ſuo ab hujus vel illius agentis actione. Unde is hoc loco imputat effectum, qui ſalva veritate judicat, ad hunc vel illum tanquam cauſam efficientem ſuo modo rem ſpectare. Ex. gr. ſervus a conſule miſſus ad lictorem, ut hic hominem furti accuſatum vinculis conſtringat inque carcerem conjiciat, intentione ſua, quam exerit, dum voluntatem conſulis lictori ſignificat, omnino aliquid confert ad effectum, nempe ad conſtrictionem furis. Niſi enim ſervus voluntatem Conſulis lictori ſignificaſſet, lictor utpote ignorans voluntatem magiſtratus, eum qui furti accuſatus fuerat, vinculis conſtricturus haud fuiſſet. Excipis: Potuiſſet Conſul per alium voluntatem ſuam ſignificare. Reſpondetur: Sic non ſervus iſte, ſed alius quiſpiam cauſa moralis inſtrumentalis extitiſſet. Regeris: Quid vero ſi Conſul ipſe lictori immediate voluntatem ſuam ſignificaſſet? Reſpondetur: Sic Conſul fuiſſet cauſa moralis principalis abſque cauſa morali (prout quidem cauſa moralis cauſam efficientem liberam mediatam notat) inſtrumentali. Dicis: Sed quomodo ſervo a Conſule miſſo hic effectus, nempe conſtrictio furis, imputabitur, qui nihil aliud facit,
quam

quam quod intimatum mandatum, cujus intuitu lictor accuſatum conſtringit, lictori ſaltem ſignificaverit? Reſpondetur, eatenus ei imputari, in quantum hoc & nihil aliud fecit, quam quod intimatum mandatum, cujus intuitu lictor accuſatum conſtrinxerat, ſignificaverit. Et numne convenit auribus purioribus, audire appellationem cauſæ inſtrumentalis, ubi cauſa eſt phyſica? Exempli loco afferri ſolet homo, qui ligna ſecat, ubi is qui ſecat cauſa phyſica principalis, ſerra, quam iſte qui ſecat, lignis applicatam hinc inde reciprocat, cauſa phyſica inſtrumentalis appellatur. Hac enim ratione ſerra non eſt cauſa phyſica, qua ratione is qui ſecat, cauſa phyſica eſt & dicitur: Quippe a ſerra eſt quidem ſectio, non tamen niſi virtutem ipſi is qui ſecat, inprimat eamque hinc inde reciprocet, unde eadem ſectio immediate procedit & a ſecante & a ſerra, ſed a ſecante ut eo qui non aliunde motus movet, & movet virtute propria: & a ſerra quæ niſi moveatur, non movet, & dum movet, movet virtute aliunde ſibi impreſſa. Cur igitur auribus iisdem non convenit, audire appellationem cauſæ inſtrumentalis, ubi cauſa eſt moralis, utut hac ratione e.gr. ſervus a conſule miſſus non ſit cauſa moralis, qua ratione Conſul cauſa moralis eſt & dicitur: A ſervo namque eſt hic actus, quo lictori ſignificatur, quid ipſi

agendum ſit, non tamen niſi poteſtatem tale quid ſignificandi Conſul ipſi concedat, eumque mittat, unde actus, quo lictori ſignificatur, quid ipſi faciendum ſit, procedit & a conſule & a ſervo, ſed a conſule, ut qui auctoritate propria hoc per ſervum ſignificat: a ſervo, ut qui niſi auctoritate aliena moveatur, tale quid faciendum lictori non ſignificat, & dum ſignificat, ſignificat hoc juſſu & auctoritate Conſulis heriq; ſui. Imo ſi ideo deſideratur cauſalitas cauſæ moralis, quia nihil aliud facit ſervus, quam quod intimatum mandatum, cujus intuitu cauſa phyſica unice agit, lictori ſaltem ſignificet: Cur non etiam deſideratur cauſalitas cauſæ phyſicæ, quia nihil aliud facit ferra, quam quod ita ſecet, prout a ſecante dirigitur ac movetur. Dicis: Secat tamen, ſicque phyſice agit. Reſpondetur, adeoque eſt cauſa phyſica inſtrumentalis & phyſice mota: Servus vero, quia mediate agit & ſignificat lictori, quid ipſi faciendum ſit, non tamen auctoritate propria, ſed aliena inſtructus, eſt cauſa moralis inſtrumentalis. Paucis: Hoc & nihil aliud volumus, ſi effectus non una eademque ratione cauſæ phyſicæ principali & cauſæ phyſicæ inſtrumentali imputatur, nihil certe cauſæ apparet, cur effectus alii ut cauſæ morali principali, alii ut cauſæ morali inſtrumentali imputari nequeat, quamvis alia atq;

alia

Digitized by Google

alia ratio imputandi requiratur. Cæterum de eo difficultas adhuc moveri poterat, unde ſcilicet fiat, quod cauſæ morali inſtrumentali nunc effectus in totum æque ac cauſæ morali principali, nunc in tantum, nunc nullatenus in practicis imputetur? Huic difficultati ut obviam eamus, in memoriam revocanda venit diſtinctio ſupra tacta inter imputationem in genere morum ſeu imputationem moralis actionis aut negotii qua talis, & inter imputationem in genere efficientis ſeu (ſi ita dicere malis) imputationem Metaphyſicam. Annon enim multa a Metaphyſicis imputantur, quæ nec in Morali ac Civili Philoſophia, nec in Theologia, nec in Jurisprudentia materia imputationis ſunt, quia ibi terminus imputationis aliam ſignificationem arguit: E. gr. Metaphyſicus lumen in conclavi productum Soli imputat tanquam cauſæ efficienti principali, ſed quis neſcit, Morali ac Politico ſtilo, item Theologico ac Juridico, talismodi imputationem imputationem non eſſe, quia ut abunde docuimus ac per ſe manifeſtum eſt, in practicis diſciplinis nullus effectus alicui tanquam cauſæ efficienti principali imputatur, niſi id cui imputatur, ſit perſona. Numne vero in Metaphyſicis nihil dicetur vera cauſa efficiens principalis, niſi ſit perſona, niſi ſit agens intellectu & voluntate præditum,

aut niſi ad minimum ſe habeat per modum perſonæ? Ἄτοπον. Ei qui findit ligna & contra intentionem a tergo ſtantem ſecuri lædit, omnes Metaphyſici imputant hancce læſionem tanquam veræ cauſæ principali, quia talismodi cauſa per accidens, licet non ut talis, adhuc eſt vera cauſa efficiens principalis, eſt enim vera cauſa efficiens phyſica: Numne vero in genere morum iſti vulnus inflictum imputabitur? Minime. Nec vero variæ rationes imputandi effectus cauſis moralibus inſtrumentalibus habent admirationem, modo attendatur varietas effectuum imputatorum ac probe ponderetur. Sæpe namque effectus, qui nempe cauſis moralibus inſtrumentalibus imputantur, ſunt moraliter mali ſeu turpes, juſtiſſimæque rationes morales adſunt, ob quas cauſis moralibus inſtrumentalibus in genere morum imputentur, inque hoc iſtove foro æque ac cauſis moralibus principalibus, quandoque etiam magis, imputentur: E.gr. In foro civili, ut ſupra vidimus, mandans & mandatarius ejusdem homicidii rei habentur. Ita enim *Magnif. Dn.* Struve/ *Syntagm. Juris Civilis, exerc. 48. th. 12. Si quis per alium delictum, quod ipſe vult admiſſum, exſequatur, tam mandans quam mandatum exſequens ordinaria pœna afficiendi. ad L. 15. C. de ſic. l. 5. C. de accus. l. 11. §. 3. de injur. Exerc. 18. th. 5. Matth. c. 1. num. 12.*

*Carpz.*

*Carpz. 1. q. 4. q. 37. num. 48. q. 50. num. 32. q. 91. num. 21. Add. Zoes. ad L. Aquil. num. 20.* Ita *in quibusdam criminibus pœna ordinaria iis quoque, qui cum poſſent & deberent prohibere, non prohibuerunt, infligitur. l. 9. §. 1. ad L. C. de falſ. l. 2. 6. ad L. Pomp. de parric. l. un. C. de rapt. virg. l. 6. C. ad L. Jul. Maj. Vid. Matth. l. c. 1. num. 15. Magnif. Dn.* Struve *Syntagm. Jur. Civ. d. l.* Ita *cum quis tantum ad commiſſionem delicti concurrit conſilium ſuggerendo, idque perſuaſione, inſtructione & ſubminiſtratione modi & occaſionis ad delinquendum, tunc idem delictum cum delinquente admittitur l. 12. ad L. Jul. de adult. Limitant tamen communiter, niſi alter absque conſilio tali fuiſſet commiſſurus, tunc levius punietur inſtruens N. 134. c. 10. l. 1. §. 2. de extr. crim. d. §. 11. h. l. 53. de V. S. l. 36. de furt. l. 11. §. 6. de injur. Matth. in l. 48. t. 18. cap. 4. num 18. Add. Clar. 5. §. f. q. 88. ibique Bajardus. Menoch. de a. 1. q. 351. Theodor. Colleg. crimin. D. 7. th. 6. lit. e. circ. fin. Carpzov. 2. q. 71. n. 56. Magnif. Dn.* Struve *l. c.* In certis ergo caſibus juſtitiæ civilis Sacerdotes in ſuo foro eadem pœna afficiendam cenſent cauſam efficientem immediatam & mediatam non modo, ſed & cauſam moralem principalem, ex. gr. mandantem incendium: & cauſam moralem inſtrumentalem e. gr. mandatarium. Unde hæc duo inter ſe non pugnant: In certis caſibus cauſæ morali inſtru-

mentali e. gr. mandatario æque ac cauſæ morali principali e. gr. mandanti effectum imputari, ſi ſermo ſit de imputatione, ut a *Juris Doctoribus* ſumitur: Et in iisdem caſibus cauſæ morali inſtrumentali e. gr. mandatario non æque ac cauſæ morali principali e. gr. mandanti effectum imputari, ſi de imputatione in ſenſu Metaphyſico verba fiant. Quidquod in iisdem caſibus de imputatione in ſenſu morali ſeu in genere morum aliter de *Jure naturali*, aliter de *Jure civili* reſpondeatur? Magis enim mandanti, quam mandatario *Morales Doctores* & *Theologi*, utpote qui internum animi tribunal inſtruunt, incendium imputabunt, cum *JCti* in externo foro verſantes ordinaria pœna utrumque afficiendum cenſeant. Rurſus in aliis caſibus *JCti* cauſam moralem, quam hactenus inſtrumentalem diximus, venia dignam cenſent, omnemque culpam cauſæ morali principali imputant: Et huc iterum ſpectat notiſſima *regula Juris*, quæ eſt *lex 157. D. de regulis Juris*, quando *Ulpianus* ait: *Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſervis, ſi vel dominis, vel his qui vice dominorum ſunt, veluti tutoribus & curatoribus, obtemperaverint.* Item altera *regula, quæ eſt L. 167. D. eod. tit.* dum *Paulus* JCtus inquit: *Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere neceſſe habet.* Item *L. 4. D. eod. tit.* ubi

*Ulpia-*

Ulpianus: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris vel domini.* Quænam vero, quando res in foro Civili agitur, habeant atrocitatem facinoris vel ſceleris, & quæ non habeant, hac de re quicquam determinare noſtri non eſt judicii. Vidd. interea *l. ſi ſervus 2. §. is qui non prohibuit 1. D. de noxalibus actionibus l. ſi mulier 21. §. ſi ſervus mulieris 1. D. de actione rerum amotarum l. is qui in puteum 11. §. ignoſcitur 7. D. Quod vi aut clam l. ſed ſi unius 17. §. ſi juſſu domini 7. D. de injuriis l. ſervos 8. C. Ad Legem Juliam de vi publica vel privata.* Immo in his, quæ habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ſi minæ acceſſerint, ſi non in totum ipſis ignoſcitur, in tantum tamen, hoc eſt, mitius puniuntur *l. ſervos 8. C. Ad Legem Juliam de vi publica vel privata l. ſi ſervus 2. C. de ſepulcro violato.* Quod de ſervis dictum eſt, idem in filiis obtinere docent JCti ex *l. liberorum 11. §. notatur etiam 4. D. de his qui notantur infamia l. in fraudem juris 10. §. recte dictum 2. D. de his quæ ut indignis auferuntur.* Idē in certis caſibus de aliis cauſis moralibus principalibus & cauſis moralibus inſtrumentalibus dici poterat. *Interim* hoſpitem eſſe oportet in *Philoſophia Juris naturalis*, qui omnes effectus qui in foro civili venia digni cenſentur, in foro conſcientiæ ac divino tribunali veniam quoque conſequi pronunciaret: Contrarium idoneis Juris Naturalis Cultoribus abunde

li-

liquet. Sed de his plus ſatis dictum eſto, utpote quæ unice ea fini attulimus, ne imputatio *in ſenſu Morali* cum imputatione *in ſenſu Metaphyſico* confunderetur. Alias dantur delicta, quæ quilibet, etiam ſimpliciſſimus, ſcire poteſt, imo debet, eſſe talia, & quidem tanta, ut mortem potius oppetere debeamus, quam illa committere, nedum paterno vel dominico vel Regio refragari imperio. *Sunt nonnulla ejusmodi*, ait *Ariſtoteles III. ad Nicom. c. 1. ut fortaſſe nulla vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis ſit optanda, graviſſimique cruciatus perferendi.* Unde *Ariſtoteles* exempli loco addit: *Etenim Alcmæonem illum Euripidis perridicula videntur, quæ impulerunt, ut matrem interficeret.* Nam *Deo* (autori omnis juris naturalis, adeoque etiam illius, quod in talibus cuivis prohibet, ne ſit cauſa moralis inſtrumentalis ſcelerum) *potius obediendum quam hominibus*, non *Apoſtoli* tantum dixerunt, *Act. V, 9.* ſed & *Socrates*, ceu *Plato* id nos docet in *ipſius Apologia*. Quia igitur non aut Pater, Dominus, Maritus, Superior, Magiſtratus, Rex, omnia jubere poſſunt, aut in omnia liberi, uxor, inferiores, ſubditi parere coguntur, quid habet admirationis, ſi cauſæ morali principali & cauſæ morali inſtrumentali idem ſcelus imputetur? Illi, quia imperavit, quod imperare non potuit: Huic, quia ſceleſte imperata fecit tantoque

toque ſceleri manus commodavit. Conf. *Hugo Grotius de Jure B. & P. c. 26. §. 1. 2. 3.* Cæterum hæcce talia nequicquam veritati imputationis Metaphyſicæ præjudicant, vi cujus cuivis cauſæ morali inſtrumentali, ut cauſæ morali inſtrumentali, effectus cujus cauſa moralis inſtrumentalis eſt, imputatur. Nam ſi imputationes morales variant, quid impedit varietatem imputationum Metaphyſicarum? *Quæ quibus ſupplicia debeantur, pleni ſunt Juriſconſultorum libri, plenæ forenſes literæ: de præmiis vero qui ſcripſerit, video fuiſſe neminem,* ſcribit *Bodinus lib. 5. de Republica cap. 4. de præmiis ac pœnis in Republica decernendis.* Et *Tacitus* cauſam inquirens, *Proniores,* inquit, *ad vindictam ſumus, quam ad gratiam: quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur.* Sit quicquid ſit, hoc tamen certo certius relinquitur; Res omnes publicas duobus his fundamentis, præmio & pœna ſtare, ac omnino niti, hisque duobus cardinibus ſalutem earundem verti. Nec vero graviores civitatum motus frequentioresve Rerumpublicarum interitus contigerunt, quam & cum impune ſceleratis peccare licuit, & bonorum ac fortium virorum præmia nulla fuerunt. E contrario honorum præmia quo majora fuerunt, eo virtus clarior & præclarorum virorum multitudo major extitit. Sic quoniam nulli populi majora lau-

laudis & gloriæ præmia propoſuerunt, quam Romani, neceſſe erat, ut populos omnes illuſtrium virorum multitudine ſuperarent. Interim quotusquisque tam de imputationibus recte factorum, quam de malefactorum ſollicitus eſt? Diſſeruit de præmiorum imputationibus egregie *Bodinus* per citatum integrum *caput*, ubi inprimis demonſtrat, ex eo majori dignitate imperantis majorique uſu Reipublicæ eſſe, quo citius præmiorum cauſa phyſica, quam cauſa moralis, aut ad minimum minus minusve mediata cauſa, pœnarum vero magis magisve mediata cauſa futurus ſit. Præmiorum namque largitionibus a ſe tanquam cauſa immediata pendentibus ac procedentibus ſubditorum gratiam colliget: pœnarum vero irrogatione Magiſtratibus ac Judicibus tanquam cauſis moralibus inſtrumentalibus data, dabit id, quod erat ingratiſſimum, quique alias ſuppliciorum acerbitate a ſeipſo & non per cauſas inſtrumentales morales illata multum de ſubditorum erga ſe amore ac benevolentia detracturus fuiſſet. *Altius* enim *injuriæ, quam merita deſcendunt*, ut acute *Seneca* ſcribit in *libro primo de beneficiis*. *Nihil principibus* (verba ſunt *Bodini*) *beneficiorum ac præmiorum ſuorum gratia charius eſſe debet: quam ſi domeſticorum fraudibus ſibi extorqueri patiantur, verendum eſt, ut imperium tandem aut certe imperii fructū omnem amit-*

omittant. Nam cum ABSALON (En cauſam phyſicam!) DAVIDE diſſimulante (En cauſam moralem!) honores, imperia, curationes, beneficia denique ac præmia ſubditis largiretur, capitali fraude ſceptra de manibus, coronam de Regis capite decuſſit: hunc enim ſubditorum animos ac voluntates Davidi parenti optimo ſuffuratum eſſe *Sacræ literæ* teſtantur. Cum item GALBA Imperator (Ecce cauſam moralem!) beneficium Othonis rogatione privato conceſſiſſet, OTHO (Ecce cauſam phyſicam!) decem aureorum millia extorſit, quæ Prætorianis militibus diviſa imperium ſibi pepererunt: paulo poſt enim Galba interfectus eſt. Hoc Julianus Imperator ſignificabat emblemate ſingulari, quo ſagittarius pennis aquilæ detractis eas ad ſagittam accommodat, ut aquilam configere poſſit. Hic offertur occaſio tangendi locum communem a paucis ſolide tractatum: Quousque CAUSIS ſuis MEDIATIS IMMEDIATISve, PRINCIPALIBUS INSTRUMENTALIBUSve & recte facta & præmia accepta imputari debeant, ſic ut illis præmia, his debitæ gratiæ reddantur? Hoc enim cuivis intimius ponderanti patebit, non ſolum eos recte factorum auctores, qui illa factis ſuis ipſi committunt, ſed & qui factis ſuis ad commiſſionem illorum concurrunt. Verum hæc talia perſequi, chartæ præſentis anguſtia

ſtia non permittit, nec vero ratio inſtituti exigit. Quid vero tandem dicetur de effectibus nec laude, nec vituperio, nec præmio, nec pœna dignis, qui tamen a Metaphyſicis & cauſis ſuis moralibus principalibus & ſuo modo cauſis ſuis moralibus inſtrumentalibus imputari poſſunt, & merito imputantur.

XII. Unicum ſuperaddere libet. Nondum poſſumus adduci, ut gravi reprehenſiore aut rigida cenſura dignos credamus, qui *cauſas morales inſtrumentales* etiam vocarunt *illas CAUSAS EFFICIENTES PHYSICAS PRINCIPALES, quæ ſcilicet non propria, ſed aliena autoritate id agunt, cujus reſpectu cauſæ phyſicæ appellantur.* E. gr. lictorem, qui juſſa principis exequitur & facinoroſum vinculis conſtringit; carnificem, qui juſſibus principis paret & furem ſuſpendit, aut homicidam decollat, vocant cauſas inſtrumentales morales reſpectu principis tanquam cauſæ moralis principalis. Quid enim monſtri hæc doctrina alat, certe non liquet. Nam quod objicitur, eſſe contradictionem in adjecto, ſi aliqua cauſa phyſica cauſa moralis inſtrumentalis dicatur, cum cauſa phyſica ſit cauſa immediata, cauſa vero moralis cauſa mediata: ad hoc habebunt defenſores hujus locutionis, quod facillime reſpondeant. Nempe hi qui ſic philoſophantur, cauſam moralem non in oppoſitione ad cauſam phyſicam, adeoq;

Digitized by Google

adeoque non præciſe pro cauſa mediata accipiunt, ſed ipſis idem cauſa moralis hoc loco ſignificat, quod cauſa libera ſeu cauſa per liberam actionem. Et ſane hanc acceptionem uſus, loquendi Magiſter, probat, ceu ſupra *cap. 27. §. 16. pag. 1270.* probatum dedimus. Hac igitur ſignificatione admiſſa, non eſt cur monſtroſe cogitetur, eſſe contradictionem: cauſam phyſicam, quæ tamen ſit moralis, quia non magis monſtrifica erit hæc locutio, quam ſi dictum fuiſſet: cauſa phyſica quæ ſimul eſt cauſa libera. Excipitur: Monſtroſam tamen manere hanc locutionem, Cauſa phyſica principalis, quæ ſimul eſt cauſa moralis inſtrumentalis; cum cauſa phyſica inſtrumentalis opus habeat elevatione ſeu motione phyſica, cauſa vero phyſica principalis non opus habeat elevatione ſeu motione phyſica. Reſpondetur: Qui hanc locutionem adhibent, cauſam phyſicam liberam vocant inſtrumentalem non in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo: Hoc eſt cauſam phyſicam liberam non vocant cauſam phyſicam inſtrumentalem: Sed cauſam liberam inſtrumentalem. Cauſam liberam vocant, quia gaudet libertate phyſica: Inſtrumentalem nuncupant, quia non propria, ſed aliena auctoritate, non proprio, ſed alieno nutu, inſtinctu, conſilio, arbitrio agit. Nam hoc omnibus notum eſſe debet, nullam cau-

ſam phyſicam inſtrumentalem (in ſenſu compoſito ſic dictam) qua talem poſſe eſſe cauſam efficientem liberam. Unde voces: *moralis inſtrumentalis*; additæ cauſæ phyſicæ ſtatim indicant, hic nullum ſermonem eſſe de cauſa phyſica inſtrumentali h. e. de ſic dicta, quia inſtrumentum phyſicum eſt, ſed de cauſa phyſica principali, quæ ſimul inſtrumentalis appellatur, quia una inſtrumentum morale eſt. Et ſane parum ab hoc modo philoſophandi abeunt Practici Doctores: Nam morali æſtimatione Princeps, neutiquam vero lictor aut carnifex includit facinoroſum in cuſtodiam, aſſervat in cuſtodia, pœnam ei irrogat: quæ tamen omnia phyſica æſtimatione non Princeps, ſed lictor & carnifex peragunt. Ex iiſdem fundamentis ſolet decidi quæſtio Moralis: An quis juſte latam ſententiam mortis a Magiſtratu juſſus in ſeipſo poſſit exequi, ita ut ſalvo naturæ jure ſeipſum occidat? Ex illis, qui affirmativam tuentur, ſunt qui negant occiſionem ſui ipſius in tali caſu eſſe αὐτοχειρίαν, prout quidem ea vox injuſtitiam includit, cum ita ſeipſum occidens quaſi alium occidat, aut a ſe occiſus æſtimatione morali ab alio occiſus putetur, ſolusque Magiſtratus maneat autor pœnæ, per quemcunque tandem executio fiat, modo Magiſtratus eam jubentis voluntas adſit. Hic recurritur ad Metaphyſicam diſtinctio-

ctio-

ſtionē inter cauſam in Moralibus & cauſæ in Moralibus inſtrumentum, non phyſicum, ſed morale. De cætero in has locutiones non juravimus, imo certe ab iis lubentia lubentius abſtinemus. Hoc tamen obiter monemus, terminum, qui idoneam explicationem patitur, non ſtatim ubivis, maxime quando ad Theologicas doctrinas reſpicitur, applicari poſſe: Qua de re noſtrum non eſt diſpicere.

§. 2. Alter uſus practicus doctrinæ de cauſa efficiente eſt, ſibi aliisq; perſpectum reddere modum probandi cauſam efficientem hujus, illius iſtiusve Moralis, Politici, Forenſis aut Theologici operis, negotii, actionis, rei, per aliam cauſam ſive alius generis, ſive alius intra idem genus ordinis.

*NOTÆ.*

I. In Practicis diſciplinis, quarum principium adæquatum primum eſt auctoritas, vel Scripturæ Sacræ, ut in Theologia revelata; vel Legislatoris, ut in Jurisprudentia civili qua tali, prout quidem ea naturali & Gentium Jurisprudentiæ contradiſtinguitur, cauſæ efficientes quam plurimæ occurrunt, quas ex manifeſtis textibus *Scripturæ Sacræ*



Digitized by Google

aut *Juris civilis* colligere licet: Aliter tamen diſciplinæ practicæ comparatæ ſunt, quarum principium primum non eſt auctoritas, ſeu, ut vulgo dici ſolet, quæ non auctoritate, ſed ratione tanquam principio primo, quod alio ſenſu recte ultimum dicitur, nituntur. Ita e. gr. ſi in Theologia quæratur: Quænam ſit cauſa efficiens juſtificationis? Seu, QVIS juſtificet? Reſpondetur: Deus; Hoc enim Sacræ literæ expreſſe aſſerunt *Rom. VIII, 33. Quis intentabit crimina adverſus electos DEI? DEUS eſt, qui juſtificat.* Rurſus quæritur: Quænam ſit cauſa efficiens meritoria juſtificationis? Reſpondetur: Chriſtus Jeſus: Nam *Rom. III, 24.* dicimur *gratis* (Dei gratuito favore) *juſtificari per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Chriſtum enim dupliciter conſiderant Orthodoxi Theologi: Uno modo, ut perſona ſecunda divinitatis, & cum prima & tertia perſona, hoc eſt, Patre ac Spiritu Sancto verus ac æternus Deus eſt, nobisque æque ac Pater & Spiritus Sanctus peccata remittit *1. Cor VI, 11. Joh. III, 16. 17. Matth. VI, 14.* Altero modo, ut perſona, quæ ſimul verus Deus & verus homo eſt, nobisque patiendo & moriendo promeretur remiſſionem peccatorum. Utroque modo Chriſtus, ceu orthodoxi Theologi docent, eſt cauſa efficiens principalis juſtificationis: Non tamen utroque, ſed ſaltem poſteriori modo cauſa meri-

to-

toria dicitur, quia juſtitiam & remiſſionem peccatorum nobis promeritus eſt, quando pro nobis paſſus & mortuus eſt. Quæritur: Quænam ſit cauſa efficiens principalis converſionis tranſitive ſumtæ? Reſpondetur eodem modo: Nam quod Deus ſit cauſa efficiens converſionis, luculenter patet ex *Jer. XXXI, 18. Converte me, ut convertar, quia tu es* יהוה *Deus meus.* Et quod Chriſtus ſimul ſit cauſa meritoria, abunde liquet ex *Eph. II, 4. 5. 6. 7.* Quæritur: Quænam ſit cauſa efficiens Sacramenti cœnæ? Seu, quisnam inſtituerit Sacram Cœnam? Reſpondetur ex *Matth. XXVI, 26. 27. 28. Marc. XIV, 22. 23. 24. Luc. XXII, 19. 20. 1. Cor. X, 16. XI, 23. 24. 25. Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Innumera exempla alia Theologica adferri poterant. Pariter quando in Jurisprudentia forenſi quæritur: Quænam ſit cauſa efficiens in Jus vocationis? Reſpondetur: Fiebat olim privata autoritate, ita ut ipſe qui acturus erat adverſario, ſibi forte obvio, denunciaret, ut ſecum veniret in Jus: qui vocatus, ſi protinus & illico non ſequeretur, nec ſatisdaret judicio ſiſti, invitus obtorto collo in Jus ſeu ad Prætorem duci & trahi poterat ſecundum *LL. XII. Tabb.* arg. *l. plerique 18. D. de in jus vocando l. ſi vero 5. §. qui 1. D. qui ſatisdare cogantur. Rittershuſius in LL. XII. Tabb. claſſ. 3. c. 1. Hahnius ad Weſenbec. ad tit. D. de in*

*Jus vocando. Magnific. Dn.* Struve *Syntagm. Jur. Civ. exerc. 4. §. 3.* Quæ violenta deductio licet paulatim exoleverit, non tamen cum iſta ſimul privata vocatio ſeu denunciatio videtur ſtatim deſiiſſe, ſed ſi reus ita vocatus non iret, nec caveret, licet non amplius raperetur, tamen mulctabatur *l. ex quacunque cauſa 2. §. ſi quis 1. D. ſi quis in jus vocatus non ierit.* Cæterum jure recentiori autoritate Magiſtratus per apparitores fiebat in jus vocatio *l. cum propon.is eum 9. l. cum apud veteres 10. C. de bonis auctoritate Judicis poſſidendis l. diffamari 5. C. de ingenuis manumiſſis l. omnes qui 33. pr. C. de epiſcopis & clericis l. in ſacris ſcriniis XII. pr. C. de proximis ſacrorum ſcriniorum XII. l. ante ultima 4. pr. & §. advocato 2. C. de caſtrenſianis & miniſterianis XII. l. hac lege 2. l. quotiens 3. C. de privilegiis ſcholarum XII. §. vi autem 19. §. tripli 24. §. ſed furti 26. Inſt. de actionibus Novel. XII. cap. 3. vers. Jubemus*, ac mutata veteri procedendi ratione nomina; *in jus vocatio & citatio* confuſim uſurpari cœperunt. *Bachovius in tit. 4. Dig. num. 3. Frantzkius in h. t. num. 20. & 22. Magnif. Dn.* Struve *loc. cit. §. 7.* Secundum jus novum itaque in jus vocatio ſeu citatio eſt actus judicialis, quo reus judicis autoritate petente actore litis ſuſcipiendæ cauſa in loco judicii ad diem certum comparere jubetur. *Magnific. Dn.* Struve *§. 8.* Addamus

aliam

Digitized by Google

aliam quæſtionem Juris civilis: Quibusnam detur actio de inofficioſo teſtamento, quam etiam querelam inofficioſi teſtamenti vocant? Reſpondetur: Iis qui cum neceſſario inſtituendi vel ex juſta cauſa exhæredandi aut quibus ſaltem legitima relinquenda fuiſſet, indigne ac præter meritum ſunt exhæredati præteritive, ne legitima quidem illis relicta *l. ſciendum 1. l. hoc colore 2. D. de inofficioſo teſtamento §. non autem 1. §. tam autem 2. §. ſed hæc 3. Inſt. eod. tit.* Competit namque jus hæreditarium ſeu jus ſuccedendi quibusdam perſonis ita, ut non poſſint a bonis relictis omnino teſtamento excludi; uti ſunt liberi, nec non parentes *Novel. 1. præf. §. ult.* Et quidem quod *liberos* attinet, ipſa parentibus inſita naturalis στοργὴ & charitas dictitat, ut non tantum de neceſſariis, ſed etiam de his, quæ ad vitam ſuavius honeſtiusq; tranſigendam pertinent, liberis ſuis proſpiciant. *Ratio itaque naturalis*, eleganter dicente *Paulo* JCto *l. cum ratio 7. D. de bonis damnatorum, quaſi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando, propter quod & in Jure civili ſuorum hæredum nomen eis indictum eſt, ac ne judicio quidem parentis, niſi meritis de cauſis ſubmoveri ab ea ſucceſſione poſſunt.* Add. *l. ſcripto 7. D. ſi tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, unde liberi.* Parentes deinde quod ſpectat, licet



Digitized by Google

ipſis non ſic liberorum, ut liberis parentum debeatur hæreditas, ſed parentes ex charitate naturali ad liberos ſua velint & voveant transferri, ac hos ſuperſtites eſſe *l. nam etſi parentibus* 15. *D. de inofficioſo teſtamento l. cum ratio* 7. *pr. D. de bonis damnatorum*: Nihilominus tamen, turbato mortalitatis ordine, ratio miſerationis ad bona liberorum parentes, contra ipſorum & naturæ, aliud intendentis, votum admittit *cit. l.* 7. ac luctuoſam hanc ſucceſſionem parentibus quoque naturalis defert ratio. Singularis enim amor, quo liberi parentes ſuos, quibus ob vitam, & plurima alia beneficia collata nunquam dignam referre poſſunt gratiam, tradente pluribus *Ariſtotele VIII. Ethic.* 14. *& ult.* tenentur proſequi, injungere quaſi ipſis videtur, ut bona parentibus relinquant: & ſane contra amorem, pietatem ac reverentiam iis debitam agunt liberi, illos ſucceſſione privantes. Quod bene confirmat *Papinianus l. nam etſi* 15. dicens: *Etſi parentibus non debetur filiorum hæreditas propter votum parentum & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus quam liberis, pie relinqui debet.* Idem *Juſtinianus* Imperator, *Novel.* 1. *præf.* §. 2. indicat ſequentibus verbis: *Teſtantibus aliis quidem, neceſſitatem imponit lex diſtribuere quandam partem perſonis: quibusdam, tanquam hoc ſecundum ipſam* *na-*

*nitivam eis debeatur, quale eſt filiis & nepotibus, & patribus atque matribus &c.* Parentibus nos primum natura conciliat, adeoque iis nihil relinquere nefarium eſt. Cæterum ut-ut Moraliſtæ neminem *jure naturæ* obligatum cenſeant ad hoc, ut fratribus aut cognatis bona ſua relinquat: *Jure* tamen *Civili* circa ſolos fratres hæc addita limitatio, quod, turpibus perſonis teſtamento inſtitutis, ipſis neceſſario aliquid relinquendum ſit *l. fratres* 27. *C. de inofficioſo teſtamento §. non autem* 1. *Inſt. eod. tit.* Licet enim fratres alias pro lubitu præteriri, & extraneis, quibus bene quis vult, bona relinqui poſſint, videtur tamen eſſe contra amorem fratribus naturaliter debitum, turpes perſonas iis absque culpa ipſorum omnino præferri, de quo fraterno amore concinne *Ariſtoteles: Fratres,* inquit, *ſe invicem diligunt, quatenus ex iisdem nati ſunt: nam ortus communis ipſos quaſi eosdem facit. VIII. Ethic.* 14. Et *Valerius Maximus lib. V. c.* 5. *Ut merito primum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia accepiſſe: Ita proximum judicari debet, ſimul accepiſſe.*

II. Circa huncce modum reſpondendi ad quæſtiones de cauſa efficiente, qui nempe autoritate nititur dicentis, duo adhuc notanda ducimus: Unum eſt, quod ad quæſtiones de cauſa efficiente non modo per expreſſos textus *Scripturæ Sacræ* aut *Juris Civilis*, ſed

etiam per ea, quæ regulis conſequentiæ & formalis & materialis recte ac decenter adhibitis ex textu eliciuntur, ſicque per pronam ac facilem conſequentiam rectiſſime reſpondeatur. Alterum eſt, quod in *Theologia* etiam & *Jurisprudentia* cauſæ efficientes nunc per cauſas alius generis, nunc per cauſas efficientes alius ordinis, demonſtrari poſſint. Et hoc iterum fit duplici modo: Nunc enim hujusmodi demonſtrationes expreſſe continentur in *Scripturæ Sacræ* aut *Juris Civilis* textibus: nunc vero per bonam conſequentiam vel ex uno eodemque contextu vel ex pluribus textibus inter ſe collatis deducuntur. Adferre libet hujus rei exempla: Eſto quæſtio Sacra: Cur idololatra ſit peccator? Quod certe idem eſt, ac ſi quæreretur: Cur is qui idololatriam exercet, peccet, hoc eſt, ſit cauſa efficiens peccati? Hanc quæſtionem de cauſa efficiente ſolvit ac demonſtrat *Sacer Codex Jer. II, 12. 13.* adhibita duplici ratione: Una eſt, quia idololatra averſatur omne bonum, dum verum Deum averſatur, cum nemo bonus ſit niſi DEUS. Altera eſt, quia idololatra id quod nihil minus eſt quam bonum præ vero bono eligit. Utraque demonſtratio eſt cauſæ efficientis per cauſam objectivam, quia utraque ratio petita eſt ab objecto, ac allatæ quæſtioni de cauſa efficiente ſolide ſatisfacit. Et ſane utraque ratio, veſti-

ta

tatamen ſuo ornatu, in *citato textu* continetur. Verba ex *Tremellii* & *Junii* verſione ſic habent: *Obſtupeſcite cœli, & horreſcite, deſolemini valde! dicit Jehova. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt ſcaturiginem aquarum perennium, ut effoderent ſibi ciſternas, ciſternas fractas, quæ non capiunt aquas. B. Lutherus* hanc duplicem probationem cauſæ efficientis per cauſam objectivam, ut a Metaphyſicis vocatur, germanico idiomate elegantiſſime expreſſit: Solt ſich doch der Himmel dafür entſetzen / erſchrecken und ſehr erbeben / ſpricht der HERR: Denn mein Volck thut eine Zwiefache Sünde: Mich / die lebendige Quelle verlaſſen ſie / und machen ihnen hie und da ausgehauene Brunnen / die doch löcherricht ſind / und kein Waſſer geben. Diximus utramque rationem ſuo ornatu veſtitam conſpici. Nam Prophetæ cœleſtes concionatores a DEO ad homines erudiendos & corruptos eorum mores caſtigandos deſtinati, etiam ſine arte artificioſiſſime dixerunt, utpote qui non Spiritu Rhetorico, ſed Spiritu Sancto afflati locuti ſunt. Primo enim Propheta rem maxime deteſtandam demonſtraturus, morali præfatiuncula utitur, & ut attentionem excitet, & ut metum attentis auditoribus incutiat. Deinde duplicem demonſtrationem ſeu utramque probationem ſolidam & verbis concinnis con

con

concisisque effert, & duplicem appoſitam metaphoram in loco uſurpat. Et ſane ut obiter hoc notemus, uti *Rhetorica*, cum *civilis*, tum *eccleſiaſtica*, orationis nitore & copia veluti ſanguinem, & carnem, & cutem, & colorem ac ſpeciem & ornatum addit, adeo ut qui rebus hiſce carent, aridi & jejuni a *Rhetoribus* appellentur: Ita *Analytica Metaphyſices* ope velut nervos & oſſa corporis compingit & ſuis locis aſſignat, unde qui *Metaphyſices* & *Analytices* prorſus imperiti ſunt, jure meritoque coquis qui non raro optima jura confundunt aſſimilabuntur. Similitudine a pictoribus petita hoc fortaſſis poterit intelligi: Hi enim primum quidem rudi (ut ita loquamur) craſſaque Minerva omnia ſimulacri membra delineant, tum vero varios & colores, & ornatum, & cætera quæ ad perfectam & abſolutam imaginem requiruntur, addunt: Prius autem illud cum Metaphyſices & Analytices, poſterius cum Rhetorices officio convenit. Ergo illi demum concionatoris & docti & grati acceptiq; titulum apprime merentur, quorum conciones cum nervis & oſſibus, ceu modo diximus, hoc eſt, rationibus Metaphyſicum & Analyticum examen ſuſtinentibus conſtant, tum carne & cute, hoc eſt, oratorio ornatu veſtiuntur. Quod ſi regeſſerint forte oſores Metaphyſices: Ex verbo Dei conciones habendas eſſe, non ex Meta-

ta-

Digitized by Google

taphyſica aut Analytica, & habendas eſſe ad rudem ac imperitam multitudinem, quæ non ſubtilitatibus Metaphyſicis, ſed exemplis & affectibus capiatur; Verum dicunt, ſed nihil ad propoſitum. Nam quis unquam adeo ineptus aut demens fuit, ut diceret, de rebus Sacris verba ad populum facienda eſſe ex *Metaphyſica* ac *Analytica*? Hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis aſſereret, ex Grammatica vel Rhetorica conciones ſacras habendas eſſe. Interim ſicut qui homiliam inſtituit, grammatice loquitur, ſi Priſciani cenſuram declinare velit, at non ex Grammatica: Rhetorice loquitur, non ex Rhetorica: Ita qui de rebus ſacris verba ad populum facit, ex *Scriptura* haurit quod loquitur, hoc eſt, rationes & probantes & confirmantes, quibus auditores ab improbitate abducit ac ad fidem virtutisque & pietatis ſtudium incitat, (ſemper enim concionator officio ſuo rite functus, quamvis aliud prima fronte agere videatur, ſuadere aut diſſuadere intendit) ex ſolo verbo Dei petit, inde omnia omnino colligit, deducit, infert: At ipſam tamen rationem colligendi, deducendi, inferendi, probandi, confirmandi, breviter: modum inſtituendi analyſin cujusvis textus *Analytica Metaphyſices* auxilio adjuta ſuggeret, æque ac rationem pure ac emendate loquendi, hoc eſt, voces legitime conſtruendi & ora-
tio-

Digitized by Google

tionem ipſam recte connectendi, ut ſermo congruus ſit & intelligi poſſit, Grammatica; modum vero copioſe & ornate loquendi Rhetorica ſuggerit. Ad rudem ac imperitam multitudinem, adeoque Metaphyſicarum ſubtilitatum prorſus imperitos auditores verba e ſuggeſtu ſacro facienda eſſe nemo negat, qui non ſolum oratione flectendi, ſed etiam ejusdem ſuavitate & elegantia delectandi ſunt: Sic enim (ceu *Auguſtinus* monet) & libentius audiunt, & facilius capiuntur, & quo impellis ducuntur. Nemo enim ad agendum flectitur, ſi gravate & moleſte audiat: Hoc autem anguſta & arida oratione, qualis ſæpe Analyticorum eſt, fieri nequit. *Si qui audiunt*, inquit *Auguſtinus*, *movendi ſunt potius, quam docendi, ut in eo, quod jam ſciunt, agendo non torpeant, majoribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes, & increpationes, concitationes & coercitiones, & quæcunque alia valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria.* Veriſſima hæc ſunt, ſed quid tum? Quaſi vero minus doctos vel etiam plane imperitos informare concionator non poſſet & ad eorundem captum ſe accommodare, niſi æque rudis eſſet, nullamque textus ſui analyſin Logicam ope Metaphyſices inſtituere ſciret. Annon enim modo propoſitum exemplum ex *Jer. II, 12. 13.* a quibusvis, etiam rudi plebecula, ſatis feliciter percipi

pi poteſt, utut is qui proponit, ſecum probe ponderet, hocce textu deciſionem quæſtionis de cauſa efficiente ac duplicem deciſionis cauſam contineri. Cujus rei cum innumera pene proferri exempla poſſem, *priora quindecim Jeremiæ capita* Metaphyſicæ practicæ cultoribus ſpectanda propono. In his enim divinus hic orator tanta vi dicendi fertur, tot figuris orationis, tot affectibus, tot Metaphoris atque aliis id genus tropis ornamentisque redundat, tantaque dicendi acrimonia ardet, totque ſubinde perſonas induit & in tot vultus atque figuras orationem flectit, ut neque Pericles, qui fulgurare & permiſcere Græciam dictus eſt, cum hoc divino oratore ulla ratione ſit comparandus. Nullum enim dubium eſt, quin ea quæ de cauſis *ibidem* dicit perque cauſas probat, præceptis de analyſi Metaphyſices ope peragenda apprime conveniant ac optime a Metaphyſices & Analytices ſimulq; Rhetorices ſacræ gnaro conformari poſſint. Et utinam proceſſum ita docendi ſibi commendatum haberent, qui ſolidam ſcientiam Metaphyſicam & Analyticam vel faſtidiunt vel ſpernunt vel deſperant: Fortaſſis ſibi ſuisque ſtudiis melius conſulturi eſſent. Non enim implicat contradictionem, concionem ſacram ſimulque rudem minusque doctam haberi. *Aſſumamus* aliud exemplum Theologicum: Eſto quæſtio de cauſa efficiente

me-

Digitized by Google

meritoria noſtræ juſtificationis, cur ea ſit Chriſtus qua θεάνθρωπος ſeu qua Deus & homo? Theologi ad hanc quæſtionem reſpondent eamque probant per aliam cauſam efficientem ejusdem generis. Deus enim eſt cauſa efficiens principalis juſtificationis, ut ſupra *pag. 1412.* oſtendebatur, ad cauſam vero efficientem principalem cauſa impulſiva & cauſa meritoria referri poſſunt, & a Theologis in præſenti materia referuntur, dum nempe cauſa juſtificationis gratia Dei, cauſa vero meritoria Chriſtus qua θεάνθρωπος ſtatuitur. Videamus ergo, quomodo Theologi cauſam ejusdem generis per cauſam ejusdem generis, alius tamen ordinis, probent? Nimirum quod Deus nobis peccata remittit, id non ex facit merito noſtrorum operum, ſed gratis *Rom. V, 24.* ex mera miſericordia mereque gratuito favore, quo nos complectitur, hocque ſolo movetur, ut noſtri miſereri & peccata nobis remittere velit. Ne interim ipſius juſtitiæ aliquid decederet, quæ exquiſitiſſimam pro peccatis noſtris ſatisfactionem requirebat, Filius Dei in aſſumta carne pro nobis paſſus & mortuus etiam dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus 1. *Tim. II, 6.* atque ſic divinæ juſtitiæ ex aſſe ſatisfaciens nobis promeruit, ut nobis, qui natura eramus filii iræ, Deus peccata remittere, nosque in gratiam recipere poſſet. Cujus in-

intuitu etiam empti dicimur pretio *1. Cor. VI, 20. VII, 23.* nempe pretioſo ſanguine Chriſti velut agni immaculati & incontaminati *1. Petr. I, 19.* & Chriſtus ipſe dicitur ἱλασμὸς propitiatio pro peccatis noſtris *1. Joh. II, 2.* ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι propitiatorium in ſanguine ejus *Rom. III, 25.* Eſt illuſtris locus: *Omnes peccaverunt ac deſtituuntur gloria Dei: Juſtificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem interveniente ipſius ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præteritorum peccatorum. Rom. III, 23. 24. 25.* Ergo Chriſtus qua homo, paſſus & mortuus eſt: Qua Deus autem id addidit, ut ejus paſſio & mors infiniti valoris eſſet, quia nuda hominis paſſio & mors non poterant eſſe ſufficiens λύτρον pro totius mundi peccatis. Inde liquet, neceſſarium fuiſſe, ut qui pro nobis pateretur ac moreretur, & Deus & homo eſſet: Homo quidem, quo pati ac mori poſſet; Deus autem, quo paſſio & mors ejus non tantum hominis, ſed etiam Dei paſſio & mors eſſet, & proinde ob infinitum valorem, quẽ ex eo habet, ſufficiens eſſet λύτρον pro omnium hominum peccatis. Meritum Chriſti igitur ἀποτέλεσμα eſt a tota perſona proveniens, in quo unaquæque perſona agit, quod ſuum eſt ſeu quod ſibi proprium eſt: Humana

quidem, ut dictũ, patiendo & moriendo: Divina autẽ paſſioni ac morti pondus ſuperaddendo, ut infiniti eſſe valoris. Humana enim natura ſola, ſine divinitate æterno & omnipotenti Deo, neq; obedientia neque paſſione pro totius mundi peccatis ſatisfacere, & infinitã iram Dei placare valuiſſet, Divinitas vero ſola, ſine humanitate, inter Deum & nos mediatoris partes implere non potuiſſet, ceu id ipſum ex *Formula Concordiæ p.696.B. Hutterus* docet, & ex *Scripturis* abunde demonſtrat, ut: *Eſa. XXXV, 4. Deus ipſe veniet & ſalvabit nos. Coloſſ. I, 20. Deus in Chriſto reconciliavit omnia, pacificans per ſanguinem crucis ejus: ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* aliisque pluribus locis. Eodem tamen exemplo Theologico ſimul modus probandi per cauſam finalem feliciter exprimebatur, dum docebatur, hanc ſatisfactionem ſufficere ad juſtitiæ divinæ apertam demonſtrationem. Ita quæſtio Theologica eſt de cauſa efficiente, quando quæritur: Num homo operibus ſuis poſſit mereri vitam æternam? Idem enim eſt, ac ſi quæreres, num homo poſſit eſſe cauſa efficiens meritoria vitæ æternæ? Ad quam ſupra *pag. 1152.* per formam ſeu cauſam formalem reſpondebatur, & ex formæ loco negativa ſolide demonſtrabatur. Exemplum Juridicum plane eximium ſupra *p. 1415. ſeqq.* oſtendimus, quod tamen totum debemus

*Ma-*

*Magnif. Dn. Struvio*, ex cujus *Syntagmate* huc transferre placuit. Hæc enim quæſtio de cauſa efficiente, cui detur ac dari debeat, actio de inofficioſo teſtamento? Seu, quis juſte poſſit querelam inofficioſi teſtamenti inſtituere? per cauſas alias & Morales & Juridicas, maxime per cauſam impulſivam & finalem egregie demonſtrabatur.

III. Sed hic cogimur abrumpere, ac chartæ rationem habere. Ordini igitur inſtituti ſatisfacturi, exempla diſciplinarum practicarum ratione, non vero auctoritate, tanquam ultimo principio nixarum tangemus: Horum namque largiſſimum fructum metere poſſunt, qui adminiculis Metaphyſicis & Analyticis probe inſtructi in meſſem moralium politicorumque dogmatum falcem immittunt. Ita quæſtio moralis eſt de cauſa efficiente, dum quæritur: Cuinam ſit quæſitum jus pœnæ? Seu, quod idem eſt: Quis poſſit punire? Eſt enim quæſtio de cauſa efficiente pœnæ. Ad hanc vero quæſtionem reſpondet *Grotius* eamque confirmat ſequentibus verbis: *Pœnas infligere non eſt niſi Rectoris qua talis primo & per ſe, ut puta in familia Patris, in Republica Regis, in univerſo Dei.* Addit vero rationem: *Hoc etſi manifeſtum eſt omnibus, probari tamen facile ex eo poteſt, quod pœna ſit ultimum in coactione: coactio autem non competat niſi ſuperiori τῇ ὑπερχούσῃ*

*σῃ ἐξȣσίᾳ. Unde Seneca clementiam definivit lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis.* Ita *Grotius in defenſione fidei Catholicæ de ſatisfactione Chriſti adverſus Socinum cap. 2. p. m. 50.* diſſerit. Et ſane miramur, tantum virum ſui oblitum hanc ſententiam poſtea mutaſſe ac prorſus deſeruiſſe: Nulli namque dubitamus, quin hæc Grotii reſponſio ad quæſtionem de cauſa efficiente veriſſima ſit, & per cauſam materialem ſubjectivam, ut vocant, demonſtrari poſſit. Qui enim juſte punitur, is obligatus eſt ad pœnam. At cui lex ferri nequit, is non obligatur ad pœnam cum obligatio ad pœnã, ceu Scholæ loqui amant, ſit effectus formalis legis. Quicunq; ergo non habet jus ferendi leges, is nec jus habebit ad puniendum, aut ſi habebit, iſtud habebit dependenter ab alio, qui per eum ut Rectorem ſibi ſubordinatum pœnam perſequi poterat. Gaudeo eandem ſententiã a magni judicii celeberrimisq; JCtis defendi, ceu *Magnif. Dn. Henrici Balth.* Roth/ JCti celeberrimi, *diſſertatio de imperio paris in parem ſect. 2.* Item *diſſertatio 1. de occiſore impuni tract. 2. c. 1. §. 2.* abunde docet. Jungamus huic quæſtioni aliam Ethico-Politicam, itidem de cauſa efficiente motam: An populus bene parens poſſit punire Regem ſuum? Fuerunt, qui affirmarent, alias tamen negantes, ſuperiorem ab inferioribus puniri poſſe. Hi vero exiſti-

iſtimarunt, ſententiam affirmantem ſatis demonſtrari poſſe adhibita diſtinctione inter Regem recte & male imperantem, ita ut populus Rege bene imperante ſit inferior, eodem tamen male imperante ſuperior fiat, ipſeque qui male imperat, eo ipſo ſe cui imperat, inferiorem faciat, & ex imperantium cenſu detrudat in cenſum ſubditorum, cum natura melior ſequiori imperet, deterioraq; comparata ſint in uſum meliorum. Verum *Grotius l. 1. de I. B.* & *P. cap. 3. §. 9.* negativam hujus de cauſa efficiente pœnæ quæſtionis per cauſam finalem ſequentibus verbis ſolide demonſtrat: *Bonitas & malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas, unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni malive, hinc ad ſe Rege trahente, inde populo, qualem rerum perturbationem introducere nulli, quod ſciam, populo in mentem venit.* Quæ *Grotii* verba ſic intellimus: Omnes civitates ad tuendam tranquillitatem inſtitutæ ſunt, ſeu ut metaphyſice loquamur, cauſa finalis uniuſcujuſvis civitatis eſt publica tranquillitas: Jam vero admiſſa hac diſtinctione, nullus inter imperantem & populum finis diſſidiorum futurus eſſet, nec certo ſciri poſſet, quiſnam imperans, quis parens ſit? Populus enim novitatis avi-

dus, jugi impatiens, ſemper haberet, quod objiceret Regi: Tu male imperas! Rex viciſſim populo: Vos peſſime paretis! & ita immortales lites forent, quia nec Rex pro male imperante, nec populus pro male parente haberi vellet, & ita populus quovis, etiam vaniſſimo, male a Rege exerciti regiminis prætextu haberet occaſionem rebellandi, imo adeo turbulentus rerum ſtatus ſæpe eveniret, ut pars utraque vellet eſſe imperans, quo admiſſo omnis rebellionis ac ſeditioſorum tumultuum perpetua adforet occaſio. Quod ſi igitur populo alicui propoſitum fuiſſet partiri cum Rege imperium, fines certe poteſtati utriusque aſſignari debuiſſent, tales, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum aut negotiorum diſcrimine. Idem eſto judicium de diſtinctione, qua immane regicidium quaſi bono publico jubente populo & ſecundum patrias leges peractum Præſes Parlamenti Anglicani excuſare non erubuit, Regi ſubditorum judicium recuſanti dicens: Tu toto populo major es & minor, major quidem ut ſingulis, minor tamen ut univerſis. Certe biceps & bicorpor iſte Rex eſſe debuiſſet cujus alterum caput amputaretur, & alterum caput, ut caput majoris ſingulis defenderetur. Potuiſſent innumera exempla facili opera adduci, niſi & chartæ penuria & fuga nimiæ prolixitatis id diſſuaſiſſent.

In

XV. In id potius incumbemus, ut quanta fieri poteſt perſpicuitate juxta ac brevitate adhuc declaremus uſum doctrinæ de voluntario *capite 21.* traditæ. Nam ad demonſtrandam cauſam efficientem moralis negotii maxime neceſſaria eſt cognitio diſtinctionum ibidem adhibitarum. Ita qui de cogitationum, cum inefficacium, tum efficacium, moralitate feliciter diſpicere geſtiunt, omnino neceſſum habent recurrere ad diſtinctionem *pag. 1007.* explicatam, ne id quod nudum objectum voluntatis erat cum vero voluntatis effectu confundant. Ponamus casum: Titius videt Sempronium inimicum ſuum mediis periclitari undis, e quibus ſi vellet, eum non valeret eripere, adeoque certus eſt fore, ut aquis ſuffocetur hoſtis ac pereat, ponamus & Titium velle, ut Sempronius pereat, Sempronium ſibi neutiquam futurum fuiſſe ſuperſtitem, etſi ipſius vita ac mors in poteſtate ac liberrimo arbitrio Titii poſitæ fuiſſent, certe hoc pacto Titius quidem voluiſſe ac conſenſiſſe in Sempronii interitum ſalva veritate dicitur, ſicque interitus eſt objectum voluntatis & conſenſus per quem Titius libertatem arbitrii ſui exerit, nec tamen eſt effectus voluntatis ac conſenſus. Si Metaphyſicis terminis adhibitis hunc caſum decideremus, dicendum eſſet, Sempronii interitum *objective*, non vero *effective* in

Titii arbitrio fuiſſe, hoc eſt, volitum fuiſſe ab ipſo, voluntarium vero ipſi non fuiſſe. Longe enim aliter comparatum fuiſſet, ſi Titius ipſe libera ſua voluntate Sempronium in gurgitem detruſiſſet, aut tertio in mandatis dediſſet, ut ipſum dejiceret, aut pontem verſatilem ei paraſſet, ut decideret: nam tum demum non modo interitus Sempronii ab ipſo fuiſſet volitus, ſed etiam ipſi fuiſſet voluntarius. Huc ſpectant caſus varii, quos non pauci vexatos appellant, qualiſmodi ſunt: Titius rem habuit cum uxore ſua, quam tamen crediderat eſſe non ſuam, quæritur, num dicendus ſit veri adulterii autor ſeu *cauſa efficiens?* Quod idem eſt, ac ſi quæſitum fuiſſet a *Juris Doctoribus*, (ita enim ſolent quærere) Num quis poſſit adulterium committere cum propria uxore? Rurſus Titius nocturno tempore furari volens, rem ſuam præ aliena ex ædibus proximi ſecum deportavit, in quæſtionem venit: Num in tali caſu furti autor ſeu *cauſa efficiens* cenſeri queat? Quod perinde eſt, ac ſi *Juris Doctores* quæſiviſſent: Num quis fur rei propriæ eſſe poſſit? Et qui ſunt innumeri alii caſus per omnia naturalis juſtitiæ ac injuſtitiæ capita vagantes, ex uno tamen eodemque fonte, hoc eſt, *laudata Metaphyſicorum diſtinctione* decidendi. Nempe ad allatas ac ſimiles quæſtiones, ſalvo tamen cujusvis meliori

ju-

judicio, reſponderi poſſe credimus negando id, quod quærebatur. E. gr. qui cum propria uxore concumbit, adulterii *cauſa efficiens* dici nequit, quia adulterium eſt concubitus voluntarius cum aliena uxore, ipſaque origo vocis: adulterium; repugnat. Ubi enim cum aliena uxore non concubuerat maritus, ſed cum ſua, ſicque ſuus cum ſua, ibi fruſtra quæſitum fuiſſe credo: Num concubitus cum aliena uxore fuerit voluntarius, nec ne? Nec obſtat, quod dicitur, eum qui cum propria uxore concubuit, quam tamen pro non ſua habuerat, omnino pœnam incurrere ſat gravem: Nam aliud eſt puniri ob adulterium ſeu ob concubitum cum aliena uxore *voluntarium*, & aliud, puniri ob nudam volitionem adulterii ſeu ob concubitum cum aliena uxore non voluntarium, tamen *volitum*. Sæpe evenit, ut ob nude volitum actum quis tam graviter puniri poſſit, quam ob actum voluntarium, hoc eſt, volitio ſceleris quandoque tam gravem pœnam, quam alias ſcelus ipſum meretur. Nec aliud forte indicant verba *Salvatoris noſtri* nudum aſpectum alienæ uxoris cum concupiſcentia conjunctum, non ſimpliciter dicentis adulterium, ſed adulterium in corde aſpectantis. *Matth. V, 28.* Quam tamen rem alieni judicii ac ſublimioris cathedræ eſſe volumus. Interim habemus conſentientes *magni* etiam *nominis JCtos*, dum

e. g. caſum huc pertinentem, quem argutum illud *Martialis Britannici* epigramma format:

*Cum propria imprudens conjux uxore coivit,*
*quam falſo alterius credidit eſſe viri.*
*Hoc genitum coitu Conſulti juris & æqui,*
*legitime natum dicitis, anne nothum?*

eodem modo decidentes, improbam quidem fuiſſe ejusmodi προαίρεσιν pronunciant; interim a *Legis Juliæ* pœna ipſum objecti qualitatem abſolvere, quæ etiam multo magis proli prodeſſe debeat, utpote quæ in tali objecto licet per talem προαίρεσιν nullam labem aut exiſtimationis maculam contraxerit. In hoc igitur facto magis ſpectari volunt exitum, quam voluntatem, quamvis regula generaliter alias enunciata contrarium habeat ſenſum apud *Calliſtratum l. Divus 14. D. Ad Legem Corneliam de ſicariis.* Uſum quoque ſat conſpicuum eadem diſtinctio præſtat, dum de factis, quæ ab agentibus ignorantia invincibili laborantibus committuntur, ſed ex poſtfacto (ut loqvuntur) approbantur, item de ἐπιχαιρεκακία, & id genus aliis in *Philoſophia Juris* diſpicitur.

XVI. Verbo nunc tangamus uſum, quem ſingulæ ſupra *eodem capite 21.* allatæ diſtinctiones certo certius promittunt. Latius enim iſte diffunditur, quam ut breviter cognoſci poſſit. Diſtinguebatur (1) inter voluntarium elicitum & imperatum: Tota vero do-

doctrina juris & naturalis & poſitivi hanc diſtinctionem prærequirit ac ſupponit: Quippe actiones morales recte ac rite æſtimare volentibus ad duo ſemper reſpicere neceſſum habent: 1. Unde actio hoc habeat, quod ſit talis vel talis ſpeciei? 2. Unde actio hoc habeat, quod ſit libera actio? Rem facili exemplo declarabimus: Ita ſi quis concubitum iſtum, qui adulterium eſt & dicitur, ejusdemque moralitatem recte æſtimare velit, is primo reſpicit ad objectum concubitus iſtius, quod eſt aliena uxor, cum nullus concubitus abſolute ac primario adulterium vocetur, niſi ſit concubitus cum aliena uxore, unde quod concubitus ſit talis ſpeciei, h. e. adulterium, hoc omnino eſt ab adulterii eſſentiali circumſtantia QVID ſeu ab objecto. Deinde oportet eum reſpicere ad imperium voluntatis: numne ſcilicet a voluntatis imperio hic actus, nempe concubitus cum aliena uxore proceſſerit? Et, ſi voluntas eum actum imperavit, hoc eſt, ſi ex voluntatis imperio quis cum aliena uxore concubuit, tum demum datur certæ ſpeciei actus moralis, nempe adulterium. Utraque igitur conſideratione opus eſt ad actuum moralium ſpecies recte dijudicandas, nec una ſine altera ſufficit. Igitur probe ponderandum erit, quomodo actuum elicitorum moralitas ab imperatis, & imperatorum moralitas ab elicitis pendeat?

Digitized by Google

deat? Eliciti namque actus morales pendent ab actibus imperatis moralibus tanquam objectis: Hoc enim volunt *Moraliſtæ*, quando communiter docent, quosvis actus morales elicitos habere moralitatem ſuam objectivam ab actibus moralibus imperatis. E contrario actus morales imperati accipiunt ab actibus elicitis moralitatem, in quantum ab actibus elicitis unice uniceque hoc habent, quod actus liberi ac voluntarii talis ſpeciei dici queant. Niſi enim actus liberi dici poſſent, nec eſſent actus morales, unde nec actus morales talis ſpeciei ſalva veritate dicerentur, niſi actus liberi talis ſpeciei eſſent. E. gr. concubitus cum aliena uxore plane non eſt nec dici poteſt moralis, niſi ſit liber: At non eſt liber per intrinſecam denominationem, ſed liber extrinſece denominatur, quatenus ſcilicet a voluntate imperatur, ipſa vero voluntas intrinſece libera eſt, hancque intrinſecam libertatem per imperium, quo nempe concubitum cum aliena uxore imperat, exerit. Unde ſi quæras, cur concubitus cum aliena uxore ſit moralis? Recte reſpondebitur, quia concumbens cum aliena uxore hoc ipſo actu (nempe concubitu) libere verſabatur circa tale objectum: Concumbebat enim, quia voluerat concumbere. Quia igitur volitio concubitus cum aliena uxore eſt mala, & quidem intrinſece & forma-

maliter mala, etiam malus erit concubitus cum aliena uxore, ſi ſit a voluntate imperatus, ſed per extrinſecam, ceu diximus, denominationem. Et hoc iterum innuunt *Moraliſtæ*, dum docent, moralitatem formalem eſſe ab actu voluntatis elicito, cum formaliter nullus actus ſit liber, niſi elicitus, adeoque nullus etiam actus intrinſece ſit moralis, niſi quatenus circa tale aliquod objectum libere elicitur. De cætero in nulla materia practica uſus hujus diſtinctionis magis conſpici poteſt, quam ubi utiliter & accurate agitur de voluntatis imperio in appetitum ſenſitivum in quovis homine ejusque affectus, ubi nobiles illæ tractantur quæſtiones: An, quomodo & quousque quisque noſtrum eſſe poſſit ac debeat ſuorum affectuum dominus? Cui indiſſolubili nexu cohærent illæ quæſtiones: Quæ & quotuplicia ſint remedia moralia pravis affectibus adhibenda? Item, qui ſint characteres pravarum inclinationum pravorumque adfectuum? Quantum enim momenti affectus moderati ad honeſtas & præclaras actiones afferant, & e contrario immoderati ad turpes actiones variique generis ſcelera & flagitia, quotidiana experientia teſtis eſt. Eſt enim appetitus ſenſitivus ignobilior pars animæ, quæ nos beſtiis valde ſimiles reddit, utpote quæ ſolummodo appetitu ſenſitivo & affectibus ducuntur: *Eſt appeti-*

*tus*

*tus ſenſitivus pars animæ irrationalis, quæ* (ceu *Ariſtoteles* ſcite & eleganter monet) *non raro rectam rationem de throno ſuo dejicit*, unde haud male *Philoſophus primo Magnorum Moralium libro capite decimo* rectam rationem a poſteriori ſic delineavit: *Recta ratio eſt, cum pars animæ irrationalis* (appetitum ſenſitivum *Philoſophus* intelligit) *non prohibet rationi exercere ſuum opus.* Appetitus ſenſitivus facit nos vileſcere, ſi nimium ei indulgeamus, & quanto magis nos trahit ad jucunda, tanto longius ab honeſtatis ſemita nos abducit: hæc vena, hic ipſe fons, hæc ipſa lerna eſt malorum omnium. In hac igitur beſtia domanda magna pars exercitii virtutum moralium conſiſtit, adeo ut doctiſſimi Viri præcipuam virtutis moralis, ut hominibus acquiri poteſt, rationem in mediocritate affectuum ponere vix dubitaverint. Nondum interim adduci poſſumus, ut tam facile creditu pronunciemus, quod *Renatus des Cartes libro de paſſionibus articulo quinquageſimo* aſſerit, dum expreſſe ſcribit, illos ipſos quoque, qui imbecilliores animas habent, poſſe acquirere imperium abſolutiſſimum in omnes ſuas paſſiones, ſi ſat induſtriæ adhibeatur ad eos inſtituendos & dirigendos. Ipſe enim *des Cartes*, utut jactet a ſe ſolo in hoc doctrinæ genere præſtitum fuiſſe, ſi quid unquam præſtitum, minus certe felici ſucceſſu modum

re-

Digitized by Google

regendi ac cohibendi affectus monſtravit. Ut alia taceamus, hæc diſtinctio inter voluntarium elicitum & imperatum recte intellecta ſufficit ad conciliandas varias de numero principiorum actionum moralium ſententias. Nam ſi per principium actionum moralium intelligamus actum primum, quo mediante homo actionum ſuarum moralium principium eſt, dum ſcilicet actum primum exerit ſeu ut *Metaphyſici* loqvuntur, in actum ſecundum deducit, unicum dabitur omnium ac ſingularum actionum humanarum moralium principium, nempe voluntas hominis ut eſt libera; ſeu liberum arbitrium pro actu primo ſumtum. (Dicitur: liberum arbitrium pro actu primo ſumtum, non vero liberum arbitrium in actu primo. Semper enim liberum arbitrium, quatenus eſt cauſa actionum moralium dicit actum primum, nunquam vero dum eſt principium actionum moralium, eſt liberum arbitrium in actu primo, ſed in actu ſecundo.) Nullam interim dicam ſcribimus illis, qui προαίρεσιν vocant principium proximum omnium actionum moralium, quia hi & principium illo pro actu ſecundo accipiunt, & de actionibus non elicitis, ſed imperatis ſolummodo loqvuntur.

(2) Diſtinguebatur inter *voluntarium primarium* & *ſecundarium*: Hujus vero diſtinctio-

ctionis uſum commendare volentibus multi loci moralium tractationum ſe offerunt: 1. An & quomodo finis in Moralibus det normam, modum ac menſuram mediis? Et qua ratione media æſtimationem moralem accipiant ex fine? Quo ſpectat nobilis illa quæſtio: An & quousque vera ſit illa regula Moralis: *Neceſſitas finis in Moralibus facit jus.* Cujus certe regulæ tam perennioſus abuſus quam inſignis uſus eſt. 2. De bonorum & malorum, honeſtorum & turpium, jucundorum & triſtium, utilium & noxiorum diſcriminibus hic agendum venit, adeoque huc pertinent quæſtiones: An caſus dentur, in quibus quoddam turpe ſit eligendum, ſeu quod idem eſt, an caſus dentur, in quibus non omne malum turpe evitari poſſit? An ex duobus malis triſtibus ſemper minus ſit eligendum? 3. Demonſtrari poterat, ad fontem hujus Metaphyſicæ diſtinctionis recurrere, quotquot ad innumeras quæſtiones duobus tamen caſibus comprehenſas in diſciplinis practicis reſpondere ſatagunt, dum nempe diſpicere datur, quid licitum ſit, quid debitum, in caſu extremæ neceſſitatis, item in caſu innoxiæ utilitatis, extra quos caſus ſive indebitum ſive illicitum fuiſſet?

(3) Diſtinguebatur inter *voluntarium purum & mixtum*: Ubi iterum ſumme neceſſarii ac explicatione digniſſimi loci uſum hujus di-

Digitized by Google

diſtinctionis monſtrare diſcupientibus ſe commendant. Non enim exiſtimandum eſt, ac ſi hæc diſtinctio prorſus cum priori coincidat. Nam utut in omni actione mixta ordo primario & ſecundario intenti locum inveniat, non tamen ubi primario & ſecundario voluntarium datur, ibi ſtatim voluntario mixto locus eſt. Nam ſæpe & volitio finis & volitio mediorum pura volitio eſt, non mixta: Et licet utraque pura ſit, illa tamen primaria, hæc ſecundaria dici poteſt. Primus locus eſt de variis voluntariorum mixtorum generibus & gradibus, quænam ſcilicet ex iis veniam, quænam laudem, quænam vituperium in foro ſive morali ſive civili mereantur? Nunc eligitur metu triſtioris mali malum minus triſte, quod majoris mali comparatione habet rationem boni: Ita prudentiores ſubditi tempore imminentis belli libenti animo extraordinaria tributa ſolvunt. Nunc metu mali turpis malum triſte eligitur, quo de ſupra *pag.* 1404. agebatur. Nunc metu majoris mali, quod ab agente pro triſti habetur ac fortaſſis triſte ſatis eſt, eligitur malum minus triſte, tamen turpe: e. gr. Lucretia poſt ſtuprum mixta voluntate a ſe commiſſum eligit *αὐτοχειρίαν* cultrumque ſub veſte abditum in corde defigit, dicens: Ego me, etſi peccato abſolvo, ſupplicio non libero, nec deinde ulla impudica Lucretiæ ex-

emplo vivet. Ita Franciſcus 1. Rex Galliæ a victore ſuo e captivitate dimiſſus, pacto nullatenus ſtetit, ſed violavit juramentum, negans ullius momenti eſſe obligationem metu in vinculis factam. Nunc malum quoddam, quod quidem in ſe turpe non eſt, pudori tamen naturali obſtans eligitur: Exempli huc pertinentis titulo multi Scriptores Morales cenſent factum Solonis: Hic enim, ut lex perniatioſiſſima, nec tamen de re turpi lata abrogaretur, nudus in forum proceſſit, ac in ipſo meridie corpus ſuum prorſus denudatum, omnibus conſpiciendum dedit. Quod tamen exemplum alii vituperant. Tota certe difficultas in eo conſiſtit, an & quousque cuipiam lege naturæ licitum ſit detegere partes generationi dicatas? Ita Fridericus Barbaroſſa, ſtragem ingentem in Italia perpeſſus mutavit veſtes & equiſonem ſe ſimulavit, ne ab hoſtibus, a quibus uxor ſupplici voce corpus ipſius examine ad ſepulturam popoſcerat, agnoſceretur, brevi cum exercitu novo e Burgundia redux factus cum ſummo uxoris tripudio ac trepidiſſima Italorum conſternatione. Ita David in aula Acischi Regis mutabat faciem, mentiebatur inſaniam, ſignabat valvas portæ, demittens ſalivam in barbam ſuam, ut periculum ſat grave effugeret, & bona pace dimitteretur Nunc res valde fœda nullius vel honeſtæ vel utilis rei cauſa eligitur:

Digitized by Google

tur: E. gr. Lucius Veratius, homo egregie improbus atque immani vecordia, obvios quoſvis depalmabat, quia pro oblectamento habebat os liberi hominis manus ſuæ palma verberare. Unde ſemper ſequebatur eum ſervus geſtans ſaccum aſſibus plenum, ut ſi cui alapam impegiſſet dominus, numeraret ſtatim ei viginti quinque aſſes juxta *legem XII. Tabb.* ob hæc Veratii facta a Prætoribus poſtea abrogatam. Nunc ſpe majoris boni minus malum eligitur. Nunc alii affectus volitionem boni aut mali nolitionem excitant. Nullum enim dubium eſt, quin quilibet affectus poſſit adeo præoccupare & antevertere judicium animi volentis, ut actio ipſa, quæ ab animo præoccupato pendet ac procedit, non poſſit dici pure voluntaria, ſed actio mixta dicenda ſit. E. gr. Quemadmodum ſat gravis metus hominis voluntatem impellere poteſt ad illud, quod homo, cujus voluntas eſt, a metu liber nunquam electurus fuiſſet: Ita ſatis fervens ira Virum honeſtiſſimum, quique alias nullam ſitiebat ſanguinem, compellere valet, ut faciat, quod nunquam alias feciſſet, uxoremque ſuam adulteram, una cum carnifice adultero in toro ſuo deprehenſam unico ictu transfodiat. Ita quoq; nimius amor ſtupendos ſæpe effectus excitat, ideo minus temperantem *Ariſtoteles* dicit hunc, qui a motu concupiſcente aut non

tentatus aut leviter tentatus quærit enormes voluptates aut mediocria incommoda defugit, eo qui vehementi affectu percellitur. *Quid*, ait, *idem ille facturus fuiſſe putandus eſt, ſi adfuiſſet juvenilis quædam perturbatio animi, aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis natura doleat? VII. ad Nic. 6.* Ideo *V. ad Nic. 3.* *Ariſtoteles* accurate diſpicere jubet, num quis egerit abſque omni affectu & plene deliberato animo, an ex affectu? Certe quod ex his æſtimandum ſit meritum, intra quod pœna conſiſtere debeat, omnium *Jurium Doctores* libenter meritoq; agnoſcunt & fatentur, imo vix quicquam e majore dignitate ſtudii moralis eſt, quam omnium & ſingulorum affectuum juſtitiam internam ab externa diſcernere, adeoque noſſe, quousque in his vel illis caſibus nimii affectus effectum *Juris conſtituti* habeant, effectu tamen *Juris naturalis* careant: E. gr. pleni ſunt *JCtorum* libri doctrinis de juſto dolore, nec tamen omnis dolor, cui *lex civilis* indulget, malitia morali caret. Ita qui in modo allato caſu carnificem occiderat, dicitur ex juſto dolore eum occidiſſe, quem tamen dolorem ſeu iram *Jus naturæ* prohibet, quia præcipit nobis, ut ſimus domini cum aliorum affectuum, tum inprimis iræ. Hæc interim omnia ſolide & feliciter decidi nequeunt, niſi conſtet, an & quænam voluntaria mixta magis dicenda ſint voluntaria, quam

Digitized by Google

quam involuntaria? Alter locus effectus voluntatis affectibus naturalibus, e.g. ira, amore turbatæ ab effectibus affectuum neceſſariorum e. gr. famis, ſitis &c. diſtinguit, & utrosque recte examinat. Ita effectus affectus naturalis fuit, quo compulſi ſeptem Britanni ſcientes volentes ſorti commiſerunt, cujus carne urgentem famem & quo ſanguine compeſcerent inexplebilem ſitim. Jacta eſt alea, qua ex illis unus cædi deſtinaretur, qui libenter fortunæ ceſſit & gaviſus eſt, ſe poſt mortem amicis eſſe profuturum: Deinde ſorte alius repertus eſt, qui jugulum peteret & vim volenti inferret, usque dum ſic cibatam naviculam, quæ accinxerat ſe unius ſolummodo noctis itineri, ultra quam non extenderant commeatum, decimo ſeptimo die ad inſulam Martiniam Deus deduxiſſet, ubi vix attigerant terram, quin accuſarentur protinus a Prætore homicidii, ſed judex ipſis, quia tamdiu luctati cum inedia fuerant, veniam dedit. Ita Cambyſis exercitus omnisq; bello utilis turba fame adeo vexabatur, ut decimum quemque ſortiti alimentum habuerint fame ſævius. Pariter antequam Briſacum munitiſſimum & absque eo ſi fuiſſet, quod obſeſſis cum natura dimicandum fuerat, forſan inſuperabile glorioſiſſimæ memoriæ Imperatori bellico Bernhardo Duci Saxo-Vinarienſi Reinachius horrenda & raro

audita fame compulſus dederet, capti ab obſeſſis milites inque turrim conjecti ſocios devoraverunt. Contra effectuum affectus naturalis exempla ſupra ex *cap. 26. not. 1. ad §. 10. p. 1202. & ſeqq.* peti poterunt. Tertius locus occaſionem agendi exhibet de variis per ſe ac ſua natura homini honeſtis aut turpibus affectibus, quales ſunt: benevolentia, miſericordia, στοργὴ ſeu naturalis amor parentum erga liberos: ἐπιχαιρεκακία, impudentia, κακοζηλία, invidia &c. Quartus locus ſimplicem affectuum æſtimationem a comparata commendabit. Quintus modum excitandi & ſedandi affectus e principiis moralibus deducet &c.

(4) Diſtinguebatur inter *voluntarium directum* & *indirectum*. Hic ſane ſe offert nobilis inque foro tum interiori, tum exteriori, accurate expendendus Locus communis: Quousque conſenſus indirectus ad moralem imputationem æque ac directus ſufficiat? Locus certe inſignis eſt, in quo Juris naturalis ac civilis Cultores ſe exercere decet, quem poſt *Moraliſtas: Thomam 1.2.q.6.art.3. Gabrielem Vazquez diſp. 23. & 24. Gregorium de Valentia diſp. 2. Johannem Azorium Inſtit. Moral. l. 1. de voluntario c. 3. & ſeqq. Paulum Laymannum Theol. Moral. tract. 2. cap. 3.* & alios etiam perſecuti ſunt *Slevogtius diſſert. de voluntario §. 41.* & *D. Petrus Maſæus Inſtit.*

*Me-*

*Metaph. c. 13. §. 17. & ſeqq.* Ad præſentis diſtinctionis commendationem fortaſſis apprime facit illud *Pauli* JCti *l. omnem 20. D. de judiciis*, quando ait: *Omnem obligationem* (*ſive ſit ex contractu ſive ex delicto*, ceu *Dion. Gothofredus* JCtus annotat) *pro contractu habendam exiſtimandum eſt, ut ubicunque aliquis obligetur, & contrahi videatur*: e.gr. quoties quis delinquit, pœnam in delinquentes lege conſtitutam indirecte voluit, ſicque vere in eam conſenſit, ut ita quoties quis juſta pœna afficitur, habeat, quod ſibi ſoli imputet, cur puniatur, cum invitus puniri nequeat, hoc eſt, nemo juſte puniatur, niſi voluerit ſaltem indirecte, ut puniretur: Ita *Everhardus* JCtus *in Topicis ſuis* philoſophatur. Certiſſimum hujus Metaphyſicæ diſtinctionis uſum indicat *Ulpianus* ſupra *p. 1336.* a nobis ob alium uſum citata l. *item Mela 11. D. ad Legem Aquiliam: Item Mela ſcribit: Si cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percuſſa, in tonſoris manus eam dejecerit: & ſic ſervi, quem tonſor radebat, gula ſit præciſa adjecto cultello: in quocunq; eorum culpa ſit, eum lege Aquilia teneri. Proculus: in tonſore eſſe culpam. Et ſane ſi ibi tondebat, ubi ex conſuetudine ludebatur vel ubi tranſitus frequens erat, eſt quod ei imputetur, quamvis nec illud male dicatur, ſi in loco periculoſo ſellam habenti tonſori ſe quis commiſerit, ipſum*

*de ſe queri debere*. Adfert *Ulpianus* manifeſtum exemplum voluntarii indirecti. Non enim tonſor ſuo conſenſu directe ferebatur in occiſionem hominis, hoc eſt, occiſionem hominis directe non intendebat: Tum enim directus conſenſus adfuiſſet, ſi cultellum in manum cepiſſet, ut gulam præcideret hominemque necaret: Indirecto tamen conſenſu ferebatur in hunc actum, nempe hominis cædem, quia licet ipſe ex præviis actionibus ſuis tale quid ſecuturum eſſe certo non noviſſet, hoc tamen ignorare neutiquam debuerat periculum ſubeſſe. Hoc ipſo igitur, quando ibi voluit tondere ſervum, ubi ex conſuetudine pila ludebatur, vel ubi tranſitus frequens erat, ſimul indirecte intendebat læſionem ſervi, adeoque in tantum ſponte ſuoq; conſenſu ſervo damnum intulit. Si enim omnem culpam declinare voluiſſet, debuiſſet in alio loco ſervum radere. Pariter ipſe ſervus, ſi liber ab omni culpa eſſe voluiſſet, neutiquam paſſus fuiſſet ſe tonderi in tali loco, ubi nemo ignorabat periculum ſubeſſe, ne læſio gulæ ſequeretur. Huc ſpectat illud *JCtorum: Contra voluntatem ſuam nullus fur unquam ſuſpenſus fuit*. Item iſtud *Theologorum: Nemo contra ſuam voluntatem ſalvari aut damnari poteſt*. Pluribus itidem caſibus hanc rem laudatus *D. Petrus Muſæus loc. cit.* illuſtrat, dum ſic diſſerit: *Duo indirectæ intentionis*

modi

modi ſunt: Primum cum quis appetit & agit quippiam ex quo aliquo modo novit effectum ſequi: quomodo qui medicamentis utitur, cum non neſciat, ad eorum uſum ſe nauſeaturum eſſe, indirecte nauſeam intendit. Deinde ſi quis effectum non impediat, cum poſſit & debeat: quomodo mater indirecte intendit lapſum pueruli, ſi minus cauta & circumſpecta, aut ſomno victa, aut aliis rebus intenta eum ex gremio prolabi ſinat. Ad priorem modum nihil refert, ſitne inter actionem & effectum ipſius neceſſaria connexio, an minus, dummodo non raro & forte fortuna hic cum illa conjungatur, ſed ſi non ſemper, ſæpe tamen vel ut plurimum ex ea ſequatur. Eoque nec requiritur, ut certo ſciat, effectum ex actione ſua ſequi, dummodo ne ſequatur, periculum ſubeſſe norit. Hinc qui hominibus rixandi inter pocula libidine famoſis ſe adjungit compotorem, rixam cum iis committendam; qui probra in aliquem ingerit, convitia in ſe retorta; qui æqualem percutit, ſui repercuſſionem; qui duello cum altero congreditur, ſui vulnerationem; qui furatur, pœnam in fures lege conſtitutam ſaltem indirecte intendit. Add. Ariſtoteles III. ad Nicom. c. 7. & II. Polit. c. ult. Ad poſteriorem modum ignorantia rerum agendarum & fugiendarum voluntaria ſpectat, in quantum ſcilicet nonnulli aliquanto negligentiores ab ea ſe non liberant, cum poſſint & debeant. Hæc ex laudatis Inſtitutionibus huc tranſcribere placuit. Conf. ea,

quæ ſupra *cap. 24. notis ad §. 3. p. 1078. & ſeqq.* diſſeruimus. Ex iis quæ ſupra *pag. 1012. & ſeqq.* dicta ſunt, facile colligitur: Huc etiam pertinere *JCtorum* disquiſitionem de præſumtionibus (de quibus prolixe egerunt *Alciatus* & *Menochius*) ex ſupra *capite 21. not. 1. ad §. 6. p. 1012. & ſeqq.* propoſitis facile liquet. Item quantum diſcriminis ſit inter ebriorum & ebrioſorum actiones? an & quousque ebrietas in quovis foro excuſet? quid de melancholicorum, noctambulonum ut vocantur, dormientium &c. factis cenſendum ſit, quæ notabiles gradus moralitatis ſæpe annexos habent.

(5) Diſtinguebatur inter *voluntarium voluntate propria* & *voluntarium voluntate aliena.* Sane nobiles materiæ ſunt, an & quousque juris ſive naturalis ſive conſtituti ſit, ut unius voluntas ab alterius voluntate pendeat e.gr. voluntas uxoris a mariti, filii a patris, pupilli a tutoris, minoris a curatoris, ſubditorum ab imperantium voluntate? Uno verbo: Huc tota doctrina de jure perſonarum, hisve quæ ſui vel alieni juris ſunt ſpectat. Nec ſolummodo Juris poſitivi, ſed & naturalis quæſtiones ſunt: An & quousque velle non credantur, qui obſeqvuntur imperiis eorum, quibus ſe ſubjectos norunt? ſique ullibi hæc diſtinctio uſum habet, certe invenit, dum de miniſterio, quod crimen eſt vel non eſt, agitur. . .

(6) Di-

Digitized by Google

(6) Diſtinguebatur inter *voluntarium voluntate perſonali* & *voluntarium voluntate reali*. Huc ſpectat tota doctrina de jure pluralitatis votorum, item de obligationibus perſonalibus & realibus. E.gr. An & quousque obligationes ex promiſſionibus, pactis, contractibus, juramentis aliisque negotiis una cum vita autorum ſuorum deſinant & quaſi expirent, & e contrario, an & quousq; ad ipſos hæredes, ſucceſſores, poſteros tranſeant? Eandem materiam in loco de peccato primorum parentum acriter expendunt *Theologi*, dum de eo ſolliciti ſunt, qua ratione culpa primorum parentum in omnes poſteros fuerit derivata?

(7) Diſtinguebatur inter *voluntarium in totum* & *voluntarium in tantum*, ſeu quod eodem redit, inter voluntarium plenum & minus plenum. De cujus diſtinctionis uſu ſupra *pag. 1344.* egimus.

(8) Diſtinguebatur inter *voluntarium perfectum* & *imperfectum*. Cujus diſtinctionis uſum doctrina de practicis cujusvis facti ac negotii æſtimationibus magis minusve accuratis indicat.

(9) Diſtinguebatur inter *voluntarium immediatum* & *voluntarium mediatum*. Hujus diſtinctionis uſum ex *præcedenti capite vigeſimo ſecundo* & *quinque ſequentibus* ſperamus ſatis a nobis monſtratum eſſe. Eandem doctrinam *Juris* Cultoribus *Didacus Covarru-*

*vias*

*vias part. II. Releƈt. c. peccatum de Reg. Jur. tom. 1. §. 12. p. m. 554. & ſeqq. Dionyſius Gothofredus ad Novel. CXXXIV. cap. 10. & Hugo Grotius l. 2. de I. B. 17. & 21.* maxime commendant.

XVII. Denique de neceſſario prærequiſito ſecundario ex parte voluntatis tanquam efficientis agendum erat, quod eſt prævia cognitio per intelleƈtum faƈta. Ubi ſimul occaſio datur agendi de duplici ignorantia invincibili ſeu inſuperabili, ut vocant: Una, quæ aƈtionem reddit involuntariam: Dicitur etiam antecedens. Altera, quæ quidem arguit aƈtionem non voluntariam, nec tamen involuntariam. Vocatur etiam ignorantia concomitans. Item de ignorantia vincibili, quæ ignorantia conſequens nuncupatur. Huc pertinet tota doƈtrina de juris & faƈti ignorantia, & quouſque hæc diſtinƈtio cum univerſalium & particularium ignorantia coincidat. Et certe multum diligentiæ ac ſedulam inſpeƈtionem poſcunt materiæ de moralibus erroribus, opinionibus, dubiis, ſcrupulis, maxime ſi diſpiciatur, quid dubia juris quidve dubia faƈti ſint? quid caſus conſcientiæ reƈte dicantur, & quomodo ii eximendi veniant? Unde cognoſci poſſit opiniones eſſe probabiliores vel minus probabiles, tutiores vel minus tutas, pares vel impares, magis vel minus regulis moralium officio-

Digitized by Google

ciorum faventes? quinam error juris accuſet, & quinam excuſet? quinam error in totum, & quinam in tantum ſit invincibilis aut vincibilis? Quorum omnium frequentiſſimus uſus eſt in *Juris* cujusque reſponſis: Nam *Juris Civilis* ſententiæ ac reſponſa demum etiam abeunt ac omnino reſolvuntur in idonea horum dogmatum recte perceptorum principia ac genuina fundamenta. Imo ſi ulla materia hic commendari debet, certe reliquis omnibus palmam præripit inſignis ac nobiliſſima materia de interno animi tribunali ſeu vulgo ſic dicto conſcientiæ foro recte inſtruendo, ſancte cuſtodiendo, juſtiſſime obſervando. Quo etiam ſpectant ſequentia: Quænam remedia moralia erroribus adhiberi debeant? Quousque probabilis conſcientia obliget? An & quousque conſilia rectæ rationis ſeu naturæ a juribus naturæ differant? Et quomodo ex utrisque, item ex poſitivis legibus ac arbitrariis conſiliis nunc caſus, nunc ſententiæ ac deciſa conſcientiæ formari poſſint? Cæterum de neceſſariis prærequiſitis ſecundariis ex parte cauſarum efficientium liberarum ratione horum illorumque effectuum ſpecialius ſpectatarum ſupra *p. 1357. & ſeqq.* diſſeruimus. Liceat adhuc exemplis duobus doctrinæ de conditione ſine qua non uſum in *Theologia* & *Jurisprud.* illuſtrare. Unum lubet petere ex *B. Rappolti*, Profeſſoris

Li-

Lipſienſis ac Viri etiam poſt fata celeberrimi, *diſſertatione inaugurali,* qui *Bellarminum (lib. 4. de juſtific. cap. 18.* aſſerentem actum illum credendi, quando crediſſe Abraham Deo & imputatum eſſe ei pro juſtitia dicitur, fuiſſe opus juſtum & meritorium, & pro tali a Deo judicatum & acceptum) ex *celeberrimorum Theologorum: B.D. Joh. Gerhardi, B.D. I. Welleri, B.D. Hulſemanni & Dn. D. Abr. Calovii* ſcriptis refutaturus §. 19. ſic diſſerit: *Credere actionem quidem eſſe non negamus; negamus autem, ut actionem imputari, cum actio ſit tantum CONDITIO SINE QVA NON: vis omnis autẽ juſtifica ab objecto, quod imputatur, pendeat. Ac proin, cum imputatum eſſe Abrahamo in juſtitiam dicitur, quod crediderit, id accipiendum eſt relative & reſpectu objecti apprehenſi hoc ſenſu: Quod meritum Meſſiæ per fidem apprehenſum in judicio Dei imputatum ſit Abrahæ, non ſecus ac ſi illius ipſius eſſet obedientiã. Sic & fidem apprehenſionem eſſe cum illo Johannis convenit c. I. 12. Quotquot eum acceperunt* (ἔλαβον) *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus; ſed non ut apprehenſio tamen imputatur, cum apprehenſio ſit opus: Juſtitia autem imputetur ſine operibus Rom. IV. 7.* Et poſt pauca alia *th. ſequ.* pergit: *Declarari res de objecto & conditione organi, objectum apprehendentis, ſimilitudine poteſt, quam ſuppeditat ipſa Scriptura, cum ait: Matth. V, 6. Beati qui*

*eſu-*

*eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Nam ſicut famelicus non efficit panem, ſed jam a piſtore factum apprehendit & uſui ſuo applicat; neque tamen ipſa apprehenſio panis, quatenus eſt apprehenſio, ſaturat hominem. Poteſt enim etiam apprehendere lapidem, ſcorpium aut lutum, quibus non ſaturaretur; ſed tota ſaturatio pendet ab objecto apprehenſo & comeſto: Ita quoque fides non facit vel operatur rem juſtificam, quæ jam tum a Chriſto parata eſt, cujus opera ſive tota obedientia nobis eſt imputabilis. Et cum apprehenditur hæc res juſtifica per fidem, tunc fides apprehendens imputatur pro juſtitia, nõ quatenus apprehendit (poteſt enim apprehendere opera propria hominis, non Chriſti; poteſt apprehendere ſatisfactiones ſanctorum) verum tota vis imputationis illius pro juſtitia dependet a correlato divino, videlicet a Chriſti merito ſive obedientia: quam propterea pro nobis præſtitit legi, ut eſſet nobis imputabilis & per fidem apprehenſa imputaretur in juſtitiam: Non quaſi obedientia Chriſti non ſit juſtitia, ſed reputetur tantum eſſe juſtitia; Sed quod obedientia non ſit noſtra inhæſive & proprie, ſed reputetur in judicio Dei, quaſi ſit juſtitia noſtra, cum inhæſive ſpectata ſit aliena & Chriſti.* Hæc ille. Alterum exemplum ſuggerit *Magnif. Dn. Joh. Schilterus* prax. *Analyt. part. 3. de jure retrov.* §. 6. pag. 239. dum ita diſſerit: *Effectus pacti de retrovendendo eſt jus ad rem venditam reſtituendam ali-*

*aliquando pro pretio. Seu: obligatio reciproca ad reſtitutionem rei atque pretii.* Et paucis interjectis: *Hæc poteſtas vel producit vel concomitatur alterum effectum ex parte emptoris, neceſſitatem reſtituendi & retransferendi dominii. Ad quem tamen concurrit CONDITIO VEL CAUSA SINE QUA NON exiſtit hæc neceſſitas, nempe obligatio ad reddendum pretium, a revocaturo dominium. Et quoniam emtor ex conventione de re danda quam habet obligatus eſt, ideo tenetur præciſe ad rem dandam & transferendum dominium, nec liberatur offerendo id quod intereſt &c.* Cæterum de uſu eximio & abuſu noxio hujus doctrinæ de conditionibus vel cauſis ſine quibus non in axiomatibus Metaphyſicis ad hanc doctrinam ſpectantibus felicior occaſio diſpiciendi dabitur, ubi etiam requiſita conditionis vel cauſæ ſine qua non recenſeri ſolita (1. ut nec ſit cauſa, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas. 2. ut abſque illa effectus fieri nequeat. 3. ut ad effectum reſpiciatur, ubi illa attenditur: Sicut e.gr ſine calore ſplendor Solis non eſt, neque tamen calor eſt cauſa ſine qua non luminis, in quod ſplendor Solis influxit) examinabimus.

§. 3. Tertius denique uſus practicus doctrinæ de cauſa efficiente eſt, ſibi aliisque perſpectum reddere

modum

modum per cauſam efficientem demonſtrandi concluſiones practicas, quæ de nulla cauſarum agunt.

### NOTÆ.

I. Exemplo uno vel altero uſum huncce declarabimus: Ita propoſitiones practicæ in *Theologia* ſunt: Chriſtus a nobis ſuper omnia æſtimandus eſt; Chriſtus a nobis ſuper omnia diligendus eſt; Omnia quæ Chriſto diſplicent, fugienda a nobis ac omittenda ſunt. Has vero propoſitiones ſolide infert Theologus ac demonſtrat, adhibita hac ratione: Quia nos liberavit a maledictione legis, & a peccati, diaboli, mortis & inferni poteſtate, nobisq; ſalutem æternam promeruit. Hic demonſtrantur concluſiones practicæ per cauſam efficientem: Idem enim eſt, ac ſi ſequentibus verbis tota demonſtratio incluſa fuiſſet: Quia Chriſtus Θεάνθρωπος eſt cauſa efficiens meritoria noſtræ juſtificationis ac æternæ ſalutis, utique ſuper omnia a nobis æſtimandus eſt, diligendus eſt, omnia, quæ ipſi diſplicent, fugienda nobis ac omittenda ſunt. Eadem ratio facile amplificari poterat fortaſſis hunc in modum: Quid, quæſo, indignius, quam hominem, qui Chriſtianum ſe profitetur, peccatorum capi illecebris, pro quibus, ut læſo Numini fieret ſatis, tot cruciatus, tot labores, tot probra, verbera,

contumelias, irriſiones, deteſtabile poſtremo mortis ſupplicium pertulit pretioſiſſimus Servator? quanta humilitate noſtram expiavit ſuperbiam? quanta egeſtate avaritiam? quantis angoribus luxuriam, laſciviam, libidinum genera omnia? quid igitur eſt, quod intumeſcis, & inſolenti auſu cœlos petis? quid ſibi vult tam inſatiabilis divitiarum fames, & inhians auro animus? quid te totum, quantus, quantus fœdis voluptatibus ingurgitas atque enervas? quis iſte furor, quæ dementia, in delitiis habere, quod Servatorem Tui amantiſſimum tantopere excruciavit, contriſtavit, quod exanimavit? Contraria contrariis curaturus iracundiam tuam luit manſuetudine, odium amore, inimicitias charitate: quid igitur Tibi tam dulce vindicta, bonum, vita ipſa jucundius? quam corruptum arguit animum, quod ſuavia cenſes, quæ propter Domino amarus lethi calix fuit exhauriendus? Quæ veniæ ineundæ ratio, ſi quis Principe, unico regni hærede peremto, ſupplex parenti fieret cruentas manus & ſicam ſanguine filii madentem oſtentans? quis riſum teneat? At quid, miſer, dum antiqvum ſemper obtinens veniam peccatorum ambis? quid agis? annon irato parenti prodis virgas, quibus ſanctiſſimum filii corpus cæſum? annon ſpinas, quibus venerandum caput laceratum? annon clavos, qui-

bus

bus infami ligno affixæ manus, & haſtam, qua latus demortui perfoſſum? Enimvero, qui Chriſtianum affectant nomen, neque unquam in peccatis ceſſant, denuo crucifigunt Chriſtum & ludibrio exponunt *Ebr. VI.* Nihil ad iſtos ex paſſione ſalutifera redundat emolumenti, quod ipſum Dei filium conculcant, ſanguinem fœderis, per quem ſunt ſanctificati, profanum ducunt, & Spiritum gratiæ contumelia afficiunt *Ebr. X, 29.* Poterat etiam hiſce verbis amplior reddi oratio: Quæ, O mei, quæ vitiorum monſtra quotidie cernimus? quid? cernimus? imo laudamus, & noſtris ipſi moribus delineamus? Quam in nos quadrant illa *Moſis Deut. XXXII, 32. Superat vitem Sedomi vitis eorum: ſuperat vites Hamoræ: uvæ eorum ſunt venenoſæ; botri amari: venenum draconum eſt vinum eorum, ac ſævum aſpidum venenum.* Scilicet iſtiuſmodi apud pleroſque inveniamus fructus, quorum diſpudere ipſos ſit neceſſum. Quid enim? an ſeriam hic pœnitentiam egerit hodie, qui poſt diras exſecrationes, poſt turpiſſimam verborum obſcœnitatem de Deo Ter Maximo adeo ſpurce, adeo impie locutus heri eſt, ut ſit omnem religionem ac probitatem viſus ejuraſſe? an iſtum, ſacra Synaxi pronuper uſum verus heluationis ſuæ ceperit dolor, qui antiqvum ſemper alens vino ſeſe avidius ingurgitat? quæ iſtæc

pœnitentia, quam tanta vanitas, tanta ſuperbia, tanta luxus in veſtitu, in conviviis, in omni deniq; vita comitatur varietas? quæ, per Deum immortalem, quæ pœnitentia, ubi male parta male retinentur; ubi illicita diteſcendi ratio invaluit; ubi nullius quenquam piget ſceleris, quo alienæ deriventur opes; haud quidquam eſt amori & reconciliationi relictum loci; creſcunt odia, creſcunt inimicitiæ & quibus extingui debebant rebus, vires videntur acquiſiviſſe? quæ pœnitentia, quæ nec peccandi averſatur occaſiones, nec improborum ſocietatem, animorum deteſtandam illicem? quid, quæſo, Chriſtum tibi polliceris ſponſum, qui diabolum per omnia nequitiæ & libidinis gymnaſia ſectaris? Taceo reliqua vitiorum portenta, quorum etſi in aprico poſitorum, jam quemque depuduit, ut candidis hodie corvis rariores haud immerito dixeris veros pœnitentiæ fructus. Et usque eo nullus iræ divinæ, nullus omnium, quæ hanc nunciant, ſenſus in nobis eſt. Hæc in gratiam incipientium adjicere placuit, qui non debebant eſſe neſcii, communes eſſe probandi atque amplificandi locos & argumenta, utut docendi gratia alterum ab altero quandoque ſecernatur.

II. *Exemplum Morale* adeſto: Ita de Deo, quia jus imperii ſupremi ipſe ſolus quæſitum habet in omnes creaturas rationales, adeo ut

po-

Digitized by Google

poteſtate & perfectione omnia entia ſuperet; inde demonſtratur, eum ſuper omnia ſupremo maximoque cultu afficiendum eſſe. Quia ipſe ſolus omnis boni dator & autor eſt, inde demonſtratur, eum ſumme & ſuper omnia a nobis diligendum eſſe. Quia ſolus juſtiſſimus & ſeveriſſimus transgreſſionum juris naturæ vindex eſt, ad noſcenda peccata ſapientiſſimus, ad expendenda æquiſſimus, & advindicanda potentiſſimus, inde demonſtratur, eum ſuper omnia & ſumme timendum eſſe. Quia & Juris naturalis autor & omnis boni benigniſſimus remunerator omnisque turpitudinis juſtiſſimus vindex in æternum exiſtit, inde demonſtratur, in eo ſumme & ſuper omnia ſperandum eſſe. Quia ab ipſo vitam habemus & omnia bona, in ipſo ſumus, movemur & vivimus, ceu Gentiles ipſi agnoverunt, inde demonſtratur, ei a nobis æternas deberi grates. Quia eſt omnipotens, ut poſſit benefacere & ex tribulationibus quibusvis eripere quemvis, qui in eo ſperat, eſt quoq; infinite bonus, ut velit, ſicq; perfectiſſima facultas & voluntas perfectiſſima ſimul adſunt, inde demonſtratur, eum in omnibus neceſſitatibus ardenter invocandum eſſe. Quia juſtiſſimus vindex omnium ſcelerum exiſtit, ejusdemque juſtitia immutabilis eſt, ideo ipſi pro quovis læſæ Majeſtatis crimine ſatisfaciendum, & niſi per præſti-

tam ſatisfactionem (quam tamen ratio ſibi relicta in æternum ignorat) placata fuerit ira divina, nosque ipſi fiamus reconciliati, reliqvus cultus jure naturæ præceptus naturaliter cognitus Deo vel non deferri, vel non absque hypocriſi deferri poterit &c. Hunc in modum varia pietatis naturalis debita nobis incumbentia Philoſophus Moralis qua talis per cauſam efficientem demonſtrat.

III. *Exemplum Politicum* adferamus: Titus Veturius & Sp. Poſthumius apud Caudinas Furcas, deducto in locum iniqvum exercitu, cum nulla ſpes evadendi eſſet, conventione cum Samnitibus facta, & ſexcentis equitibus Romanis obſidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes inermes cum ſingulis veſtimentis ſub jugum mitterentur, agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, ſuis deinde legibus Romanus ac Samnites æquo fœdere viverent. In hoc certe caſu ſolide demonſtrari per cauſam efficientem poſſe credimus, Romanos (poſt miſſum ſub jugum ac ita dimiſſum exercitum reſcribentes ex eodem milite novas legiones, ac denuo ad Caudium ducentes exercitum, adeoque nolentes implere conditiones Romano nomine indignas, quas Poſthumius iniverat) male a Samnitibus perfidiæ aut fœderis non ſervati fuiſſe accuſatos, ſibique ſo-

lis

Digitized by Google

hac ſuæ ignaviæ Samnites neceſſum habuiſſe imputare, quod Juris fecialis expertes ſtatumque Reipublicæ Romanæ, qui cum bella gerebant, ignorantes cum Poſthumio conventionem iniviſſent. Ratio, quam ſolidæ demonſtrationis loco afferimus, eſt, quia Romani nullum iniverant fœdus, ſed fecerat ſolummodo Poſthumius ſponſionem, qua non tenebantur Romani, niſi vellent. Hoc eſt, cauſa efficiens conventionis erat Poſthumius, non Romani, utpote qui prudentiſſime a Ducibus pacta componi noluerunt, ne hi neceſſitate adducti, ut ſunt momenta ac vices belli, infamia pernitioſaque pacta inirent. Ideo Poſthumius ille Romanis: *Cum me ſeu turpi ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi, qua tamen, quando injuſſu populi facta eſt, non tenetur populus Romanus, nec quicquam ex ea, præterquam corpora noſtra, debentur Samnitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique.* Bene idem: *Hoſti nihil ſpopondiſtis: civem neminem pro vobis ſpondere juſſiſtis. Nil ergo vobis nec nobiscum eſt, quibus nihil mandaſtis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis.* Optime idem: *Injuſſu populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod populum teneat.* Nec minus recte: *Si quid eſt in quod obligari populus poſſit, in omnia poteſt*, ut eſt apud *Livium Lib. IX.* qui ipſe: Coſſ. ait, *profecti ad Pontium in colloquium, cum de fœdere victor agitaret, negarunt injuſſu po-*

*puli fœdus fieri poſſe, nec ſine fecialibus ceremoniaque alia ſolenni. Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam ſcribit, fœdere Pax Caudina, ſed per ſponſionem facta eſt. Quid enim aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, ubi precatione res tranſigitur. Nomina Coſſ. Legatorum, Tribunorum, militum, qui ſpoponderunt, extant, ſi ex fœdere res acta eſſet, præterquam duorum fecialium, non extarent.* Eodem certe modo hanc concluſionem *Hugo Grotius* demonſtrat, dum ita differit: *Illud ante omnia tenendum, eum qui ſummum Imperium habet, nullam in partem obligari. Ergo nec ad id, quod intereſt, nec ad reſtitutionem Populus Romanus tenebatur: cum quo ſi negotium ſibi eſſe voluiſſent Samnites, retinere exercitum apud Furculas Caudinas debuerant, & Romam legatos mittere qui cum Senatu ac Populo de pace ac fœdere agerent, ut quanti ipſis eſſet exercitus incolumitas id ipſi æſtimarent. Tum demum ſi pactis ſtatum non eſſet, potuiſſent dicere quod ab ipſis dictum ait Vellejus (lib. 2. cap. 1.) publicæ violationem fidei non debere unius lui ſanguine. Lib. II. de I. B. & P. c. 15. §. 15.*

IV. Exemplum Juridicum adjicimus: Condictionem indebiti JCti definiunt, qua quis repetit, quod alteri indebite per errorem ſolvit vel ſaltem ſe ſoluturum cavit, ceu liquet ex *§. re contrahitur 1. Inſt. quibus modis re contrahitur obligatio* item *§. item is 6. Inſt. de obli-*

*obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur, l. nunc videndum 1. D. de condictione indebiti,* ejusque fundamentum eſſe quaſi contractum, ſolutionem ſcilicet indebiti, ex *dictis textibus*, item *l. ſi in area 33. D. eod. tit.* deducunt. In hac vero materia occurrit quæſtio: Num etiam, quamvis condictioni indebiti ſpecialiter renunciatum fuerit, tamen illi remedio locus ſit? Generalem enim renunciationem (vel etiam eam in qua licet exprimantur alia beneficia, tamen condictionis in ſpecie non fiat mentio) haud obſtare condictioni, manifeſte conſtare cenſent ex *l. Stichus 67. §. idem quæſiit 3. D. dict. tit.* cujus verba ſic ſonant: *Idem quæſiit, an pactum, quod in pariationibus* (*h.e. computationibus hinc & inde ita factis, ut nihil debeatur. Pariatio eſt, cum par eſt ſumma accepti & dati, Dion. Gothofredus ad h.l.*) *adſcribi ſolet in hunc modum, ex hoc contractu nullam inter ſe controverſiam amplius eſſe, impediat repetitionem? Reſpondit: Nihil proponi, cur impediret.* Affirmativam propoſitæ quæſtionis (quod ſcilicet per eandem *legem ſexageſimam ſeptimam*, quamvis condictioni indebiti ſpecialiter renunciatum fuerit, tamen illi remedio locus ſit) communiter *Interpretes* tuentur, ac ita ſummi JCti demonſtrant: *Ex quo enim errore ſolvit aut promittit, ex eodem putans ſe eſſe verum debitorem, & ſibi nullatenus competere condictionem indebiti,*

*renunciat: Apparente itaque poſtea indebito, renunciatio, perinde ut ſolutio, non habet effectum ob errorem, qui conſenſum excludit. Aliud dicendum, ſi verbis renunciationis donandi animus ſit expreſſe declaratus.* Magnif. *Dn.* Struve *Syntagm. Jur. Civ. exerc. 18. th. 42.* Quippe *in omni promiſſione & renunciatione, verbi gratia exceptionis non numeratæ pecuniæ, clauſula SALVO JURE ERRORIS intelligitur. Nec enim actus agentium ultra errorum intentionem valere debent: Quin etiam nullus conſenſus errantis eſt. Dices, renunciantem condictionem indebiti in genere non ignoraſſe, cum renunciaret? Reſpondeo, eandem cauſam erroris quæ principales promiſſiones irritas facit & ſolutiones, eandem quoque renunciationes erroris proponendi in ipſis principalibus irritas facere. Verum ætas pejor avis mox datura progeniem vitioſiorem, remedium iſtis attulit: dum plus æquo vigilantes notarii inſtrumentis inſerunt unam & alteram clauſulam. Talis ſciens ſe ad infra ſcripta non teneri promiſit. It. ſi poſthac apparuerit prædicta indebite vel ſine cauſa ſoluta, ex nunc prout tunc dedit & donavit, l. 6. C. de ſolutionib. quicquid per condictionem indebiti, vel ſine cauſa vel prætextu cujuscunq; erroris poſſet repetere.* Hæc *Dion. Gothofredus* JCtus, quæ omnia unice ea fini attulimus, ut exemplum e media *Jurisprudentia forenſi* depromtum adeſſet, quo modus probandi per cauſam efficientem il-
lu-

tior redderetur. Contrarium ex eodem loco, (nempe ex loco cauſæ efficientis) contra *Bartolum, Paulum Caſtrenſem, Jaſonem, Guilielmum a Cuneo & Albericum* demonſtrare enixe ſatagit *Didacus Covarruvias Variarum Reſolutionum Lib. 2. tom. 2. cap. 4. num. 4. num. 123.*

## Caput Vigesimum Nonum

*De*

# CAUSA FINALI

## Deque MEDIO,

### ut & utriusque requiſitis & diſtinctionibus.

*Item*

## De Usu Practico harum doctrinarum.

§. I.

C*Auſa finalis* eſt *cauſa movens bonitate ſui cognita ad ſui appetitionem, item effectionem vel conſecutionem*: E. gr. potationis amaræ cauſa finalis eſt ſanitas a potante intenta.

*N O T Æ.*

I. Placet poſt doctrinam de cauſa efficien-

ciente ſtatim *de cauſa finali* agere, antequam ad reliqua cauſarum genera progrediamur: quia nihil agnoſcit ſui cauſam finalem, niſi agnoſcat ſui cauſam efficientem: Quicquid vero cauſam efficientem habet, hoc habet etiam cauſam finalem. Nam ſi cauſa finalis eſt, cujus gratia aliquid fit vel factum eſt (qua in re unanimis *Philoſophorum* conſenſio eſt, adeo ut illi etiam, qui negant finem eſſe veram cauſam, eodem modo finem definitum velint) quomodo aliquid alicujus gratia fieri aut factum dici poſſet, quod plane non fieret aut factum eſſet, h.e. nullam ſui cauſam efficientem agnoſceret aut agnoviſſet.

II. Notio finis variat, nuncque finis notat terminum alicujus rei, *Scholaſtici* vocant *finem terminationis*, e.gr. mors eſt finis vitæ. Nunc vero finis ſumitur pro eo, quod primum eſt in intentione cauſæ efficientis, ut loqui ſolent Metaphyſici, cujusque gratia datur cauſa efficiens: E.gr. omnium operationum, quas Medicus circa ægrotum inſtituit, finis ſanitas dicitur, quandoquidem omnibus operationibus ſuis hunc ſcopum præfixum habet, ut ægrotus priſtinæ ſanitati reſtituatur. Poſterior ſaltem conſideratio eſt hujus loci.

III. Qui rem accuratius perſequi vellet, fortaſſis etiam hac ratione diſtingueret inter *finem* & *cauſam finalem*, ut unum idemque ſit &

Digitized by Google

& dicatur cauſa finalis & finis, ſed diverſo reſpectu: *Cauſa finalis* ſimpliciter & abſolute ſic dicta, prout agens ſeu cauſam efficientem movet bonitate ſui cognita ad ſui appetitionem, item effectionem vel conſecutionem: *Finis*, prout idem agens eo effecto vel obtento acquieſcit, ipſiusque agentis appetitus eodem ſatiatur.

IV. Fuerunt multi ex *Veteribus Philoſophis*, qui negarunt finem ullo modo cauſam proprie ac rigoroſe loquendo vocari poſſe. Ratio, qua præcipue uſi ſunt, hæc eſt, quia finis non tam eſt cauſa, quam id potius, cujus gratia cauſa eſt cauſa. Contrarium tamen abunde oſtenſum eſſe credimus, ſi omnia ac ſingula requiſita veræ cauſæ adeſſe demonſtraverimus.

§. 2. Uti ſupra inter primaria & ſecundaria cauſæ requiſita diſtinximus, ita ſingula ex parte cauſæ finalis locum inveniunt. Et quidem *materiale cauſa finalis* non ſemper eſt verum ac reale *ens*, nec ſemper eſt *non ens*: E. gr. cauſa finalis poſſunt eſſe divitiæ realiter exiſtentes: Nam divitiarum in India exiſtentium gratia mercator ad Indos

cur-

currere poteſt: Sanitas nondum exiſtens poteſt eſſe cauſa finalis actionum medici ac ægroti. Sic igitur entia & non entia ſubire cauſarum finalium denominationem poſſunt.

§. 3. *Ratio cauſandi ex parte cauſæ finalis* eſt potentia allicitiva, ſi Scholaſticorum termino uti liceat, hoc eſt, *id quo aliquid aptum eſt allicere agentis appetitum ad ſui appetitionem*, ad appetitionem eorum, quæ ad ſui effectionem aut acquiſitionem facere poſſe videntur, ad ſui effectionem aut acquiſitionem, ad effectionem, acquiſitionem, uſum eorum, quæ ad ſui effectionem aut acquiſitionem facere poſſe videbantur.

*NOTÆ.*

I. Per hoc enim aliquid fieri poteſt cauſa finalis (ſive illud realiter exiſtat, ſive minime) quando tanquam bonum cognitum aut ſub ratione bonitatis cognitæ valet alterum alli-

Digitized by Google

allicere ad ſui appetitionem, effectionem aut acquiſitionem.

II. De ratione cauſandi ex parte cauſæ finalis alias acriter controvertitur apud *Metaphyſicos*. Communiter dici ſolet rationem cauſandi ex parte cauſæ finalis eſſe rationem boni, hucque trahi videas vulgaria aſſerta: *Omnis finis eſt bonum quid*, &, *omne bonum eſt finis*, de quorum recto ac genuino intellectu *D. Stahlius* in Regg. ſuis Philoſophicis *part. 1. diſp. 8. reg* 1. conſulatur. Utut vero non negemus, nec forte negari poſſit, cauſam finalem uno ſenſu dici poſſe id quod bonitate ſua valet allicere appetitũ agentis ad ſui aliorumq; appetitionem, item ad ſui aliorumque effectionem, acquiſitionem, uſum: Adhuc tamen item alieni judicii eſſe volumus, annon diſtinctius ratio cauſandi ex parte cauſæ finalis ſic explicetur, ut hoc ipſo §. eandem explicare conati ſumus. Imo quicquid tandem ſit, hoc a nemine facile negabitur, bonitatem qua talem vix ſufficere poſſe ad hoc, ut aliquid actu poſſit eſſe cauſa finalis. Bonitas enim, ut hoc loco ſumitur, conſiſtit in convenientia cum appetitu: At licet aliquid ſit conveniens alteri, niſi tamen hac convenientia alterum movere poſſet ad ſui appetitionem, effectionem, conſecutionem, nondum aptum eſſet actu ſubire denominationem cauſæ finalis.

§. 4. Ex

§. 4. Ex proxime præcedenti §. colligere datur, quænam ſit *cauſalitas* ex parte cauſæ finalis? Nempe videtur ea conſiſtere in τῷ *allicere* bonitate ſui cognita ad ſui appetitionem, effectionem vel conſecutionem. E. gr. quando ægrotus ex medici conſilio utitur medicamentis, ſanitas, cujus bonitatem ægrotus cognoverat, allicit ægrotum & ad ſui & ad mediorum appetitionem, effectionem, obtentum.

*NOTÆ.*

I. Primario ſic dictam cauſalitatem in tali allectatione quærimus, qua quid ſub ratione boni cognitum allicit appetitum agentis ad ſui appetitionem, ad ſui effectionem vel acquiſitionem: Secundario ad appetitionem, effectionem, acquiſitionem, adhibitionem alius vel aliorum propter ſe ſeu ratione ſui, ſeu ut diſtinctius loquamur, ſui gratia. E.gr. primum movens primumque alliciens appetitum ægroti eſt ſanitas, quia hæc maxime & primo omnium allicit ægrotantis appetitum, ut ægrotus nihil æque vel magis appe-

appetat, quam ſanitatem. Dumque ægrotus ſanitatem ſerio appetit, appetit etiam ea, quæ ſanitatem efficere aut reſtituere poſſunt, imo non tam ea appetit, quam in iis ſanitatem, non tam potionem amaram, quam id ad quod ea facere poſſe creditur.

II. Non pauci quærunt cauſalitatem in appetitione: At ſalvo meliori cujusvis judicio, videtur, ac ſi omnino (Philoſophica æſtimatione recte facta) prius ſit aliquid allicere appetitum ad ſui appetitionem, quam ipſum appeti, ita ut propoſitio cauſalis ac ratio a priori ſit, ſi quærenti: cur ægrotus appetat ſanitatem? reſpondeatur, quia ſanitas allicit appetitum ægroti bonitate ſui cognita ad ſui appetitionem, dum æger ſub ratione boni eam cognoſcit. Eſt igitur cauſalitas cauſæ finalis aliquid prius voluntatis actione, non quidem ordine temporis, ſic enim ſunt ſimul: ordine tamen naturæ hæc ipſa motio metaphorica, ut vocant, prior eſt.

III. *Scholaſtici aliique motionem metaphoricam* cauſalitatem cauſæ finalis vocant, motionem proprie dictam definientes per verum influxum a cauſa, quæ movens dicitur, procedentem & in ente, quod moveri dicitur, receptum; qualis eſt e.gr. motus iſte, quo ignis calefacit aquam. Et quidem quod talis motio nequeat dici cauſalitas cauſæ finalis, facile probant, quia finis non ſolum aliquan-

do per innumera milliaria diſtat ab agente moto, ubi ridiculum eſſet dicere, quod per tantum ſpatium verus influxus continuetur v.gr. cum mercator movetur a bonis in India exiſtentibus: Sed etiam finis nonnunquam plane non exiſtit, ſed demum producendus eſt v. gr. habitus eruditionis. Metaphoram vero in eo quærunt, quod quemadmodum cauſa efficienter movens (ut loqvuntur) per ſuum influxum facit, ut res quæ moveri dicitur, jam aliter ſe habeat, ac antea, ſic etiam objectum per bonitatis exhibitionem efficiat, ut appetitus fiat appetens, qualis antea non erat, habeatque ſe perinde, ac ſi actum illum appetitionis non tam voluntas, quam objectum ipſum produxiſſet. Alii vero cenſent poſſe hanc cauſalitatem accuratius dici motionem objectivam, eo quod id quod appetitur, nihil aliud præſtet, quam ut ſit objectum appetentis eique ſuam bonitatem exhibeat, qua cognita appetitus ſeipſum moveat, ac objectum illud amare vel perſequi incipiat.

§. 5. Inter *ſecundaria cauſæ finalis requiſita* præcipuum ac perpetuum eſt prævia cognitio: Nunquam enim appetitus fertur in incognitum, adeoque ut quid bonitate



Digitized by Google

tate ſua alterum ad ſui appetitionem, effectionem, vel conſecutionem alliciat, oportet cognitionem bonitatis antegreſſam eſſe.

NOTÆ.

I. Hinc diſcitur facili opera, cur agentia omni cognoſcendi vi deſtituta (hoc eſt, nec ſenſu nec intellectu prædita) ſi recte & accurate philoſophari velimus, nequeant dici agentia propter finem, utut eorum actiones adhuc ſalva omni veritate propter finem eſſe dicantur: e.gr. horologium eſt propter finem, hoc eſt, actiones ejus omnino ſunt propter finem, ipſum tamen horologium rigoroſe loquendo non agit propter finem, ſed automatarius arte ſua actiones ejus ad certum finem dirigit, vi cujus horologium quaſi ob certum finem agere dicitur.

II. Nec adeo difficile erit aſſequi mentem Scholaſticorum diſtinguentium inter *finem materialiter* & *finem formaliter ſpectatum*, dum nempe ipſi putant commodo ſenſu defendi poſſe, quod bruta propter finem agant e.gr. bos ad præſepe accurrat, ut appetitum ac ventrem ſatiet, hoc tamen de fine materialiter ſpectato intellectum volunt, cum ſane bruta nunquam poſſint in diſtinctam finis cognitionem venire, ut quid finis, quid medium ſit? diſtincte cognitum habeant: quæ

vero agentia notiones has ſibi ſatis perſpectas reddere valent, hæc demum propter finem formaliter ſpectatum agere poſſe dicuntur.

III. Notum eſt, etiam Deo actiones propter finem tribui, ſalva tamen Dei immutabilitate, quam rem fuſe perſecutus eſt *B. Stahlius in Inſtitutionibus ſuis Metaphyſicis*, qui *partis prioris toto capite 24.* videatur. Interim longe eminentiori modo Deus propter finem agit, quam ut opineris (hæc enim falſiſſima foret opinio) Deum ita, ut agentia creata propter finem agentia, moveri, hoc eſt, ſanctiſſimum ejus appetitum allici, ut ſeipſum efficienter moveat, hoc eſt appetitionem realiter a ſe diſtinctam ex ſe eliciat. Non enim ſine manifeſta falſitate ac impietate defendi poteſt, dari actiones ex appetitu Dei elicitas: Nam qui hoc in ſe defendendum ſuſcipiunt, non poterunt effugere, quin tollant ſummam ſimplicitatem in Deo, qua de re in *Theologia naturali*, parte poſterioris harum inſtitutionum partis peculiari agetur, utpote ad quam hæc doctrina ex profeſſo ſpectat. Hæc accuratius perpendenti liquebit facile, fruſtra quæri rotundam ac exactam definitionem cauſæ finalis in genere. Nam longe alia ratio eſt, ſub qua actiones *tranſeuntes* Dei cauſam finalem habere rectiſſime dicuntur, & longe iterum alia, ſub qua crea-

tura-

Digitized by Google

turarum potentia cognoſcendi præditarum, maxime rationalium, actionibus cauſa finalis attribuitur. Sed hæc ex inſtituto in Theologia naturali perſequemur.

IV. Ex hoc & præcedentibus §§. confidimus ſatis cognoſci poſſe, quod cauſa finalis ſit peculiaris veraque cauſa.

V. Ad bonitatem cognitam ſufficit, ſi modo fuerit cognita, ſive ex errore fuerit cognita, ſeu quod idem eſt, bonitas tantum apparens fuerit, ſive fuerit vera bonitas. Difficilis alias creditur ac intricata quæſtio: Utrum cauſa finalis qua talis ſit cauſa ſecundum eſſe cognitum, an ſecundum eſſe reale? Qui poſterius tuentur, urgent 1. quod cauſa finalis ſecundum eſſe cognitum, hoc eſt, nuda cauſæ finalis e. gr. divitiarum, cognitio non appetatur, ſed potius ipſum eſſe reale e. gr. ipſæ divitiæ ut actu & realiter exiſtunt, alias enim agens in cognitione acquieſceret, quod pugnat cum experientia. 2. Quod cauſa finalis non alliciat voluntatem ad ſui ipſius cognitionem, ſed ad ſui ipſius acquiſitionem, ſicque ratio movendi ſeu alliciendi cognitio dici nequeat. Qui prius defendere conantur, duabus itidem rationibus utuntur: 1. quod cauſa finalis ſæpenumero, dum eſt cauſa finalis, non habeat eſſe reale, 2. quod cauſa finalis ſecundum eſſe reale non ſemper ſit prior cauſa efficiente, quam movet.

Sed facilem credimus ſolutionem hujus quæſtionis, ſi nempe dicatur, cauſam finalem eſſe cauſam ſecundum eſſe reale cognitum, non tamen quia cognitum. Cæterum quod dicebatur, cauſam finalem ſæpenumero non habere eſſe reale, hoc veriſſime dicebatur, ſed nihil facit ad præſens, quia hic non eſt quæſtio, num cauſa finalis ſemper habeat eſſe reale? ſed num ſecundum eſſe reale cognitum ſemper moveat? Quod poſterius veriſſimum manet, quia eſſe reale cognitum appetitur. Pariter quando urgebatur, cauſam finalem ſecundum eſſe reale non ſemper eſſe priorem cauſa efficiente, hoc facile conceditur: Manet tamen prior ſecundum eſſe reale cognitum. Poteſt enim eſſe reale cognitum realiter appeti, antequam detur, hoc eſt, antequam illud, quod ſecundum eſſe reale appetitur, realiter exiſtat.

§. 6. Cauſatum cauſæ finalis duplex datur: immediatum & mediatum. Immediatum cauſatum eſt ipſa appetio ejus, quod cauſæ finalis nomine nuncupatur. Nam cauſa finalis qua talis movet immediate ad ſui appetitionem. *Mediata cauſata* dici poterunt *omnia ea,*

*qui-*

*quibus agens utitur, quatenus iis utitur, item qua agens operatur aut efficit, ut illud, quod cauſa finalis dicebatur, acquirat vel efficiat*: e.gr. quatenus medicamentis a medico ſanitatis gratia effectis ægrotus utitur, medicamentorum & effectio & uſus cauſatum ſanitatis tanquam cauſæ finalis dicitur.

*NOTÆ.*

I. Cauſatum immediatum, quantum ad præſens, tripliciter accipi poteſt: (1) prout cauſatum immediatum idem eſt, quod cauſalitas paſſive ſpectata. Sicut enim ſupra in doctrina de cauſa efficiente diſtinximus inter effectum qui & effectum quo e.gr. ædificium & ædificationem, ædificatio enim alia ratione cauſalitas cauſæ efficientis, & alia ratione effectus cauſæ efficientis dicebatur: Ita diſtingui etiam poterit inter cauſatum cauſæ finalis quod & quo (ſi mutilatis terminis cũ Scholæ Doctoribus uti velimus) eritq; cauſatum quo cauſatũ immediatum, cauſatum quod cauſatum mediatum. Unde ſicut ædificatio eſt cauſatum quo architecti in genere efficientis, ita allectatio illa, quam alii motionem metaphoricam, alii motionem objectivam, alii



Digitized by Google

motionem intentionalem vocant, cauſatum quo in genere cauſæ finalis dicetur. Sed hæc ſignificatio in præſenti §. non attendebatur. (2) prout cauſatum immediatum excludit omnem cauſalitatem, eſtque illud, quod immediate ab illa cauſalitate procedit: Et ita appetitionem diximus cauſatum immediatum cauſæ finalis, quia appetitio immediate a cauſalitate cauſæ finalis procedit: E. gr. ſanitas primo movet appetitum ægroti ad ſui appetitionem. Et ita in præſenti cauſatum immediatum ſumebatur. (3) poterat etiam hæc ſignificatio addi, ut alia appetitio cauſatum immediatum, alia appetitio cauſatum mediatum cauſæ finalis diceretur. E. gr. ſanitas movet appetitum ægroti ad ſui appetitionem, movet etiam ad appetitionem medicamentorum, ſed primario movet ad ſui, ſecundario ad medicamentorum appetitionem, quia non tam ad medicamentorum, quam ad ejus, quod effective in medicamentis eſt aut eſſe creditur, (ſunt enim medicamenta cauſa efficiens ſanitatis) hoc eſt, ad ſui appetitionem movet.

II. Vexata quæſtio eſt, num appetitio cauſalitas, an ſolummodo cauſatum dici debeat? Pro priori ſententia urgetur, quod nihil poſſit intelligi ut finis, niſi appetitio voluntatis jamtum actu adſit, cum cauſa finalis datur: At poſteriorem ſententiam fortaſſis plau-

plauſibiles rationes confirmare videntur.:
Prima ac præcipua eſt, quam præcedenti notâ tetigimus, quia appetitio per veram cauſalitatem a cauſa finali dependet: E.gr. quod appetitur ſanitas, id omne dependet a cauſa finali nempe a ſanitate, & quidem per veram cauſalitatem, nempe allectationem aut, ut alii loqvuntur, motionem appetitus: Niſi enim ipſa cauſa finalis nempe ſanitas allicuiſſet aut moviſſet appetitum ad ſui appetitionem, ipſa appetitio ſanitatis locum non inveniſſet. Addunt tamen duas alias rationes: In quo enim ratio eſt cauſandi ex parte cauſæ finalis, inde procedit cauſalitas ex parte cauſæ finalis: At ratio cauſandi quæ nempe talis eſt ex parte cauſæ finalis, non eſt quærenda in voluntate, ſed in eo, quod cauſa finalis eſt, e.g. in divitiis. Ipſi quoque qui contrarium ſentiunt, dicunt cauſalitatem cauſæ finalis, eſſe motionem metaphoricam: Jam vero appetitio eſt actio proprie dicta. Ad hoc, quod dicebatur, nihil poſſe intelligi ut finem, niſi appetitio voluntatis jamtum actu adſit, reſponderi ab adverſæ ſententiæ defenſoribus ſolet, nihil quidem eſſe finem, niſi voluntas illud, ut illud, in quo acquieſcere velit tanquam in termino, ſibi propoſuerit: Poſſe tamen adhuc intelligi ut cauſam finalem, cum cauſa finalis non ſit, quæ actu eſt propoſita voluntati; ſed quæ efficit ut propo-



Digitized by Google

natur, qua demum propoſitione adveniente finis ſit atq; vocetur. Ex horum igitur mente cauſa finalis quid eſt, antequam finis fiat. Ut clarius hac de re conſtare poſſit, repetenda venit diſtinctio *not. 2.* ad præcedentem *§. 4. p. 1473.* allata: Nempe ſi de ordine temporis ſermo ſit, cauſalitas cauſæ finalis eſt cum appetitione ſimul: At ſi de ordine naturæ quæſtio inſtituatur, cauſalitas cauſæ finalis prior eſt appetitione.

§. 7. Inter cauſata mediata ſecundaria præcipuam tractationem *media* ſibi vindicant: Eſt vero *medium* in laxiori ſignificatione omne id, *quod ad finem efficiendum vel obtinendum facit*: E. gr. ſalutaria medicamenta ſunt media ad ſanitatem facientia. Ita ad evitationem caritatis annonæ princeps cognoſcit conducere, ſi in Republica aſſerventur fructus, nec exportentur, unde tempore imminentis periculi caritatis fert ſubditis ſuis legem de non exportando frumento cum interminatione gravioris pœ-

næ,

næ, hæcq; lex a principe lata recte dicitur medium.

*N O T Æ.*

I. Idem volunt Doctores, dum tria medii requiſita enumerant, indeque definitionem medii arceſſere jubent: Nempe requirunt (1) ut ſit *appetibile* (2) ut ſit *poſſibile*, hoc eſt, in poteſtate agentis, unde nec res ſempiternæ & neceſſariæ, nec res caſuales vel fortuitæ, nec cauſa finalis quatenus eſt cauſa finalis, nec finis quatenus eſt finis, nec ullæ aliæ res, quocunque tandem veniant nomine, modo nec per nos, nec ſtudio aut opera noſtra effici aut meliores reddi queant aut acquiri, in Philoſophia practica media ſunt. (3) ut *appetatur tanquam utile*, hoc eſt, gratia alterius ad quod efficiendum, perficiendum aut obtinendum facit. Hic igitur eligit, qui aliquid ſibi poſſibile tanquam utile appetit; e. gr. aſſervationem frumenti ad evitandum periculum caritatis annonæ.

II. Notio medii nunc in *ſtrictiori*, nunc in *laxiori* ſignificatu adhiberi ſolet. *In ſtrictiori ſignificatu* medium dicitur, quod ita propter finem eligitur, ut cauſa efficiens ſit illius, quod cauſa finalis ejus alia ratione, & alia iterum ratione effectus ipſius vocatur. E. gr. ægrotus appetit ſanitatem, hæcq; primo movet appetitum ægroti, appetit etiam ægrotus medi-

medicamenta, quæ certe vult propter ſanitatem: Sicuti vero medicamentis ſanitas efficitur, ita medicamenta non modo ſunt media, ſed etiam cauſæ efficientis denominationem ſubeunt. Sic namque eliguntur medicamenta, ut iis ſanitas effici ac reparari poſſit.

III. Longe *rigoroſior ac ſtrictior ſignificatio* medii eſt, dum nonnulli cauſam meritoriam cauſæ efficienti ſtricte ſic dictæ contradiſtinguentes medium ſolummodo vocant id, quod propter finem eligitur, ita ut ejus cauſa meritoria ſit, ceu in doctrina de mediis ad opera ex ſua natura laudabilia neceſſariis facere ſolent. In laxiori ſignificatu medium *Philoſophi* vocant, quicquid eſt aut fit propter finem, utut nullo modo ejus, propter quod eligitur, cauſa ſit aut eſſe vel dici poſſit, ſed ſaltem reſpectu ſubjecti ut ejusmodi neceſſaria conditio, quam Scholæ Metaphyſicæ cauſam ſine qua non vocant, requiratur. Facili exemplo res declarari poteſt, e. gr. volo ut hoc conclave a Sole illuminetur, & quia cognoſco feneſtras valvis obductas eſſe, facile aſſequor, conclave a Sole illuminari nequaquam poſſe, niſi facta valvarum remotione. Dum igitur ea intentione valvas removeo, ut Sol lumen in conclavi producere queat, ſicq; propter lumen Solare in conclavi producendum eligo remotionem val-

valvarum, quid obſtat, quo minus medium reſpectu illuminationis, quam volo, remotio valvarum propter illam electa dici poſſit? Eſt vero remotio valvarum nec cauſa illuminationis, nec ratio cauſandi, nec cauſalitas, ſed ut omnibus liquet nuda conditio neceſſario prærequiſita ſeu cauſa ſine qua non, quæ, ut ſupra oſtendimus, non eſt vera cauſa. Non enim, ut ibidem monuimus, confundi debent: removens valvas, & remotio valvarum. Removens valvas ea intentione, ut a Sole conclave illuminetur, eſt vera cauſa efficiens illuminationis, non immediata, ſed mediata, non cauſa phyſica, ſed cauſa moralis, ut tamen certo modo ac rectiſſime ſimul cauſa phyſica per accidens dicatur, qua de re ſupra ex inſtituto egimus: At remotio valvarum nec eſt luminis in conclavi producti cauſa per ſe nec cauſa per accidens, ſed alia ratione eſt cauſa ſine qua non &, iterum alia ratione medium exiſtit. Sumamus aliud exemplum, idq; e Practica Philoſophia depromtum: Promittit Princeps aliquis ſuis ſubditis largiſſima privilegia ac immunitates, non tamen abſolute promittit, ſed ſub conditione, ſi nempe ſtrenue pro patria pugnaturi, & hoſtem, cujus adventum certo metuit, fortiter abarcituri ſint. Sane quisque dixerit, Principem poſt adimpletam a ſubditis conditionem naturaliter obligari ad ſervandum promis-

miſſum, nuncque eidem incumbere, ſi a conſcientiæ morſibus liber manere velit, ut promiſſas immunitates ſubditis impertiatur ac indulgeat. Interim ſi rem exactius æſtimemus, dici minime poterit, labores & pugnas ſubditorum fuiſſe meritorium quid reſpectu illorum privilegiorum ac immunitatum: Obligati enim erant ſubditi ac obſtrictiſſimi ad illos labores ac pugnas, hocque meræ bonitati Principis imputandum venit, quando ex liberrima voluntate ſolaque benignitate ſubditis promiſerat immunitates atque privilegia, quibus ſi ſubditi ornentur ac gaudeant, non poterunt niſi gratuitorum præmiorũ nomine cenſeri ea ſcilicet omnia, quæ Princeps vi promiſſi ex mera benignitate præſtiti iisdem indulget. Capiamus exemplum Theologicum: Si primi homines manſiſſent in innocentiæ ſtatu, & ita nunquam lapſi, nunquam lapſuri fuiſſent, lumen naturæ & qui ejus ductu inveſtigari poterat, divinum cultum ſufficere potuiſſe ad æternam ſalutem haud temere quis aſſeruerit. Præterquam enim quod lumen intellectus tum multo perfectius, quam nunc eſt, futurum; & in cognitione Dei cultusque divini multo longius, quam nunc progredi poteſt, progreſſurum fuiſſet: hominem etiam a labe peccati purum, grãtia divina excludere Deove exoſum reddere nihil potuiſſet: cui in me-
re

Digitized by Google

gratuitum obedientiæ & conſtantiæ præmium tandem vitam æternam Deus pro ſua immenſa bonitate haud dubie largiturus fuiſſet. Quamvis nec revelationes ſupernaturales ei omnino defuturæ fuiſſent, ſicut nec Protoplaſtis illo exiguo temporis ſpatio, quo in primævo integritatis ſtatu perſiſtebant, plane defuerunt, ut ex hiſtoria creationis *Gen. II, 17. 23.* patet. Fuiſſet igitur plenum, continuum ac perpetuum obſequium juri naturali per omnia præſtitum ex parte hominum nunquam lapſorum nec unquam lapſurorum medium æternæ ſalutis, nulla tamen ratione meritorium ſalva veritate dici potuiſſet, quia hocce medium fuiſſet prorſus debitum & ad quod homo natura ac ſimpliciter obligabatur, unde non ad vitæ æternæ niſi tanquam mere gratuiti (NB. mere gratuiti) præmii conſecutionem ſufficere valuiſſet. Ita docent *Theologi* adverſus *Socinianos*, qui una accuratiſſime demonſtrant ſecus rem habere cum cultu divino in ſtatu naturæ corruptæ. *Poſtquam enim prolapſo in peccatum primo parente, per unum hominem peccatum in mundum* omnesq; homines *introiit Rom. V, 12. & eo res perducta eſt, ut non ſolum natura ſimus filii iræ Eph. II. 3. ſed omne etiam figmentum cordis humani tantummodo malum ſit omni tempore Gen. VI, 5. VIII, 21. & Deum proinde peccatis quotidie offendamus; cultus, Deo jam ab homi-*

*minibus peccatoribus debiti, pars prima ac potiſſima conſtituenda eſt in ſatisfactione pro peccatis valida & ſufficiente. Niſi enim per præſtitam ſatisfactionem placata fuerit ejus ira, noſque ipſi ſimus reconciliati, reliquus cultus, utut ex lumine naturæ cognitus præſcriptusque, ei vel non deferri, vel non absq; hypocriſi deferri poterit. Non deferri ipſi poteſt cultus interior, in dilectionis, fiduciæ, ſpei, aliisque id generis actibus conſtitutus, quippe qui ſuapte natura reſpicit Deum ut homini propitium cognitum, nec cadere poteſt in peccatores, niſi poſtquam Deo reconciliati ſunt. Quomodo enim Deum ſuper omnia diligeret is, qui ei ſe exoſum & abominabilem eſſe ex peccatorum non expiatorum morſu ſentit, & quem ſua ſe accuſante & damnante conſcientia, velut judicem ſeverum ſerviliter timet & fugit? Qua fiducia is in Deo ſe erigeret, quem ſcelerum patratorum ſua convincit conſcientia, ſenſusque iræ divinæ cruciat & angit? Non absque hypocriſi deferri Deo poteſt cultus, in exterioribus ſive invocationis ſive laudis & gratiarum actionis, aliisve in ſenſus incurrentibus actibus poſitus. Anima enim Deo nondum reconciliata, nec fide & charitate donata, hypocritica ſunt exteriora ſolemnia omnia, quæ cultus divini cauſa aguntur. Quæ autem ſatisfactio offenſo peccatis iratoque Deo ad placandam ejus iram exhiberi poſſit aut debeat, humana ratio nullis, neque ex communi Dei providentia, neque aliunde deſumtis, argumen-*

mentis docere poteſt, ceu diſſerit Magnif. Dn. D. Joh. *Muſæus diſſertatione anno 1667. habita de quæſtione: An ductu luminis naturæ ſive principiorum rationis homo ad ſalutem æternam pertingere poſſit?* Baronis Herbert de Cherbury opinioni oppoſita *th. 29. & 30.* Ex dictis liquet, medium in ſenſu minus proprio vocari etiam poſſe, quod conſequendi finis nec cauſa meritoria eſt, imo nec ulla alia ratione vera cauſa eſt, ſed ſaltem ut conditio ſeſe habet.

IV. Diximus, inter cauſata mediata cauſæ finalis præcipuæ conſiderationis eſſe media, hoc ipſo non negantes, plura dari cauſata cauſæ finalis: nam & ipſa appetitio finis & appetitio mediorum & ipſi effectus cauſata cauſæ finalis ſunt. Unde non abſurdum eſt, ſi dicamus idem eſſe ſimul cauſam & cauſatum: e. gr. ſanitas ut movet appetitum ægroti ad ſui conſecutionem eſt cauſa finalis, & ut ægrotus eam recuperat, eſt cauſatum reſpectu cauſæ finalis & ut a medico per medicamenta efficitur in ægroto eſt ſimul cauſatum reſpectu cauſæ efficientis. Veriſſime B. Stahlius *tab. 10.* ſcribit: *Cauſata cauſæ finalis ſecundum Ariſtotelem II. Phyſ. t. 29. & V. Metaph. c. 11. ſunt 1. res quæ fiunt propter finem, ut medicamentum reſpectu ſanitatis, & omnia inſtrumenta, quibus utuntur artifices ad opera ſua conficienda & fines acquirendos: 2. Actus; ut conſultatio de mediis ad finem, electio eorum &* execu-

*executio, & ſi qui ſunt alii.* Nec ſubeat mirari cur ipſum effectum vocaverimus cauſatum cauſæ finalis: Quicquid enim habet cauſam efficientem, ſano ſenſu habet etiam cauſam finalem: Sanitas enim dum movet ad ſui effectionem, omnino cauſa finalis ſui ipſius ſuo modo dicetur.

§. 8. Diſtinctiones cauſæ finalis multæ dantur, quæ hinc inde e Metaphyſicorum libellis facile peti poſſunt, unde nobis ſufficit uſu frequentiores ac præcipuas enumeraſſe. Et quidem 1. in ordine ad perſonam agentis *cauſa finalis* diſtinguitur in *internam* & *externam*. *Illa* dicitur cauſa finalis, *quæ eſt in agentis poteſtate*: *Hæc* vocatur cauſa finalis, *quæ in agentis poteſtate non eſt*: Ex. gr. Cauſa finalis interna medici ac medicinæ, eſt medicatio, ut vocant; architecti & artis architectonicæ eſt ædificatio: cauſa finalis externa medici ac medicinæ eſt ſanatio: Nam non eſt in medico ſemper releve-

tur

Digitized by Google

tur ut æger; architecti & artis architectonicæ conſervatio ſupellectilis. Quæ enim domus hodie extruebatur, cras Vulcani pabulum fieri poterat.

*N O T A.*

Male a multis confunduntur finis internus & intermedius, item finis externus & ultimus, ut mox patebit.

§. 9. *Cauſa finalis* 2. eſt vel *ultima* vel *intermedia*: *Illa* eſt vel *ſimpliciter talis*, & eſt *id cujus gratia omnia alia ſunt, ipſum vero nullius alterius gratia*, ut: Deus; Omnia enim ſunt propter hominem, homo propter Deum. *Vel in certo genere ſeu ordine, cujus gratia omnia ſunt, quæ in aliquo genere vel ſerie continentur, ipſum autem nullius alterius eorum, quæ in illo genere vel ſerie continentur, gratia eſt*: e. gr. ſanitas eſt finis ultimus omnium eorum, quæ pertinent ad artem medendi. *Hæc* eſt *id*,

 cujus

*cujus gratia ita aliquid eſt, ut ipſum ſit gratia alterius* : qualis cauſa finalis eſt e. gr. expulſio pravorum humorum, quam propter ſumitur medicamentum purgans, ita ut ipſa illa expulſio ſit propter ſanitatem.

*N O T A.*

Multum diſputatur de diſtinctione inter *finem ultimum* ſeu ſcopum & inter *finem intermedium* ſeu interjectum, numne vera ſit diviſio? Ut paucis ſenſa animi explicemus, abſolute & ſimpliciter loquendo finis intermedius non eſt finis, quia abſolute finis eſt id quod eſt primum in intentione & ultimum in executione. Interim qui naturam & indolem communium πρὸς ἕν ſatis ſibi perſpectam reddidit, & modum docendi diſcendique communia πρὸς ἕν probe novit, is facile reſpondebit ad hujusmodi objectionem: Finis nomen medio abſolute non tribuitur. E. Medium nullatenus finis eſt aut eſſe poteſt. Certiſſimum namque eſt nomen commune πρὸς ἕν propius accedens ad univoca, excellentiori quaſi ſpeciei peculiariter adhæreſcere.

§. 10. *Cauſa finalis* 3. eſt vel *forma-*

*malis* vel *objectiva*: *Illa* eſt *omnis irca objectum operatio, cujus uſa aliquid fit vel eſt*: *Hæc* eſt *ſum operationis objectum, in uantum ipſius cauſa aliquid fit l eſt*. E.gr. Studet aliquis diligen-r, ut potiatur eo citius citiusque mdiu amata virgine: Dicitur le diligenter ſtudiis incumbere & rginis cauſa & conjugialis coha-tationis cum virgine cauſa. Co-bitatio conjugialis cum virgine citur cauſa finalis formalis, ipſa vero virgo hac quidem ratione pectata cauſa finalis objectiva vo-atur.

§. II. Diſtingui etiam *finis* 4. ſolet *n obtinendum* ſeu *acquirendum antum*, nempe *qui eſt res jam tum xiſtens*: ut: divitiæ: & in *efficien-dum*, *qui demum producitur & ondum exiſtit*: ut: eruditio. *Hic* iterum vel eſt *operatio*: ut: opera-

tio animæ rationalis ſecundum virtutem: vel *opus* ſeu res; ut, domus, calceus.

*NOTA.*

Qui ita diſtingvunt finem, nempe in obtinendum ſeu acquirendum tantum & in efficiendum, duo ſimul notare ſolent: (1) quod quandocunque aliquid ſit finis obtinendus, ſemper interveniat finis efficiendus vel aliqua effectio: e.gr. finis obtinendus ejus qui vult emere agrum, eſt ager; ſed occurrit etiam finis efficiendus, nempe agri poſſeſſio. (2) quod hæc diviſio non ſit finis cui, ſed finis cujus. Sed circa utrumque alii aliquid in contrarium notant. Et quidem quod (1) attinet, dicunt confundi finem ut finem cum fine ut cauſa finali, adeoque accuratius putant diſtingui inter cauſam finalem, quæ movet ad ſui acquiſitionem tantum, & quæ movet ad ſui effectionem. Ad (2) dicunt, dubitari poſſe: num finis cui ſit proprie & rigoroſe loquendo finis? (Vocatur alias finis cui, cui ſcilicet aliquid acquiritur vel efficitur: Sicut æger ſe habet, cui ſanitas procuratur: Ex oppoſito finis cujus dicitur, quod ut acquirendum alteri vel efficiendum intenditur, ut: ſanitas.) Nam finis eſt id, quod intendimus & conamur vel obtinere vel efficere: Finis vero cujus non intenditur. Quando enim

quis

quis divitias ſibi intendit, ſequeretur, quod quia ille ipſe intendens eſt finis cui, ſeipſum intendat. Finis cui etiam non efficitur, quia in dicto caſu jamtum exiſtit. E. non demum efficiendus eſt. Nec etiam acquiritur vel obtinetur, quia divitias appetens iterum ſe non acquirit, ſed potius aliquid ſibi acquirit. Nec etiam dici poteſt, quod ipſe ad appetendum divitias ſe moveat, in quo tamen cauſalitas cauſæ finalis conſiſtit: Sed ſolæ divitiæ eo in caſu voluntati bonitatem ſuam oſtendunt, eamque movent. Sed hæc recenſuiſſe ſufficiat, quæ merito nunc ſuo loco requirimus.

§. 12. Uſus practicus doctrinæ de cauſa finali in tribus recte cognoſcendis tradendisque conſiſtit: Primũ eſt, quænam in Moralibus, Politicis, Theologia, Jurisprudentia ſit hujus vel iſtius actionis aut negotii cauſa finalis? Quænam ſint media? Alterum eſt modus probandi cauſam finalem hujus, illius iſtiusve moralis, Politici, Forenſis aut Theologici operis, negotii, actionis, rei, per aliam cauſam ſive alius generis

ſive alius intra idem genus ordinis. Quo ſpectat modus probandi media. Tertium eſt ratio probandi concluſiones practicas; quæ de nulla cauſarum agunt, per cauſam finalem.

*NOTÆ.*

I. De ſingulis agemus breviſſime, & quantum ad rationem præſentis inſtituti ſufficere poterat, Ubi tamen non poſſumus, quin in anteceſſum ſerio commendemus in genere hanc de cauſa finali doctrinam. Nam ſi in Practicis diſciplinis ac Facultatibus, ceu vulgo vocantur, Superioribus ulla Metaphyſica doctrina uſum præſtat, certe cum ea hæc ipſa doctrina certat, quæ hujus capitis eſt. In omni enim ſcientia practica primum quod ſe cognoſcendum offert finis (hoc eſt, cauſa finalis) eſt. Ab eo enim movetur voluntas agentis ad agendum & ex eodem cognito deducit ſcientia practica ſuas concluſiones, quibus in agendo agens dirigitur. Imo finis cognitio in ſcientiis practicis continet virtualiter in ſe regulam totius reliquæ tractationis. Hinc a fine quæ petitur in Practicis diſciplinis, optima eſt probatio, ceu *Hugo Grotius lib. 2. de I. B. & P. c. 7. §. 2. num. 1.* ſcite monet. Eſt cauſa finalis in *Jure Civili* fons

cau-

Digitized by Google

cauſarum , ac veluti de ſubſtantia ipſius negotii , ſicut pulchre demonſtravit *Baldus in l. eam quam col. 1. verſ. venio ad notabilia C. de fideicomm.* Non enim ab idoneo diſciplinarum Practicarum cultore ignorari debet (nec vero iſtud ignorare poteſt , ſi idoneus ſtudioſus eſſe quam dici malit, ideoque neceſſariis adminiculis Metaphyſicis inſtructus ſit: Ex Metaphyſica enim hæc alia diſci debebant) quod finis det normam, modum, menſuram mediis, quodq; omnem ordinem, valorem, æſtimationem media accipiant ex fine. Sunt quippe media per hoc media , quia fiunt aut ſunt propter finem, quia ad finem efficiendum aut obtinendum faciunt, idque, quod in mediis quæritur, finis eſt: Imo contradictoria vellet , qui nempe finem vellet, nec tamen vellet medium prorſus & ſimpliciter ad illum finem neceſſarium: E. gr. medicus nequit feliciter eligere medicamenta ægroto propinanda, niſi ea ex ſanitate, quam ægrotus deſiderat, æſtimaverit. Ut legiſlator ſatis idoneas ac ſalutares in Republica ferat leges , ad ſcopum Reipublicæ ſibi præfixum maxime & primo omnium reſpicere tenebitur. Si unica via eo duceret , quo tendis, non poſſes non hanc viam eligere. In omni omnino negotio prius cognoſcendus eſt finis, juxta illud : *Quicquid agis, prudenter agas & reſpice finem.* Et ideo a qui-

busvis exacti judicii *Theologis, JCtis* ac *Philoſophis Practicis* pro optimis habentur probationibus ac demonſtrationibus, quæ ex loco cauſæ finalis peti ſolent ac feliciter queunt. Huc tot canones Metaphyſici, quorum inſignis uſus nunquam ſatis commendari poteſt, ſpectant, quales ſunt: *Neceſſitas finis in Moralibus facit jus. Neceſſitas non habet legem, ſed ſibi facit legem. Neceſſitas porrigit exceptionem. Qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media, quæ ad illum finem juris conſequendi ſunt neceſſaria. Ea quæ ad finem ducunt, in Practicis æſtimationem accipere debent ab ipſo fine. Acceſſorium ſequitur ſuum principale. Qui jus habet principale, habet etiam jus ad ea quæ ſunt juris principalis quaſi acceſſoria. Jus noſtrum non ex ſolo principio ſpectandum, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus Ad jus agendi multa conſequuntur indirecte, ad quæ per ſe jus non eſſet. In deliberationibus & comparandi ſunt fines inter ſe & eorum quæ ad finem ducunt facultas effectiva ad finem producendum. Si res de qua agitur æqualem, morali ſcilicet æſtimatione, efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum eligenda eſt, ſi bonum aliquanto plus habeat boni, quam malum mali. Si videatur eſſe æquale bonum & malum, quod a re de qua quæritur poſſit procedere, ita demum ea res eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum, quam ad malum major ſit. Si videatur & bonum & malum eſſe inæquale, nec minus* in-

Digitized by Google

*inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum major ſit collata efficaciæ ad malum quam ipſum malum eſt collatum bono: aut ſi bonum ſit majus comparatione mali quam efficacia ad malum comparata ad bonum.* Quæ & alia quamplurima effata paſſim in *Theologia* & *Philoſophia Morali, omnique Jure ac civili Philoſophia* ſeſe offerunt, & ſi dicendum, quod res eſt, canones Metaphyſici ſunt, quorum genuina ſedes doctrina de cauſa finali eſt, quod accuratiores Doctores admittunt facile, utut imperiti rerum Metaphyſicarum æſtimatores id non credant, nec velint attendere: Interim contrarium ipſa axiomatum inſpectio docebit.

II. USUM PRACTICUM PRIMUM quod attinet, quando nempe primo requirebatur, ut practicarum diſciplinarum cultores ſibi perſpectum reddant, quænam ſit hujus iſtiuſve actionis aut negotii cauſa finalis? quæ media? liceat eum quaſi per tranſennam conſpiciendum dare. Et primo quidem uſum huncce in Theologia recte monſtrare eſſet *totum locum de vita æterna*, alterumque *locum de* ei oppoſita *æterna damnatione*, imo *totam primam partem Theologiæ* huc reducere. *Tota* namq; *prima pars Theologiæ* complectitur doctrinam de *Theologiæ fine ultimo*, quem Theologi duplicem eſſe docent: nempe *formalem* & *objectivum*, ita ut *ille* ſit beatitudo

æter-

æterna, quæ ut in Theologia traditur, conſiſtit in viſione beatifica ſeu intuitiva cognitione Dei: *hic* vero (nempe finis objectivus) ipſe Deus in eſſentia unus & in Perſonis trinus. Hinc quia ſine cognitione *finis objectivi*, qui in Theologia eſt Deus in eſſentia unus & in Perſonis trinus, *formalis finis* cognoſci aut explicari nequit, accuratiores Theologi cenſent tractationem *primæ partis in Theologia* commodiſſime inſtitui ac abſolvi, ſi primo agatur de fine objectivo, nempe de Deo, ejus notitia cum natura inſita, tum revelata, eſſentia divina ejusque unitate aliisque attributis, item perſonarum Trinitate, adeoque oſtendatur, non modo verum Deum in eſſentia unum eſſe, ſed etiam Patrem, Filium & Spiritum Sanctum eſſe veras perſonas, eſſe veras perſonas realiter inter ſe diſtinctas (quo ſpectat doctrina de actibus perſonalibus & proprietatibus perſonalibus, ceu a Theologis vocantur) eſſe verum Deum, adeoque unum Deum: Poſtea vero agatur de *fine formali ultimo* æterna ſcilicet beatitudine ac ipſi oppoſita æterna damnatione. Simul vero qui uſum huncce in Theologia recte indicare vellet, neceſſum haberet idoneum Theologiæ cultorem remittere ad tertiam partem, quousque ibi agitur de mediis æternæ ſalutis hominis lapſi, etiam iis quæ in ſalvando homine requiruntur & quocunq; modo ad æternam

Digitized by Google

nam beatitudinem ordinantur, licet nullatenus ſint ejus cauſæ. Pariter uſum huncce primum in *Jurisprudentia Civili* oſtendere eſſet e probatiſſimorum *JCtorum* ſcriptis deducere, quod *prima totius Jurisprudentiæ Civilis* recte ac juſto ordine tractatæ *pars* ſit de *fine Jurisprudentiæ*, ceu Magnif. *Dn.* Strube ſatis expreſſe & abunde docet *Syntagm. Juris Civilis exerc. 1. §. 13.* Is vero eſt vel *externus*, vel *internus*: *Externus* eſt *ſalus publica ſeu Reipublicæ felicitas*, ceu indicant *Ariſtoteles VII. Polit. 13.* & *Juſtinianus* Imperator *§. ult.* proœm. Inſtit. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt incolumem eſſe civium conjunctionem, quam qui dirimunt, hos morte, exilio, vinculis, damno coercent, ait præclare *Cicero III. Offic. Weſenbecius in §. 1. de I. & I. n. 4. & 5. Duarenus 1. diſp. 11. Magn. Dn.* Strube *§. 14. Internus* eſt *Juſtitia* & æquitas, ut ſcilicet ſecundum eam & juxta juris præcepta, quæ rectæ rationi, qua homines regi debent, vim quandam externam addunt, in Republ. vivatur, ſive actiones morales & civiles inſtituantur *l. Juri 1. §. cujus 1. D. de Juſt. & Jure l. eos qui 6. §. ſi quid 1. verb. nihil in judiciis C. de appellationibus, Magn. Dn.* Strube *d. loc.* ut in ſocietate hominum communi juſte, ſeu ut diſtinctius exprimatur, legitime vivatur, qua de re copioſe diſſerit *Hugo Donellus 2. comment. 1.* Et ſane diſcrepantes ſunt ſen-

ten-

tentiæ *Interpretum* Juriſque ac Juſtitiæ Sacerdotum, num tantum Juſtitia particularis, an vero Juſtitia univerſalis finis Juriſprudentiæ ſtatui debeat? Priorem ſententiam acriter propugnant *Contarenus 2. ſubſecivar. lect. 2. Donellus 2. com. 1. Forſterus Junior tract. Juſtinian. 1. tb. 21.* & alii plures, freti hiſce rationbus: (1) quod Juſtitia univerſalis dicat complexum omnium virtutum juxta notiſſimum Theognidis verſiculum: Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes; Virtutum autem doctrina ad Moralem Philoſophum ſpectet. Non igitur ad JCtum. (2) argumento *textus princip. Inſtitut. & l. Juſtitia 1. §. Juris præcepta 1. D. de Juſt. & Jure* in verbis *Jus ſuum cuique tribuendi*, quæ particularem proprie juſtitiam deſignare videantur. (3) quod ut maxime cæteras quoq; virtutes Nomothetia interdum commendet ac colere jubeat, tamen juſtitiæ tantum cauſa id faciat. *Exigitur legum notitia*, ajunt, *ne quid adverſus eas delinquatur l. 9. C. de LL. Si nihil delinquatur, quævis Juris imperitia impunis eſt. Fortitudo & tolerantia a milite exigitur: profugi & deſides puniuntur l. 4. & 5. D. de re milit. quia nimirum fidem jurejurando adſtrictam violarunt. Continentia quoque præcipitur non propter ſe, ſed ne contra faciendo aliis fiat injuria, quod eſt injuſtitiæ. Artis ludicræ cauſa in ſcenam prodeuntes infamia notantur l. athletas 4. D. de his*

*qui*

*qui notantur infamia, non ſolius incontinentiæ cauſa, ſed quia aliis ad malas artes exemplo ſunt & obſunt.* Poſteriorem ſententiam maſcule tuentur *Bartolus ad rubric. & l. 10. D. de I. & I. Andreas Alciatus 1. parerg. 31. Alb. Bolognettus de Jure & æquitate c. 8. & 9. Duarenus de I. & I. c. 3. Weſenbecius in Par. D. de I. & I. n. 4. & 5 & ad princ. Inſtit. ibid. Angel. Mattheac. l. de via juris c. 9. & 15.* & ſine præfatione ſummi honoris nunquam a nobis nominandus *Dn. Struve Syntagm. d. l. §. 27.* Ita enim habent verba Magnifici Viri: *Cæterum non ſola juſtitia particularis, ſed & univerſalis Juſtitia eſt finis Jurisprudentiæ. Cum enim utramque juſtitiam intendant leges, Ariſtoteles V. Eth. 2. utraque erit etiam finis prudentiæ interpretandi leges. Vid. L. 1. §. 1. verb. bonos &c. efficere cupientes. l. 10. §. 1. verb. honeſte vivere.* Idem ante allegati JCti pronunciant, exiſtimantes (1) quod *Ulpianus citatis legibus* ſatis perſpicue teſtetur ad officium JCti ſpectare non ſolum æqvum ab iniquo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere, ſed in univerſum bonos tum pœnarum metu, tum præmiorum quoque exhortatione efficere, idemque colligunt quoque ex definitionibus legis *l. 1. & 2. D. de LL.* allatis, (2) quod rurſus idem J*Ctus* Juris Civilis præceptis non ſolum hæc duo: *alterum non lædere, ſuum cuiq; tribuere* (quæ propria Juſtitiæ particularis

vide-

Digitized by Google

videri poterant) ſed etiam tertium illud p
ne generale: *Honeſte vivere §. Juris præcep*
*3. Inſtit. de I. & I. l. Juſtitia 10. §. Juris 1.*
*de Legibus* adſcribat, ſicque univerſalem ob
dientiam erga omnes leges expreſſe exiga
cum honeſte vivere ipſi aliisque *JCtis* nih
aliud ſit, quam legibus conformiter ſeu leg
time vivere & contra juſte ſive legitime v
vere nihil aliud ſit, quam civiliter honeſte v
vere, ceu *Weſenbecius cit. loc. & Antonius F*
*ber ad cit. l. 10. D. de I. & I.* explicant. (3
quod Jus civile non juſtitiæ particularis tan
tum, ſed omnium prope ac ſingularum vir
tutum præcepta ſerio nobis ac ſedulo incul
cet, & ex ipſis Legibus vivendi diſciplina
commode ducatur. Ad rationes in contra-
rium allatas reſpondet *Gebbardus*, præſtantiſ-
ſimi nominis JCtus, & quidem ad 1. utrum-
que virtutis curam gerere & Philoſophum
Moralem & JCtum, ſed modo fineque diver-
ſo: Illum, qua ad internam animi perfectio-
nem iſta facit & gratia honeſtatis ipſius, qua
teſte *Cicerone* nihil pulchrius, nihil amabi-
lius: Hunc, qua ad externam civilis vitæ
diſciplinam decusque ſpectat, ac cauſa ſtabi-
liendæ conſervandæque ſocietatis *arg. l. qui-*
*cunque 4. §. parentem 2. D. de in Jus vocando l.*
*ſemper 42. D. de ritu nuptiarum l. item 15. §.*
*qui turpibus 21. D. de injuriis.* Ad 2. larga qua-
dam verborum illorum acceptione, omnium
offi-

officia virtutum contineri. Sic enim ſanctitas debetur Deo, pietas parentibus, gratitudo bene merentibus, liberalitas egenis, obedientia majoribus, comitas minoribus, amicitia æqualibus, miſericordia afflictis, vindicta malis, humilitas omnibus, veritas dictis, conſtantia factis, fides utrisq; debetur. Ad 3. Non ſolam juſtitiam particularem, ſed etiam reliquas virtutes ad tuendam ſocietatem civilem omnino & per ſe neceſſarias eſſe, ut quemadmodum boni medici eſt non unius ſaltem partis ſanitatem conſervare, ſed totius corporis: Ita & JCti ſit non unicam tantum virtutem in Rempublicam introducere ac fovere, ſed univerſam. Hæc laudatus *Gebhardi* plane eximio *tractatu Philoſophico-Juridico de principiis & dignitate Jurisprudentiæ Concl. 2. §. 12. & ſeqq.* ubi prolixe deducere ſategit, finem Jurisprudentiæ civilis eſſe adeptionem univerſalis juſtitiæ, non quidem abſolutæ illius & omnibus modis perfectæ, ſed politicæ & communis ſive externæ. Conſulantur etiam *Mart. Ant. Delrio lib. 1. de Juris principiis, Chriſtophorus Ebemius JCtus lib. 4. de Juris principiis c. 3. Petrus Gilkenius* JCtus *commentariis in V. librum ad Nic.* qui totus *Ariſtotelis* liber de juſtitia & jure agit, *Obertus Giphanius lib. 1. de R. I. c. 3.* qui hanc rem, niſi judicium penitus nos fallit, & copioſiſſime & doctiſſime perſecuti ſunt. Prolixius hancce

rem deducere conatus fui *Introd. ad Hug. Grotii opus de I. B. & P. c. 1. §. 50. & ſeq. p. 138. & ſeqq.* Huncce duplicem finem celeberrimi *JCti* remotiorem vocant, proximum dicentes *ipſam applicationem juris ad actiones morales atque civiles ſingulares l. 1. §. 1. verb. æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes D. de I. & I. l. 2. §. 5. verb. interpretatio prudentum §. 6. verb. interpretandi ſcientia 13. verſ. quantum eſt jus &c. l. 10. & ſeqq. D. de LL. atque in hac applicatione conſtituunt JCti munus proprium dd. text. quod exerceat tum ſententiam ferendo, ſive illam ferat ut conſtitutus magiſtratus & judex, ſi nempe junctam habeat jubendi & exequendi poteſtatem; ſive illa poteſtate deſtitutus ad conſultationem alterius de jure reſpondeat §. 8. Inſt. de I. N. G. & C. l. 2. §. 35. 47. de O. I. l. ult. C. de poſth. hæred. inſtit. tum quoque partium litigantium cauſas ſecundum Jura prudenter agendo, quod in ſpecie advocatorum eſſe docent,* ceu hæc omnia prolixius deducit *Magnif. Dn. Struve cit. loc. th. 38. & 39.* quo benevolum lectorem remittimus. Hic quoque mentio fieri poterat tertiæ partis Jurisprudentiæ forenſis, quæ de mediis agit, quibus finis obtinetur. Tantum de fine Theologiæ & Jurisprudentiæ exempli loco dixiſſe ſufficiat. Cæterum quid facilius eſſe poterat, quam exempla cauſarum finalium cum Theologica tum Juridica e *Pandectis*

cum

Digitized by Google

tum *Sacris* tum *Civilibus* adducere. Unum vel alterum tetigiſſe juvabit. Ita e.gr. quando quæritur: Quisnam ſit finis ſeu cauſa finalis Scripturæ Sacræ? Reſolvit expreſſis verbis hanc quæſtionem ipſe Spiritus Sanctus: *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quod Jeſus ſit Chriſtus ille filius Dei,* (En finem ſeu cauſam finalem!) *& ut credentes* (En eundem finem ut proximum ſeu cauſam finalem proximam!) *vitam habeatis* (En finem ultimum ſeu cauſam finalem primario ac ſimpliciter ſic dictam!) *in nomine ejus. Joh. XX, 31.* Ex eodem vero loco clariſſime per pronam & facilem conſequentiam deducitur, quod idem finis ſit Theologiæ revelatæ, qui eſt Scripturæ Sacræ: ultimus nempe vita æterna: Intermedius, fides, quæ gratiam Dei & meritum Chriſti apprehendit, & per charitatem ad vitæ emendationem & ſanitatem efficax eſt. Conf. *Rom. XV, 4. 2. Tim. III, 16. 17.* Erat hoc exemplum finis, cum ultimi, tum intermedii. Capiamus aliud exemplum, & quidem ex hiſtoria paſſionis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; Non enim peccabimus, ſi *Pilati* acta & facta, prout ab Evangeliſtis deſcribuntur, metaphyſice hunc in modum examinaverimus. *Scopi & mediorum honeſtate niti* omnem actionum certitudinem, bonitatem, decus omne tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Et ſane, niſi ad quam pro-



Digitized by Google

properas metam, in honeſtatis ſtet amph
theatro, diſtortus fuerit curſus & ſibili
quam plauſibus dignior: niſi ad gloriam
æterni Numinis collineet conatus, expira
quicquid virtutis nomen mereri videbatur.
Unde haud immerito illuſtre illud Eccleſi
exorientis columen, *Paulus*: *Sive edatis*, in
quit, *ſive bibatis, ſive aliud quid agatis, omni
in gloriam DEI agite.* Quippe cum prin
cipium ſit ac finis rerum omnium, quid di
gnius eſt, quid æquius, quam ut in *omnibus*
ejus gloriam quæramus? Atque adeo a fine,
quicquid finis gratia ſuſcipitur, *ſuam* aut
malitiam ſortitur, aut bonitatem. Sed & de
mediis ſollicitus ſit honeſtatis cultor, quam
maxime eſt neceſſarium. Quemadmodum qui
in ſtadio currebant nec plauſum ferebant,
nec præmia, ſi fraude fuiſſent metam aſſecuti:
ſic qui mediis utuntur illicitis, nequicquam
finis propoſiti jactant honeſtatem. Niſi ad
virtutis arcem recto contendas tramite, tur-
pe eſt omne molimen, turpis, quam ſit ſtre-
nua, virium contentio. Non agendi minus ra-
tio, quam actio ipſa, aut præcepta debet *eſſe*
divinis legibus, aut ſaltem non prohibita.
Liberalitate, ut ait Romana Peitho, *nihil eſt*
naturæ hominis accommodatius; nihil ſum-
mi legislatoris arbitrio convenientius. Et ho-
minem ea decet & Chriſtianum: Sed turpe
eſt ad ejus famam avaritia graſſari & rapinis.
Nun-

Digitized by Google

Nunquam eorum probabitur beneficentia, qui quod huic donent, illi auferunt: qui coreum furantur, unde egenis conſuant calceamenta. Sed hic videas toto die transverſum ire terræ filios. Quotus enim quisque eſt, qui, quod par erat, actionibus ſuis intendit, & ceu metam, ſibi ſolam Dei gloriam præfigit? Quotusquisque, o mei, eſt, qui ſcopum propoſitum ſat decenti, ſat honeſta petit ratione? PILATUS, Judææ Præſes, animadverſa actorum atrocitate, quomodocunque tueretur Jeſum, allaborabat. Nec quenquam eſſe reor, qui optima molitum eſſe virum ſit inficias iturus; cum non in hoc ſolo juſtitiæ, quam nobis inſinuat natura, vertatur officium, ut nemini noceas, neminem occidas, ſed alterius quoque ſalus ſit pro virili promovenda: At vero quod juſtum erat, minus juſte egit: humanitatem fœda inhumanitate contaminavit: æquitatem ſcelere permiſcuit. Quicquid enim, ut ſervaret innocentem, tentavit, injuſtum eſt & inſigniter iniqvum. *Primo* quidem optimum Servatorem miſit ad Herodem, non neſcius, ibi, quem juſtum pronunciaverat, non furori Phariſæorum iri ereptum, ſed fore ludibrio, aulæque luxurianti joci & riſus præbiturum materiam. *Dein* Sanctiſſimum nefario latroni, mitiſſimum perduelli, inſontem nequiſſimo exæquavit: Scilicet propoſiti populo,

hinc quidem Barrabas, inde Jeſus, facta fu
rentibus copia, ut utrum magis vivum cu
perent & ſuperſtitem, pro more ſignifica
rent. At non latebat ipſum per odia perqu
atrocitatem fore, ut præ Chriſtò deligeren
Barrabam, dudum crucem promeritum.
*Denique* movit ultima, inſontemque militun
inſolentiæ permiſit, ut virgis cæderetur: qu
facto produxit nudum, colliſum, *innumeri*
vulneribus conſciſſum, livore deformatum,
largo ſanguine aſperſum, conſputa facie,
capitique ſanctiſſimo impreſſa corona, non
gemmis diſtincta & auro, ſed ſpinarum intex-
ta aculeis; ut ſic inſanientis turbæ rabiem
emolliret. Quem ea, qua pollebat, auctori-
tate ſervare poterat, ut ſervaret, tam diro,
tam infami affecit ſupplicio. O injuſtitiam!
O iniquitatem! O inſaniam! Tantum de his
Pilati mediis exempli loco dixiſſe ſufficiat.
Addamus alia: Fecerant ſacrificium CAI-
NUS & ABEL; eundem exercuerant ritum;
ſed, quod diſpares attuliſſent animos, Abelis
primitias approbavit Deus igne cœlitus de-
miſſo, Cainum cum ſuis ariſtis eſt aſperna-
tus. Obtulit SAUL Deo victimas; obtulit
& DAVID: quod cum non pari fieret pieta-
te, præmia tulit alter, alter Numinis irati mi-
nas. MANASSE, NABUCHODONOSOR,
PETRUS egere pœnitentiam; egere PHA-
RAO, SAUL, JUDAS; Sed quibus ani-
mis?

nis? fecit certe horum diverſitas, ut illi gratiam inirent, hi minime. Saulus fatebatur ſe peccaſſe; fatebatur idem Pharao; at quam diſpari exitu? Perornant ſe JUDITH atque ESTHERA Xerxis poſt abdicatam Vaſtim conjux; perornant ſe itidem ISRAELITARUM FILIÆ; quod illis decori, his maculæ fuit ac dedecori. Petiere miracula EZECHIAS, JOSUA, GIDEON; Petiere eadem PHARISÆI, at acriter idcirco reprehenſi a Servatore; cum illorum votis ſine mora Ter Maximum Numen annueret. Inſtituebant jejunia NINIVITÆ, inſtituebant JUDÆI: at eventu admodum diſſimili; illis quippe placata Dei ira, his magis magisque eſt provocata. Non DIVITES, ſed VIDUA illa, quæ obolum aut eo vilius quid conferebat, munificentiæ gloriam conſequebatur. Chriſtum ob miracula celebrem videre prægeſtiunt HERODES & ZACCHÆUS, nec mediocri lætitia ejus conſpiciendi nacti copiam efferuntur: ex quo tamen ad illum nihil, ad hunc plurimum redundavit emolumenti. Immolarunt liberos ſuos ACHAS & MANASSE; Immolari ſe ſuosq; paſſi ſunt MARTYRES, dum ipſi igni, aqua & ferro perire maluerunt, quam cum ſalutis vivere periculo: Unde nullum eſt dubium, quin gratas Deo victimas hi obtulerint: cum iſti ea patraverint, quibus nihil turpius, nihil ini-

quius, nihil, quod magis abominandum, fieri potuiſſe intrepide aſſeruerim. Tanti vero intereſt, quo animo quave intentione quamcunque rem auſpiceris & peragas. Exemplum Juridicum recenſeamus: Ita ſi quæratur, quænam ſit condictionis indebiti cauſa finalis? Reſpondent JCti dum ex legibus ſuis manifeſto probant, dari ad id hanc condictionem, ut ſi quantitas ſoluta, tantundem reſtituatur; *l. quod indebitum 7. l. ſi pœna 19. §. ſi falſo 2. D. de condictione indebiti l. cum & 3. C. eod. tit.* ſine uſuris *l. pecuniæ 1. C. eod. tit.* aliquando etiam pretium, ſi nimirum res ejusmodi res ſit fungibilis, cujus pretium variat *l. in ſumma 65. §. in frumento 6. D. de condictione indebiti*: Sin vero ſpecies, ea in ſpecie, cum fructibus & acceſſionibus, deducta impenſa *l. quod indebitum 7. l. indebiti 15. D. eod. tit.* reddatur, vel ſpeciei conſumtæ pretium, ſeu quatenus inde quis locupletior factus *l. ſi non ſortem 26. §. libertus 12. D. eod. tit.* Similiter res incorporales indebite translatæ per incerti condictionem repetuntur, ut poſſeſſio *l. indebiti 15. §. ſed & ſi 1. D. eod. tit.* ſervitus *l. ſed & ſi 22. §. cum iter 1. D. eod. tit.* liberatio a promiſſo *l. cum & 3. C. eod. tit.* & a chirographo *l. is qui plus 31. D. eod. tit.* Quæ omnia expreſſis verbis in legibus allegatis continentur. Ad hujus primi uſus practici accuratiorem notitiam multum facit noſſe

quæ-

Digitized by Google

quæſtiones de cauſa finali pro varietate materiarum variis modis efferri ſolitas, uti ſunt: CUR? QVA INTENTIONE? PROPTER QVID? CUI USUI? *Num unum medium adſit, an plura? Si plura, num æqualia, an inæqualia?* Inprimis vero in æſtimandis particularibus factis ac negotiis ſpecialibus hæc inquiſitio ſæpe magnam diligentiam ac multum prudentiæ ac æquitatis deſiderat. *In l. ſed & ſi 5. §. ſi magiſter 3. D. Ad Legem Aquiliam* ejusmodi ſpecies ab *Ulpiano* proponitur: *Sutor puero diſcenti, ingenuo filiofamilias, parum bene facienti, quod demonſtraverat, forma calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero perfunderetur: dicit igitur Julianus, injuriarum quidem actionem non competere, quia non faciendæ injuriæ cauſa percuſſerit, ſed monendi & docendi cauſa. An ex locato dubitat: quia levis duntaxat caſtigatio conceſſa eſt docenti, ſed lege Aquilia poſſe agi non dubito.*

III. Alter Usus Practicus erat, ſibi aliisq; perſpectum reddere modum probandi cauſam finalem hujus, illius, iſtiusve Moralis, Politicis Forenſis, Theologici operis, negotii, actionis, rei, per aliam cauſam ſive alius generis, ſive alius intra idem genus ordinis. Capiamus exemplum illuſtre: Quæſtio eſt; Quisnam ſit finis eſſentialis ultimus Philoſophiæ Moralis? Reſpondetur: Salus æterna. Hoc ut ſolide demonſtretur, quædam in an-

teceſſum dicenda veniunt: (1) Illud in præſenti ſupponimus tanquam notiſſimum & in quod omnes conſentiunt, videlicet finem Philoſophiæ moralis dici poſſe ac oportere beatitudinem: Hanc enim rem deducere velle eſſet Soli lucem affundere ac reducere ea, quæ cumprimis in *Ariſtotelis* ac *Thomæ* ut & omnium ſcriptis Moralibus habentur. (2) Revocanda ad animum venit diſtinctio in *Metaphyſicorum Scholis* recepta inter finem objectivum & finem formalem, item beatitudinem objectivam & beatitudinem formalem. Quia enim finis Philoſophiæ Moralis ac Theologiæ Moralis eſt beatitudo, ideo Moraliſtæ diſtinxerunt inter beatitudinem objectivam, quæ ſit finis objectivus, & inter beatitudinem formalem, quæ ſit finis formalis. (3) Vere beatitudinis objectivæ nomine nihil abſolute ac ſimpliciter cenſeri poteſt, niſi ſiſtere appetitum rectæ rationi conformem, ei ſatisfacere, eundem pulcherrima ſui fruitione occupatum detinere ac exatiare valeat. Ratio eſt, quia appetitus noſter rationalis (vulgo vocatur voluntas) objective infinitus eſt, ut *Scholæ Doctores* loqui amant: finito igitur ſatiari nequit; Nihil autem infinitum eſt præter Deum, adeoque nihil præter Deum poteſt eſſe beatitudo objectiva finisque objectivus ultimus hominis, & Deus utique eſſe poteſt, imo eſt beatitudo objecti-

va

Digitized by Google

ultimusque finis objectivus hominis. His præmiſſis, demonſtramus hanc propoſitionem: Salus æterna eſt ultimus finis eſſentialis Philoſophiæ Moralis; hac ratione: quia appetitum hominis recte agentis non valet ſatiare niſi infinitum bonum. Dum hac ratione utimur, demonſtramus finem ultimum formalem per finem objectivum. Finis enim formalis perpetuo reſpicit finem objectivum. Cujuscunque igitur ſcientiæ practicæ finis objectivus eſt æternum ac infinitum bonum, hujus finis formalis ultimus nequit alius eſſe quam æterni ac infiniti boni plena ac æterna fruitio, & hæc eſt æterna ſalus. Jam vero Philoſophiæ moralis finis objectivus eſt æternum ac infinitum bonum. Quicquid enim nequit ſatiare appetitum humanum rectæ rationi conformem, illud nequit eſſe beatitudo objectiva finisq; ultimus hominis. Et, quicquid valet ſatiare appetitum humanum rectæ rationi conformem, illud poteſt eſſe beatitudo objectiva finisq; ultimus hominis: Atqui nihil præter Deum valet ſatiare appetitum humanum rectæ rationi conformem: Et infinitum ſummumque bonum, h.e. Deus, certe valet eundem ſatiare E. nihil præter Deum poteſt eſſe beatitudo objectiva finisq; objectivus hominis, Deus vero utique eſſe poteſt, imo eſt beatitudo objectiva finisque objectivus hominis, adeoque etiam

Phi-

Philoſophiæ de actionibus hominis moralibus. Hæc ratio me movit, ut huic ſententiæ ſubſcriberem, cujus prolixior confirmatio aliena eſt a præſenti inſtituto. Nec vero eſt, quod cavillationi huic prolixe reſpondeam: *In patria mea ruſticorum pueri* (nam ſane his vel patronis vel ſociis inſcitiæ dignus erat aſper cenſor) *docentur, quod extra Chriſtum nulla ſit ſalus. Jam autem de Chriſto non Jus naturale, ſed Theologia docet. Num igitur probantur, quæ Veltheimius in epitome Philoſophiæ Moralis, qua auditorum ſuorum calamos fatigavit, quæſtione prima habet:* Utrum finis Philoſophiæ Moralis ſalus & beatitudo ſit æterna? *Super qua cap. 1. §. 8. ita cenſet:* Finis ultimus Philoſophiæ Moralis ſalus & beatitudo eſt æterna: intermedii vero conſervatio Legum Naturæ, & ſanctimonia vitæ, quæ Legibus Naturæ conformetur. Sive potius accurate philoſophando (*Nam ſane antegreſſa ejus Philoſophia ſat craſſa fuerat*) finis hujus Philoſophiæ adæquatus eſt conſervatio Legum Naturæ & ſtatus iſtius, in quo rectæ rationis noſtræ legumque naturæ autori homo non poteſt diſplicere, quantum a ſtudio profectæ honeſtatis, hoc eſt, pietatis, probitatis & juſtitiæ exercitio pendet. *Et §. 6. d. l. pergit:* Finis ultimus Theologiæ Moralis idem eſt, qui Philoſophiæ Moralis, nempe ſalus & beatitudo æterna *Ebr. XII, 14. Ro-*



Digitized by Google

*m. VIII, 13. Marc. XIII, 13. Enimvero aut omnia fallunt, aut ab incolis valde deſcitum rit cœlum, quo illi recipiuntur, qui per Veltbemii loſophiam moralem ſalvantur.* Equidem epitome Philoſophiæ Moralis (quam ve- giis venerandi Anteceſſoris mei aliorum- que Profeſſorum Publicorum inſiſtens; ut oris in Academia noſtra recepti eſt, Au- toribus meis juvandæ eorum memoriæ cauſa calamis publice mandavi) pleraque verba, quæ a cenſore ſuggillantur, extant, quæ tamen ſi quis cum antecedentibus & conſequentibus contulerit totumque inſpexerit contextum, modo judicii quid & eruditionis, vel ſaltem candorem adferat viro honeſto dignum & una ſecum perpendat, quis mihi tum temporis ſcopus fuerit & quo curſum publicarum prælectionum mearum direxerim, omnem juſtam reprehenſionem facillime effugient. Scilicet propoſitum mihi erat non modo præcepta Philoſophiæ Moralis generalia, ſed cumprimis etiam convenientiam & disconvenientiam Philoſophiæ Moralis & Theologiæ Moralis juxta ſeriem capitum monſtrare. Hoc enim primum indicat titulus ad verbum calamis mandatus, qui ſic ſe habet: Epitome Philoſophiæ Moralis ad utilitatem & actionem noſtram propius admotæ omniumque, cumprimis vero Theologiæ Moralis Studioſorum uſibus ſervien-

vientis. Deinde inſpectio primi capitis: tum omnium ſequentium usque ad calcem indicat. Nam primo ſtatim capite quod felix iſte, ſi Diis placet, cenſor citat, egi de fine, ejus, qui etiam titulus inſcribitur, & poſtquam per ſeptem integras theſes quatuor paginis incluſas ſolida ac genuina fundamenta hujus doctrinæ jeceram (quæ huc tranſcribere ob chartæ anguſtiam nolo) tum th. 8. verba ſequentia poſui: *Finis igitur* (Vocula: igitur; reſpicit ſeptem præcedentes §§. e quibus hæc, quæ §. 8. tradit, ſponte ſua ſeqvuntur, ad quæ ſcilicet præcedentibus §§. auditores manuducebantur, eaque ibidem probabantur, explicabantur, confirmabantur) *ultimus Philoſophiæ Moralis ſalus & beatitudo eſt æterna: Intermedii vero conſervatio legum naturæ & ſanctimonia vitæ, quæ legibus naturæ conformetur: Sive potius accurate philoſophando, finis hujus Philoſophiæ adæquatus eſt conſervatio legum naturæ & ſtatus iſtius, in quo rectæ rationis noſtræ legumque naturæ auctori homo non poteſt diſplicere, in quantum a ſtudio perfectæ honeſtatis, hoc eſt, pietatis, probitatis & juſtitiæ exercitio pendet.* Statim poſt hæc verba, nulla alia voce interjecta, obtinui, ut ſub tituli forma majusculis literis ſcriberetur: *Convenientia & Disconvenientia Philoſophiæ Moralis & Theologiæ Moralis ex parte finis* (qui ordo etiam in ſeqq. capitibus

ſervatur) nuncque iterum continuaretur inchoatus theſium numerus. Ipſæ vero theſes integræ ſic ſonant: §. 9. *Finis ultimus Theologiæ Moralis idem eſt, qui Philoſophiæ Moralis, nempe ſalus & beatitudo æterna: (Ebr. XII, 14. Rom. VIII, 13. Marc. XIII, 13.) Intermedii vero* (ſubintellige: Fines ipſius Theologiæ revelatæ moralis ſunt) *conſervatio fidei & ſanctimonia vitæ, quæ legibus & voluntati Dei conformetur: Sive potius accurate loquendo finis partis ejus, quam ex diſciplina ſua Theologi tractant & Moralem vocant, eſt conſervatio fidei ſalvificæ & ſtatus gratiæ, in quantum a ſtudio veræ pietatis & ſanctimoniæ pendet, dum nempe Spiritus Sanctus in animo hominis erga Deum, ſeipſum & proximum recte gerentis omnesque actiones ſuas ad legem & voluntatem divinam conformantis habitat eumque donis ſupernaturalibus in æternam beatitudinem dirigit (Rom. VI, 12. ſeqq. VIII, 13. Gal. V, 19. ſeqq. 2. Pet. I, 10. Ebr. IV, 13. & ſeqq.) Sed de his conſulantur noſtrates Theologi venerandi. Conferantur cum Philoſophicis doctrinis noſtris de fine Philoſophiæ Moralis ea, quæ de fine Theologiæ Moralis in ſummam redegit Georgius Calixtus Epitomes Theologiæ Moralis initio pag. 1. 2. & 3. §. 10. His interim ex Theologia Morali præſuppoſitis patet in tantum convenire Philoſophiam Moralem & Theologiam Moralem ex parte intermedii finis, in quantum utriusque finis*

*nis eſt pietatis, probitatis & juſtitiæ ſtudium* Conf. Tit. II, 11. & ſeqq. *Eatenus tamen differre, quatenus finis Philoſophiæ Moralis intermedius eſt naturalis ordinis eumque dictat recta ratio ſibi relicta: finis vero Theologiæ Moralis intermedius eſt ſupernaturalis, eumque Spiritus Sanctus præſcribit verbo ſuo revelato.* Poſt demum eidem capiti quæſtionem: *An finis ultimus Philoſophiæ Moralis ſalus & beatitudo ſit æterna?* tribus §§. incluſam ſubjunxi, unus ſex eaque ſat ſpecioſa argumenta pro ſententia negante, alter ajentis ſententiæ demonſtrationem, tertius ſolutionem argumentorum §. 1. allatorum exhibet. Si igitur officium boni cenſoris iſte in ſe ſuſcipere voluiſſet, ipſius fuiſſet vel ad argumentum pro affirmante ſententia allatum reſpondere, vel reſponſionibus noſtris ad argumenta contraria non mera cavilla, quod neſcias quis etiam poteſt, ſed rationes opponere. Sed numne hæ rationes ſufficiunt: *In patria mea ruſticorum pueri docentur, quod extra Christum nulla ſit ſalus:* Jam autem de Chriſto non Jus naturale, ſed Theologia docet. *Item, aut me omnia fallunt. aut ab incolis valde deſcitum erit cœlum, quo illi recipiuntur, qui per Veltheminam Philoſophiam Moralem ſalvantur.* Ad hæc enim omnia jamtum in allata quæſtione reſponſum fuit: Quippe in allata *reſponſione ad primum* ſequentia attuli: *Hic duo excipi poſſunt:*

*Unum*

Digitized by Google

[illegible]um eſt, quod prorſus alia ſit Philoſophia Moralis pro hodierno rerum ſtatu: alia vero futura fuiſſet in ſtatu perfectæ obedientiæ & innocentiæ. Et poſt pauca alia: *Ad primum dicimus, quod diverſi ſtatus hominis, ſtatus nempe innocentiæ & ſtatus peccati accidentaliter ſe habeant ad Philoſophiam Moralem in ſe ſpectatam & Jus Naturale in ſe conſideratum.* Rurſus in *ſolutione dubii tertii* poſui quoque ſequentia: *Quid enim animum hominis detinere dubium potuiſſet, quo minus ſpes moraliter certiſſima eum foviſſet fore, ut in gratuitum perfectæ obedientiæ moralis præmium ex immenſa Dei bonitate vitam æternam conſequeretur. Et ut omnem nervum allatæ dubitationis incidamus, qui contrarium ſtatuunt, confundunt hominem in ſtatu perfectionis moralis ac integritatis ſuæ ſpectatum cũ homine conſiderato in ſtatu naturæ corruptæ & peccati. Quod hodie nemo mortalium ſuæ rationi relictus & extra omnem ſpecialem Spiritus Sancti revelationem certus eſſe queat de ſalute æterna ac beatitudine olim conſequenda, id lubentiſſime admittimus: omnes enim homines, quotquot deſtituuntur Scripturæ Sacræ lumine, neceſſe habent deſperare ac fruſtra expectant media, quibus cum DEO reconciliari poſſint. Nam quamvis Jus Naturæ ſuggerat media, quibus homo nunquam lapſus nec unquam lapſurus poſſit certus eſſe de æterna ſalute ac beatitudine ut gratuito perfectæ ac nunquam deficientis obedientiæ præmio, tamen fruſtra legis naturalis transgreſſor ſolatium in naturæ le-*



Digitized by Google

gibus quærit, unde nunquam in integrum reſtituetur. Itaq; neminem ſubeat mirari, cur gentilium Philoſophorum animos nulla certitudo æternæ ſalutis maneat. Hanc in rem extat inſignis diſſertatio Magnif. Dn. D. Johannis Muſæi, ſuper hac ipſa quæſtione: *An ex naturæ lumine homo poſſit ad ſufficientem cognitionem ſalvificam pertingere?* ubi Venerandus Præceptor hæc duo maxime ab invicem diſcernere jubet, quando nempe de homine quæritur pro hodierno naturæ corruptæ ſtatu, quem Seneca eleganter deſcribit, quando ait, nos omnes, quotquot ſancti ſumus aut eſſe volumus, peccando ad innocentiam perveniſſe; & quando de homine in ſtatu naturæ integræ ſpectato quæſtio eſt. Illo ſenſu tuetur negativam, hoc vero affirmativam defendit. Nullus enim dubitat impletionem legis naturalis haberi poſſe pro medio ad æternæ ſalutis conſecutionem faciente, ſi homo nunquam fuiſſet lapſus, nunquam lapſurus, & ſi medium ita accipiatur, prout illud quoque medium vocari poteſt, quod quomodocunque alterius gratia eligitur, ſicut e.gr. valvarum remotio ab aliquo facta eo animo, ut illuminetur conclave, medium ad illuminationem conclavis ſuo modo faciens dici poteſt. Hancce totam diſſertationem merito commendamus, utpote quæ apprime accuratiora & uberiora circa præſentem quæſtionem deſiderantibus abunde ſatisfaciet. Iterum in reſponſione ad quartum dico: *Non debent confundi abſtractum cum concreto, hoc eſt, Philoſophia Moralis, in ſua*

per

*perfectione ſpectata cum eo cujus Philoſophia maxima imperfectione laborat, non tamen niſi culpa ejus, qui hac Philoſophia gaudet. Annon enim, ſi nullus homo unquam violaſſet legem naturæ, nec ullus unquam violaturus fuiſſet, Philoſophia Moralis, hoc eſt, ea, quæ omne juſtum naturale exponit, ſic quoque contineret veram religionem ac ad conſecutionem æternæ beatitudinis neceſſariam? Etenim inter præcepta juſti ac honeſti præcipua ſunt, quæ debitum perfectæ pietatis, hoc eſt, officia erga Deum ſufficienter declarant.* Et paulo poſt in eadem reſponſione: *Si homo ſemper præſtitiſſet perfectum obſequium legibus naturalibus, ſic non opus habuiſſet fide in Chriſtum Θεάνθρωπον Redemptorem: Quippe ſi nunquam non perfectam obedientiam legi naturali præſtitiſſet, ſemper ſane manſiſſet pius, probus & juſtus, adeoque nullo Redemptore,* qui nempe hominem omnis peccati labisque peccati prorſus expertem redimeret a peccatis, *nullo quoque ſanctificatore,* qui nempe hominem non lapſum erigeret & converteret, *opus fuiſſet. Hac ergo ratione Philoſophia Moralis tradidiſſet religionem veram & ſufficientem ad æternam ſalutem. Fides enim ſalvifica, hoc eſt, fides in Chriſtum Redemptorem, quam Theologi fidem ſalvificam vocant, eſt quidem finis per ſe Theologiæ revelatæ ac Scripturæ Sacræ, non autem finis per ſe Philoſophiæ Moralis qua talis dici poteſt. Ut tota res fiat eviden-*

*tior, ſequentem formamus ſyllogiſmum : Sine quo homo ad æternam ſalutem pertingere poterat, illud non eſt finis intermedius per ſe Philoſophiæ ejus, cujus finis per ſe ultimus eſt ſalus ac beatitudo hominis æterna. Atqui ſine fide in Chriſtum Redemptorem homo* (nunquam ſcilicet lapſus, nunquam lapſurus) *ſalvari poterat (Hic ſermo eſt de fide, quæ eſt finis per ſe intermedius Scripturæ Sacræ ac Theologiæ) E. Majorem nemo in dubium vocat, qui ſatis perſpectam ſibi reddidit diſtinctionem finis per ſe & per accidens in ultimum & intermedium. Minor propoſitio ex antecedentibus aſſertis noſtris liquet. Non enim opus fuiſſet ſatisfactione Chriſti pro peccatis humani generis, ſi nemo unquam peccaſſet.* Et poſt plura alia: *Non enim Philoſophiæ Morali imputare potes, quando homo ſuo vitio ac ſua culpa non amplius finem ejus poteſt aſſequi, poſtquam ſcilicet neglexit verum & perfectum cultum, quem quaſi finem intermedium Philoſophia Moralis excluſo naturæ corruptæ ſtatu homini præcipiebat.* Rurſus *ad V. argumentum* reſpondeo, & *quod errantium multitudo & ignorantium nec errori nec ignorantiæ patrocinium poſſit parere :* Et *quod ex imperfecta Philoſophia hominum in ſtatu peccati conſtitutorum nihil decedat Philoſophiæ Morali ut ſic in ſ poſſibili perfectione ſua ſpectatæ.* Tandem *in ſolutione ſexti argumenti* monui, *hoc dudum etiam incipientibus notum fuiſſe, quod utriusque*

Theo-

*Theologiæ, naturalis & revelatæ, differentia ab ultimo fine eſſentiali neutiquam petenda veniat.* Ex his modo allatis, quæ totidem verbis *in Epitome mea loco citato* habentur, (pluribusq; aliis quæ *ibidem* extant) credo quemvis, modo ſit alicujus judicii, facile colligere poſſe, quid reſpondendum veniat ad miſeras cenſoris ſophiſticationes. Et quid me potiſſimum mordet iſte cenſor, cum tamen ignorare nequeat, hanc eſſe accuratiſſimorum Doctorum & Theologorum & Philoſophorum ſententiam, utpote quæ a Magnif. *Dn. D. Johan. Muſæo eodem capite* traditur, quod iſte *alibi* occaſione alius huc tamen itidem ſpectantis argumenti & laudat, & probat, & ad iſtud a ſe lectum expreſſis verbis provocat, quod eſt *caput ſecundum introductionis in Theologiam:* Et ſane eum ſtupidum eſſe oportet, qui non inde petere auſit accurata ac ſolidiſſima reſponſa ad difficultates a Cenſore motas. Nam §. 2. adfertur hæc objectio: *Dicat quis: Theologiæ naturalis ope & adminiculo beatitudinem nemo conſequi poteſt. Ergo beatitudo hominis non eſt ejus finis ultimus. Ut enim fruſtra eſt potentia, quæ non traducitur in actum, ita & ſcientia, cujus finis per eam obtineri non poteſt, fruſtra eſt. Deus autem & natura nihil faciunt fruſtra.* Annon vero hæc objectio conſpirat cum verbis cenſoris: *Enimvero aut me omnia fallunt, aut ab in-*

*colis valde deſcitum erit cœlum, quo illi recipiuntur, qui per Philoſophiam moralem ſalvantur.* Mox *ſequenti §.3. Dn. D. Muſæus* ſic reſpondet: *Reſp. antecedens non eſſe univerſaliter verum de homine, in quocunque ejus ſtatu ſpectato. In ſtatu primævo enim cum peccatum & mors nondum eſſet, poterat homo Theologiæ naturalis ope & adminiculo beatitudinem conſequi. Poterat enim, ejus ductu, ad tantam pertingere cognitionem Dei cultusque divini, quanta ad conſequendam, ejus gratia & dono, beatitudinem neceſſaria erat: Pollebat etiam viribus integris & perfectis, ad cultum obſequiumque Deo debitum, absque defectu peccatoque præſtandum. Quod autem nunc in ſtatu peccati nemo Theologiæ naturalis ope & adminiculo ad beatitudinem pertingit, per accidens eſt, & primorum parentum culpa fit, qua & ſibi & ſuæ poſteritati toti perdiderunt vires ſibi concreatas cum ad Deum recte cognoſcendum, tum ad eundem ſuper omnia diligendum ſincereque colendum, & contra contraxerunt cum ſibi tum poſteris ſuis ex parte intellectus quidem tenebras denſiſſimas; ex parte voluntatis autem perverſam in nullum non malum pronitatem. Non autem fruſtra eſt potentia, quæ per accidens & hominum culpa in actum non traducitur.* Ex quibus liquet, non incolis vacuum futurum fuiſſe cœlum, quo recepti fuiſſent, qui Theologiæ naturalis practicæ ope & adminiculo fuiſſent ſalvati.

Quis-

Quisque interim videt eſſe meram cavillationem, dum Theologia naturalis *Philoſophiæ Moralis Velthemii* nomine ſcabre traducitur. Pergit *Dn. D. Muſæus. §. 4. Neque eſt, quod quis excipiat, aliam fuiſſe Theologiam Naturalem in ſtatu hominis integro, aliam eſſe nunc in ejusdem ſtatu corrupto. Illius finem ultimum fuiſſe hominis beatitudinem, hujus non eſſe.* Numne ovum ovo ſimilius eſſe poterat, atque huic exceptioni Cenſoris objectio, dum ſcribit: *Aſſertio mea: Religio quatenus ad diſciplinam Juris Naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminatur; habet hunc ſenſum: In diſciplina, quæ ex ſola ratione, prout ea nunc ſeſe habet, extructa eſt, de religione non ulterius tractari poteſt, quam quatenus homines per eandem ad vitam hancce honeſte exigendam diſponuntur. Sed quatenus per ipſam ſalus animarum paratur, alterius diſciplinæ eſt diſpicere. Sane in patria mea ruſticorum pueri docentur, quod extra Chriſtum nulla ſit ſalus. Jam autem de Chriſto non Jus Naturale, ſed Theologia docet. Item, ego nego ex Jure Naturali, prout id nunc ſeſe habet, ſalutem æternam adquiri.* Statim vero *Dn. D. Muſæus* reſpondet: *Non, inquam, eſt, quod ſic quis excipiat. Quamvis enim non inficiemur, Theologiam Naturalem nunc in ſtatu hominis corrupto multum differre a Theologia Naturali in ſtatu ejusdem primævo & integro, negamus tamen ſpecie alteram ab altera differ-*



Digitized by Google

re, ſed quicquid diſcriminis inter utramque intercedit, id totum concernere videtur gradus perfectionis & imperfectionis, intra latitudinem ejusdem ſpeciei contentæ. Notiones communes enim de Deo ejusque cultu, quæ nunc mentibus hominum natura inſunt, non ſpecie diverſæ ſunt a communibus de iisdem notionibus, quæ in homine primo vi concreatæ imaginis divinæ exiſtebant. Neque quæ ex rebus creatis hodie per diſcurſum acquiritur ſcientia de DEO ejusque perfectionibus eſſentialibus ſpecie differt ab illa, quam in ſtatu integritatis protoplaſti ex iisdem ſibi comparare poterant, & comparabant, quamvis ratione perfectionis hæc illam longo poſt ſe intervallo relinqueret: Quæ autem ſcientiæ ejusdem ſunt ſpeciei, illarum etiam idem ſpecie finis eſt, utut altera finem ſuum conſequatur; altera eodem excidat. Hoc enim provenit partim ex inæquali illarum perfectione, quod quæ ad conſequendum finem cognitu neceſſaria ſunt, una doceat perfectius, quam altera, ut modo dictum, partim ex diverſitate ſubjectorum, quod una occupetur circa hominem, qui integris gaudeat viribus ad cognoſcendum agendumque pro eo ac oportebat, quæcunque de Deo ejusque cultu illa ſive cognoſcenda ſive agenda præſcribebat: altera vero occupetur circa hominem peccato corruptum, & qui viribus bonis ad eadem, quæ de Deo ejusque cultu ipſa cum cognoſcenda tum agenda præſcribit, pro eo ac oportet, cognoſcenda

Digitized by Google

*dis facienda prorſus deſtituitur, & Deum luminis naturæ ductu, nec cognoſcere recte, nec quæ ad ejus cultum pertinent, ſicut oportet, præſtare poteſt. Quod, uti patet plane per accidens* eſt. Et quid tandem dicturus eſſet cenſor, ſi inadverſus eum diſputarem: Aut me omnia fallunt, aut valde deſcita erit patria cenſoris incolis illis, qui implere poſſunt legem Dei perque hanc impletionem legis divinæ ſalvantur. E. in Theologia Revelata, prout ea nunc ſeſe habet, de lege Dei quatenus homines ad eam implendam obligantur, tractari nequit. In patria enim cenſoris procul omni dubio ruſticorum pueri non modo docentur, quod extra Chriſtum nulla ſit ſalus, ſed etiam, quod nemo poſſit implere legem DEI. Certe nullum dubium eſt, quin ipſe cenſor peſſimam hanc conſequentiam ſit vocaturus. Sed nihilo melior eſt cenſoris conſequentia: Quemadmodum enim legis moralis a Deo latæ finis ultimus eſt vita æterna, quam ſub conditione promittit *Lev. XVIII, 5. Ezech. XX, 11. Rom. X, 5. Gal. III, 12.* hæcque lex æterna eſt & omni rationali naturæ implantata, adeo ut in ipſa creatione primis parentibus ante lapſum fuerit implantata non alium ob finem, quam ut homini condito in bono norma eſſet vitæ, ut ſecundum illam tandem æternam beatitudinem conſequatur, homoque in ſtatu peccati

etiam obligatur ad impletionem hujus legis, quamvis nemo poſt lapſum hanc legem implere poſſit, ceu ex *Rom. VII, 14. Gal. V, 17.* item ex illis locis, quæ perhibent neminem coram DEO innocentem eſſe *Exod. XXXIV. 7. 1. Reg. VIII. 46.* item ex locis, quæ oſtendunt hominem non poſſe ex lege juſtificari *Rom. III, 28. VIII. 3.* item ex *Gal. II. 21.* liquet, & ab Orthodoxis Theologis abunde adverſus Pontificios evincitur: Ita Theologiæ naturalis finis ultimus eſt vita æterna, quamvis Theologiæ naturalis ope & adminiculo nemo mortalium, quia omnes ſunt peccatores, æternam beatitudinem conſequi poſſit. Unde ſicuti nullæ ſunt hæ conſequentiæ: Nemo noſtrum implere poteſt legem Dei, & nemini lex Dei promittit vitam æternam niſi adimplenti. Ergo alia lex divina eſt, quæ hominibus promittit vitam æternam, & iterum alia lex, quæ hunc finem propoſitum non habet. Item, lex prout ea nunc ſe habet, damnat homines. Ergo non poteſt data eſſe per ſe ad ſalutem. Item lex data eſt hominibus natura peccatoribus, operatur iram. Ergo eſt alia lex, quam quæ dabatur hominibus in bono conditis; nullæ inquam ſunt hæ conſequentiæ, cum quisque fundamentis orthodoxæ religionis probe innutritus ſciat, hoc, quod lex iram operatur, quod lex a nemine noſtrum impleri



Digitized by Google

poteſt, quod nulli noſtrum ex lege obtingit æterna ſalus, ex accidenti eſſe: legem tamen adhuc per ſe intendere hominum æternam ſalutem, ceu Apoſtolus *Gal. III. 12.* aperte teſtatur, quod *qui fecerit ea, quæ ſcilicet lege præcepta ſunt, vivet in illis*, id eſt, qui legem perfecte impleverit, ex lege habebit ſalutem: Ita peſſimæ quoque conſequentiæ ſunt a Cenſore tornatæ. Quemadmodum enim licet lex per ſe intendat hominum ſalutem, ea tamen iram operatur *Rom. IV.* nec data dicitur lex, quæ poſſet vivificare, ſed juſtitia ac ſalus homini non ex lege ſed ex fide in Chriſtum obtingit *Gal. III. 21. 22.* idque ex eo eſt, quia lex a nobis impleri non poteſt. Unde bene laudatus Apoſtolus Rom. VII. 12. 13. *lex ipſa quidem ſancta eſt, & preceptum ſanctum ac juſtum & bonum. Ergo quod bonum erat mihi factum eſt mors? Abſit. Imo peccatum ut appareret peccatum, per id quod erat bonum, mihi gignere mortem: ut fieret majorem in modum peccans peccatum per præceptum. Scimus enim, quod lex ſpiritualis eſt: At ego carnalis ſum, venditus ſub peccatum.* Si interim homo perſtitiſſet in ſtatu integritatis, reapſe impletio legis ſecuta fuiſſet, quia ſicut integræ fuiſſent vires in ſpiritualibus: Ita per easdem perfecta obedientia legi divinæ præſtari potuiſſet, adeoque talis obedientia abſolute non eſt impoſſibilis, ſed ſolum-

lummodo impoſſibilis eſt ex hypotheſi ac propter hunc eventum, quia culpa ſua primi homines vires a Deo ſibi conceſſas ſufficientes, quibus poterant legem DEI implere, ſua culpa amiſerunt: Ita quoque *beatitudinis æternæ particeps fieri poterat homo viator, hoc eſt, in via ad adipiſcendam beatitudinem conſtitutus: In ſtatu peccati autem homo viator beatitudinis quidem per principia & media, quæ Theologia naturalis præſcribit, particeps fieri non poteſt: Sed hoc per accidens eſt. Per accidens enim eſt, quod homo peccavit, & per peccatum fine ſuo, ad quem conditus eſt, excidit. Per hoc tamen jam in ſtatu peccati non deſinit eſſe ſubjectum Theologiæ naturalis. Actus practici enim, quos ipſa præſcribit, ſtringunt eum jam quoque non minus, quam in ſtatu integritatis, licet ad finem, cujus gratia ſunt, per eos pertingere non poſſit*, ceu *Dn. D. Muſæus cit. cap. theſi X.* diſſerit, qui maxime *theſi IX.* etiam videatur. Obiter addo, hæc cenſoris verba: *Nam ſane antegreſſa Velthemii Philoſophia ſat craſſa fuerat*, me nec tangere nec angere. Ad imitationem enim verborum *Georgii Calixti* hæc calamis mandare volui, qui de fine Theologiæ Moralis §. 6. ſcribit: *Finis igitur ultimus hujus, uti univerſæ Theologiæ, ſalus & beatitudo eſt æterna: Intermedii vero conſervatio fidei & ſanctimonia vitæ, quæ legibus & voluntati Dei conformetur: Sive potius, accu-*



Digitized by Google

-te loquendo, *finis hujus partis adæquatus eſt conſervatio fidei ſalvificæ & ſtatus gratiæ, in quantum a ſtudio pietatis & ſanctimonia vitæ pendent.* Remiſeram enim auditores ad epitomen hanc Theologiæ Moralis, quam ſciebam in multorum eſſe manibus iisdemque apprime commendatam. Et certe ad tanti Viri vel ſententiam vel dictionem corrigendam Cenſoris autoritas nunquam ſufficiet. Poterat etiam de fine intermedio Philoſophiæ Moralis utilis tractatio hic loci inſtitui. Præcipua enim pars finis intermedii ac prima eſt pietas: Huc facit illuſtris & plane eximius locus *Ariſtotelis*, qui in calce *l. VII. Eudemiorum* extat: *Quæ igitur electio poſſeſſioque natura bonorum conſiderare maxime DEum facit, præſtantiſſima eſt, atque hic terminus eſt pulcerrimus: Quæ vero vel ob defectum vel ob exceſſum conſiderare colereque DEum permittit minime, ea eſt peſſima. Atque ſic quidem res habet animæ, & hic terminus ejus præſtantiſſimus eſt. Qui igitur terminus, & quæ meta virtutum ſit, & quis ſimpliciter bonorum omnium quæque nos poſſidemus, ſcopus, hunc in modum ſit dictum.* Idem hac de re *X. ad Nicom. cap. IIX.* egregie diſſerit, dum demonſtrat: Hominem θεοφιλέστατον eſſe hominem beatiſſimum, ſimulque docet, hominem φιλοθεώτατον eſſe hominem θεοφιλέστατον, hoc eſt, & hunc eſſe hominem beatiſſimum,

mum, qui Deo cariſſimus eſt, & hunc Deo eſſe chariſſimum ſeu a Deo maxime amari qui Deum maxime amat, & hunc maxime amare Deum Deoque amiciſſimum eſſe, qui recte & honeſte vitam agit. Ita *Plato* ſtudium pietatis fundamentum omnis reliquæ honeſtatis aſſerit, plenique hac doctrina ſunt *libri* ejus *de legibus*. *Epictetus in enchiridio cap. XXXVIII.* tradit: *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de eis habere opiniones: Ut ſentias, & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa, parendum eſſe eis, & omnibus iis quæ fiant, acquieſcendum, & ſequenda ultro, ut quæ a mente præſtantiſſima regantur. Sic enim nec incuſabis eos unquam, nec ab iis negligi te conquereris.* Conf. *caput* ſequens *XXXIX.* Si *Epictetus* ſcripſiſſet Deum, non Deos nihil potuiſſet verius. Sed nemo mirabitur, cur Græci Philoſophi ſæpius ſcripſerint Deos, qui attendit, quam gravis pœna eos manſerit, qui vulgus docuerant unitatem eſſentiæ divinæ: Socrates cæteris Philoſophis cordatior & ſeverior quia unum tantum Deum, ſeu Deum in eſſentia unum in publico auditorio demonſtraverat incontinentis linguæ pœnam dare & cicutam bibere juſſus eſt a Senatu Athenienſi. Hinc *Plato in epiſtola ad Dionyſium Tyrannum Syracuſanum* expreſſe ſcribit: *Seriæ igitur epiſtolæ initium eſt DEUS, non ſeriæ DII.* Rurſus idem

idem *Epictetus cap. LXXVII.* monet: *In quovis incepto hæc optanda ſunt: Me Juppiter duc: ... ſum. Nam volens ſequar. Et cap. ultimo: Si DIIS ita viſum fuerit, ita fiat.* Imo profecto omnium omnino ſectarum celebriorum gentiles Philoſophi, ipſe quoque Epicurus, agnoverunt primum ac præcipuum debitum juris naturalis eſſe debitum pietatis ſeu cultus divini, præcipuumque & maxime neceſſarium caput Philoſophiæ moralis eſſe caput de Religione naturali. Nec Græcorum ſolummodo Philoſophorum, ſed etiam Latinorum hæc ſententia conſtans fuit, quam *Ciceronis* verbis *e lib. I. de Nat. Deor.* depromtis exprimere libet: *Pietate ſublata, fides etiam ſocietatis & humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur.* Quem unanimem omnis ævi Philoſophorum gentilium conſenſum tot teſtimoniis ſtudio collectis docui, & una rationes plures prolixe attuli, quibus demonſtrarem, non ſolummodo ex mente Philoſophorum præſtantium cujusvis ævi, ſi Scepticos eximas, ſed etiam vi veritatis non poſſe ſolidam, decentem ac plenam doctrinam moralem tradi, niſi doctrina de cultu Dei eſſet præcipua ac prorſus neceſſaria pars: Et quidem deduxi illud in Synopſi publice a me tradita, ubi fundamentalem doctrinam de debito naturalis pietatis prolixius exponere ſat-

Digitized by Google

ſategi tribus integris ſectionibus, quarum prima de debitis naturalis pietatis in communi; Altera de neglectu debiti naturalis pietatis; Tertia de debitis moralis pietatis in ſpecie agit, quam nullis rationibus impugnare auſus eſt cenſor, ſed unice convitiis, turpi fœtu impotentis animi, coinquinavit, quæ ſane tanti nemo prudens faciet, ut id propter pro oraculis habeat ſequens cenſoris judicium, dum ſcribit: *Doctrina naturalis de religione nativam velut ſedem in diſciplina Juris Naturalis non ſortitur. Nam de religione tradere, prout ad ſalutem æternam adquirendam ſpectat, aut prout illa circa hominem in ſtatu integritatis ſeſe habuit, Theologorum eſt; in quorum meſſem falcem mittunt, qui cum Veltbemio finem Philoſophiæ Moralis ſalutem æternam animæ dictitant.* Item, *qui diſciplinam juris naturalis ad captum univerſi generis humani adornare vult, ei ſublimior iſte probioris vitæ finis & uſus velut ſequeſtrandus eſt, & Theologis relinquendus & ad eum duntaxat uſum reſpiciendum, qui apud omnes in confeſſo eſt, & quem vel ſenſuum judicio deprehendere queas.* Sed poterant certe vel ſaniores Philoſophi quivis e Gentilibus cenſori pudorem incutere, niſi celeberrimi *Boecleri* judicio in Veteribus hoſpes eſſet, ac geminaret velut de plauſtro injurias in antiquam Philoſophiam diligenter ignoratam & optimos Scriptores Veteres Græcos Lati-

nos-

noſque, quos ne a limine quidem ſalutaverat, æque ac alios viros innocentes & longe diverſis moribus ab ipſius ingenio præditos. Et ut paucis ea, quæ adferuntur, diluamus, confundit iſte (1) Theologiam naturalem, quæ Philoſophiæ primæ pars eſt, cum Theologia naturali, quæ pars Philoſophiæ Moralis jure meritoque cenſetur. Deus enim modis duobus cognoſci naturaliter & conſiderari a Philoſophis poteſt. Uno in ſe abſolute, ut eſt ens a materia ſenſibili realiter abſtractum; Altero in ordine ad hominem, & ut eſt ejus finis ultimus ſummumque bonum. Et duplex quoque Theologia naturalis pro hac duplici DEI conſideratione datur. Vel enim occupatur circa Deum abſolute, ut eſt ens a materia ſenſibili realiter abſtractum, & hac ratione eſt pars Philoſophiæ primæ, quam vulgo Metaphyſicam appellant, & ab ipſo *Ariſtotele VI, Metaph. c. 1. & XI. c. 7.* ſcientiis ſpeculativis accenſetur: Vel occupatur Theologia naturalis circa Deum, ut finis ultimus bonumque ſummum eſt, ac ita Revelatæ ſive Chriſtianæ Theologiæ quodammodo reſpondet, & eodem, quo hæc, jure in claſſem practicorum habituum transſcribi poteſt, ceu laudatus *Dn. D. Muſæus*, (poſtquam doctrinam de DEO priori modo ſpectatam expreſſis verbis ſcientiis ſpeculativis annumeraſſet partemque Metaphyſices dixiſſet) ſequentem in modum de-

monſtrat: *Utriusque enim opera in eo potiſſimum occupatur, ut hominem mediis convenientibus ad Deum, tanquam ad finem ultimum dirigat: utraque conſtituit felicitatem ſive beatitudinem hominis ſummam in Dei tanquam boni infinite perfecti & ſummi, fruitione: juxta utramque etiam Deo fruitur, pro ſtatu hujus vitæ quidem, qui eum habet propitium. Huc enim collineant, quæ Scripturæ Sacræ de fide in Chriſtum, deque juſtificatione & reconciliatione hominis peccatoris cum DEO per fidem, & de ſectanda vitæ ſanctimonia, peccatisque fugiendis, ne rurſum Deus offendatur & ad iram provocetur, tam ſolicite inculcant. Eodem collineant, quæ Theologia Naturalis demerendi Numinis divini cauſa de ejus cultu, dilectione, timore, deque vita recte degenda & peccatis fugiendis ex naturæ & rationis principiis docet. Denique juxta utramque poſita in fruitione Dei felicitas ſive beatitudo hominis cum hac vita non expirat. Juxta Revelatam quidem ſive Chriſtianam Theologiam; quæ hominem poſt mortem non anima tantum, ſed reſuſcitato etiam & animæ redunito corpore beatum fore, manifeſtis Scripturarum teſtimoniis docet. Juxta Naturalem vero; quæ licet ad inveſtigandam reſurrectionem mortuorum ex ſuis principiis non penetret; hominis animam tamen immortalem eſſe, & prout hic bene maleve ſe geſſerit, Deoque propitio aut irato a corpore diſceſſerit, ita poſthac bene maleve ha-*

Digitized by Google

habituram, & *Deo fruituram aut non fruituram* eſſe *docere argumentis haud obſcuris poteſt.* Hæc *diſſertat. de quæſtione: An ductu luminis naturæ ſive principiorum rationis homo ad ſalutem æternam pertingere poſſit? §. 11.* expreſſe leguntur. Qua igitur veritate quove judicio a cenſore dicatur, *in Theologorum meſſem falcem mittere, qui cum Velthemio finem Philoſophiæ Moralis ſalutem æternam animæ dictitant*, e celeberrimi Theologi verbis modo allatis abunde liquet. (2) Res ipſa alias loquitur, doctrinam naturalem de Deo, & ut eſt colendus & ut hominis finis ultimus bonumque ſummum eſt, nativam ſedem in diſciplina Juris Naturalis ſortiri: Aut enim Cenſor negat dari leges naturales de cultu Dei, aut admittit: Si prius: qua quæſo fronte id negat? Apud *Xenophontem Socrates Deos colere legem eſſe* ait, quæ apud omnes homines valeat: quod & *Cicero* tum *de natura Deorum libro primo*, tum *ſecundo de inventione* affirmat. *Plutarchus* præceptum legis naturalis de Deo colendo παλαιὰν πίστιν, *antiquam fidem* vocat, *qua nullum haberi poſſit aut dici argumentum certius, fundamentum in commune pietati poſitum.* Idem ſenſus apud *Platonem de legibus decimo. Ariſtoteles* eum qui leges naturales de Deo colendo dari negat, non argumentis, ſed pœna edomandum dixit *1. Top. c. 9.* Et alibi alia quædam eſſe honeſta, Deum colere

ubique. *II. Top. c. 4.* Si poſterius, omnino manifeſtum eſt, doctrinam naturalem de Dei cultu nativam ſedem in diſciplina Juris Naturalis ſortiri. Implicat enim apertam contradictionem, in diſciplina Juris Naturalis nativam ſedem non ſortiri doctrinam illam, quæ univerſæ Jurisprudentiæ Naturalis præcipua doctrina ac potiſſima pars eſt. (3) Qua abſurditate doctrina de officiis hominis erga proximum e Philoſophia Morali penitus exeſſe juberetur, & conſectarium doctrinæ phyſicæ de homine, quam alii ad Phyſicam referunt, alii peculiari diſciplina ſub vocabulo Anthropologiæ Naturalis adornant, diceretur, eadem certe (ſi non majori abſurditate) doctrina de religione naturali non pars Philoſophiæ Moralis, ſed conſectarium doctrinæ naturalis de Deo ſtatuitur. (4) Qua pietate quave veritate aſſeratur ei, qui diſciplinam juris naturalis ad captum univerſi generis humani adornare velit, non modo ſublimiorem iſtum probioris vitæ finem & uſum velut ſequeſtrandum eſſe, & Theologis relinquendum, & ad eum duntaxat uſum reſpiciendum, qui apud omnes in confeſſo ſit, & quem vel ſenſuum judicio deprehendere queas: Sed & ex doctrina morali doctrinam de cultu Dei penitus ejiciendam eſſe, utpote quæ ad hanc diſciplinam non ſpectet, judicent, qui atheismum in-

indies creſcentem propagari nolunt. Profecto *pietate ſublata, omnis fides etiam & ſocietas humani generis & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur*, ut *Ciceronis* verba denuo urgeamus. *Si ergo pietas naturalis eſt cognoſcere Deum, cujus cognitionis naturalis hæc ſumma eſt, ut eum colas; ignorat utique juſtitiam naturalem, qui religionem Dei* naturalem *non tenet. Quomodo enim poteſt eam noſſe qui, unde oriatur, ignorat?* Verba ſunt *Lactantii Inſtit. Lib. V.* Et annon totam doctrinam de lege naturali homo atheus pro mere ridiculo Eubulidis ſomnio habiturus eſt? Ideo Lyſimachus Theodorum, qui ἄθεος vocabatur, a Ptolemæo ad ſe miſſum audire noluit. Et quid multis hæc deduco: Annon religio naturalis eſt principium omnium cæterarum operationum humanarum moralium, quas Lex Naturalis præcipit? Clarius: Numne Deus autor legis naturalis aliud quid univerſa lege hac ſingulisq; legibus naturalibus ſeorſim ſpectatis ab homine exigit quam obſequium ſibi autori univerſi Juris Naturalis præſtandum? Quid vero aliud eſt præſtare obſequium vel univerſæ vel alicui legi naturali, quam Deum colere? Annon igitur & univerſæ legis naturalis & uniuſcujusvis legis naturalis hominem obligantis ſeorſim ſpectatæ finis per ſe eſt cultus DEI? *Hoc ita perſpicuum eſt, ut id qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem*, verba *Ciceronis*

*l.* 2. *de Nat. Deor.* ſunt. Ergo tota doctrina Juris Naturalis nihil erit aliud quam doctrina de cultu Dei. At quomodo hæc duo inter ſe conveniunt : Tota diſciplina Juris Naturalis eſt de cultu DEI, ipſa vero doctrina de cultu DEI ſedem nativam in diſciplina Juris Naturalis non habet. (5) Nemo tantum ſtuporem vel affectare, vel ſimulare poterit, ut negare auſit, hanc propoſitionem : DEus eſt colendus; ex lumine naturæ doceri poſſe. Multo vero minus quiſquam adeo ſtupidus erit, ut inficias eat hanc eſſe propoſitionem practicam. Utrumque ſat manifeſtis verbis *Paulus* Gentiles docet *Rom. I.* & *II.* E. hæc propoſitio ad Philoſophiam Practicam ſpectat. (6) Licet nemo noſtrum ſalutem æternam conſequi poſſit Philoſophiæ Moralis ope, adhuc tamen tractatio doctrinæ de pietate, prout eam lex naturæ præcipit, omnino neceſſaria erit, ut inde cognoſcatur, quid Deus Optimus Maximus lege naturali a nobis exigat quænam ſit illa veritas practica de Deo, quæ in injuſtitia detinetur *Rom. I. 18.* & quodnam ſit illud δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ex lumine naturæ cognoſcendum *Rom. I. 32.* Impius enim multiſque modis injurius iſte eſt, qui non erubeſcit affirmare legem Dei, quæ per ſe intendit æternam horum, quibus lata eſt, felicitatem nullius uſus eſſe in ordine ad illos,

los, qui eandem implere nequeunt: Nam & Ruſticorum pueri docentur, quod per legem Dei non modo externa diſciplina & honeſtas publica conſervetur, ſed etiam quod arguat peccata & peccatores ad peccatorum ſuorum agnitionem perducat, ſicque alique inſtar pædagogi ad Chriſtum deducat, *Gal. III. 24.* ſitque regula, ſecundum quam illi, qui ad Deum jam converſi & peccatorum remiſſionem conſecuti ſunt, totam vitam ſuam inſtituere, & quæ ipſis agenda, quæ fugienda, cognoſcere poſſint & debeant. Quid vero aliud eſt lex hæc, quam ipſa lex naturæ & quid diſciplina hujus legis moralis DEI aliud, quam diſciplina juris naturalis? Nemo tam impius erit, qui aſſerere velit, dilectionem proximi ſolummodo lege naturali hominibus poſt lapſum præcipi. *Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: Hoc eſt primum & magnum præceptum: ſecundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum perinde atq; te ipſum. In his duobus præceptis tota lex* naturalis *conſiſtit,* verba ſunt optimi morum Magiſtri faſtuoſiſſimo legis Doctori reſpondentis *Matth. XXII, 37. & ſeqq.* (7) Nec excuſabit forte Cenſorem, ſi dicat, ſe per univerſam juris naturalis doctrinam intelligere doctrinam de officiis hominum erga ſe invicem & quid juris inter-

homines mutuo exerceatur, atque ſe negare doctrinam de religione naturali eſſe hujus partem. Nam ut nihil amplius dicamus, quod expreſſe aſſerat, doctrinam naturalem de Deo nativam velut ſedem in diſciplina juris naturalis non ſortiri, item qui diſciplinam juris naturalis ad captum univerſi generis humani adornari velit, ei hanc doctrinam ſequeſtrandam eſſe. Item, univerſam juris naturalis doctrinam ſolide & pleniſſime tractari poſſe, quamcunque tandem opinionem de DEO quis habeat, ſi modo principium ſocialitas aſſumatur, cum nullum commodius principium adſumi queat: Hoc in præſenti adhuc notaſſe ſufficiat, multas virtutes homini lege naturæ eſſe præceptas, pertinentes quidem ad naturam humanam, ſed non in quantum illa ſocialis, ceu ſummi & celeberrimi Viri: *Conringius* & *Boeclerus*, id dudum adverſus ipſum obtinuerunt. Qua enim ratione (a) quis non poſita animæ immortalitate demonſtrabit mille mortes potius obeundas, ut *Seneca* loquitur, & exquiſitiſſimos cruciatus perferendos eſſe, quam ut homicidium, adulterium, ſodomia, blaſphemia, perjurium, perfidia adverſus Deum, idololatria, atheiſmus, & innumeri alii actus, quos lex naturæ prohibet, eligantur? Niſi enim ſimul pœnæ & præmia defunctis expectanda eſſent, qua quæſo ratione hoc, quod

quod in tota juris naturalis doctrina præcipuum eſt, demonſtrari poſſet? *Non dubites id a nemine præſtari poſſe, qvum ipſe ſanctus Paulus diſerte agnoſcat, miſerrimos fore pios eosque, ſi nulla ſit reſurrectio, ideoque ponat pietatem non eſſe viam impetrandæ felicitatis, niſi anima fuerit immortalis & defunctis ſit beatitudo expectanda*, verba ſunt ſummi *Conringii*. Et licet Gentiles reſurrectionem mortuorum agnoſcere nequiverint, quod ſane veriſſimum eſt, animæ tamen immortalitatem & pœnas transgreſſionum legis naturalis poſt hanc vitam luendas, pœnarumque gradus agnoſcere potuerunt, imo debuerunt, ac profecto agnoverunt. (b) Socialitatem naturæ humanæ non poſſe eſſe univerſæ diſciplinæ juris naturalis adæquatum fundamentum dudum demonſtratum fuit. (c) Quæ interim de ſocialitate ut principio doctrinæ de officiis hominum erga ſe invicem Cenſor pro ſuis inventis thraſonice jactitat, & quaſi ſibi primum obſervata venditat, (verba ſunt Celeberrimi *Boecleri*) *ipſius ingenio non debentur*, utpote *quæ publice nota erant, non dicam antequam iſte, ſed pene ante quam Theognis naſceretur. Imperitæ juventutis aures crebro his acroamatis demulcentur, ſed apud viros graves talis oratio minime fuerit morata. Cicero in officiis & alii vel antequam Theognis natus eſſet omnia juris & officii præcepta ab ea*

 ori-

*origine repetiverunt. Quid clarius? De immortalitate animæ & pœnis quæ iſte habet, ſatis oſtendunt eum veram rationem juris ignorare.* Semper vero & *Cicero* & omnes alii idonei ſcriptores veteres Græci Latinique tandem recurrerunt ad doctrinam juris naturalis de religione ut fundamentum ſocialitatis, atque ad regulam hominum mentibus inſitam: *Magis Deo obediendum quam hominibus.* Nunquam certe conviciis Cenſor efficiet & a me impetrabit, ut ſententiam animi mutem, quæ hæc ſemper fuit & adhuc eſt; Si univerſo juri naturali in formam diſciplinæ ad captum univerſi generis humani redigendo primum principium & adæquatum fundamentum vel ſocialitas vel cultus Dei adſumi deberet, certe non ſocialitas, ſed pietas adſumenda eſſet. Habeo publice in hac re conſentientem Virum, cui Cenſor plurima ſua debet, cum quo tamen neutiquam ſalva veritate facere poſſum, dum unicum fundamentum diſciplinæ juris naturalis, ſive illud ſit ſocialitas, ſive aliud quid fruſtra quæri aſſerit, quo de in axiomatibus ad doctrinam de fundamento ſpectantibus diſpiciendi occaſio dabitur. (8) Adeo ampla eſt doctrina juris naturalis de religione naturali, ut ſi quis eam ex dignitate perſequi velit, atque nec abundare ſuperfluis, neque deficere neceſſariis, haud exiguæ molis librum conſcribere neceſ-

ceſſum habeat. Hoc interim facile admittimus, ex vulgaribus libellis, nihil præter undecim virtutum nomina continentibus, Theologiam Moralem, quæ nempe prima & præcipua diſciplinæ juris naturalis pars eſt, neutiquam comparari poſſe. Sed qui novit cum cenſore contemnere eos, eum oportet quoque noſſe meliores auctores, maxime veteres, cum græcos, tum latinos. Rem hanc ex inſtituto perſecutus ſum in *Juriſprudentia Morali*, qui liber Magnorum Patronorum juſſu ac conſilio a me per plures annos conſcriptus brevi, Deo propitio, lucem publicam adſpiciet. (9) Obiter addimus, idoneum Moralium cultorem vel ex ſolius *Ciceronis operibus Moralibus*, modo perfunctorie ea legerit, veriora melioraque ac Cenſoris aſſertis contraria haurire poſſe. Ipſe enim *Cicero* in juris univerſa diſciplina recte ac ſolide tradenda primo omnium ad officia hominis adverſus Deum, poſt demum ad officia hominum inter ſe reſpicere jubet. Illuſtris locus *lib. I. de Legibus* extat: *Animal hoc*, ait, *providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſt a ſupremo Deo, ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed*

*ſed in omni cœlo, atque terra, ratione divinius? Quæ cum adolevit, atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia.* EST IGITUR*, quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine, & in Deo;* PRIMA HOMINI CUM DEO RATIONIS SOCIETAS. INTER QVOS AUTEM RATIO, INTER EOSDEM ETIAM RECTA RATIO COMMUNIS EST. QVÆ CUM SIT LEX, LEGE QVOQVE CONSOCIATI HOMINES CUM DEO PUTANDI SUMUS. INTER QVOS PORRO EST COMMUNIO LEGIS, INTER EOS COMMUNIO JURIS EST. *Quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi ſunt. Si vero iisdem imperiis & poteſtatibus parent: multo etiam magis parent huic cœleſti deſcriptioni, mentique divinæ & præpotenti Deo.* Et poſt alia plura huc facientia pergit: *Itaque ex tot generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipſisque in hominibus* NULLA GENS EST *neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiam ſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoſcat Deum, qui, unde ortus ſit, quaſi recordetur, ac noſcat. Jam vero virtus eadem in homine, ac Deo eſt, neque ullo alio ingenio præterea. Eſt autem virtus nihil aliud, quam in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. Eſt igitur homini*

cum

tum Deo ſimilitudo. *Quod cum ita ſit, quæ tandem poteſt eſſe proprior certiorve cognatio?* Ex quibus vel cœcus perſpicit, quod doctrina de perfectionibus moralibus quæ Deo cum hominibus communes ſunt, non ſit purum putum commentum in ſtercore Scholaſticorum natum, ceu a contradicente ſine omni rubore aſſeritur. Pleni ſunt nobiliſſimis doctrinis de pietate, ut præcipua juris naturalis parte aurei *Ciceronis de Legibus libri* modo laudati. Conf. cum iis *libri de Nat. Deor.* Sic enim *lib. II. cap. 61.* poſtquam de animæ immortalitate ac morali etiam providentia DEI (dico: morali etiam providentia: Hanc enim conſiderant, qui Deum juſtiſſimum omnis impietatis ac violatarum legum naturalium vindicem eſſe demonſtrant) diſſeruerat, ſcribit: *Quæ contuens animus, accipit ad cognitionem Dei, ex qua oritur pietas, cui conjuncta juſtitia eſt, reliquæque virtutes: E quibus vita beata exiſtit par & ſimilis DEI &c.* Idem *cap.* præcedenti *28. Cultus autem Dei,* ait, *eſt optimus, idemque caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Non enim Philoſophi ſolum, verum etiam Majores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparaverunt &c.* Semper tamen Cicero & *Ariſtotelis*, quem *ſingulari virum ingenio & pæne divino* ſalutat *Lib. 1. de divinatione c. 25.* &

Pla-

*Platonis*, quem appellat *Virum unum totius Græciæ facile doctiſſimum Orat. pro C. Rabirio Poſtumo*, & *Socratis, quo quem auctorem meliorem quærimus?* quærit *lib. 1. de divin. c. 54.* ſcripta huc facientia inſigniter commendat. Exempla ſpecialia cum e *Morali* ac *civili Philoſophia*, tum e *Theologia* & *Jurisprudentia Forenſi* depromta, quibus cauſæ finales demonſtrantur, *in axiomatibus ad præſentis capitis doctrinam ſpectantibus videantur.*

IV. TERTIUS USUS PRACTICUS erat, ſibi aliisque perſpectum reddere modum per cauſam finalem demonſtrandi concluſiones, quæ de nulla cauſarum agunt: Ita ex cauſa finali Scripturæ S. a *Theologis* demonſtratur, eam debere eſſe perſpicuam: Eſt namque Scriptura S. conſignata, ut credamus *Joh. XX, 31.* At quæcunque Scriptura eſt conſignata, ut credamus, illa debet perſpicue credenda inculcare. Pariter ex cauſa finali a *JCtis*, & *Philoſophis practicis* demonſtratur jus uſucapionum ac præſcriptionum, quia alias incerta futura eſſent dominia ac infinitæ lites, ipſæ quoque controverſiæ de regnis regnorumque finibus nullo unquam tempore extinguerentur, cum tamen dominia ac imperia tandem aliquando in certo & extra controverſiæ aleam conſtitui, humanæ ſocietatis interſit. Ita ſanctimonia legatorum demonſtratur ex fine omni-

omnibus gentibus propoſito, quia nempe tranquillitati publicæ, ad quam tamen omnes civitates inſtitutæ ſunt, ſæpenumero conſuli nequaquam poſſet: Quod enim ſermo ſingulis, legatus eſt rebus publicis: Nam ut illius beneficio voluntatem & affectus noſtros alii aliis patefacimus; ita hujus miniſterio principum conſilia ac mutua deſideria ultro citroque communicantur. In ore legati eſt averſos Principes conciliare, arma compeſcere, bello ſedato pacem ac concordiam ſtabilire, publicam fidem ac amicitiam conſervare. Nec enim Principes ipſi ſemper coram eſſe & in converſatione cum aliis Principibus poſſunt: Imo quid fiet cum integris populis imperantibus? Nec vero literis publicæ ſecuritati ſatis conſulitur, utpote quæ facile intercipi aut in eorum, quos minime expediebat noſſe, manus incidere poſſunt. Occurrunt quoque interdum adeo impedita atque implicata, ut per literas expediri nequeant: Quædam etiam inter agendum accidunt, quæ ut provideri humanitus nequiverant, ita nec præſcribi. Ita in Moralibus ex cauſa finali demonſtratur, quod juſtitia expletrix, quoties ad idem non poteſt pertingere, feratur ad tantundem, quod eſt morali æſtimatione idem, quia juris mei explementum conſequi non poſſem, niſi Dominus fierem: Fruſtra enim eſſet rei detentio,

ſi ea

ſi ea uti pro arbitrio non poſſem: Legibus quidem civilibus ſcimus vetitum eſſe ſibi jus dicere; adeo quidem ut vis dicatur, ſi quis quod ſibi debitum eſt, manu repoſcat, & multis in locis jus crediti amittat, qui id fecerit. Locum ergo habebit, quod demonſtrabatur, ubi judicia continue ceſſant. Plura exempla videantur in axiomatibus huc ſpectantibus.

## CAPUT TRIGESIMUM
### De
# CAUSA MATERIALI, EJUSQUE DOCTRINÆ USU PRACTICO.

§. I.

FRuſtra cauſæ materialis in communi definitio deſideratur, cum ob nimiam communitatem una formula explicari nequeat. Unde varias cauſæ materialis ſignificationes diſtinxiſſe eſt cauſam materialem quaſi definiviſſe. Diſtinguitur igitur *materia* in *materiam ex qua*, *materiam in qua*, & *materiam circa quam*. Illa
ſeri.

Digitized by Google

κατ' ἐξοχὴν *materia*; iſta *ſubjectum* hæc *objectum* vocatur.

§. 2. *Materia ex qua* forſan non incommode deſcribitur hunc in modum: *Eſt compoſiti cauſa per paſſionem*: E. gr. Tam diu aurifaber agit in rude aurum, illudque nunc ſic nunc aliter diſponit, donec aurum formam poculi in ſe recipiat, retineatque, ſicque aurum poculi materia ex qua eſt, & dicitur.

## NOTÆ.

1. Non adeo difficile eſt oſtendere, qua ratione materiæ ex qua omnia ac ſingula requiſita veræ cauſæ conveniant. Adeſt (1.) *materiale*, quod ſemper eſt verum ac reale *ens*: E. gr. aurum reſpectu poculi. Adeſt (2.) *ratio cauſandi*, & hæc eſt *potentia paſſiva*: Eſt autem *potentia paſſiva id, quo aliquid aptum eſt recipere aliud*: E. gr. Potentia paſſiva auri eſt id, quo aurum aptum eſt recipere formam poculi: Et ſane quiſque vel ex nuda potentiæ paſſivæ delineatione percipit, eam non poſſe niſi vero ac reali enti tribui. Adeſt (3.) *cauſalitas*, nempe *paſſio*, hoc

eſt, receptio ac retentio, ut Scholæ loquuntur. E. gr. Quando aurum recipit formam poculi & quamdiu retinet, tum & tamdiu eſt materia poculi. Ubi obiter notamus, quod recipere & retinere non ex parte ſui, ſed ſolummodo ex parte connotatorum reale diſcrimen arguant. Quod enim primo momento receptio vocatur, hoc reliquis momentis non interruptis *Scholæ Doctores* retentionem appellant: E. gr. Quando Sol exoriens hoc momento incipit aerem illuminare, ſic dicitur aer lumen recipere, & quamdiu idem numero lumen in aere durat, tamdiu aer dicitur lumen retinere. Adeſt (4.) *requiſitum ſecundarium*, nempe *diſpoſitio*: Non enim ex quovis ligno fit Mercurius.

II. Proprie loquendo materia ex qua nequit tribui niſi (1.) corporibus naturalibus, ut vocantur: E. gr. Animali, plantæ, lapidi &c. (2.) corporibus artificialibus, ut appellantur: E. gr. annulo, lecto &c. Igitur non eſt, quod diutius explicationi hujus doctrinæ immoremur. Quippe de materia in Metaphyſicis in tantum agendum eſſe cenſemus, in quantum ex ea tractatione ſufficienter conſtare poterat, hoc prædicatum realiter a materia abſtractum, nempe cauſam ſeu τὸ eſſe cauſam, omnino materiæ ex qua competere. De cætero doctrina de materia ex qua ex profeſſo ad Phyſicam atque ad

Digitized by Google

ad ſcientias de artibus ſpectat. Imo quicquid tandem ſit, uſum adeo magnum hæc doctrina in Theologia vix præſtat, in Morali vero & Politica doctrina plane exiguum præſtabit. De uſu hujus doctrinæ in Theologia ſupra cap. VI. integra not. 3. ad §. 3. p. 1. & ſeqq. egimus, inque doctrina de toto amplius agemus.

III. Scopi noſtri memores vix verbo tangimus, qua ratione etiam materia ex qua ſtatui ſoleat in ordine ad formam, quatenus hæc fit dependenter a materia compoſiti. E. gr. Formæ artificialis poculi materia ex qua dicitur aurum, quia ipſa non niſi quando aurifaber aurum diſponebat, in auro producebatur, ſic quidem ut pereunte auro perire eam rem, quæ forma artificialis poculi dicitur, oporteat.

§. 3. Uſus practicus, hoc eſt, uſus, quem doctrina de materia ex qua in Theologia, Jurisprudentia, item in Morali & Civili Philoſophia quadantenus promittit, tum demum ſe exerit, ſi κατ' ἀναλογίαν conceptus communis rei, qui vel ipſum genus eſt vel generi reſpondet, materia: & proprius conce-

ptus, qui vel ipſa differentia eſt vel vicem differentiæ gerit, forma dicatur: E. gr. In Moralibus materia pœnæ dici poteſt malum paſſionis, item malum triſte.

N O T Æ.

I. Non contradicit *hic §. notæ 2. ad proxime præcedentem §.* quia ibi de materia ex qua rigoroſe & proprie ſic dicta ſermo erat; cum hic ſermo ſit de materia ex qua analogice tali. Et ſane facili ratione oſtendi poteſt analogia inter materiam & genus vel etiam quaſi genus intercedens: Sicut enim (1) materia de ſe eſt indifferens ad formas varias recipiendas: Ita genus eſt indifferens ad multas ſpecies & quaſi genus ad multas quaſi ſpecies. (2) ſicut materia eſt prior ordine naturæ ipſo compoſito: ita genus eſt prius ipſis ſpeciebus. (3) ſicut forma materiam determinat ad certum compoſitum: Ita differentia determinat genus ad aliquam ſpeciem. (4) Sicut forma eſt poſterior materia, quæ ei advenit: Ita differentia genere poſterior eſt. Alias enim materia & genus maxime differunt. Nam materia ab eo, cujus eſt materia realiter differt: genus ab eo, cujus eſt genus, ſaltem ratione.

II. Repetamus exemplum *hoc ipſo §.* al-

Digitized by Google

pallatum, ut de genuino uſu practico hujus doctrinæ rectius conſtet. Ita quæſtio eſt non minus vexata, quam neceſſaria ac utilis, quam non modo *Doctores Morales ac Politici*, ſed etiam *Theologi* & *JCti* ventilant: An communitas pœnæ dari citra culpæ communitatem ſalvo naturæ jure poſſit? Seu: An quis contra ſuam voluntatem poſſit luere pœnam alienam? Qui pro affirmativa pugnant, ad communem conſenſum provocant, ac evidentiſſimum hujus rei argumentum eſſe cenſent in poſteris pœnam luentibus criminis læſæ Majeſtatis citra omnem ſuam culpam a ſolo Parente ſolaque ipſius culpa patrati: Ita hæres tenetur ſolvere pecuniam, ad quam defunctus condemnatus eſt, adeoque eo ipſo hæres debet id, quod in pœna erat, hoc autem nihil aliud eſſe credunt multi, quam pœnam alienam luere. Ita poſteri honores & præmia accipiunt Majorum citra merita ſua, ad alienum vero meritum ſic ſe habet pœna, ut ad alienum meritum ſe habet præmium, quia utrobique meritum alienum locum invenit: Communiter quoque quando Titius promiſit pro Cajo delinquente, & nunc pro eo pecuniam tenetur ſolvere, ſolutio pecuniæ pœna Titii cenſetur pro Cajo ſoluta. Verum his & longe pluribus difficultatibus is felicius ſatisfacit, qui ad *fundamenta Metaphyſica doctrinæ de*



Digitized by Google

*materiali* recurrit, rebusque moralibus notiones haſce, *materiale*, *formale*, recte applicare novit. Ideo *materiale* pœnæ malum paſſionis diximus, quia omnis quidem pœna eſt malum paſſionis ſeu triſte, non tamen omne malum paſſionis ſeu malum triſte ſtatim eſt pœna: E. gr. Titius ruſticus & Sempronius maleficus ad idem opus e. gr. ad exſtruendum aggerem obſtricti ſunt: Ille quidem, quia ſub Principis id jubentis poteſtate eſt: Hic quia ad iſtud opus condemnatus fuerat: Idem ergo pœnæ *materiale* datur ex parte utriusque actus, ut tamen hæc exſtructio ſolius malefici pœna ſit. Igitur neglectus *diſtinctionis Metaphyſicæ inter materiale & formale* ſæpiſſime parit illius quod revera tale eſt cum eo quod ſolummodo tale videtur, confuſionem. Videntur enim multa talia, quamvis revera non ſint: E contrario multa ſunt talia, quæ tamen non videntur. Retineamus exemplum pœnæ propoſitum: Quando ob crimen læſæ Majeſtatis a Majoribus commiſſum poſteri qui nullatenus in culpa ſunt, carere feudo aliisque bonis tenentur; hoc Vulgus minusque idonei rerum Moralium æſtimatores pœnam dicent, cum tamen ex parte poſterorum in tali caſu proprie nulla pœna ſit, & ſolummodo *materiale* pœnæ adſit: Ratio eſt, quia bona illa poſterorum futura non erant, niſi a Parentibus ad

Digitized by Google

adultimum Spiritum eſſent conſervata, unde Parentum bonis confiſcatis, ſentiunt quidem malum paſſionis liberi, ſed pœnam non luunt. Idem ab *Alpheno* JCto notatum eſt, cum ait: *Patris pœna amittere liberos id quod ab ipſo perventurum eſſet ad eos, hoc eſt, hæreditatem ejus, & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt: Quæ vero non a Patre, ſed a rerum natura aut aliunde tribuerentur, ea manere eis incolumia l. eum qui 3. D. de interdictis & relegatis.* Pariter veriſſimum quidem eſt, hæredem debere id; quod in pœna erat defuncti, at dum ſolvit hæres id, quod in pœna erat defuncti, hæc ſolutio non eſt pœna hæredis, hoc eſt hæres non luit pœnam alienam, quia non ex delicto ſolvit pecuniam, ſed nova quædam cauſa obligationis ultra meritum exiſtit. Sic alibi poſt ſententiam, alibi poſt litem conteſtatam, quibus rebus vis contractus datur, pœna pecuniaria ab hærede debebitur, quæ in conventionem deducta eſt. Jam enim nova acceſſit debendi cauſa. Idem teſtatur *Paulus* JCtus *l. ſi pœna 20. D. de pœnis: Si pœna*, inquiens, *alicui irrogatur, receptum eſt commentitio jure, ne ad hæredes tranſeat.* Rurſus aliter cum beneficiis, aliter cum pœnis ſeſe res habet: Illorum enim talis eſt *materia*, ut in quemvis conferri ſine injuria poſſint, pœnarum non item. Sic quando Titius fidejuſſor ſolvit pecuniam,



Digitized by Google

ſolutio illa non eſt pœna Titii, quamvis eadem ſit ſolutio, quæ materiale pœnæ Seji foret, ſi Sejus mulctaretur: Titius enim non delicto ſe obligat ad ſolutionem, ſed promiſſo, adeoque Jure promiſſionis ſolvit pecuniam, quam alter jure pœnæ debuiſſet ſolvere: Aut ſi hæc explicatio non adeo placet, dicendum erit, in pœnis pecuniariis pecuniam Magiſtratui pro alio ſolutam morali fictione brevis manus dici debere datam delinquenti, ac deinde ab ipſo delinquente numeratam. Nam quicquid tandem ſit, ex parte fidejuſſoris ſaltem *materiale* pœnæ pecuniariæ adeſt, formale exulat. Prolixe hæc res, ſi placet, deducta videri poteſt in *introductione ad Hugonis Grotii opus lib. II. cap. XX. §. 9. p. 1175. & ſeqq. & cap. XXI. per totam quæſtionem 1. p. 1275. & ſeqq.* Ejusdem exempli uſus inſignis eſt in *Theologia*, dum nempe *Theologi* arduam ac difficillimam quæſtionem de imputatione peccati primorum parentum tractant, ceu prolixe citato loco *p. 1285. & ſeqq.* item *p. 1289. & ſeqq.* deducere conati ſumus.

III. Innumera exempla ex omnibus *diſciplinis practicis* ac *facultatibus* adduci poſſent, ſi chartæ penuria ferret. Hoc interim adhuc ſufficiat notaſſe, eos, qui nunc craſſa ignorantia hujus doctrinæ Metaphyſicæ laborant, nunc eam ſimulant (quo enim ani-

animi morbo alii infeſtentur, præſtare noſtrum non eſt) nunc inepte, nunc turpiter, confundere doctrinas veras ac receptas cum ſuis nugis ac novitatibus. Unicum hujus rei exemplum faciamus, idque ſatis luculentum: Quæſtio eſt & Moralis & Theologica & a JCtis tractari ſolita: Num jus naturale, veriſſime & accuratiſſime ab omnibus aliis juribus per hoc diſtinguatur, quod ea præcipiat aut vetet quæ per ſe ac ſuapte natura aut debita ſunt aut illicita, cum omnia alia jura vetando illicita, præcipiendo debita faciant, adeo ut in jure divino non naturali, ſed voluntario locum habere poſſit, quod nimium, indiſtincte dicebat *Anaxarchus apud Plutarchum in Alexandro*: Non ideo id Deum velle, quia juſtum eſt, ſed juſtum eſſe, id eſt, jure debitum, quia DEus voluit? Hæcque ipſa, quæſtio etiam his terminis efferri ſolet: Num moralitas citra reſpectum ad legem ſeu ut antecedenter ad legem ſe habens ſpectari poſſit? Sententiæ ajenti non minus veræ quam receptæ ſequentia opponuntur: *Theſis mea eſt: motum phyſicum in actione humana, abſque omni reſpectu ad legem conſideratum eſſe moraliter indifferentem. Nam contraria huic theſis implicat, abſque reſpectu ad legem congruere ad legem vel non congruere. De ſolo iſto motu phyſico me agere ita crebro inculcavi, ut metuam, ne lectorem ſtuporis inſimulaverim.*

*Hoc dogma cum inter Theologos hactenus tralatitium fuerit, quando ad id, quod in peccato phyſicum & materiale eſt, Deum tanquam conſervatorem naturæ concurrere unanimiter docuerunt v. g. ad extenſionem manus in furto: (quod citra blaſphemiam dici non poſſet, ni motus ille phyſicus eſſet res moraliter indifferens) nunc neſcio qua maligna mentis febri a quibusdam tanquam monſtroſus indifferentismus moralis diffametur. Sane quam diu genus humanum fuit ſolus motus phyſicus non fuit actio humana & moralis, ſed ejusdem duntaxat materiale: Ad actionem autem moralem præter motum phyſicum requiritur etiam aptitudo ad imputandum & reſpectus ad legem: Unde qui indifferentiam motus phyſici trahere volunt ad indifferentiam actionum moralium, perinde fallunt & falluntur, ac ſi in Phyſica Peripatetica nullum inter corpora diſcrimen agnoſcere velint, ideo quia materia prima indifferenter ſe ad quamvis formam habeat.* Hæcce talia ſi homines imperiti rerum omnium Theologicarum ac Metaphyſicarum rudes legerint, facile adduci poterunt, ut credant veriſſimam eſſe & accuratiſſimam conſequentiam hanc: Si ad id, quod in peccato materiale eſt, ex unanimi *Theologorum* conſenſu DEUS concurrit, ſequitur, nullum actum moraliter malum citra reſpectum ad legem talem dici poſſe. Iſtis enim hominibus ratio ſolida ac ſufficiens videbitur,

tur, ſi urgeatur, citra blaſphemiam dici non potuiſſe, DEum ad id, quod in peccato *materiale* eſt, concurrere, ni actus ille quoad *materiale*, hoc eſt, citra reſpectum ad legem ſpectatus eſſet, res indifferens. Enimvero ſi ingenue dicamus, quod ſentimus, certe ſi *Theologi orthodoxi*, *omneſque Metaphyſici*, qui cum *Theologis orthodoxis* faciunt; aſſerant, DEum tanquam conſervatorem naturæ ad id, quod in peccato *materiale* eſt, concurrere, veriſſimum eſt & omnino concedimus: at dum iſte cenſor dicit, falſiſſimum eſt, nec concedi poteſt. Non equidem quod quorundam delirio enunciationem a perſona potius, a qua profertur, quam ab objecto, habere putemus, quod vera ſit vel falſa: ſed propter hypotheſin cenſoris, qui τὸ *materiale* longe aliter accipit. Tentabimus igitur, an fucum, quo iſte ſuam tegit hypotheſin, detegere poſſimus? Capiamus exemplum unum vel alterum: Peccatum morale eſt ſodomia, eſt adulterium, eſt inceſtus, ſane ſi phyſicum & *materiale* ſodomiæ, adulterii, inceſtus, dicatur actio, ſalva omni pietate dici poterit, quod DEus ad id, quod in his peccatis phyſicum & *materiale* eſt, concurrat: E contrario ſi phyſicum & *materiale* in ſodomia, adulterio, inceſtu vocetur non præciſe actio, ſed actio ut eſt talis ſpeciei, nempe coitus aut concubitus ſpectatus, ut procedit a concumben-

Digitized by Google

bentis voluntate ſeu ut concumbenti eſt voluntarius, & quidem talis objecti, nempe concubitus voluntarius cum beſtia, cum uxore aliena, cum matre, ſic non minus impium, quam falſum aſſertum eſt, ſi nempe quis aſſerat, Deum ad id, quod in peccato *materiale* eſt, concurrere. Nam ſi Deus concurreret ad actionem, ut eſt concubitus voluntarius cum beſtia cum uxore aliena, *cum* matre, ſic DEus (abhorreant piæ aures!) eſſet cauſa actionis moraliter malæ qua talis, quia cum voluntario concubitu cum beſtia, uxore aliena, matre, neceſſario ac perpetuò conjuncta eſt malitia moralis ſeu turpitudo. Jam notiſſimum omnibus eſſe debebat, in priori ſenſu a *Theologis orthodoxis* & *Philoſophis*, qui illos ſequuntur, accipi *materiale* peccati: Tantum enim abeſt, ut illi unquam dixerint, Deum ad actionem ut eſt concubitus voluntarius cum beſtia, uxore aliena, matre concurrere, vel etiam DEum movere voluntatem hominis ad concubitum talem, ut potius apertis verbis una negaverint, Deum, in quantum ad id quod *materiale* eſt in ſodomia, adulterio, inceſtu concurrit, ad concubitum ut concubitum concurrere. Statuunt enim *omnes Theologi orthodoxi* ac *Philoſophi* hos ſecuti, DEum, dum ad id quod in peccato *materiale* eſt, concurrit, eſſe cauſam univerſalem, hoc eſt, concurrere concurſu uni-

univerſali, id eſt, influxu prorſus illimitato & indifferente, id eſt, tali, unde effectus quidem habet, quod ſit effectus, non vero, quod ſit talis vel talis effectus, ſeu effectus certæ ſpeciei e. gr. concubitus, licet nondum attendatur, objectum, hoc eſt, cum quo concumbatur, num cum beſtia, uxore aliena, matre &c. item, num ſit concubitus voluntarius, nec ne? Omnes enim *orthodoxi Theologi* ita definiunt cauſam univerſalem, quod ſit ea quæ influit influxu ex parte talis cauſæ ita illimitato & indifferenti, ut ſimul eodem modo in plures ſpecie vel genere etiam diſtinctos effectus influat ſive influere poſſit. Unde quisquis nugas & ſophiſticationes cenſoris ſerio advertere cupit, ei incumbit duo probe notare: *Primo* diſcrimen a Theologis orthodoxis inculcatum, quod nempe actio duplici modo conſiderari poſſit: 1. in genere ſeu in communi, quatenus eſt actio & ſub hac ratione omnis actio provenit a Deo, quia dum Deus cauſa univerſalis eſt, hoc eſt, concurſu univerſali concurrit, utique agit, adeoque concurſus iſte univerſalis eſt actio. 2. in ſpecie, quatenus eſt talis actio, ut: concubitus ſeu coitus: Et ſic ſub hac ratione a cauſa ſecunda, quæ ſimul cauſa particularis eſt, provenit, ut nihilominus in reipſa ſit actio. *Secundo* tenendum eſt, cenſorem iſtum contradixiſſe huic *Theologorum*

Digitized by Google

*rum orthodoxorum* aſſerto: Dantur quædam moraliter mala ſeu turpia, quæ ut moraliter mala ſeu turpia ſpectari poſſunt, ut tamen in puncto rationis turpitudo iſta antecedenter ſe habeat ad decretum ſuperioris, quo nempe vult, ut a ſubditis ea omittantur; hocque aſſertum tale, expreſſis verbis dixiſſe, quo nihil ſtolidius fingi poterat & ex quo horribilia abſurda ac blasphema dogmata ſequantur, qui interim defendit, formale cujuslibet actus moraliter mali ſeu turpis eſſe *ὀνομίαν* ſeu habitudinem ad legem vetantem, quæ ſcilicet habitudo in eo conſiſtat, quod talis actus lege naturali ſit prohibitus. His enim duobus rite obſervatis, æqui rerum Theologicarum & Philoſophicarum æſtimatores judicent, num quid pro ſua ſententia tamque iniqua cenſura defendenda abſurdius aut magis nugatorium cenſor proferre potuiſſet, quam quod ſic colligere non erubuerit: Si ex Theologorum ſententia *materiale* actionis moralis e. gr. ſodomiæ, adulterii, inceſtus &c. dici poteſt actio, non ſpectata, ut eſt talis actio, e. gr. ut concubitus hominis voluntarius cum beſtia, uxore aliena, matre, imo ne quidem, ut eſt concubitus, non attendendo, qualis ſit concubitus, ſequitur, nullam actionem moraliter malam ſeu turpem ſpectari poſſe ut moraliter malam ſeu turpem, niſi præciſe ſpectetur in ordine ad decre-

decretum ſuperioris, quo nempe vult ut a ſubdito talis actio omittatur. Hoc enim, uto ſtendimus, & non aliud, Theologi *materiali* peccati intellectum volunt. Igitur idonos & *Theologiæ* & *Philoſophiæ* cum *primæ*, tum *moralis*, cultores noſſe oportet, peccatum morale e.gr. ſodomiam, adulterium, inceſtum &c. non tantum quod materiale, ſed ſimul quoad formale ſpectari, licet non ſpectetur, ut dicit habitudinem ad legem ſumtam pro decreto ſuperioris, quo ſibi ſubjectum obligat. Hæc namque omnia e. gr. eſſe concubitum & quidem voluntarium, cum beſtia, uxore aliena, matre &c. ad formale talismodi peccatorum moralium ſpectant. Unde ſi ſolida ratione morali doceri ac demonſtrari poteſt, quod ad concubitum cum talibus Deus nullam voluntatem movere queat, nulloſque talismodi concubitus præcipere aut permittere poſſit, quodque non poſſit non prohibere illis qui talium actuum alias phyſice capaces ſunt, uti profecto iſtud omnino probari poteſt, quis dubitaret amplius, talismodi actus lege naturali homini a Deo eſſe vetitos, quia turpes ſunt. Rudi ſimilitudine res percipi poteſt; Quemadmodum recte dicitur hoc animal e. gr. Petrum formaliter per hoc eſſe hominem, quod ſit (animal) docile, abſurdus vero eſſet, qui id propter negaret quoad formale homi-

minem ſpectari, ſi ſpectetur ut (animal) rationale, cum certe rationale dicat formale primum, docile vero formale conſequens, ipſaque rationalitas & docilitas non a parte rei ſed noſtro modo concipiendi differant: Ita ex mente orthodoxorum Theologorum formale conſequens peccati moralis e. gr. ſodomiæ, adulterii, inceſtus eſt ἀνομία, quæ tamen noſtro concipiendi modo inq; ſolida rei veritate fundato, ut ſcholæ loqvuntur, poſterior eſt abſolute neceſſaria diſconvenientia talismodi actuum ſolide demonſtrata. Aut ergo cenſor perverſa vocis: *Materiale* acceptione poſt agnitum errorem ſuum incauto lectori imponere ſtudet, aut cogitur fateri, ſe vel atrocem injuriam feciſſe omnibus Theologis Orthodoxis, quos ſummæ ſtoliditatis, horribilium abſurditatum, blaſphemiæ reos arguerat, cum quibus tamen idem ſenſerit, ſaltem aliter locutus fuerit, vel craſſa ignorantia terminorum ſe laborantem ea tamen refutare voluiſſe, quæ nec didicerat, nec intellexerat. En nobile ſpecimen controverſiæ ab iſto motæ, qui ſine rubore aſſeruerat, de talibus controverſiis feliciter judicare poſſe eos, qui philoſophiam primam plane ignorant, aut ſaltem notitiam ejus diſſimulant.

§. 4. *Materia in qua*, quam

vul-

vulgo *ſubjecti* nomine nuncupant: eſt *ens, in quo aliud ens ſit vel eſt*: Egr. Formæ poculi materia in qua eſt aurum, formæ canis materia in qua erat maſſa illa ſanguinea, quam vocant, in forma canis producebatur, dum ex ea canis generabatur.

*NOTÆ.*

I. Non pauci Doctores ad *materiam in qua* inſuper requirunt, ut inde in fieri ac eſſe ſuo id, cujus ſubjectum ſeu materia in qua vocatur, pendeat: Accuratiores namque Philoſophi corpus organicum hominis non facile vocare audent materiam in qua ſeu ſubjectum formæ, quæ ſpiritualis eſſentiæ eſt, quod licet anima hominis ut ſpiritualis *eſſentiæ* eſt, ſit in corpore, non tamen in eſſe ſuo ita a corpore pendeat, ut extra corpus eſſe nequeat. Hinc ſunt, qui definiunt materiam in qua hunc in modum: Eſt ens, cui actu & revera aliquid ineſt, ut tamen non ſit ejus pars, nec poſſit ſeparatum exiſtere amplius, hoc eſt, poſtquam ab eo, quod ipſius ſubjectum vocatur, ſeparatum fuerit, nequeat amplius exiſtere.

II. Si ita ſumatur materia in qua, eadem potentia paſſiva, quæ eſt *ratio cauſandi* ex parte materiæ ex qua reſpectu compoſiti, eſt

etiam ratio cauſandi ex parte materiæ in qua reſpectu formæ materialis. Hoc tamen manet diſcrimen: Poteſt dari materia ex qua reſpectu compoſiti, ut ea non ſit materia in qua reſpectu formæ, quando nempe forma eſt immaterialis. Sunt tamen alii, quibus adhuc diſtinctio placet inter formam immaterialem ſpectatam ſecundum eſſe abſolutum & ſecundum eſſe reſpectivum ſeu eſſe formæ. Illo enim modo nolunt ei rigoroſe loquendo ſubjectum tribui poſſe, hoc utique, ſi nempe ſpectetur ut forma.

III. *Cauſalitas* ex parte ſubjecti erit *paſſio*, ſed alia ratione ſpectata, atque cauſalitas ex parte materiæ ex qua dicebatur.

IV. *Cauſatum* materiæ in qua rigoroſe ſic dictæ erit forma materialis, in laxiori vero ſignificatu quælibet forma.

§. 5. Præcipuas utilioresque diſtinctiones materiæ in qua tangere lubet: Et 1. quidem diſtingui ſolet inter *ſubjectum quod* & *ſubjectum quo*: Ita namque mutilatis terminis hancce diſtinctionem Scholaſtici efferunt. *Quo enim mediante forma* (materialis) *alicui ineſt, vocant ſubjectum quo*: E.gr. Medi-

an-

ante intellectu homini virtus intellectualis, mediante voluntate homini virtus moralis ineſt: Eſt igitur anima rationalis ſubjectum quo reſpectu utriusque virtutis: *Cui* autem *mediante altero forma* (materialis) *ineſt, ſubjectum quod dicunt*: Ita virtutis, cum intellectualis, quæ mediante intellectu; tum moralis, quæ mediante voluntate homini ineſt, ſubjectum quod homo vocatur.

*NOTA.*

Aliud eſt conſiderare ſubjectum, ut ei mediante alio forma ineſt: Aliud vero conſiderare ſubjectum, ut ei forma immediate ineſt. Hinc quando alicui ſoli forma ineſt immediate, diſtinctio inter ſubjectum quod & quo, uti quidem ſubjectum quod relationem dicit ad ſubjectum quo, hoc eſt, ut ſe mutuo ponunt & tollunt, locum non invenit.

§. 6. Subjectum II. diſtingui ſolet in *ſubjectum informationis* & *ſubjectum inhæſionis*. *Illud dicitur etiam ſubjectum informa-*

*tionis ſubſtantialis, & eſt ſubjectum ſubſtantiæ*, ut: Corpus organicum canis eſt ſubjectum animæ canis: *Hoc vocatur quoque ſubjectum informationis accidentalis, & eſt ſubjectum accidentis*, ut: Paries eſt ſubjectum albedinis.

*NOTA.*

Quia rigoroſe philoſophando cauſatum ſubjecti eſt forma, videndum habemus, num illa forma ſit ſubſtantia, an accidens: Si prius, refertur ad ſubjectum informationis, cum primario forma, quæ eſt ſubſtantia, dicatur informare, ipſiusque non ſit inhærere: Si poſterius, refertur ad ſubjectum inhæſionis, cum accidentis ſit inhærere.

§. 7. Uſu frequentiſſima ac quotidiana eſſe ſolet III. *diſtinctio ſubjecti in ſubjectum cognitionis, ſubjectum operationis, & ſubjectum inhæſionis. Subjectum cognitionis* diſtingui iterum ſolet in *incomplexum* & *complexum*: *Incomplexum cognitionis ſubjectum vocant minorem terminum in ſyllogiſmo*

*giſmo demonſtrativo: Complexum appellant totam propoſitionem quæ demonſtratur ſeu quæ in ſyllogiſmo demonſtrativo concluſio eſt*: E. gr. in hoc ſyllogiſmo: Quicquid eſt immutabile illud eſt æternum. Deus eſt immutabilis. E. Deus eſt æternus, Incomplexum ſubjectum cognitionis erit Deus: Complexum hæc propoſitio: Deus eſt æternus. *Subjectum operationis* definiunt, quod ſit *id in quod agitur, aut agi ſolet vel debet*: E. gr. ſubjectũ operationis reſpectu artis ſutoriæ eſt corium, in quod ſutor tam diu agit, donec opus artis ſuæ nempe calceus prodeat: Ita ſubjectum operationis reſpectu artis medicæ eſt corpus humanum, reſpectu Philoſophiæ civilis civitas, reſpectu Theologiæ revelatæ homo peccator &c. Deniq; *ſubjectum inhæſionis* nominant, *cui forma in-*

*hæret:* E.gr. voluntas reſpectu virtutis moralis.

*N O T A.*

Non eſt, quod *Philoſophiæ primæ* cultor exiſtimet hanc eſſe ſubjecti diſtinctionem in ſua latitudine. Saltem ideo placuit adducere hancce diſtinctionem, quia tam frequenter occurrit, ejusque mentionem fere quilibet movet, quisquis Scholam aperit, hoc eſt, de diſciplinæ, quam tradere decrevit, natura & conſtitutione ad auditores ſuos ſecundum receptam methodum verba facit. Nec mirari ſubeat, cur multi diſciplinis practicis ſubjectum cognitionis denegent: Hoc namq; inde factum credas; quia plurimi negant in diſciplinis practicis dari demonſtrationes. Cæterum videt quisque longe latius extendi potuiſſe ſubjectum cognitionis: Nec vero, quod nec ſubjectum eſt cognitionis, nec operationis (ſumta operationis voce, ut πρᾶξιν & ποίησιν comprehendit) id propter ſtatim ſubjectum inhæſionis eſt. Nam ut nihil dicamus de diſtinctione inter ſubjectum inhæſionis & adhæſionis, nullius ſane formæ eſt inhærere ſubjecto, niſi ſit accidens. Formæ autem quæ ſunt ſubſtantiæ nequaquam inhærent, ceu ex §. præcedenti liquet. Poterat etiam hic attingi diſtinctio inter ſubjectum κατηγορίας ſeu prædicationis e. gr.

Digitized by Google

e. gr. Homo tale ſubjectum dicitur reſpectu animalis; & ſubjectum ὑπάρξεως ſeu inhæſionis: ut: homo reſpectu virtutis moralis.

§. 8. Uſus practicus doctrinæ de ſubjecto itidem triplex eſt: Oportet enim practicarum diſciplinarum cultorem noſſe (I) varia ſubjecta, eorumque cum primaria tum ſecundaria requiſita. (II) modum demonſtrandi ſubjecta. (III) Modum demonſtrandi per ſubjecta.

NOTÆ.

I. Circa USUM PRIMUM PRACTICUM apprime notandum ducimus, notionem ſubjecti in diſciplinis practicis ſæpe habere ſignificationem longe laxiorem: Ita e. gr. In Moralibus ſubjectum promiſſionis vocatur cui promittitur, in Politicis ſubjectum legis dicitur, cui lex lata eſt, in Philoſophia practica & Jurisprudentia civili ſubjectum contractus appellaturis cum quo contrahitur, in Theologia ſubjectum juſtificationis nuncupatur, cui juſtitia Chriſti imputatur. Nec forte eſt, quod prolixe moneamus, ſæpe in *Theologia* & *Jurisprudentia civili* expreſſis verbis ſatisve luculenter indicari ſubjectum, ut nul-

lam rationem a priori quærere Theologiæ ac Jurisprudentiæ Cultores neceſſum habeant: E. gr. quando *Rom. IV*, 2. & 3. dicitur: *Nam ſi Abraham ex operibus juſtificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Item v. 4. & 5. *Ei vero qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Porro ei qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam.* Conf. *verſus* plures *ſeqq.* Ex his enim æque ac citatis liquebit facile, hic a Spiritu S. expreſſe agi de ſubjecto imputationis. Ita e. gr. Quando *Paulus* JCtus *l. ſi is 31. §. quantum 1. D. de inofficioſo teſtamento* ait: *Quantum ad inofficioſi liberorum, vel Parentum querelam pertinet, nihil intereſt, quis ſit heres ſcriptus, ex liberis, an extraneis, vel municipibus.* Et *Ulpianus* ex Papiniani lib 5. *quæſtionum* tradit: *Si imperator ſit heres inſtitutus: poſſe inofficioſum dici teſtamentum ſæpiſſime reſcriptum eſt. l. Papinianus 8. §. ſi 2. D. eod. tit.* Collectu facile eſt, his legibus exprimi ſubjectum querelæ inofficioſi teſtamenti eſſe quemlibet hæredem teſtamento inſtitutum. Cæterum quæſtio de ſubjecto variis modis efferri ſolet: Nunc quæritur: IN QVO? nunc CUI? nunc CONTRA QVEM? AD QVEM? & quæ id genus plures quæſtiones occupatæ cir-

circa materiam in qua ſeu cauſam materialem ſubjectivam dantur. Obiter addimus, in haud paucis compendiis practicis ſubjectum activum dici, quod in rei veritate non ſubjectum, ſed cauſa efficiens eſt, adeoque fruſtra, ſi rigorem Metaphyſicum quæras, cauſæ efficienti contradiſtinguitur.

II. ALTERUM USUM PRACTICUM uno vel altero exemplo indicaſſe ſufficiat. Ita in Theologia demonſtratur, ſubjectum imputationis (κατ' ἐξοχὴν a Theologis ita dictæ, qua nempe obedientia Chriſti in juſtitiam imputatur) eſſe impium, & demonſtratur ex cauſa meritoria hujus imputationis, quia Chriſtus pro totius mundi peccatis *1. Joh. II, 2.* (omnes enim peccaverunt ac deſtituuntur gloria Dei: Juſtificantur autem gratis per illius gratiam, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu *Rom. II, 23.24.*) mortuus eſt, ut quisque peccator meritum optimi ſervatoris apprehenderet & fide ſibi applicaret ſuumque faceret, non ſecus ac ſi ipſe perfectam obedientiam præſtitiſſet. Pariter impium eſſe ſubjectum imputationis, non ut in ſua impietate & injuſtitia manentem, ſed ut vera fide apprehendentem compenſationem ab alio factam, demonſtratur iterum ex cauſa meritoria, quia priori conſideratione imputare impio juſtitiam (imputatione ſimplici) abominatio eſt, quia nul-



Digitized by Google

lam ſatisfactionem impius præſtitit, nec præſtare unquam valet: Poſteriori vero conſideratione, habet ab alio pro ſe præſtitam ſatisfactionem. Sumamus *exemplum Juridicum*: Circa *cauſam materialem ſubjectivam ſeu ſubjectum rei vindicationis*, quam *JCti* vocant, quæſtio a *JCtis* movetur: Num etiam ſubjectum hujus actionis cenſeri poſſit is, qui rem alienam e. gr. furtivam bona fide comparaverat, & rurſus bona fide ante interpellationem Domini in alium transtulerat? Seu, quod eodem redit: An Dominus contra eum habeat actionem? Sententiam negativam *Covarruvias*, quem exacti judicii JCtum *Hugo Grotius* nominat, non ſolummodo exemplis & praxi, ſed ſolida ratione a priori demonſtrari poſſe aſſerit *part. 3. Relect. c. Peccatum de Reg. tom. 1. pag. m. 556. num. 1. & 3.* Demonſtratur vero hæc *de ſubjecto* concluſio *ex objecto ſeu cauſa materialis objectiva loco*. Aliud enim eſt pretium, aliud vero res, adeoque Domino potius incumbit prædonem ſeu eum qui dolo deſiit poſſidere, aut poſſeſſorem rei convenire, quam pretium exigere ab eo qui nihil aliud, quam pretium, quod ipſe ſolvit, bona fide alienando recuperavit: Neque dici poteſt pretium loco rei ſuccedere, argumento *l. qui vas 48. §. cum fur 7. D. de furtis*, ubi *Ulpianus* ait: *Cum fur rem furtivam vendidiſſet, eique nummos pretii dominus rei per*

*vim*

vi extorſit: *furtum eum nummorum feciſſe, recte reſponſum eſt, idem etiam vi bonorum raptorum actione tenebitur: quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non eſſe, nemini dubium eſt: nummus ergo hic, qui redactus eſt ex pretio rei furtivæ, non eſt furtivus.* Unde nec rei vindicatio in tali caſu locum invenit *l. qui petitorio 36. D. de rei vindicatione.* Interim ex æquitate actionem in factum dari Magni Nominis JCti exiſtimant, qua ad id ſolum teneatur ejusmodi venditor, quod ex iſta venditione lucratus eſt, ſeu quod ultra pretium, quod ipſe exſolvit, conſecutus eſt, argumento *l. cum autem 52. D. de rei vindicatione*, ubi *Julianus* ſcribit: *Cum autem fundi poſſeſſor ante litem conteſtatam dolo malo fundum poſſidere deſiit: hæredes ejus in rem quidem actionem ſuſcipere cogendi non ſunt: ſed in factum actio adverſus eos reddi debebit: per quam reſtituere cogantur, quanto locupletes ex ea re facti fuerunt.* Quam ſententiam uſu receptam eſſe tradit *Carpzovius part. 2. prax. crim. q. 87. num. 71.* Hinc ſi non emtionis ſed donationis titulo rem alienam e. gr. furtivam quis habuerit eamque vendiderit, pretium domino reddere obſtringitur. Similiter & ſi ipſe bonæ fidei poſſeſſor rem conſumſerit, ac in ſuos uſus converterit, tenetur, quanto inde eſt locupletior. Maxime æqua vero eſt hæc ſententia, ſi dominus nec a fure ob ejus e. gr. inopiam, nec a poſſeſſore ob rei

for-

forte interitum, rem aut æſtimationem ejus conſequi poſſit: Similia namque exempla occurrunt, quibus ſi Dominus rem ſalvam aliter habere non poſſit, deficiente ordinario remedio ex æquitate ſubvenitur *l. cum filius-familias 17. D. de rebus creditis l. æquum prætori 1. l. eo nomine 2. D. de inſtitoria actione l. utilitatem 1. §. ſed ex contrario 18. D. de exercitoria actione.* Hæc docet Magnif. *Dn.* Struve *Syntagm. exerc. XI. §. 13.* Eadem quæſtio Moralis quoque tractationis erat, ceu *Covarruvias* expreſſe fatetur, dum *cit. loc.* ſcribit, eam & ad *forum civile*, & ad *forum animæ*, quod *ibidem* etiam *judicium animæ* vocat, ſpectare, unde quoque ex Moralibus principiis eam deducere ſategit *Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. 10. §. 3. & ſeqq.* Aſſumamus aliud exemplum Morale: Ita, ut promiſſio Jus transferat, acceptatio non minus quam in translatione dominii requiritur, ita tamen, ut hic quoque præcedens rogatio durare intelligatur, ac vim habere acceptationis. Demonſtratur hoc ex *cauſæ finalis loco*: Nam invito non debet beneficium obtrudi, ſicque *cauſa Materialis ſubjectiva* per *cauſam finalem* demonſtratur. Ex eodem fundamento ad quæſtionem: Num ſatis ſit acceptationem fieri, an vero etiam innoteſcere debeat promiſſori, antequam promiſſio plenum effectum conſequatur? & Metaphy-

phyſice & Analytice reſpondetur, dum ſic reſpondetur: Quia certum eſt, utroque modo fieri poſſe promiſſionem aut hoc modo: Volo, ut valeat ſi acceptetur; aut hoc modo: Volo, ut valeat, ſi acceptatum intellexero; in his quidem, quæ ad mutuam pertinent obligationem poſterior ſenſus præſumitur: In promiſſis vero mere liberalibus potius eſt, ut prior ſenſus credatur adfuiſſe, niſi aliud appareat. Exinde etiam demonſtratur, ante acceptationem, quippe jure nondum tranſlato, revocari promiſſum poſſe ſine injuſtitia, imo & ſine inconſtantia, ſi revera eo animo factum ſit, ut ab acceptatione demum valere incipiat. Revocari etiam poſſe mortuo ante acceptationem eo cui promiſſum erat, quia videtur acceptatio in ipſius arbitrium collata, non hæredum. Aliud enim eſt velle dari huic jus ad hæredes tranſiturum, aliud velle dare hæredibus: (Ideo ad vitandum ambiguum dici ſolebat: *illi liberisque ejus*) Multum enim refert, in quem beneficium conferatur, quod etiam *Neratius conſultus*, *an quod beneficium dare ſe quaſi viventi, Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur?* reſpondit, *non videri ſibi Principem, quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe: quem tamen modum eſſe beneficii ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe*, ceu *l. Neratius 191. D. de regulis Juris* expreſſis

ver-

verbis traditur. Poſſe etiam revocari mortuo eo qui lectus erat voluntatis internuncius, non item mortuo tabellario. Et quæ id genus plures quæſtiones de *ſubjecto promiſſionis* ſunt, quas *Grotius*, æque ac allatas, *l. 2. de Jure Belli & Pacis cap. XI. a §. 11. usque ad 21.* probe expendit, dum *iſtis §§.* doctrinam *de cauſa materiali ſubjectiva* ſeu *ſubjecto promiſſionis* (promiſſarium Juris Magiſtri vocant) *ex inſtituto* egit. Quo etiam ſpectant caſus & quæſtiones de acceptatione pro altero facta. In quibus accuratiores Doctores diſtingvunt inter promiſſionem mihi factam de re danda alteri & inter promiſſionem in ipſius nomen collatam, cui res danda eſt. Si prius, naturaliter cenſent jus dari efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, ſi & is acceptet; ita ut medio tempore a promiſſore revocari non poſſit, ſed ego cui facta eſt promiſſio eam poſſim remittere, cum non certe nihil mea interſit, ſi per me alter beneficium acquirat. Si poſterius, aut habet mandatum (ſive ſpeciale acceptandi, ſive ita generale, ut talis acceptatio ei incluſa cenſeri debeat) aut non habet. Si illud, plane ex tali acceptatione promiſſionem perfici: Si hoc, eum eſſe effectum ut promiſſori revocare promiſſionem non liceat, antequam is quem ſpectat promiſſio eam ratam habuerit aut irritam: Sic tamen, ut medio illo tempore is qui acceptavit remit-

Digitized by Google

mittere promiſſum non poſſit, quia hic non adhibitus eſt ad jus aliquod accipiendum, ſed ad adſtringendam promiſſoris fidem in ſuſtentando beneficio: ita ut promiſſor ipſe ſi revocet, faciat contra fidem, non contra jus proprium alicujus. Ex ſuperioribus intelligi etiam poſſe, quid ſentiendum ſit de onere adjecto promiſſioni? Id enim fieri poſſe, quam diu promiſſio completa nondum eſt per acceptationem, nec fide interpoſita facta irrevocabilis. Onus autem in commodum tertii adjectum promiſſioni revocari poſſe, quamdiu a tertio acceptatum non fuerit. Hæc omnia, quæ de promiſſis huc usque attulimus, ad *titulum Metaphyſicum de cauſa materiali ſubjectiva ſeu ſubjecto* ſpectant. Eum enim cui promiſſio fit, diximus recte vocari *cauſam materialem ſubjectivam* ſeu *ſubjectum* promiſſionis: Et ſi Metaphyſicum terminum applicare velimus, *cauſalitas ex parte ſubjecti* promiſſionis rectiſſime vocabitur acceptatio, æque ac *ex parte ſubjecti* in rigore phyſico ſic dicti *cauſalitas* paſſio nuncupabatur. Pariter dum ex *cauſa finali* demonſtravimus, huc reſpicere voluimus, quod ex promiſſione alteri vel beneficium vel damnum obtingat: Si damnum, promiſſio non accèptata non obligabit, quia alias is, cui promiſſio facta fuerat, afficeretur injuria: Si beneficium, promiſſio non acceptata haud obliga-

gabit, quia facile eſt ex moralibus principiis demonſtrare, invito non obtrudendum eſſe beneficium. Addamus exemplum Politicum: Ita per *cauſam efficientem* demonſtramus, nec Samnites nec Numantinos fuiſſe *cauſam materialem ſubjectivam* ſeu *ſubjectum* fœderis cum Romano populo initi, ſed ſponſionis cum cive quodam initæ. De utraque conventione *ſupra p. 1462. & ſeqq.* agebatur. Quin ergo imputant ſibi ſuæque ignaviæ Samnites & Numantini, quod Juris fecialis expertes fuerunt, ſtatumque ejus Reipubl. qui cum bella gerebant, ignorarunt. Nam ut eſt *l. qui cum alio 19. D. de regulis Juris: Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus.* Cum quo convenit illud *Senecæ 1. de benef. Nomina facturi diligenter in patrimonium, & vaſa debitoris inquirimus.*

III. TERTIUM USUM PRACTICUM uno alterove exemplo declaraſſe ſufficiat. Ita per ſubjectum imputationis, quod præcedenti nota ex *Theologia* demonſtrabatur, nunc debitum pœnitentiæ demonſtrari poteſt, fortaſſis hunc in modum: Nequidquam nobis peccatorum pollicemur remiſſionem, quorum nec puduit unquam, nec piguit: quæ tantum abeſt, ut fugiamus, ut fuerint ſemper, & adhuc ſummæ ſint delectationi. Quid, quæſo, tam eſt inſipidum atque inſulſum

ſum, quam veniam ambire, nec averſari peccata? confugere ad vulnera Chriſti, nec ponere ſarcinam, quæ ſanctiſſimo capiti aculeos impegit? Nec minus plurimi gratiam Dei efflagitant, quos ſcelerum nunquam ſemel pœnituit; plurimi vendicant ſibi Chriſti meritum, quorum usque eo non decreſcunt vitia, ut indies invaleſcant. Scilicet, quod mali caput eſt, ſic ſatis ſuæ ſe ſaluti autumant proſpectum ire, ſi ſciant & credant, pro ipſorum peccatis mortuum eſſe Chriſtum. Sed, bone Deus, quæ hæc eſt cœcitas? quis unquam Prophetarum, quis Apoſtolorum hanc ſalutis commonſtravit viam? quis non palam aſſeruit, non impetrari veniam, niſi agnoſcas peccata, confiteare, deplores, deteſtere, & Chriſtum tandem viva fide amplectaris? At enim nec ſerio deteſtabere peccata, niſi peccare deſtiteris; nec peccare deſiſtes, niſi peccata ſerio fueris deteſtatus. Et fidem fruſtra jactas, quoad flagitiorum cœno inquinaris: vera quippe fides renovat hominem; exſuſcitat; delet peccata: *fides eſt, quæ (B. Joh. Gerhardi* noſtri verbis utor) *Salvatori noſtro viciſſim nos inſerit, ut veluti palmites ex vite ſuccum: ita nos ex ipſo vitam, juſtitiam & ſalutem hauriamus*: per fidem effloreſcit; quidquid eſt virtutum, humilitas, manſvetudo, patientia, &, quæ omnium eſt mater, charitas. His quippe piorum fides

Hhhhh elu-

elucefcit documentis, quibus, qui deſtitui tur, laqueis vitiorum irretitus, nequiaquam eſt καινὴ ἐν χριστῷ κτίσις 2. Cor. V, 17. Et quid is cum Chriſto habeat commercii, qui libidines ſuas & cupiditates ut refrenet, non allaborat? Adſis decies de die ſacris: adſi item ſingulis menſibus cœleſti Servatori convivio, littus aras, ſi animi decor ſpiritua li huic medicinæ non reſponderit. *Sunt* utique verbum Dei & ſacramenta remedia oppido ſalutaria, at contumaci, qui velut canis ad vomitum, ad eoſdem uſque redit mores, fruſtra adhibentur. Perfundas pretioſiſſimo balſamo ſaxum; nihil proficies: committas triticum ſolo ſpinis obſito: haud quidquam feres. Nihil igitur tibi prodeſt Chriſtus, ſi in peccatis perſeveres: nihil ejus nativitas, niſi cum ipſo denuo gignaris: nihil mors, niſi peccata tua emoriantur: nihil reſurrectio, niſi ex vitiorum ſordibus emergas: nihil denique glorioſus ad patrem reditus, niſi vitam agas cœleſti, quantum per imbecillitatem licet, aſſimilem. At vero, ſi cum filio illo profugo revertaris; peccata abomineris, divinam gratiam exambias, intentis denique fidei oculis, ceu quondam Iſraelitæ æneum ſerpentem, crucifixum aſpicias, noli dubitare, quin condonandum ſit, quidquid unquam patraſti peccatorum. Tantus vero eſt valor ſangvinis, quem pro nobis fudit

opti-

optimus Servator; tanta eſt vis mortis, quam pro nobis obiit: tanta perfectio applicationis gratiæ, & imputationis totius meriti Chriſti per fidem. Hæc exempli Theologici loco dixiſſe ſufficiat. Subjungamus *Juridicum: Condictionem cauſa data, cauſa non ſecuta,* item *condictionem dati cauſa non ſecuta* (in Codice dicitur *condictio ob cauſam datorum*) JCti definiunt, *qua quis id quod ob cauſam futuram honeſtam, ſeu ob rem factumve promiſſam alteri dedit, cauſa ea ab altero non præſtita ſeu promiſſione rei factive non impleta, repetit* l. *ſi ob rem* 1. *l. dedi tibi* 3. §. *ſed ſi* 2. D. *de condictione cauſa data, cauſa non ſecuta* l. *damus* §. 2. D. *de condictione indebiti,* hujusque actionis *cauſam materialem ſubjectivam ſeu ſubjectum,* hoc eſt, contra quem datur, oſtendunt eſſe *eum, qui accepit, & nondum præſtitit, quod promiſit, ejusque heredes* l. *ſi ob rem* 1. *ſed & ſi* 2. *l. dedi tibi* 3. D. *de condictione cauſa data, cauſa non ſecuta* l. *dictam legem* 8. C. *de condictione ob cauſam datorum:* Per hanc vero cauſam materialem ſubjectivam demonſtrant, ſi quis procuratori, quem putabat e. gr. Titii procuratorem eſſe, ſolverit, quod alias illi vere debebat; Titius vero iſtum pro procuratore non agnoſcat, nec ratum habeat; ab ipſo procuratore falſo ſolutum ob cauſam, ſcilicet ut liberetur a Titio, hac condictione repeti poſſe; Ita enim Paulus JCtus: *Si procuratori falſo indebitum*

*ſolutum ſit, ita demum a procuratore repeti non poteſt, ſi dominus ratum habuerit, ſed ipſe dominus tenetur; ut Julianus ſcribit: Quod ſi dominus ratum non habuiſſet, etiam ſi debita pecunia ſoluta fuiſſet, ab ipſo procuratore repetetur. Non enim quaſi indebitum datum repetetur: Sed quaſi ob rem datum, nec res ſecuta ſit, ratihabitione non intercedente: vel quod furtum faceret pecuniæ falſus procurator, cum quo non tantum furti agi, ſed etiam condici ei poſſe. l. ſi procuratori 14. D. de condictione cauſa data cauſa non ſecuta.* Exemplum Morale adeſto: Sunt inter recentiores, qui ſatius & Juris Naturalis principiis magis conſentaneum, Deoque Juris Naturalis cultori magis acceptum pronunciant, ſi qui latroni juramento ab ipſo latrone per injuſtum metum mortis extorto pecuniam e. gr. decem imperiales promiſit, & nunc forte evitando ſimpliciorum ſcandalo, & ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum ſubductus irreverentius habere, pecuniæ promiſſæ jacturam facere velit, eam in pias cauſas eroget, quam ſi latroni ſolvat ſicque nebulonis malitiam eandem alat: Verum ex loco cauſæ materialis ſubjectivæ ſeu ſubjecti promiſſionis juratæ in tali caſu factæ credimus ſolide ac ſufficienter & falſitatem hujus aſſerti & contrarii aſſerti veritatem demonſtrari poſſe. Nam cur erogaret iſte in pias cauſas hancce

pecu-

pecuniam? annon ideo quia juraverat, quod vellet pecuniæ jacturam facere? Numne vero hoc ſolum juravit, an vero ſimul, quod eam pecuniam in latronem vellet conferre? (En ſubjectum ſeu cauſam materialem ſubjectivam juratæ promiſſionis!) Si ergo ſcandalum dat is, qui juraverat ſe velle jacturam pecuniæ facere, nec tamen eam facit, omnino etiam ſcandalum dabit, qui juravit, ſe hanc pecuniam huic dare, nunc vero ei non dat, ſed alteri? Juravit latroni, nunc fingit, ac ſi juraſſet pauperi Annon ſimpliciores ſic majus ſcandalum accipere poterunt, ſi videant ſic ludi juramentis, ut jurata lingua injuratam mentem geras? Si turpe eſt, pecuniam dare latroni, ut ejus malitiam alas, quidni turpe dixeris pecuniam dare pauperi, ut perjurium expies? Debemus enim gratitudinem noſtram Deo teſtari erepti periculis, & ad pias cauſas largiri citra talem caſum, & non in expiationem perjurii. Pecuniam alicui pendere eſt res licita, & qui in tali caſu pecuniam dat, non dat, ut latronis malitiam alat, ſed dat pecuniam latroni in honorem divini nominis ac reverentiam, unice ea fini, ut illæſa relinquatur autoritas ſanctiſſimi Numinis, cujus honorem promiſſor, niſi pecuniam daret, eo ipſo violaret, quod nomen Dei in vanum aſſumſiſſet, unde dat pecuniam latroni cum acerrima & maxime ſeria ſe-

leſtæ acceptationis deteſtatione. Quemadmodum enim quis injuſte dare poteſt, ut alter juſte accipiat: E. gr. Prodigus dat injuſte pauperi, quod in certo caſu pauper juſte accipit: Ita poteſt quis dare juſte, idque fieri putamus in præſenti caſu, quamvis latro injuſte accipiat. Imo nulli dubitamus, quin etiam latroni ſcandalum dari poſſit, qui ſane perjurio promiſſoris deterior fieri poteſt: Quid ſi enim eo crudelitatis nondum perveniſſet ut quosvis trucidaret ſine diſcrimine nullo pacto vitæ parcens. Nonne ſemel iterumque a paciſcentibus delusus graviori agitabitur furore; Perjuros enim cæteros quoque autumans, minori ſe crimine ſcelus continuare poſſe ſibi perſuadebit, hacque ratione indurabitur, qui ſancta jurisjurandi obſervatione potuiſſet ad frugem reduci. Pariter ex loco cauſæ materialis ſeu ſubjecti demonſtrari poſſe credimus, non obſtare, quo minus tale juramentum injuſto metu extortum promiſſorem, ſi metum jus naturæ reſpiciamus, obliget, licet urgeatur latronem eſſe hoſtem non legitimum, ſed communem: Non enim eo ipſo omnis juris ſocietas cum latrone expirat. Ita *Tryphoninus* JCtus *l. bona fides 31. §. incurrit 1. D. depoſiti vel contra* depoſitum ex ipſo gentium jure reddendum latroni, ſi Dominus non appareat, reſpondit. Ex eodem fundamento deduci

poſſe

poſſe confidimus, patronos negantis ſententiæ nihil præſidii in diſtinctione inter juramentum, cujus verba non ad latronem, ſed ad Deum dirigebantur, & inter juramentum, cujus verba ad hominem dirigebantur, invenire poſſe, quaſi ſcilicet illud jurantem obliget, hoc minime, ſi nempe hoc ad hominem directum ſit, in quo vitium eſt, ob quod recte acceptare jurato promiſſum is nequeat. Nam licet omnino diſtinctos eſſe modos jurandi admittamus, quando quis Deo jurat, ſe velle latroni dare pecuniam, & quando latroni ipſi jurat, ſe velle ei pecuniam dare: Modus tamen non variat rem ipſam, quia non jam quæſtio eſt, an diſtinctis modis jurari poſſit, ſed an utriusque modi juramentum obliget? Sive enim dixerit promiſſor: Deo juro me velle latroni dare pecuniam: ſive ita ad ipſum latronem: Tibi juro quod tibi dare velim pecuniam: utrobique tamen ejus, quem teſtabatur fidei ſuæ præſulem, divinam potentiam iſte promiſſor confitebatur, eam adjurabat, ſimulque volebat, ut aſſumtionem nominis ſui in vanum ſevere puniret. Rem hanc ex inſtituto & prolixius deduximus introduct. ad *Hugonis Grotii opus de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. quæſt. 1. pag. 988. & ſeqq.* Adjiciamus exemplum Politicum: Ita Sp. Poſthumius, qui ſub jugum miſſus erat Conſul, die, quo de pace Caudina in Senatu ſe-

referebatur, ſurgens dixit; *Dedamur per feciales nudi vinctique, exſolvamus religione populum, ſi qua obligavimus, ne quid divini humanive obſtet, quominus juſtum piumque de integro ineatur bellum. Interea Coſſ. exercitum ſcribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hoſtium fines, quam omnia juſta in deditionem noſtram perfecta erunt. Vos, Dii immortales, precor quæſoque, ſi vobis non fuit cordi Sp. Poſthumium, T. Veturium Coſſ. cum Samnitibus proſpere bellum gerere: At vos ſatis habeatis, vidiſſe nos ſub jugum miſſos, vidiſſe ſponſione infami obligatos, videre nudos vinctosque hoſtibus deditos, omnem iram hoſtium noſtris capitibus excipientes, novos Coſſ. legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos Conſules bella geſta ſunt.* Movit Patres conſcriptos tum cauſa, tum auctor: nec cæteros ſolum, ſed tribunos etiam plebis, ut ſe in Senatus dicerent fore poteſtate: Magiſtratu inde ſe extemplo abdicaverunt, traditique fecialibus cum cæteris Caudium ducendi. Ductus ad Caudium exercitus: Prægreſſi feciales, ubi ad portam venere, veſtem detrahi pacis ſponſoribus juſſerunt, manus poſt tergum vinciri. Et cum apparitor verecundia Majeſtatis Poſthumium laxe vinciret: *Quin tu, ait, adducis lorum, ut juſta ſint deditio?* Tum ubi in cœtum Samnitium & ad tribunal ventum Pontii eſt, fecialis ita verba fecit: *Quan-*

*Quandoquidem hice homines injuſſu Populi Romani Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo Populus Romanus ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines vobis dedo.* Hæc dicenti feciali, Poſthumius genu femur, quanta maxime poterat vi perculit & clara voce dixit, *ſe Samnitem civem eſſe, illum legatum, fecialem a ſe contra Jus Gentium violatum, eo juſtius bellum geſturos.* Horum dictorum factorumque Poſthumii veritatem juſtitiamque demonſtrari poſſe credimus per *cauſam materialem ſubjectivam ſeu ſubjectum.* Subjectum enim, hoc eſt, is cum quo conventionem iniverant Samnites, erat Poſthumius cum Veturio cæteriſque, non item Senatus Populusq; Romanus. Hancce demonſtrationem non Metaphyſicis terminis, ſed oratorio ſtilo exprimit *Livius*, dum Poſthumium poſt tentatam pauliſper interceſſionem a Tribunis plebis, in hæc verba erupiſſe teſtatur: *Interea dedite profanos nos, quos ſalva religione poteſtis: dedetis deinde & iſtos ſacroſanctos, cum primum magiſtratu abierint: Sed ſi me audiatis, prius quam dedantur, hic in comitio virgis cæſos, hanc jam ut intercalatæ pœnæ uſuram habeant. Nam quod deditione noſtra negant exſolvi religione populum, id iſtos magis ne dedantur, quam quia ita ſe res habeat dicere, quis adeo juris fecialium expers eſt, qui ignoraret? Neque ego inficias eo, Patres con-*

conſcripti, tam ſponſiones, quam fœdera ſancta eſſe apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: Sed injuſſu Populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod populum teneat. An ſi eadem ſuperbia, qua ſponſionem iſtam expreſſerunt nobis Samnites, coegiſſent nos verba legitima dedentium urbes nuncupare, deditum Populum Romanum vos tribuni diceretis? & hanc urbem templa, delubra, fines, aquas Samnitium eſſe? Omitto deditionem, quoniam de ſponſione agitur. Quid tandem, ſi ſpopondiſſemus urbem hanc relicturum Populum Romanum? Si incenſurum? Si magiſtratus, ſi ſenatum, ſi leges non habiturum? Si ſub regibus futurum? Dii meliora, inquis. Atqui non indignitas rerum ſponſionis vinculum levat. Si quid eſt, in quod obligari populus poſſit, in omnia poteſt. Et ne illud quidem, quod quosdam forſitan moveat, refert, COS, an dictator, an Prætor ſpoponderit. Et hoc ipſi etiam Samnites judicaverunt, quibus non fuit ſatis Coſſ. ſpondere, ſed legatos, quæſtores, tribunos militum ſpondere coegerunt. Nec a me nunc quisquam quæſiverit, quid ita ſpoponderim: cum id nec conſulis jus eſſet, nec illis ſpondere pacem, quæ mei non erat arbitrii: nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, poſſem. Nihil ad Caudium, Patres Conſcripti, humanis conſiliis geſtum eſt: Dii immortales, & veſtris, & hoſtium imperatoribus mentem ademerunt: nec nos in bello ſatis cavimus, & illi male partam victoriam

male

Digitized by Google

*adhuc perdiderunt: dum vix locis, quibus vicerant, credunt, dum quacunque conditione arma viris in arma natis auferre feſtinant. An ſi ſana mens fuiſſet, difficile illis fuit, dum ſenes ab domo ad conſultandum accerſunt, mittere Romam legatos? cum Senatu, cum Populo de pace fœdere agere? tridui iter expeditis erat: interea in induciis res fuiſſet, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem afferrent, ea demum ſponſio eſſet, quam Populi injuſſu ſpopondiſſemus, ſed neque vos tuliſſetis, nec nos ſpopondiſſemus: nec fas fuit alium rerum exitum eſſe, quam ut & illi velut ſomnio lætiore, quam quod mentes eorum capere poſſent, neutiquam eluderentur; & noſtrum exercitum eadem quæ impedierat fortuna, expediret: Vanam victoriam vanior irritam faceret pax: ſponſio interponeretur, quæ neminem præter ſponſorem obligaret. Quid enim vobiscum Patres conſcripti? Quid cum Populo Romano actum eſt? quis vos appellare poteſt? quis ſe a vobis dicere deceptum? hoſtis? an civis? hoſti nihil ſpopondiſtis: civem neminem ſpondere pro vobis juſſiſtis. Nihil ergo vobis, nec nobiscum eſt, quibus nihil mandaſtis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis: Samnitibus ſponſores nos ſumus rei ſatis locupletes in id, quod noſtrum eſt: in id, quod præſtare poſſumus, corpora noſtra, & animos: in hæc ſæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet, conſulite, utrum præſens*

*ſens deditio eorum fieri poſſit, an in diem differatur: nos interim T. Veturi, voſque cæteri vilia hæc capita luendæ ſponſionis feramus, & noſtro ſupplicio liberemus Romana arma.* Ecquis non videt omnia per *cauſam materialem ſubjectivam* ſeu *ſubjectum* demonſtrari.

§. 9. *Materia circa quam*, quæ vulgo *objectum* appellatur, rigoroſe loquendo eſt *illud, circa quod potentia activa* (vel ſibi relicta vel facilis reddita) *verſatur, ita quidem, ut extrinſece terminetur ad ipſum*: E. gr. Materia circa quam ſeu objectum viſus eſt paries, quem oculis apertis cerno.

*NOTÆ.*

I. Studio dicitur (1) *circa quod potentia activa verſatur*, ut materia circa quam materiæ in qua contradiſtinguatur. Nam potentia paſſiva non reſpicit objectum, ſi uſum loquendi reſpiciamus: E. gr. quando aqua recipit calorem, calor non dicitur objectum aquæ, ſed aqua, item potentia paſſiva in aqua vocatur ſubjectum caloris ſeu materia in qua. (2) Dum mentio fit *potentia activa*, ſimul tacite innuitur, quod etiam actio, per quam

Digitized by Google

quam ſcilicet potentia activa ſe exerit circa alterum, item illud ipſum, quod tali potentia activa gaudet eamque circa alterum exerit, alterum ut objectum reſpiciat: E. gr. quando cognitio datur in homine de DEO, non modo Deus objectum ipſius intellectus, quo homo Deum cognoſcit, ſed etiam objectum ipſius cognitionis per intellectum factæ, imo quoque objectum hominis Deum cognoſcentis per intellectum recte dicitur.

(3) Addebatur porro *potentia activa* vel ſibi relicta, vel facilis reddita: Per Potentiam facilem redditam intelligimus potentiam gaudentem diſpoſitione vel habitu. Nam habitus eſt potentiæ facilitatio, ut *Philoſophi* loqvuntur: Eſt quoque diſpoſitio ſuo modo facilitatio potentiæ, ſi hac dictione uti liceat: Habitus enim admittunt gradus, unde quamdiu gradus remiſſiores adſunt, non vocatur talismodi habitus qualitas, ſed diſpoſitio ſeu via ad habitum: E. gr. Quando aliquis erogat eleemoſynam, qui nunquam antea eleemoſynam erogaverat, recte dicitur eleemoſyna objectum potentiæ activæ ſibi relictæ: Quod ſi vero ex liberalitate pecuniam erogaret, vocaretur merito pecunia objectum potentiæ activæ & facilis redditæ per habitum, per habitum ſcilicet liberalitatis. Jam ſicuti multi habitus dantur, qui poſſunt doceri & diſci: Ita quoque multa, quæ ſunt

ſunt objecta potentiarum facilitatarum, quæ Scholaſtici vocant, objecta fieri poſſunt diſciplinarum, modo habitus, quibus potentiæ faciles redditæ ſunt, in formam diſciplinarum queant redigi. Tandem (4) addebatur, quod *potentia activa* (idem judicium eſto de actione, diſpoſitione, habitu, doctrina, diſciplina) *ad id, quod ipſius objectum vocatur, extrinſece terminari debeat:* Dicitur autem potentia activa extrinſece terminari ad alterum, quando in illud non agit, nec etiam illud producit, ut tamen verſetur circa illud: E. g. Quando homo intuetur parietem, viſione ſua non agit in parietem, nec viſione ſua producit parietem, unde & viſus & viſio extrinſece ad parietem terminari dicuntur.

II. Evenit tamen, ut non raro *materia circa quam* ſeu *objectum* vocetur *omne id*, circa quod *aliquid verſatur, ſive ad iſtud intrinſece, ſive extrinſece terminetur*, eſtque hæc acceptio longe frequentior, judicent alii, num ſit accuratior: E. gr. Objectum ignis dicetur aqua quæ caleſit ab igne, objectum viſus dicetur aqua quæ videtur ab homine: At viſus non agit in aquam, ignis tamen in aquam agit, dum eam calefacit.

III. Cave confundas *objectum* & *terminum*: E. gr. quando ignis calefacit aquam, terminus eſt calor in aqua productus, non vero calor objectum dici poteſt: Ita quando in-

intellectus noſter facit ens rationis, aliud eſt terminus illius operationis, per quam ens rationis fieri dicitur, aliud eſt objectum iſtius termini: Terminus enim eſt illa qualitas, quæ per talem operationem intra intellectum realiter producitur, & verbum mentis a *Scholaſticis* vocatur: At objectum termini per talem operationem producti eſt mere impoſſibile quid: E. gr. angelus ex muſca factus, circulus quadratus &c.

IV. Nullibi magis adhibetur notio objecti, quam in ſcientiis & diſciplinis, *id* enim *circa quod ſcientia aut diſciplina* verſatur, vocatur *ſcientiæ* aut *diſciplinæ objectum*: E. gr. Metaphyſicæ objectum ſupra diximus ens ejusque inferiora: Scientiæ enim acquiruntur per actiones intellectus. Sicut igitur intellectionis objectum vocatur, quod intelligitur: Ita facile percipi poteſt, quo ſenſu res dicantur objecta ſcientiarum ac diſciplinarum: Differt namque diſciplina a ſcientia, ut effectus a ſua cauſa. Ex his datur etiam aſſequi, quo ſenſu ſubjectum ſcientiæ aut diſciplinæ (item partis ſcientiæ aut partis diſciplinæ) a *Scholæ Doctoribus* pars objecti dicatur. Nam in præcedentibus mentio facta eſt ſubjecti cognitionis (videatur §. 7. *hujus cap.*) e.g. ſubjectum cognitionis dicebatur: Deus, quando hæc concluſio demonſtrabatur E. Deus eſt æternus; per hanc rationem

nem a priori, quia eſt immutabilis. Si igitur objectum vocetur omne id, ad quod cognitio docentis aut diſcentis terminatur, non modo objectum cognitionis dicetur Deus; ſed & æternitas & immutabilitas Dei: Nec ſolummodo hæc propoſitio: Deus eſt æternus; ſed etiam illæ: Deus eſt immutabilis; &, omne immutabile eſt æternum, objectum cognitionis dicentur, adeoque ſubjectum omnino ſub objecto comprehendetur.

V. Nec hoc prætermittendum eſt, rationem nunc facile dari poſſe, cur multi Philoſophi noluerint ea, ex quibus artifices opera artium ſuarum conficiunt, objecta, ſed potius ſubjecta operationum dicere. Ratio eſt, quia in illa operationes inſtituuntur, ut intrinſece ad illud terminentur: E.gr. operatio ſutoris intrinſece ad corium terminatur, ut ut ars ſutoria extrinſece ad iſtud terminetur.

§. 10. Uſu frequentiſſima eſt diſtinctio inter *objectum materiale & formale. Materiale objectum* vocatur *res, circa quam aliquid verſatur, ut ad eam extrinſece terminetur:* E.gr. Pomum eſt objectum materiale viſus, quando video

do pomum: ſubſtantia naturalis eſt objectum Phyſicæ ſcientiæ. *Formale objectum* appellatur *illa ratio, qua aliquid circa rem verſatur, ut tamen extrinſece ad eam terminetur:* E.g. Objectum formale determino, dum explico rationem, ſub qua viſus circa pomum verſatur. Non enim ſub quacunque ratione viſus circa pomum verſatur, ſed ſub ratione colorati; cum non videre poſſim, quomodo pomum tibi ſapiat. Ita formale objectum ſcientiæ phyſicæ definiunt Phyſici, dum nempe dicunt, Phyſicam verſari circa ſubſtantiam naturalem (vulgo corpus naturale vocant) quatenus naturalis eſt.

*N O T A.*

Qui accuratius philoſophantur, *objectum materiale* & *objectum formale* neutiquam pro diſtinctis objectis venditant, ſed ita conſiderant, prout unum objectum illis abſolvitur. Non enim aliquid verſatur circa aliud,



Digitized by Google

niſi certo modo aut ſub certa ratione verſe-tur circa illud, neç vero ratio datur, ſub qua aliquid circa rem verſetur, niſi ſimul res de-tur, circa quam aliquid ſub certa ratione ver-ſatur. Ideo diximus *Scholaſticos*, qui accura-tiores eſſe voluerunt, non inter *objectum ma-teriale* & *objectum formale*, ſed inter *objectum* ipſum & *rationem formalem objectivam* di-ſtinxiſſe, ceu hoc pluribus in *capite prælimi-nari §. 22. & ſeqq. p. 15. & ſeqq.* deduximus.

§. II. De uſu practico triplici doctrinæ de *materia circa quam* ſeu *objecto* in *proxime ſequenti ca-pite* doctrinæ de *forma* agetur.

*NOTA.*

Ex *nota ad præcedentem §.* facile colligi-tur ratio, ob quam tractatio de uſu practico in ſequens caput commodius rejiciatur.

## CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM

## De CAUSA FORMALI, hujusque doctrinæ uſu practico.

§. I.

NOtio *formæ* dupliciter in Meta-phy-

phyſicis accipi conſuevit: (I) pro *altera parte compoſiti inque oppoſitione ad materiam ſpectata.* (II) *pro ratione formali rei.*

§. 2. *Priori modo* ſpectata *forma* vulgo definiri ſolet hunc in modum: *Eſt principium per unionem ſui cum materia dans eſſe rei:* E.gr. Anima canis eſt forma canis, albedo eſt forma parietis.

*N O T Æ.*

I. Pervulgata eſt hæc definitio *formæ* inque Scholis communiter recepta. Inde quoque requiſita neceſſaria ex parte formæ ſeu cauſæ formalis ita ſumtæ vulgo ſic explicantur: *Materiale* vocant *verum ac reale ens*, quod per unionem ſui cum materia aptum eſt dare eſſentiam compoſito. *Rationem cauſandi* nuncupant *potentiam informativam*, qua nempe aliquid aptum eſt informare materiam. *Cauſalitatem* appellant veram & realem *unionem inter materiam & formam præciſe ex parte formæ ſpectatam.* Ad requiſita *ſecundaria* referre ſolent præſentiam formæ: Non enim formam poſſe uniri cum materia docent, niſi ens illud, quod formæ nomine

 venit,

venit, ſit materiæ præſens, ut tamen aliud ſit præſentia, aliud intima unio.

II. Quia interim difficultas remanet, in quo conſiſtat illa unio? Et unde hoc habeat, quod ſi ex parte formæ ſpectetur, informatio dicatur? ideo alii *Ariſtotelis* formam per ἐντελέχειαν definientis doctrinam ſecuti cenſent per hoc aliquid dici *cauſam formalem*, quod ſit *id, unde materia ut ſic ſuam perfectionem accipit ac habet, ut tamen hæc perfectio non ſit effectiva ſeu ſpectata ut nuda actio.* Id propter utuntur diſtinctione, inter *perfectionem effectivam*, qualis e. gr. eſt, quando artifex opus ſuum perficere dicitur, quæ nempe acceptio ad præſens non ſpectat, & inter *perfectionem formalem*, quæ eſt hujus loci. Dum enim formam ſuam aliquid habet, in ſtatu ſuo perfecto quaſi conſtitutum eſt, & habet, quæ ad eſſentiam illam requirebantur, quæ quidem nondum habebat ante formæ in ſubjecto præſentiam, & cum eſſet ſaltem potentia: Ita e. gr. ovum non habet perfectionem ſuam, non habet finem ſuum, non eſt perfectum, ſed eſt ſaltem δυνάμει, quando autem accedit forma, tunc vocatur animal, & ſic adeſt perfectionis poſſeſſio. Id ergo ipſum, quod dicunt eſſe formam, optime docere putant antiqvum vocabulum, quo ἐντελέχεια dicitur: Quod ipſum nomen ab *Ariſtotele* non eſt primo confictum, ſed occurrit apud

*Pla-*

Platonem, ut ita procul dubio *Ariſtoteles* ex *Platone* aſſumſerit, cum vocabulum convenientius non vidiſſet: De quo curioſiſſimi ſunt omnes fere *Interpretes*: Et integrum libellum conſcripſit *Johannes Baptiſta Monlatus*. Latine quidem communiter reddunt per *actum*, ſed forte minus perſpicue minusque ſufficienter, ut optandum foret, in *Latinis Scholis* pro eo in uſu eſſe nomen, quo *Hermolaus Barbarus* expreſſit græci hujus vocabuli emphaſin, dum vocavit *perfectihabiam*, hoc eſt, perfectionis poſſeſſionem. Derivatur enim hoc vocabulum ab ἐντελὲς, *perfectum* & ἔχω, *habeo*, ſicque ἐντελέχεια idem eſt quod *poſſeſſio perfecti*: Ἐντελὲς autem compoſitum eſt ex ἐν & τέλος, quia id, quod eſt perfectum, *eſt in fine*, hoc eſt acquiſivit finem ſuum. Nec quicquam ad præſens facit *Ciceronis* verſio, quando nempe ipſi idem ſignificat, quod *perennis & aſſidua motio*, quæ ſane verſio longe alterius vocabuli eſt ſcripti non per τ ſed per δ, ac ſæpe apud *Homerum* occurrentis, cujus quidem ſignificationem non negamus, ab *Ariſtotele* vero neutiquam fuiſſe intentam demonſtratu facile eſt: *Ariſtoteles* enim diſtinxit expreſſe inter quieſcens δυνάμει, quod dum movetur poteſt a motu ceſſare, & inter quieſcens ἐντελεχείᾳ, ſicut e.g. is qui ſedet dum ſedet, actu quieſcit: Hic ſane abſurdum foret, ſi quis diſtingueret inter

*δυνάμει quieſcens*, & *ἐνδελεχείᾳ quieſcens*, qui hoc idem eſſet ac perenni & aſſidua motione quieſcens, quod abſurdiſſimum. Tantam ergo difficultatem vocis ἐντελέχεια non credimus, quantam ſibi *Hermolaus Barbarus* imaginatus eſt, qui aliquando nactus colloquium cum Diabolo, nihil aliud ab eo petiiſſe fertur, quam quid eſſet vox ἐντελέχεια ab *Ariſtotele* uſurpata, ceu *Monlorius* in laudato tractatu refert. Cæterum juxta hanc formæ definitionem *materiale* ejus erit *verum ens*; *ratio cauſandi entitas ejus* (ſi Scholaſticorum vocabulo uti liceat,) *quatenus* ſcil. *per eam aptum eſt, ut fiat aut ſit alterius perfectio, non tamen in genere efficientis*; *Cauſalitas* vero *ipſa perfectio*.

III. Cum doctrina de forma ita ſumta, per ſe ad *naturæ & artium diſciplinas* ſpectet, inque *morali ac politica doctrina*, item *Theologia* ac *Jurisprudentia* non adeo magnum, aut notabilem præſtet uſum, nolumus eidem immorari, qui alias potuiſſemus longe accuratius formæ indolem ac requiſita tradere, modo κατ' πόδα ſecuti fuiſſemus virum maximi judicii ſummumque *Hermannum Conringium*, qui in ſua ad phyſicam ſcientiam introductione formam ſic definivit ejusdemque definitionem expoſuit, ut (noſtro tenui judicio) deſideriis eorum, qui ſolidam doctrinam quærunt, abunde ſatisfactum ſit, ipſeque aliis facile præripuerit palmam, qui idem hodie tentarunt. IV. In-

IV. Inter *formæ diviſiones* præcipue ſunt ſequentes: (I) quando forma dividitur in *materialem*, quæ in eſſe ſuo pendet a materia, ſiquidem ut pereunte materia, in qua eſt, ipſam ſimul perire oporteat: Et *immaterialem*, quæ in eſſe ſuo a materia non pendet. (II) quando forma dividitur in *eſſentialem*, qualis e.gr. eſt anima reſpectu animalis, & *accidentalem*, qualis forma eſt albedo reſpectu parietis. (III) quando forma dividitur in *eam quæ eſt ſubſtantia*, ut: anima, & *eam quæ eſt accidens*, ut: ſcientia.

§. 3. Poſteriori modo conſiderata forma inſignem uſum præſtat, ejusque conſideratio per omnes diſciplinas practicas, adeoque univerſam Ethicam & Politicam non modo, ſed etiam Theologiam ac Jurisprudentiam vagatur. Nam in practicis diſciplinis, hoc eſt, diſciplinis de actionibus, formalis cauſæ uſitatiſſima & utiliſſima ſignificatio eſt, quando idem notat, quod modus ſeu ratio moralis aut civilis, Theologica aut forenſis actionis,

operis, negotii &c. E. gr. promiſſionis forma eſt modus promiſſionis, creationis Magiſtratus forma eſt ipſe modus creationis, converſionis forma eſt modus converſionis, citationis in judicium forma eſt modus citationis.

*N O T A.*

Huc ergo tota doctrina de ratione formali deque notionibus *as* formaliter, item de communibus ad unum, quam ſupra *cap. 3. 4. 5. 6.* explicuimus, totque exemplis moralibus, Politicis, Theologicis, Juridicis, illuſtravimus, jure meritoque referri ac ſuo modo reduci poterit.

§ 4. Uſus practicus formæ hiſce tribus momentis abſolvitur, ſi (I) perſpectas nobis reddamus formas ipſas earundemque requiſita. Et huc ſpectant varii modi, quibus quæſtiones de forma ſeu cauſa formali efferri ſolent, uti ſunt: QVOMODO? QVA RATIONE? QVO GRADU? QVÆ RATIO FORMALIS? QVIS

GE-

(I) GENUINUS MODUS? QVÆ NATURA? QVÆ ESSENTIA? QVÆ DIFFERENTIA? QVÆ ULTIMA DIFFERENTIA? QVÆ RATIO SPECIFICA? QVID SIT? QVALE? QVALE QVID? &c. (II) ſi teneamus modum demonſtrandi formam (III) modum demonſtrandi per formam.

NOTÆ.

I. USUS PRIMUS PRACTICUS erat ſibi perſpectas reddere ipſas *formas*, hoc eſt, rerum (actionum, negotiorum, aliorum operum) rationes ſeu modos. Sumamus exempla: Et (1) quidem adeſto exemplum Theologicum: *Objectum* imputationis eſt ipſa Chriſti juſtitia & obedientia. Sic enim *Paulus Rom. IV, 6. Quemadmodum etiam David pronunciat beatum eum hominem* ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, *cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus.* Nam licet vox *Chriſti* expreſſe addita non ſit, quod *Pontificii* imprimis & *Photiniani* urgent: negantes in Scriptura ullum reperiri locum, ubi Deus dicatur imputare credentibus Chriſti juſtitiam: res ipſa tamen & contextus clamat, non poſſe niſi de *Chriſti juſtitia* locum accipi. Illa enim juſtitia, de quà in hoc loco ſermo,

aut eſt propria noſtra juſtitia, aut aliena. Non propria: Quia impius eſt, qui juſtificandus eſt, non autem juſtus in ſeſe, ceu patet ex *præcedenti verſu 5. Ei qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium.* Ergo aliena ſive Chriſti. *Hic* enim *factus eſt nobis juſtitia 1. Cor. I, 30.* Unde Eccleſia apud *Eſaiam* c. *XLV*, 24. *In Domino mihi juſtitiæ.* Et *Paulus Phil. III, 9. Ut inveniar in ipſo non habens meam juſtitiam ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt, Chriſti juſtitiam, quæ ex Deo eſt in fide.* Præterea ea juſtitia imputatur, quæ eſt ſine operibus: At noſtra ſive inhærens juſtitia non eſt ſine operibus: id enim implicaret contradictionem, cum crebris & frequentibus operibus illa comparetur. Ergo noſtra ſeu inhærens juſtitia non imputatur. Accedit Apoſtolica explicatio *Rom. V*, 19. Ea enim imputatur juſtitia, qua nos juſti conſtituimur: At non noſtra, ſed Chriſti juſtitia & obedientia juſti conſtituimur. *Forma* imputationis eſt realis æſtimatio, in judicio divino hominem peccatorem credentem in Chriſtum a peccatis abſolvens & juſtitiam Chriſti revera ei adjudicans. Duo enim actus hic complicantur, θετικὸς & στερητικός, in imputatione juſtitiæ alienæ & non imputatione iniquitatis propriæ, & uterque reale DEI judicium importat. Neque enim fictitia aut nullius entitatis eſt hæc imputatio, ut *Jeſuitæ* ſo-

ſomniant: Sed realiſſimum DEI judicium includit, quod fert de throno gratiæ ſuæ ex Evangelio ſuper peccatore in Chriſtum credente; eoque fundamentum habet firmiſſimum, cum in DEI intellectu, qui eſt infallibilis veritatis: quando propter Chriſti juſtitiam fide apprehenſam cenſet credentem juſtum, non ſecus ac ſi ille impleviſſet legem, juxta dictum *Pauli* 1. *Cor. IV. 4. Nihil mihi conſcius ſum; Sed in hoc non ſum juſtificatus, quia qui me judicat, Dominus eſt;* tum in DEI voluntate, cujus affectus & actus eſt gratia, ſecundum quam imputatio illa tota peragitur. Adeſto *aliud exemplum Theologicum*: Ita *objectum* fidei non modo eſt id, quod in verbo DEI expreſſe revelatum eſt, ſed etiam, dum quis firmiter credit & certo ſtatuit ſibi remiſſa eſſe peccata; ſeque poſſeſſurum eſſe vitam æternam. Probatur hoc ex *Rom. V.* 1. ubi *Paulus* dicit: *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quicunque enim pacem habet erga DEum per Chriſtum, ille certus eſt & credit firmiter peccata ſibi eſſe remiſſa, quia pax erga DEum oritur ex remiſſione peccatorum. Hoc autem eſt *objectum fidei*, in quantum virtualiter & implicite per ſcripturam Sacram revelatum eſt. Ita enim *Apoſtolus: Quoniam eſtis filii, emiſit DEus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba,*

Digitized by Google

*ba, Pater*. Quia ergo quilibet vere credens habet Spiritum adoptionis, per quem clamare poteſt ad DEum Abba Pater, utique certus eſt ſibi peccata eſſe remiſſa, idque propter eundem adoptionis ſpiritum. Nemo enim poteſt Deum cum vera fide vocare Patrem ſuum, niſi cui peccata ſunt remiſſa.(2) Adſeramus exemplum Juridicum: Ita condictionis indebiti *objectum* eſt indebite per errorem ſolutum *l. nunc videndum* 1. §. & *quidem* 1. *l. indebiti* 15. §. *ſed* & 1. *l. ſi non ſortem* 26. §. *indebitum* 3. *D. de condictione indebiti*. Caſus tamen notantur a *JCtis*, quibus, licet ſubeſſe videatur naturaliter debitum, hoc eſt, extra Leges Romanas cauſſam conſiderando quis obligatus ſit, tamen, tum ob conditionem & favorem debitoris, tum ob ſingularem *modum*, quo demum quis aliquid præſtare teneatur, juſtis ex rationibus præſcriptum, *jure civili* iſte effectus, impedi[illegible] di ſcilicet condictionem, haud tribuatur, ſed potius repetitio concedatur: Ita e.g. propter ſingularem modum a Jure civili præſcriptum, eumque a teſtatore non ſervatum, repetit, hæres, qui in facto errans, ultra dodrantem *l. ſi heres* 68. §. *ſi totam* 1. *D. Ad Senatus conſultum Trebellianum* vel ex teſtamento minus ſolenni *l. fidei commiſſum* 7. *de condictione indebiti* legata præſtitit Vid. Magnif. *Dn.* Strube *Syntagm. Jur. Civ. exerc.* 18. *th.* 37. (3) Subjicia-

[jun]gamus exempla Moralia: Objectum Juris Naturalis ſunt actus (voluntarii) ſuapte natura ac abſoluta neceſſitate convenientes aut disconvenientes cum natura rationali. Objectum promiſſionis juratæ ſeu juramenti promiſſorii eſt res & phyſice & moraliter poſſibilis promiſſori, ceu *Scholæ Morales* loquuntur. (4) Adjungamus exemplum Politicum: Objectum Juris Gentium ſunt actus abſoluta quidem neceſſitate nec convenientes nec disconvenientes cum natura rationali, ut tamen ex neceſſitate finis Rebuspublicis aut omnibus aut certe Moratioribus propoſiti jus aut nefas jure meritoque cenſeantur.

II. ALTER USUS PRACTICUS erat ſibi aliisque perſpectum reddere modum probandi formas, hoc eſt, rerum rationes ſeu modos. Ita in *Theologia* demonſtratur, *objectum imputationis*, & affirmativæ quidem, eſſe ipſam *Chriſti juſtitiam & obedientiam*, quia fides imputatur nobis ad juſtitiam, qua phraſi aliquoties utitur *Paulus Rom. IV.* Non enim ipſe actus, vel etiam habitus fidei juſtificantis eſt materia imputationis, quaſi Deus fidem ſupra naturalem, id eſt, fidei naturæ competentem actionem inſtrumentalem extollat, eique per gratuitam benevolentiam ſuperaddat dignitatem quandam & valorem impetrandi de congruo, vel merendi de condigno beneficium abſolutionis, juſti-

ſtificationis & ſanctificationis, atque ita or-
dinaverit, ut fides nobis imputetur pro juſti-
tia, & ſit nobis, quaſi promereretur juſtitiam
vel quaſi fides ſit ipſa juſtitia, etſi non perfe-
cte: Ideo quod ſive apprehendendo ſive
obediendo ſeſe conformet ſanctitati divinæ,
& admittatur talis per ἐπιείκειαν quandam
& ſingularem favorem Dei. Etenim *fides quæ
creditur* manet inſtrumentum, nec aliter at-
tenditur in ipſo actu imputationis, quam ut
inſtrumentum ex parte hominis neceſſarium
& apprehendens juſtitiam imputatam. *Sola
fides quæ creditur*, ſive *objectum* quod credi-
tur, meritum Chriſti ſolum imputatur ob
pretium & valorem, ceu hæc omnia ſcite &
accuratiſſime *B. Johannes Hulſemannus*, Theo-
logus poſt fata celeberrimus, docet ac demon-
ſtrat. Ita in *Theologia* demonſtratur, obje-
ctum fidei eſſe, quod verus Chriſtianus certo
credit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe pec-
cata. Dum enim a Pontificiis objicitur ſub-
ſequens tempus poſt obtentam remiſſio-
nem peccatorum, quod facilis iterum lapſus
ſit in peccata contra conſcientiam & fides ex-
cuti poſſit: Demonſtrant orthodoxi *Theolo-
gi*, quod ubi firmum ſimul propoſitum ſit
mediis ad fidei conſervationem a Deo ordi-
natis conſtanter utendi, Spiritui S. contuma-
citer non reſiſtendi inque vera fide perſiſten-
di, cum certa ſpe Deum gratia ſua impoſte-
rum

Digitized by Google

rum quoque adfuturum, ibi Spiritus ſanctus per media fidei conſervandæ efficax ſit, fidem in Chriſtum foveat, conſervet atque corroboret, quæ per charitatem & ſtudium bonorum operum ſeſe exerat, adeoque nullus peccato contra conſcientiam locus relinquatur: Cum enim Spiritui S. non reſiſtitur, veræque pietati opera datur, Spiritus S. gratioſe præſens eſt, fidem corroborat, hominem in ſpe vitæ æternæ confirmat, quæ ſpes quia oritur ex fiducia in Chriſti merito & ſatisfactione poſita non confundit *Rom. V, 5.* Ita in Jurisprudentia forenſi a maximi nominis *JCtis* demonſtratur, *objectum* condictionis, *indebiti* eſſe etiam naturaliter debitum in certis caſibus ſolutum, qualismodi caſus erat, ſi propter ſingularem modum a jure civili præſcriptum eumque a teſtatore non ſervatum hæres repetat, qui in facto errans ultra dodrantem, vel ex teſtamento minus ſolenni legata præſtiterat. Quamvis enim, nulla lata lege poſitiva, naturaliter æqvum eſſe videatur, ut hæres defuncti voluntatem adimpleat: Quia tamen Jus Naturæ non præciſe exigit, ut quolibet modo expreſſa ultima voluntas ab hærede ſit præſtanda, ſed potius hæc res arbitrariæ diſpoſitioni legis civilis ſit ſubjecta: & vero LL. Romanis certus modus legatis ſit poſitus, & certa teſtamenti forma præſcripta, ideo merito iisdem cautum, ut ultra illum le-

gatis

Digitized by Google

gatis ſtatutum modum, & forma teſtament
non obſervata, plane non adſtrictus ſit hære
ad implendam defuncti voluntatem; adeoq
ſi non animo fidum defuncto obſequium
præſtandi, ſed ex errore facti impleat, datum
repetere poſſit, ceu diſſerit Magnif. *Dn.* Stru
ve *Syntagm. Jur. Civ. exerc. XVIII. §. 37.* Ita
in *Morali Philoſophia* demonſtratur, obje-
ctum Juris naturalis eſſe actus (voluntarios)
ſuapte natura ac abſoluta neceſſitate conve-
nientes aut disconvenientes cum natura ra-
tionali, dum nempe demonſtratur, dari actus
ſuapte natura ac abſoluta neceſſitate conve-
nientes aut disconvenientes cum natura ra-
tionali. Dum enim demonſtratur, e. gr. pro-
miſſum eſſe ſervandum, ex eo, quod niſi quis
ſervaret promiſſum, uſurus iſte eſſet jure, cui
prorſus renunciaverat, quia dum caderet
promiſſo, mutaret voluntatem ſuam: At dum
promiſerat, ſignificaverat voluntatem de fu-
tura juris ſui in alterum translatione, jurique
mutandi hancce ſuam voluntatem renuncia-
verat: Ecquis vero in dubium vocaret aut
negaret, eum injuſte agere; qui utitur jure
iſto, quod non amplius habet, eo quod e
prorſus renunciaverat. Pariter ſi de promiſ-
ſo tertii gradus, ut *Grotio* vocatur, hoc eſt,
omnibus numeris abſoluto & perfecto de-
monſtretur, ex eo eſſe jus ſtricte tale quæſi-
tum ei, cui promiſſio facta eſt, & exinde
nunc

Digitized by Google

nunc amplius inferatur, promiſſum iſtud ſervandum eſſe, quis de eo amplius dubitabit, quod promiſſum eſt ſervandum ſit Jus Naturæ. Nemo certe de eo dubitabit, modo ille didicerit prius ac probe teneat, quid ſit jus, quid jus quæſitum, quibus jus poſſit eſſe quæſitum, cur homini hoc vel illud jus ſit quæſitum, an & quibus modis hoc vel illud jus ſibi quæſitum quiſpiam a ſe abdicare, item in alterum ſimul transferre poſſit? Et qui hæc ignorat, ſua culpa vim demonſtrationis, qua intrinſeca moralitas actus quo promiſſum ſervatur demonſtrabatur, non capit. Ita *αὐτοχειρίας* intrinſeca turpitudo h.e. cum natura rationali abſolute neceſſaria diſconvenientia demonſtratur ex eo, quod *αὐτόχειρ*, dum nempe *αὐτοχειρίαν* committit, nullatenus velit honeſte vivere, cum tamen poſſit, eo quod nolit amplius vivere, cum tamen ſcire debeat vitam eſſe omnium bonorum occaſionem & fundamentum: Quis enim inficias iret eum nolle honeſte vivere, qui non vult vivere, cum poſſit honeſte vivere, modo vivere velit? Inde colligitur dictamen juris naturalis *αὐτοχειρίαν* vetantis. Rurſus amoris Dei ſuper omnia convenientia cum natura rationali abſolute neceſſaria demonſtratur ex eo, quod Deum eumque ſolum morali æſtimatione eſſe ſummæ ac infinitæ bonitatis demonſtrabatur. Et quæ ſunt innumera exem-

pla talismodi demonſtrationum moralium, quæ dum adferuntur, firmatur hæc concluſio: Ergo dantur jura naturalia; quia nempe per rationes a priori demonſtratum eſt dari ſua natura honeſta ac turpia, ſeu quod eodem redit, abſoluta neceſſitate convenientia aut disconvenientia cum natura rationali. Ita in *Politicis* demonſtratur objectum *juris gentium* eſſe actus abſoluta quidem neceſſitate nec convenientes nec disconvenientes cum natura rationali, ut tamen ex neceſſitate finis Rebuspubl. aut omnibus aut certe moratioribus propoſiti fas aut nefas jure meritoque cenſeantur. Gentes enim ideo volunt eſſe gentes, ut inevitabilibus neceſſitatibus conſulant, deque inſignibus utilitatibus ſibi proſpiciant; Omnes quippe reſpubl. libera voluntate inſtitutæ ſunt ad tranquillitatem, unde gentes, quia volunt eſſe gentes, tranquillitatem volunt, cujus gratia civitas inſtituitur, colitur: Nollent autem tranquillitatem, niſi vellent ea, quæ ad tranquillitatem ſunt neceſſaria. Hóc eſſet velle & nolle idem eodem tempore, quod contradictionem involvit. E.gr. ſi merum jus naturæ reſpiciamus, quem interficere licet, eum gladio an veneno interimas, nihil intereſt: Nam generoſius quidem eſt ita occidere, ut qui occiditur, ſui defendendi habeat copiam, ſed non debetur hoc cuiquam, qui mori meruit: At jus gentium,

Digitized by Google

tium, ſi non omnium, certe meliorum, eſt, ne hoſtem veneno interficere liceat: In id conſenſerunt gentes, ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperant, nimium intenderentur, eorum maxime, qui eminent regendoque cæteris præſunt, quorum tamen ſalus tuenda maxime. Capiamus aliud exemplum: Cum nihil fiat a tempore, nihil quidem aut parum refert, an ulla gens hoc illudve territorium per aliquot annos aut dies, an per plura ſecula bona fide ſine omni contradictione ac impedimento poſſederit, ſi nempe jus naturæ reſpiciamus: At juris gentium certe eſt, ut Dominus territorii ſit iſte populus qui alteri populo ſibi territorium vendicanti objicit bonæ fidei temporisq; memoriam excedentis poſſeſſionem continuam nulla contradictione interpellatam, nec aliunde impeditam. In id enim conſenſiſſe gentes credimus, cum ad pacem communem id vel maxime interſit, ut licet tempus non faciat jus, nova tamen cauſa novum jus parere idonea colligi ſufficienter queat ex talismodi ſignis, quod nempe hæc gens bona fide ſemper poſſiderit ac nullo ambigente iſtud territorium: Cauſa vero eſt antegreſſa derelictio territorii, qua nempe altera gens non expreſſa quidem voluntate, tamen tacita, jus territorii, quod olim habebat, dereliquerat: Conſenſus vero taciti & expreſſi eadem regulari-

ter eſt virtus. Et certe huncce tacitum conſenſum niſi præſumere liceret, lites de territoriis eorumque finibus forent immortales, fomitesque bellorum nullo unquam tempore extinguerentur, quod communi gentium ſenſui repugnat.

III. TERTIUS USUS PRACTICUS erat ſibi aliisque perſpectum reddere modum demonſtrandi per formam: Ita ex eo, quod objectum imputationis eſt ipſa Chriſti Juſtitia & obedientia, forma realis æſtimatio in judicio divino hominem peccatorem, credentem in Chriſtum, a peccatis abſolvens & Juſtitiam Chriſti revera ei adjudicans, ſic demonſtratur: E. in Domino ſunt meæ juſtitiæ & robur ad eum veniet, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino juſtificabitur & glorificabitur omne ſemen Iſrael *Eſ. XLV, 24. 25*. E. pudeat tam ſevero Dei in peccata judicio viſo fœtidum te in ſanctis Dei Angelorumque oculis manere peccatorum ſervum; pudeat peccantium tyranno Satanæ vivere; pudeat, cor tuum eſſe templum Veneris aut Plutonis, quod ſanctum debebat eſſe ſacellum Chriſti Regis juſtitiæ. Pariter ex eo, quod objectum veræ fidei dicebatur, quod quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, demonſtramus: E. non indulgendum dubitationibus, ſed quoties oriuntur, luctandum cum iis, ut ſemper ita enitamur ad certitudi-

nem

Digitized by Google

nem, ne patiamur nobis excuti fiduciam. Maxime omnium nobis commendatum eſto perſeverantiæ ſtudium : Omnes virtutes currunt ad brabeum, ſola perſeverantia coronatur. Picemus navem animæ noſtræ hac certitudine fidei & Chriſtiano digniſſimarum virtutum externo exercitio. Serviamus tempori pandamusque vela, dum pulcerrima ſit occaſio. Quot ſunt illorum, qui ancoræ jactum indies ſuſtulerunt, donec eum prævertiſſet mors ſubita & ex omni parte miſera. . tamdiu inter ſcyllam & charybdim hujus mundi navem fidei noſtræ promoveamus, nunquam ex oculis dimittentes ſolem juſtitiæ Jeſum in cœlis ſtantem nosque volentem, donec omnibus miſeriarum hujus mundi ſcopulis feliciter declinatis in ſereniſſimo divinæ clementiæ portu optatiſſima animi requie æternaque beatitudine, quam nunc certa fide apprehendimus, re ipſa perfruamur. Ex eo, per quod ſcilicet demonſtrabatur, hæredem etiam naturaliter debitum ſolutum, civiliter tamen indebitum, propter ſingularem modum a jure civili pr- ſcriptum eumque a teſtatore non ſervatum, repetere poſſe, qui nempe in facto errans ultra dodrantem vel ex teſtamento minus ſolenni legata præſtiterat, deduci nunc poteſt, non ei qui repetit, ſed teſtatori, hos, a quibus repetitur, quique adeo bonis & ſperatis & poſſeſ-

ſis carere tenentur, habere quod imputent. Ita ex eo, quod demonſtrabatur, objectum juris naturalis eſſe actus abſoluta neceſſitate convenientes aut diſconvenientes cum natura rationali, ſolide demonſtratur jus naturæ abſolute eſſe immutabile. Ita ex eo, quod demonſtrabatur, objectum juris gentium eſſe actus abſoluta quidem neceſſitate nec convenientes nec disconvenientes cum natura rationali, ut tamen ex neceſſitate finis Rebuspubl. aut omnibus aut certe moratioribus propoſiti fas aut nefas jure meritoque cenſeantur, demonſtratur, forte magno imperii & ſingulorum ordinum bono fore, ſi collegium aliquod fecialium excitetur, cui res ad pacem bellumque & continendam adverſus molitiones ſive internas ſive externas communionem pertinentes, certis legibus, quales quidem rerum conditio ſuggeret, committi poſſint.

## CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM

De

# CAUSA IMPULSIVA hujusque doctrinæ uſu practico.

§. I.

*Cauſa impulſiva eſt cauſa, qu*...

*ap*-

*appetitum agentis movet ad hoc, ut finis a ſe diſtincti cauſa efficiens fiat vel ſit.* E. gr. Spes prædæ movet militem ad pugnam, metus ſuſpendii movet furem ad fugam.

## *NOTÆ.*

I. Perduxit nos ordo ad doctrinam de cauſa impulſiva, quam alii ad cauſam efficientem tantum; alii partim ad cauſam efficientem, partim ad cauſam finalem; alii partim ad cauſam formalem, partim ad cauſam finalem reducere ſolent: Iterum alii pro peculiari genere cauſæ, ac rurſus alii pro duobus diſtinctis generibus cauſarum venditant. Imo tot ac tam variis diſſenſibus effectum fuit, ut non pauci de vera ejus cauſalitate prorſus dubitarent, alii ne quidem de ea cogitarent.

II. Non vero poſſumus aliter, quin doctrinam de cauſa impulſiva apprime commendemus, utpote quæ in practicis ſtudiis, cum moralibus & politicis, tum juridicis ac Theologicis, uſum ampliſſimum & perpetuum præſtat, maximumque practicis negotiorum & factorum æſtimationibus ac inquiſitionibus momentum adfert, ceu e mox dicendis patebit. Cauſam enim impulſivam per univerſum jus dominari; ubique præſcribere videas leges: Nulla namque negotia, ſi-

ve moralia, ſive civilia, ſive forenſia agantur, quibus non ſua ſubſit cauſa impulſiva. Numquid deliberationes fruſtra, & nulla cauſa impellente inſtituuntur ſuſcipiunturque? Bellorum cauſas impulſivas dari tot tantaque bella hactenus geſta docent. Et quantæ in Republ. cauſæ impulſivæ non ſunt præmium & pœna, cardines, quibus janua ſalutis civilis vertitur? Eſt quoque doctrina de cauſa impulſiva tanta, ut ne à ſalutis quidem ſpiritualis ac æternæ negotio removeri poſſit. Quantulum enim de ſalute noſtra cognitum habemus atque perſpectum, ſi miſericordiam Dei ignoremus, lateatque fides mentum Chriſti apprehendens? Has cauſas impulſivas qui neſcit, neſcit Deum, Chriſtum, ſalutem, omnia.

III. Cur in delineatione cauſæ impulſivæ dixerimus cauſam impulſivam movere appetitum agentis ad hoc, ut *finis à ſe diſtincti* cauſa efficiens fiat vel ſit, facile datur aſſequi, nempe ut ſignificaremus cauſam impulſivam non eſſe cauſam finalem, quo de pluribus jamjam dicetur.

§. 2. *Cauſa impulſiva* alia eſt *interna*, alia *externa*: Illa Græcis προηγουμένη, hæc προκαταρκτικὴ dicitur, quæ tamen poſterior vox uſu latina

facta

facta eſt: Vulgo enim *cauſa procatarctica* dici ſolet.

§. 3. *Cauſa impulſiva interna eſt cauſa impulſiva in agente, cujus reſpectu cauſa impulſiva dicitur, exiſtens, & eatenus movens:* E. gr. Hunc amor patriæ vel libertatis, iſtum cupiditas honoris vel prædæ, illum metus præſentiſſimi periculi, alium ira &c. ad bellum gerendum movet, unde nunc hæc, nunc iſta, nunc illa, nunc alia cauſa impulſiva interna belli ſtatuitur.

*NOTÆ:*

I. Exempla ſacra adferre libet: Ita INVIDIA FRATRUM JOSEPHI erat *cauſa impulſiva* tot conſiliorum de fratre & occidendo, & in foveam abjiciendo, & tandem Iſmaelitis vendendo: Qui enim quæſo in mentem venire fratribus Joſephi potuiſſet, ſe Joſephum ſublaturos, niſi & paternus ille amor, quo Jacob præ reliquis Joſephum amplectebatur; & ſomnia hujus occaſionem præbuiſſent? Iſrael namque, ac reliquos liberorum Joſephum amabat ardentius, propterea quod in ſenectute ipſum genuiſſet; & tunica

tunica ipſum donabat varia. Cum vero fratres ſe in amore Joſepho poſtponi viderent, odio ipſum habent, neque dignum judicant alloquio blando. Accedunt ſpecies futurarum rerum Joſepho per ſomnum oblatæ, quæ fratribus expoſitæ inimicitias conciliaverant majores. Atque hinc non ita multo poſt tam nefaria conſilia *Gen. XXXVII.* IRA ABSOLONIS erga Ammonem erat *cauſa impulſiva* cædis Ammonis. Ammon enim ſtupraverat ſororem Abſolonis nomine Thamar: Abſolon vero dolorem hujus facinoris diſſimulans in ultionis ſolatia intendit. Media hinc inde conquirenti, tandem hæc ira ſuppeditat: Tonſores ovium in Baalhazor conducat, Regisque liberos invitet omnes; ſic enim ultionis de Ammone ſumendæ præberi occaſionem. Illi invitati comparent. Tum vero Abſolon pueris ſuis: Attendite Ammonem, ita quidem, ut poſtquam multo incaluerit mero, ipſe quoque vobis dixerim: Occidite Ammonem; non inquam, timeatis, quia ego mandavi: intrepido & forti agite, quæ juſſa ſunt, animo *2. Sam. XIII, 23. ſeqq.* PIETAS DAVIDIS erat cauſa conſervati Saulis. Niſi enim David fuiſſet pius, Saulem occidiſſet, cum in ſpelunca iſta quam hic להסך את רגליו ad pedes tegendos intraverat; tum vero dormientem in caſtris ſuis, in quæ David cum Abiſai deſcenderat. Ibi enim Da-

David admonitus: hanc diem eſſe, de qua, Dominus dixerat, ſeſe traditurum hoſtes, in manus ejus; oram quidem pallii abſcidit, ceterum longe a ſe alienum judicavit, manus ſuo domino, uncto Dei, inferre violentas. Hic vero, cum Abiſai Saulem haſta transfigere vellet: Cave, inquit, eum perdas; quis enim unctum domini occidat, ut ei abeat impune. 1. *Sam.* XXIV. & XXVI. Ita Cauſa impulſiva in gratiam recepti filii ΣΤΟΡΓΗ erat: Hæc enim, ſi quid aliud, effecit, ut filius ille perditus, quia ſua perdiderat omnia, patri reconciliaretur. Quidni enim pater adeo benignus talem filium abnegare potuiſſet, atque jubere, ut abeat, quo abliguriverat ſua. Attamen cum rediiſſet, ſeque patri ſuo peccaſſe confeſſus fuiſſet, parens ſtatim ſervis, adferte ſtolam, inquit, primam, & induite illum, & date annulum in manus ejus, & calceamenta in pedes. Et adducite vitulum &c. *Luc.* XV, 22. 23. 24. Iterumque alteri filio, hanc rem indignanti. Fili! gaudere & lætari oportebat, quia frater hic tuus mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt. *verſ.* 32. TIMORI adſcribendum, quod ABRAHAM, poſtquam Gerar veniſſet, uxorem Sarah ſuam dixerit ſororem: interrogatus enim, cur id ipſum feciſſet: putabam, ait, hiſce locis pietatem valedixiſſe, meque ob uxorem vitæ expoſitum iri periculo *Gen.* XX. ZE-

LUS

LUS PINEHÆ, quo ductus hic & Simri & Casbi ſcortatores haſta transfixit, DEUM quoque movit, ut æterni ſacerdotii fœdus illi promitteret. *Num. XXV, 7. 13.* Unum alterumve exemplum profanum adjicere placet. Ita AMOR CONJUGALIS erat cauſa impetratæ ab hoſte gratiæ: Cum enim Conradus III. Imperator Guelphum Bavariæ Ducem a parte Romani Pontificis ſtantem, in arce Winsberga obſediſſet, jamque ad ultima perventum eſſet, hic victoris Conradi arbitrio ſeſe tradere coactus fuit. Ante tamen quam hoſtis arcem intraſſet, egreſſæ DEVICTORUM UXORES ſunt, atque a Conrado petiere, ut quantum quælibet humeris ſuis poſſet opum liceat ſecum auferre. Id quod victor adeo clemens facile permiſit, ratus, mundam easdem ablaturas muliebrem eſſe. Ipſæ vero maritos humeris exceptos abſportarunt, Imperatore factum laudante, ejusque iracundia in gratiam converſa. Ita IGNAVIA CHILDERICI erat cauſa impulſiva erepti ſceptri: Nempe Lotarius II. Galliæ Rex, primus inſtituerat Majores Domus, eo fine, ut penes ipſos ſuprema belli ſit atque pacis adminiſtratio: Succeſſores vero ejus hoc inſtituto abuſi omnia negotia in Majores domus conjecere. Quo facto & horum crevit potentia, & contemni illi cœperunt. Quin imo eo prolapſi ſtultitiæ, atque ſo-

ſocordiæ ſunt, ut quotannis non niſi ſemel currui inſidentes ruſtico floribus conſperſo & a quatuor bubus tracto, ipſi promiſſis barbis, capillitio flavo & arte criſpato per humeros dependente, populo conſpiciendos ſe præberent. Quarum ineptiarum Galli tandem pertæſi, detruſo in Monaſterium ultimo ex Merovingis Childerico ignavo, Regem crearunt Pipinum parvum, Majorem domus. Ita LIBIDO APPII erat cauſa impulſiva in ſervitutem aſſertæ Virginiæ: Appius Claudius Decemvir, ſtuprandæ excellenti forma Virginiæ libidine captus; cùm nec precibus, nec muneribus pudorem virginis vinci poſſe intelligeret, M. Claudio clienti dat negotium, ut Virginiam in ſervitutem aſſerat. Pater redux filiæ adeſt, eam in libertatem vindicaturus. Tandem, cum auſibus Appii ſeſe imparem videt, ferro filiam transfigit, ratus, mortem contumeliæ tantæ anteferendam eſſe. Ita IRA CN. PISONIS erat cauſa impulſiva trium injuſtiſſimorum ſuppliciorum: Erat iſte vir a multis vitiis integer, ſed pravus, & cui placebat pro conſtantia rigor. Is cum iratus duci juſſiſſet eum, qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit. Damnatus extra vallum ductus eſt, & jam cervicem porrigebat, cum ſubito apparuit

ille

Digitized by Google

ille qui occiſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpiculatorem jubet: damnatum ad Piſonem reducit, redditurus Piſoni innocentiam. Nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concurſu deducuntur, complexi alter alterum cum magno gaudio caſtrorum commilitones. Conſcendit tribunal furens Piſo, ac jubet duci utrumque, & eum militem qui non occiderat, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? Quia unus innocens apparuerat, duo peribant. Piſo adjecit & tertium. Nam ipſum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci juſſit. Conſtituti ſunt in eodem illo loco perituri tres, ob unius innocentiam. O quam ſolers eſt iracundia ad fingendas cauſas furoris! Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es: te, quia cauſa damnationis commilitoni fuiſti: te, quia juſſus occidere, Imperatori non paruiſti. Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. Habet iracundia hoc mali, non vult regi. Iraſcitur veritati ipſi, ſi contra voluntatem ſuam apparuerit: clamore, & tumultu, & totius corporis jactatione, quos deſtinavit, inſequitur, adjectis convitiis maledictiſque. Hæc exempla loco PRIMI USUS PRACTICI doctrinæ de cauſa impulſiva interna, qui eſt perſpectas ſibi reddere cauſas impulſivas internas, attuliſſe ſufficiat.

II. De

Digitized by Google

II. De cauſa impulſiva interna ſeu cauſa *προηγουμένη* *Hugo Grotius lib. II. de Jure Belli & pacis* c. 20. §. 31. appoſite diſſerit: *Perſonæ aptitudo aut ad conſiderandas cauſas avertentes aut ad ſuſcipiendos* AFFECTUS INCITANTES *conſiderari ſolet in corporis mixtura, ætate, ſexu, educatione, circumſtantiis actus. Nam & pueri, & fœminæ, & craſſi ingenii homines, maleque educati, juſti & injuſti, liciti & illiciti diſcrimina minus habent cognita: & in quibus bilis prævalet, iracundi ſunt, in quibus ſanguis ad Venerem proni, tum vero huc juventus, illuc ſenectus propendet. Andronicus Rhodius: Videtur factis turpibus excuſationis aliquid adferre natura, & delictum efficere tolerabilius. Metum accendit mali imminentis cogitatio, & iracundiam recens ac necdum ſedatus dolor: ita ut rationem audiri vix ſinant: ſuntque illorum affectuum delicta merito minus odioſa quam quæ ex voluptatis naſcuntur deſiderio, quod & minus efficaciter movet, & differri & aliam ſibi materiam ſine injuria quærere facilius poteſt. Ariſtoteles Nicomachiorum ſeptimo: Magis naturale ira & acerbitas quam cupiditas eorum qui modum excedunt, minimeq; ſunt neceſſaria.* OMNINO ENIM ILLUD TENENDUM EST, QVO ANIMI ELIGENTIS JUDICIUM MAGIS IMPEDITUR, QVOQVE MAGIS NATURALIBUS CAUSIS, EO QVOD DELINQVITUR,

TUR, MINORIS ESSE. *Ariſtoteles dicto libro cap. 6. Minus temperantem dicimus hunc, qui a motu concupiſcente aut non tentatus, aut leviter tentatus quærit enormes voluptates aut mediocria incommoda deſugit, eo qui vehementi affectu percellitur. Nam quid idem ille facturus fuiſſe putandus eſt, ſi adfuiſſet juvenilis quædam perturbatio animi, aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis natura doleat? Quicum convenit illud Antiphanis:*

*Qui cum ſit opulens, nequiter quicquam facit,*
*Hunc ſi eſſet pauper, quid non facturum putas?*

*Et quæ in ſenum amores paſſim in comœdiis legimus. Ex his igitur cauſis æſtimandum meritum intra quod pœna conſiſtere debeat.*

III. ALTER USUS PRACTICUS doctrinæ de cauſa impulſiva interna erit noſſe modum probandi cauſam impulſivam internam per cauſam vel alius generis, vel intra idem genus alius ordinis: Utriusque modi exemplum adjiciemus. Et primo quidem cauſam impulſivam internam per alius vel quaſi alius generis cauſam demonſtrabimus. (Dicimus: alius vel quaſi alius generis: Nam utut cauſa impulſiva interna ſuo modo ad cauſam efficientem referri poſſit), adhuc tamen quaſi aliud genus cauſæ efficientis cauſa impulſiva interna manet, ut

ſubſequenti *not. IV. ad hunc §.* docebitur.)
Exempli loco ſumamus IRAM, hanc ut cauſam impulſivam, *Seneca* præeunte, ſic demonſtrabimus. Si effectus ejus damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas ſordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub civili haſta capita venalia, & ſubjectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſſimarum civitatum fundamenta vix notabilia: has ira dejecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatore deſertas: has ira exhauſit. Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili ſuo confodit: alium inter ſacra menſæ ira percuſſit: alium inter leges celebriſque ſpectaculum fori lancinavit: alium filii parricidio dare ſanguinem juſſit: alium ſervili manu regalem aperire jugulum: alium in cruces membra dividere. Et adhuc ſingulorum ſupplicia narro. Quin ſi tibi libuerit relictis in quos ira viritim exarſit, aſpice cæſas gladio conciones, & plebem immiſſo milite contrucidatam & in perniciem promiſcuam totos populos capitis damna paſſos. Quid enim eſt aliud, quod Barbaros tanto robuſtiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuunt, niſi ira in-

 fe-

feſtiſſima ſibi? Quid Cimbrorum Teutonorumque tot millia ſuperfuſa Alpibus ita ſuſtulit, ut tantæ cladis notitiam ad ſuos non nuntius, ſed fama pertulerit, niſi quod erat illis ira pro virtute? quæ ut aliquando percuſſit ſtravitque obvia, ita ſæpius ſibi exitio eſt. Quo alio Fabius affectas imperii vires recreavit, quam quod cunctari & trahere, & morari ſcivit, quæ omnia irati neſciunt? Perierat imperium, quod tunc in extremo ſtabat, ſi Fabius tantum auſus eſſet, quantum ira ſuadebat. Habuit in conſilio fortunam publicam, & æſtimatis viribus ex quibus jam perire nihil ſine univerſo poterat, dolorem ultionemque ſepoſuit in unam utilitatem: & occaſioni intentus, iram ante vicit, quam Hannibalem. Quid Scipio? nonne relicto Hannibale, Punico exercitu, omnibusq; quibus iraſcendum erat, bellum in Africam tranſtulit jam lentus, ut opinionem luxuriæ ſegnitiæque malignis daret? Quid alter Scipio? non circa Numantiam multum diuque ſedit, & hunc ſuum publicum dolorem æquo animo tulit, diutius Numantiam quam Carthaginem vinci? Quam dum circumvallat & includit hoſtem, eo compulit, ut ferro ipſi ſuo caderent. E contrario cum ſe ira in poſſeſſione poſuit, potentior *cauſa efficiente* eſt: Commota enim ſemel mens ei ſervit. Quarundam rerum initia in noſtra poteſtate ſunt, ulte-

ulteriora nos ſua vi rapiunt, nec regreſſum relinquunt, ut in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium eſt, nec reſiſtere morarive dejecta potuerunt, ſed conſilium omne & pœnitentiam irrevocabilis præcipitatio abſcidit, & non licet eo non pervenire, quo non ire licuiſſet: Ita animus ſi in iram ſe projecit, non permittitur reprimere impetum: rapiat illum oportet, & ad imum agat ſuum pondus, & jam vitiorum natura proclivis. Alterius modi exemplum idem *Seneca* ferè hunc in modum ſubminiſtrat: Utilis eſt, ais, ira, quia contemptum effugit, quia malos terret. Primum ira, ſi quantum minatur, valet, ob hoc ipſum quia terribilis eſt, & inviſa eſt. Periculoſius eſt autem timeri, quam deſpici. Si vero ſine viribus eſt, magis expoſita contemptui eſt, & deriſum non effugit. Quid enim eſt ita in ſupervacuum tumultuante frigidius? Deinde non ideo quædam, quia terribiliora potentiora ſunt: nec hoc ſapientis dici velim, quod feræ quoque telum eſt timeri. Quid? non timetur febris, podagra, ulcus malum? Numquid ideo quicquam in iſtis boni eſt? an contra, omnia deſpecta, & fœda, & turpia timentur? Ira per ſe deformis eſt & minime metuenda. At timetur a pluribus, ſicut deformis perſona ab infantibus? Quid quod ſemper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur, ipſe ſecu-

rus? Occurret hoc loco tibi Laberianus ille verſus, qui medio civili bello in theatro dictus, totum in ſe populum non aliter convertit, quam ſi miſſa eſſet VOX PUBLICI AFFECTUS:

*Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.*

Ita natura conſtituit, ut quod alieno metu magnum eſt, a ſuo non vacet. Leonum quam pavida ſunt ad leniſſimos ſtrepitus pectora. Acerrimas feras umbra, vox & odor inſolitus exagitat. Quicquid terret, & trepidat.

IV. TERTIUS USUS PRACTICUS doctrinæ de cauſa impulſiva interna dicetur noſſe modum demonſtrandi per cauſam impulſivam internam concluſiones alias. Loquatur pro nobis modo laudatus *Seneca*, qui hanc rem *Lib. 1. epiſtolarum epiſt. 83.* egregie deducit, atque inſigni exemplo illuſtrat, quod docendi gratia attexere libuit. Sic enim ille: Quid ſibi voluerunt prudentiſſimi viri, qui rerum maximarum probationes leviſſimas & perplexas fecerunt, quæ ut ſint vera, mendacio tamen ſimiles ſunt. Vult nos ab ebrietate deterrere Zeno, vir maximus, hujus ſectæ fortiſſimæ ac ſanctiſſimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligat, virum bonum non futurum ebrium; Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit: Viro bono au-

tem

em committit. Ergo vir bonus ebrius non erit. Quemadmodum oppoſita interrogatione ſimili derideatur, attende. Satis enim eſt, unam ponere ex multis. Dormienti nemo ſecretum ſermonem comittit: Viro autem bono committit. Ergo vir bonus non dormit. Quo uno modo poteſt, Pocidonius onis noſtri cauſam agit: ſed ne ſic quim, ut exiſtimo, agi poteſt. Ait enim rium duobus modis dici: Altero, cum alis vino gravis eſt, & impos ſui. Altero, ſi let ebrius fieri, & huic obnoxius vitio eſt. unc a Zenone dici, qui ſoleat fieri ebrius, n qui ſit. Huic autem neminem commiſrum arcana, quæ per vinum eloqui poſſit, od eſt falſum. Primum enim illa interrogao complectitur eum qui eſt ebrius, non eum i futurus eſt. Plurimum enim intereſſe ncedes inter ebrium & ebrioſum. Poteſt qui ebrius eſt tunc primum eſſe, nec habe hoc vitium: & qui ebrioſus eſt, ſæpe exa ebrietatem eſſe. Itaque id intelligo, quod gnificari verbo iſto ſolet: Præſertim cum homine diligentiam profeſſo ponatur, & rba examinante. Adjice nunc, quod ſi hoc tellexit Zeno, & nos intelligere voluit, amiguitate verbi quæſivit locum fraudi: quod ciendum non eſt, ubi veritas quæritur. Sed me hoc ſenſerit: quod ſequitur falſum eſt, ſi qui ſoleat ebrius fieri, non committi ſer-

monem ſecretum. Cogita enim, quam multis militibus non ſemper ſobriis, & imperator & tribunus & centurio, tacenda mandaverit. De illa C. Cæſaris cæde, illius dico qui ſuperato Pompejo Rempubl. tenuit, tam creditum eſt Tullio Cimbro, quam C. Caſſio. Caſſius tota vita aquam bibit: Tullius Cimber & nimius erat in vino & ſcordalus. Hanc in rem jocatus eſt ipſe: Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non poſſum? Sibi quisque nunc nominet eos, quibus ſcit & vinum male credi, & ſermonem bene. Unum tamen exemplum, quod occurrit mihi, referam, ne intercidat. Inſtruenda eſt enim vita exemplis illuſtribus. Non ſemper confugiamus ad vetera. L. Piſo, urbis cuſtos, ebrius ex quo ſemel factus fuit, majorem partem noctis convivio exigebat, usque in horam ſextam fere dormiebat, hoc erat ejus matutinum. Officium tamen ſuum, quo tutela urbis continebatur, diligentiſſime adminiſtravit. Huic & Divus Auguſtus dedit ſecreta mandata, cum illum præponeret Thraciæ quam perdomuit: Et Tiberius proficiſcens in Campaniam, cum multa in urbe & ſuſpecta relinqueret & inviſa, puto quia illi bene ceſſerat Piſonis ebrietas, poſtea Coſtum fecit urbis præfectum, virum gravem, moderatum, ſed merſum vino & madentem: Adeo, ut ex Senatu aliquando, in quem e convivio

venc-

venerat, oppreſſus inexcitabili ſomno, tolleretur. Huic tamen Tiberius multa ſua manu ſcripſit, quæ committenda ne miniſtris quidem ſuis judicabat. Nullum Coſſo aut privatum ſecretum, aut publicum elapſum. Itaque declamationes iſtas de medio removamus. Non eſt animus in ſua poteſtate, ebrietate devinctus. Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur & omne quod in imo jacet, in ſumma partem vis caloris ejectat: Sic vino exæſtuante, quicquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne ſecretum quidem: Quod ſuum alienumque pariter effundunt. Sed quamvis hoc ſoleat accidere, ita & illud ſolet, ut cum his quos ſcimus libentius bibere, de rebus neceſſariis deliberemus: Falſum eſt ergo hoc, quod patrocinii loco ponitur, ei qui ſoleat ebrius fieri, non dari tacitum. Quanto ſatius eſt aperte accuſare ebrietatem, & vitia ejus exponere? Quæ etiam tolerabilis homo vitaverit, nedum perfectus ac ſapiens: Cui ſatis eſt ſitim extinguere: qui etiam ſi quando orta eſt hilaritas, aliena cauſa producta longius, tamen citra ebrietatem reſiſtit. Nam de illo videbimus, an ſapientis animus nimio vino turbetur & faciat ebriis ſolita. Interim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur

cur ſyllogiſmis agis? Dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quam multa ebrii faciant, quibus ſobrii erubeſcant: Nihil aliud eſſe ebrietatem, quam voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrium habitum, numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed brevior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui *Clitum* cariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore, mori voluit, certe debuit. Omne vitium ebrietas & intendit, & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abſtinent. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed prodit. Tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit: Tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: Tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: Omne vitium detegitur & prodit. Adjice illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: Stomachi

tormenta, cum efferveſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen utcunque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt: Quid cum ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt: Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſasque hoſtibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: Hæc contumaciſſimos & jugum recuſantes in alienum egit arbitrium: Hæc invictos acie mero domuit, Alexandrum, cujus modo feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; Intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit: Quæ gloria eſt, capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cum ſuperſtes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio. M. Antonium, magnum virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit quam ebrietas, nec minor vino Cleopatræ amor. Hæc illum res hoſtem Reipub, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cum capita principum civitatis cœnanti referrentur, cum inter apparat-



Digitized by Google

paratiſſimas epulas luxusque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret: cum vino gravis, ſitiret tamen ſanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, etiamſi ſobrius faceret: Quanto intolerabilius, quod hæc in ipſa ebrietate faciebat? Fere vinolentiam crudelitas ſequitur. Violatur enim exasperaturque ſanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radii ſolis offenſionem: ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cum ſæpe apud ſe non ſint, conſuetudine inſaniæ durata vitia, vino concepta, etiam ſine illo valent. Dic ergo, quare ſapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem oſtende rebus non verbis: quod facillimum eſt. Commodiſſimum hoc exemplum doctrinæ Metaphyſicæ gratia adducere placuit: Nulli namq; dubitamus, quin inde ſatis cognoſci poſſit per cauſam impulſivam internam præclare demonſtratum fuiſſe, ebrietatem eſſe fugiendam. Addamus unicum exemplum Theologicum: Comes Eſſexius, cujus lapſum, Eliſabetha regente, Anglia ſtupuit, cum jamjam eſſet ſecuris ſubeunda, nigro clypeo inſcribi voluit aureis literis: *Par nulla figura dolori.* O ſervator dulciſſime! mihi amorem tuum intuenti præ pi-ceo illius clypeo candida albibeſcit tabula, cum aureo lemmate: *Par nulla figura amori.*

Imo

Imo nulla ei par eſt eloquii copia, nulla ſuada. Quo enim ſe tuus amor, O ſponſe mi, non demiſit? Cœlos ut relinqueres, ſuaſit, & noſtræ miſeriæ te faceres participem, quo tu nos juſtitia inſtrueres; gratia tua ditares; virtute confirmares; doctrina erudires; ſanguine demum redimeres. Per unius hominis, majeſtatem divinæ parem affectantis, ſuperbiam cum periiſſemus, per admirandam humilitatem nos ſervandos tuus cenſuit amor. Quod natus es in ſtabulo; quod poſitus in præſepio; quod tot ſuſtinuiſti injurias, tot inſidias, tantam miſeriam, quam noſtra meruerant peccata, tuo, O ſuaviſſime Jeſu! debemus amori: Et quid te in vincula conjecit, quid vendidit, quid judicum turbæ, militum furori expoſuit, quid, niſi amor, quo in nos exarſeras? Mortem, quæ omnia vincit, tuus vicit amor? Imo vicit te ipſum, potentiſſimum cœli & terræ imperatorem? Quid igitur indignius quam ejus non vinci ardore? O ſtupendam vim! O mirandam efficaciam! O ſanctiſſimas amoris flammas! Nihil eſt, quo amoris tui magnitudinem metiar, nihil quo æſtimem, nihil quo redhoſtiam, ſi me totum dedero, nihil dedero. Interim tibi ſacrum deinceps eſto, quicquid in me virium eſt, quicquid eſt cupiditatum, quicquid eſt ingenii, tuo amori eſto conſecratum. Sed quæ hominum eſt pravitas? Quæ duritia?

Quo-

Quotusquiſque eſt qui tanta amoris flagrantia & tot beneficiorum flectatur cumulis. Nihil eſt tam durum, quin artis beneficio molliatur: Metalla igni liqueſcunt; adamantis durities hirci ſanguine frangitur: At veſtra, o mortales, corda ſunt quovis ſilice, ferro, adamante duriora; quippe quorum duritiem nec amoris ardor infringit, nec agni illius immaculati ſanguis. Quid quæſo amatis, qui non redamatis? O infelices! quos haud præter meritum beſtiis dixero ingratiores, feris ferociores, quid veſtræ tandem medebitur cœcitati? Quæ bellua, quis leo, quæ tigris tam beneficiorum immemor, ut lædat benefactorem? Singulare eſt & plane eximium, quod *Ambroſius* de canicula quadam refert? Aſſederat ſcilicet illa per totam noctem trucidato ab hoſte Domino, triſte ejus fatum lugubri ululatu proſecuta. Primo mane undiquaque confluunt homines, atq; inter hos percuſſor, quo illa viſo majori rem gerere latratu; irruere tandem & mordere; ita factum, ut immane nefarii hominis ſcelus detegeretur. Periiſti, o homo, periiſti, niſi ruborem tibi incutiat brutæ animantis fides illa & pietas fruſtulo panis excitata, atq; ad id faſtigii perducta? Et ſi adeo in domini ſui peremtorem exarſit beſtia; quin & tu illorum proterviæ, qui dominum occidere tuum, indignaris? Qui ſunt illi? als? Peccata



Digitized by Google

cata tua ſunt; hæc illum comprehenderunt, ligarunt, flagellarunt, in crucem denique rapuerunt. Quin igitur excandeſcis? Quin ſociam acuis tuam in iſtos Servatoris tui tortores & carnifices? Profecto niſi amor, quo te eſt amplexus, mutuum excitaverit amorem; & juxta acerrimum flagitioſæ vitæ odium, de æterna tua eſt actum felicitate. Tantum de exemplo hocce Theologico, quo nempe per *cauſam impulſivam internam* debitum adverſus ſalvatorem nobis incumbens demonſtrabatur.

V. Cæterum in quonam *cauſalitas cauſæ impulſivæ internæ* conſiſtat, quæſtio eſt valde difficilis ac intricata. Videre licet magni nominis Doctores, qui cauſam impulſivam internam per ſe referunt ad cauſam formalem: Et qui ita philoſophantur, hac inprimis ratione, quam ſolidam cenſent, nituntur, quod ſcilicet cauſa impulſiva interna per ſui cum appetitu unionem ipſi appetitui det eſſe quoddam, ita ut ad certam actionem appetitus excitatus ſit formaliter ac determinatus, cum antea indeterminatus eſſet, ſicque qui appetitui ineſt ipſumque impellit affectus per eſſentiam ſuam ipſa ad certam actionem determinatio appetitus ſit, a qua appetitui inexiſtente determinatione appetitus non minus formaliter determinatus ſit, quam paries ab inexiſtente albedine formaliter albus.

Digitized by Google

bus. Quemadmodum igitur albedo, quæ parieti ineſt, ipſi dat eſſe album, (non per actionem, ſed) per ſui cum pariete unionem, atque adeò ut forma: Ita dum e.gr. iraſcitur appetitus, volunt eum per inexiſtentem ſibi iram non poſſe non eſſe formaliter determinatum ad ultionem. Qui igitur hanc rationem urgent, cauſalitatem cauſæ impulſivæ internæ docent eſſe impulſum, non activum, ſed formalem; ſive non actionem, ut impulſum lapidis vel mallei: Sed ipſius cauſæ impulſivæ internæ cum appetitu, quem impellere dicitur, unionem, & ortam inde formalem ad agendum determinationem: Et ideo etiam definire ſolent cauſam impulſivā internam quod ſit cauſa per unionem ſui cum agentis appetitu ad agendum movens.

VI. Utut vero hæc ipſa ſententia *præcedenti* §. allata magnam præ ſe ferat ſpeciem veritatis, non tamen omni difficultate fortaſſis caret. Nam licet nemo eat inficias, quod cauſa impulſiva interna ſit forma ac inſit appetitui, quem impellit, reſque ipſa per ſe id loquatur, e.gr. ira impellit Titium ad cædem patrandam, ſed quis negaret eam eſſe formam, quæ appetitui, quem impellit, ineſt: De eo tamen non eſt quæſtio, an cauſa impulſiva interna ſit forma ejus, cui ineſſe dicitur? Sed quæritur hoc loco, an cauſa impulſiva interna per hoc ſit cauſa impulſiva, quod ſit

ſit forma ejus, quod impellit. Damus inſtantiam: Quælibet anima indubie tanquam forma ad ſubjectum ſe habet. Inde enim dicta eſt forma, quod ſit intima ac intrinſeca perfectio ſubjecti: ſed quæritur, numne forma, quando agit in corpore, & utitur corpore tanquam organo, agat, ut forma, hoc eſt ut cauſa formalis? Nemo hoc dixerit. Nam ut cauſa formalis non eſt agens. Quid ergo ſi jam dicamus, mutatis ſcilicet mutandis, quod cauſa impulſiva, quando impellit illud, in quo eſt, non impellat ut forma: Si enim forma ut forma non eſt agens; forma ut forma etiam non erit impellens, & vice verſa cauſa impellens ut impellens non erit forma. Quippe impulſus ſi non proprie tamen κατ' ἀναλογίαν eſt actio. De hoc igitur omnis diſceptatio eſt: An pari ratione cauſa προηγουμένη impellat appetitum, qua ratione albedo parieti dat eſſe album, nempe per ſui cum appetitu unionem, adeoque per modum formæ? Nam per ſui cum appetitu unionem ira dat quidem eſſe iraſcens aut iratum, æque ac per ſui cum pariete unionem albedo dat eſſe album: Utrum vero eſſe iraſcens aut eſſe iratum formaliter idem ſit, ac eſſe impulſum ad certam actionem e.gr. cædem? de eo dubitari forte poterat, nec ſine ratione. Ira enim eſt per eſſentiam cupiditas ultionis, non vero eſt per eſſentiam ultio: Unde adhuc

huc

huc in dubio relinquitur, quomodo ira, quæ appetitui ineſt, per hoc, quod appetitui ineſt, determinatio appetitus ad ultionem dici queat. Videtur potius, ac ſi ira in alio genere cauſæ moveat, quodcunque tandem genus cauſæ nominetur.

VII. Cauſalitas ergo cauſæ impulſivæ internæ erit potius nec impulſus activus, nec formalis, ſed peculiaris propriique generis impulſus, æque ac motio quibusdam *cauſæ* moralis ſpeciebus propria non eſt motio phyſica, vera tamen motio moralis: aut, ut clarius adferamus exemplum, motio cauſæ finali propria nec eſt phyſica nec moralis motio, peculiaris tamen ac vera cauſalitas cauſæ finalis manet, ipſis contrariæ ſententiæ Patronis id fatentibus. Interim facilius comparari poterit cauſalitas cauſæ προηγουμένης cum impulſu activo quam formali, quia noſtro tenui judicio, ſalvo cujusvis meliori, cauſæ impulſivæ hoc quod in impulſo ſit, æque extrinſecum eſt, atque cauſæ exemplari accidit, quod alia ſit interna, alia externa. Item forma ut eſt agens, non eſt cauſa interna: eſt enim cauſa actionis: at omnis cauſa actionis eſt cauſa externa. Si interim quis referre voluerit cauſam impulſivam internam ad cauſam efficientem, ea erit actionis cauſa mediata: e.gr. ira movet appetitum immediate ad appetitionem ultionis, ipſe vero appetitus

ap-

appetitione ſit cauſa immediata ultionis; quia appetitus mediante alia potentia, non vero mediante alio ſuppoſito agit. Fieri quidem poteſt, ut e. gr. quiſpiam iratus per alium ulciſcatur injuriam, & ſic appetitus irati eſt cauſa mediata ultionis, tamen immediata cauſa actus, ex quo ultio ſequitur, e. gr. mandati, cujus cauſa mediata ira erat.

VIII. Sunt quidem adhuc alii, qui cauſam impulſivam internam relatam volunt ad cauſam finalem, ſed ſine omni fundamento: cauſa enim finalis ſemper movet ſub ratione boni: at de cauſa impulſiva interna hoc dici nequit. Pariter cauſa finalis movet ad ſui appetitionem, effectionem vel conſecutionem: Hoc rurſus de cauſa impulſiva interna neutiquam poteſt aſſeri.

§. 4. *Cauſa impulſiva externa* eſt *cauſa impulſiva ſub ratione boni vel mali appetitum agentis movens, ut fiat vel ſit cauſa efficiens hujus vel iſtius rei:* E. gr. Injuria eſt cauſa impulſiva movens appetitum belligerantis ad hoc, ut ſit cauſa efficiens belli.

*NOTÆ.*

I. Cavendum probe, ne (quod a multis

fieri ſolet) confundantur: *Cauſa moraliter movens* & *cauſa impulſiva externa*: e. gr. cauſa mandans & mandatum, cauſa conſulens & conſilium, cauſa demandans & demandatum, cauſa laudans & laus, cauſa conſentiens & conſenſus, cauſa merens & meritum, cauſa ſatisfaciens & ſatisfactio, cauſa provocans & provocatio &c. Ita e. gr. Saul erat cauſa Moralis (moraliter movens, nempe mandans) quod Ahimelech cum reliquis Sacerdotibus a Doego interficeretur: Cauſa vero impulſiva interna erat odium Saulis adverſus Davidem ejusque aſſeclas: Impulſiva externa beneficium illud, quod Ahimelech Davidi tribuerat, dando & panes propoſitionis & enſem Goliathi *1. Sam. XXI, 6. 9.* Pari modo Jonathan erat cauſa moralis (moraliter movens, ſcilicet merens) beneficiorum a Davide filio collatorum: cauſa impulſiva externa erant beneficia a Jonathane olim in Davidem profecta.

II. Non eſt, quod hic exempla, cum ſacra, tum profana, coacervemus, utpote quorum magnus numerus benevolo lectori ſuppetit, modo recurrere velit ad *Caput XXV. de cauſis moraliter moventibus*. Quemadmodum enim ibi tot exempla cauſarum moraliter moventium cum ſacra tum profana exhibuimus, ita nihil facilius erit, quam ex *eodem capite* ſat largam meſſem, exemplorum cum ſacrorum

tum

tum profanorum cauſæ impulſivæ externæ ſperare. Et hæc de PRIMO USU PRACTICO cauſæ impulſivæ externæ dicta ſunto, utpote quæ abunde ſufficere poſſe credimus.

III. Nec difficile amplius erit aſſequi ALTERUM USUM PRACTICUM doctrinæ de cauſa impulſiva externa, modo cum judicio atque ſedato animo perlegantur, quæ ſupra *cap. XXVIII. de uſu practico cauſæ efficientis*, per *totum §. 2.* maxime vero de uſu cauſæ moralis meritoriæ diſſeruimus. Ad cauſam enim efficientem referri cauſam impulſivam externam poſſe, *ibidem pag. 1424.* jam tum monuimus. Interim ne hanc materiam nimis oſcitanter tractaſſe cenſeamur, uſum ejus in omnibus omnino diſciplinis practicis argumentis omni exceptione majoribus demonſtrabimus atque confirmabimus. Et qua quæſo ratione melius id præſtari poterit faciliusque, quam ſi plane eximium Locum Communem (quem ex inſigni *Hugonis Grotii opere de Jure Belli & Pacis*, & quidem ex *capite I. lib. II.* petere libet) huc transferamus: *Plane quot actionum forenſium ſunt fontes, totidem ſunt belli: Nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones ob injuriam non factam, aut ob factam. Ob non factam, ut qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia,* ne

*ne vis fiat. Factam, aut ut reparetur, aut ut puniatur: Quos duos obligationum fontes recte diſtinguit Plato nono de legibus. Quod reparandum venit, aut ſpectat id quod noſtrum eſt vel fuit, unde vindicationes & condictiones quædam; aut id quod nobis debetur ſive ex pactione, ſive ex maleficio; ſive ex lege, quo referenda quæ ex quaſi contractu & quaſi maleficio dicuntur; Ex quibus capitibus naſcuntur conditiones cæteræ. Factum ut puniendum parit accuſationem & judicia publica. Plerique bellorum tres ſtatuunt cauſas juſtas, defenſionem, recuperationem rerum & punitionem: Quæ tria in Camilli ad Gallos denuntiatione invenias; Omnia quæ defendi, repetique, & ulciſci fas ſit.*

Hic *Grotius* recenſet varias *cauſas impulſivas externas* tanquam genuinos fontes & actionum quæ habent effectus *juris civilis*, & actionum quæ habent effectus *juris gentium*, & actionum quæ habent effectus *juris naturalis*. Nam quod de his quoque agere voluerit, docet initium totius operis, dum nempe libro I. cap. I. §. 1. ſcribit: *Controverſiæ eorum, quos nulla juris civilis tenet communio, quales ſunt & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter ſe diverſarum ſunt gentium, tum privati, tum Reges ipſi, quique par Regibus jus obtinent, ſive illi optimates ſunt, ſive populi liberi, aut ad belli, aut ad pacis tempora pertinent. Sed quia bellum pacis cauſa ſuſcipitur, & nulla eſt*

con-

controverſia unde non bellum oriri poſſit, occa-
ſione bellici juris quæcunque tales incidere ſolent
controverſiæ recte tractabuntur: Ipſum deinde
in bellum ad pacem, ut finem ſuum deducet.
Ipſa quoque attenta & ſedula inſpectio to-
tius libri II. hoc abunde indicat. Nam quia
Grotio ſatis ſuperque perſpectum erat,
omnem omnino ſolidam doctrinam (etiam
Moralem, Politicam, Juridicam) eſſe de cau-
ſis & ex cauſis, ideo ſic diſpoſuit illuſtre ac
commendatiſſimum opus ſuum de J. B. & P.
ut primo libro ageret de cauſis efficientibus &
per eas demonſtraret: Secundo libro de cau-
ſis impulſivis & ſimul per eas demonſtratum
iret. Tertio demum ſeu ultimo libro de cauſis
formalibus & ex iis demonſtrationes deduce-
ret. Igitur exemplorum innumerorum huc
ſcilicet apprime facientium copiam qui de-
ſiderat, ſecundum librum Hugonis Grotii adire
poterit. Nulli namque dubitamus, quin
quiſque Grotium in ipſo Grotio ſemel agno-
ſcens certiſſime gratulaturus ſibi ſit & de
Locis Communibus quos vocant deſidera-
tiſſimis & de egregia eaque portatili biblio-
theca morali civilique. Sed hac de re pluri-
bus dicemus in not. ad §. proxime ſequentem.

IV. TERTIUM USUM PRACTI-
CUM cauſæ impulſivæ externæ haud ob-
ſcure colligere ex capite noſtro 28. & quidem
integro §. 3. licebit, ſiquidem mutanda mu-

 tata

tata fuerint. Non enim adeo magnam difficultatem parit labor iſte, ſi quod per cauſam moraliter moventem e. gr. meritoriam demonſtrabatur, per cauſam impulſivam e. gr. meritum demonſtremus. Ita ſupra not. 1. *pag. 1457.* per cauſam moralem meritoriam demonſtrabatur debitum æſtimationis ac amoris Chriſti ſuper omnia: Æque vero facili ratione nunc per ipſum meritum tanquam cauſam impulſivam externam idem fortaſſis hunc in modum demonſtrabitur: Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis tantáque copia, quæ auguſtam meriti a Servatore Θεανθρώπῳ præſtiti amplitudinem queat enarrare. Quid enim eſt boni, quid eſt veræ felicitatis, quod ex eo in Te, O anima mea, non redundet? Seu panaceam quæris, ſeu ambroſias dapes, ſeu ſuave nectar, crede mihi, non depromes, niſi ex cœleſti iſto promtuario: non hauries, niſi ex hac ſcaturigine. Solum Chriſti meritum dat tibi lucem in tenebris; in triſtitia alacritatem; contra accuſantium turbam patrocinium; ſapientiam; juſtitiam; redemtionem; opem in judicio; abſolutionem; tranquillitatem animi; conſcientiæ pacem; lætam victoriam; ancile denique, quo hoſtium quorumvis ictus excipias. Iram divinam exhorreſcenti præſtat aſylum; propitiatorium eandem placatura

vacillanti robur; devianti viam; vitam moritturo; conſiliorum omnium experti conſilium; imbecilli vires; captivo lytron; ſordenti gloriam; ceſpitanti fulturam; doctrinam ignoranti; læſo vindicias; ſubſidia denique fraudibus diaboli impetito. Tantum vero eſt, quod ampliſſimum Servatoris meritum tibi impertitur. Tuum ergo eſt, Spiritus Sancti opem precibus indefeſſis efflagitare, ne per tuam, o anima, duritiem admiranda ejus vis atque efficacia fine ſuo excidat. Sane, ſi inde petieris panaceam, malis tuis medebitur; ſi ambroſiam, ſi nectar, protenus quibus laboras, famem & ſitim compeſcueris; ſi lucem, nullæ tibi obfuerint tenebræ. Et quis o anima mea, quis te dolor, quæ perturbatio afficiet, ſi meritum hoc, quod loquimur, tibi dat alacritatem? ſi patrocinium, qui cauſa cades? ſi ſapientiam, quid in ſcelera te illiciet? ſi viam præſtat, qui deviabis? ſi vitam, quis te enecabit? ſi juſtitiam, quis te condemnabit? ſi ſanctimoniam, quis te rejiciet? ſi redemtionem, quæ te detinebunt vincula? ſi pacem, quid te inquietabit? ſi propitiatorium, quis te redarguet? ſi ancile, quid metuis intentatos ictus? ſi lytron, quis in carcerem te detrudet? ſi vindicias, quis te lædet? ſi aſylum, quid iram divinam extimeſcis? Si gloriam, cui eris deſpicatui? ſi fulturam, qui ceſpita-

veris? ſi ſubſidia demum, quid eſt, quod Satanæ vim atque inſidias perhorreſcis? Quid ergo majus, quid auguſtius, quid excellentius tibi conferri poterat, cum id collatum ſit, quod vaſtam hujus univerſi molem longe exſuperat? Immenſum illud & inſuperabile bonum, Deum dico, per ſcelera perque flagitia amiſſum qvid reſtituit nobis, niſi meritum, quod dicimus, optimi Servatoris?

V. Hic iterum acris diſceptatio nobis obvenit, quænam ſit *cauſalitas cauſæ procatarcticæ* ſeu cauſæ impulſivæ externæ? Reperiamus celeberrimos Philoſophos, qui nulli dubitant, quin hocce cauſæ impulſivæ genus ad genus cauſæ finalis per ſe ſpectet. Quemadmodum enim nota omnibus eſt diſtinctio finis in finem formalem & objectivum, ita qui ad genus cauſæ finalis cauſam impulſivam externam reducere jubent ad finem objectivum per ſe eam ſpectare arbitrantur, ut adeo cauſa impulſiva externa moveat ad agendum, tanquam objectum alicujus per ſe expetendi actus, idque propter (cum actus, qui propter ſe appetitur, finis formalis ſit) non poſſit non objectum ejus eſſe finis objectivus ſecundum eam ipſam rationem, qua ut cauſa impulſiva ad agendum movet: e. gr. injuria Regi a vicino Rege illata, quia eatenus movet & impellit Regem ad gerendum bellum, in quantum damnum ea datum

ſe-

reparandum eſt, non poteſt non ea eſſe finis objectivus, quia reparatio illius damni injuriæ, quod injuriam diximus, finis formalis eſt, & qui ex iis quaſi conflatur integer & adæquatus finis, eſt reparandum damnum, quatenus reparandum eſt.

VI. Quamvis vero hæc ſententia iterum inſigni probabilitate gaudeat, nondum tamen pleniſſime credimus cauſam impulſivam externam qua talem eſſe cauſam finalem, licet interim non negemus, aliquid ſimul cauſam impulſivam externam & cauſam finalem eſſe poſſe, æque ac in antecedentibus aſſeruimus, quod aliquid ſimul cauſa impulſiva interna & cauſa formalis eſſe queat. Et certe experientia contrarium teſtatur, nec pauca exempla ſuppetunt, quibus diſſenſum noſtrum ſtabiliamus, ſalvo omni modeſtiæ ſtudio & amore. Ita e. gr. quando quiſpiam pro injuria, qua alterum judicem læſerat, ipſi judici ſatisfacit, hacque ſatisfactione judicem movet, ut alterum e captivitate dimittat, priſtinæque dignitati reſtituat, ecquis in tali caſu ſatisfactionem a tertio interveniente præſtitam dixerit cauſam finalem, quia ſi quis tam abſurdus eſſe vellet, dicere neceſſum haberet, ideo tot injuriis ac convitiis judicem ab altero affectum fuiſſe, ut tertius ſatisfaceret, ideo ipſum a judice dimiſſum fuiſſe, ut tertius ſatisfaceret: Non ergo ſatisfa-

ctio judici pro altero præſtita eſt cauſa finalis, ſed cauſa impulſiva externa, & præſtat tertius ſatisfactionem, ut alter dimittatur.

VII. Et quia moris recepti eſt, ut ad unum e quatuor cauſarum generibus quælibet cauſæ reducantur, certe ſi veſtigiis hactenus preſſis inſiſtere velimus, ſalvo cujusvis meliori judicio vix apparet, qua æque commoda aut commodiori ratione cauſa impulſiva externa ad aliud cauſæ genus, quam ad cauſam efficientem reduci poſſit. Gaudeo maxime me habere præeuntes ac conſentientes maximi judicii ac nominis Theologos, dum docent meritum Chriſti non poſſe dici cauſam finalem noſtræ ſalutis æternæ; quia non ſalvamur propterea, ut Chriſtus pateretur ac moreretur; ſed Chriſtus paſſus fuit ac mortuus, ut nos ſalvaremur: nec materiam aut formam, cum ſalus noſtra æterna non conſtet ex Chriſti merito tanquam ex materia aut forma, nec ſubjectum aut objectum ſalutis æternæ ſit Chriſti meritum, nec meritum Chriſti, quod in paſſione & morte Chriſti pro peccatis noſtris conſiſtit, formaliter ſit ſalus æterna; indeque hi laudatiſſimi viri, quorum judicio omnino ſtamus iſtudque veneramur, cenſent ſponte ſua ac neceſſario ſequi, cauſam impulſivam externam, quia qua talis nec ad cauſam finalem, nec ad materiam & formam

mam reduci poteſt, omnino reducendam
eſſe ad cauſam efficientem, ſi nempe neceſſitatis credatur eam ad unum è quatuor cauſarum generibus reducere, voluntatisque non ſit eam pro peculiari cauſæ genere venditare.

VIII. Exemplis aliis percepta facillius hoc ipſum aſſertum noſtrum declarare conabimur: Ita morbus, quo Medici opem implorans laborat, impellit Medicum ad curam adhibendam, & certe nullam difficultatem videmus, cur morbus nequeat dici cauſa impulſiva externa, quatenus nempe Medicum ad ſanandum movet aut impellit: qua vero ratione morbus (recte & accurate philoſophando) cauſa finalis dici poſſit ſanationis? certe non valemus aſſequi. Non enim dici poteſt, medicum ægroto medicinam adhibere, ut ægrotet. Sic debitum pecuniarium movet ac impellit ſponſorem ad ſponſionem, ac quilibet videt, qui rem recte ponderat, omnino hoc ipſum debitum eſſe cauſam impulſivam, quæ ſane movet ſponſorem, ut ſpondeat, ut fidem ſuam pro debitore interponat ac creditorem ſecurum præſtandæ ſolutionis reddat. Numne vero, ſi vel maximum errorem committere geſtias, facile dixeris cauſam finalem ſponſionis ipſum debitum? Profecto nec debitor debebat, ut alter ſponderet, nec ſponſor ſpondebat, ut al-

ter

Digitized by Google

ter deberet pecuniam. En cauſas impulſivas externas ſeu procatarcticas, quæ tamen in cauſarum finalium cenſum nequaquam veniunt. Quid jam facilius eſſet, quam innumerum talismodi exemplorum numerum colligere, ſi opus foret.

IX. Igitur extra difficultatem poſitum credimus diſcrimen cauſæ impulſivæ externæ a cauſa finali. Et hoc ipſum eſt, quod magni judicii viros movit, ut ad rectius ſignificanda ac tenenda cauſæ finalis ac cauſæ impulſivæ externæ diſcrimina uterentur diſtincta phraſi. Ita vir ſui nominis (*Grotius lib. 2. de I. B. & P. c. 20. §. 28.* ſequentia in rem præſentem adfert: *Ex ſupra dictis* (intelligit ea, quibus in *proxime præcedentibus* ſ... cauſam impulſivam ſatisfactionis pœnæ explicuerat, tamque nobilem doctrinam feliciter illuſtraverat) *apparet in pœnis duo ſpectari OB QVOD & CUJUS ERGO.* Nemo quisque videt locutione OB QVOD à *Grotio* notari *cauſam impulſivam externam*, altera vero formula CUJUS ERGO, indicari *cauſam finalem*. Docent hoc proxime ſequentia verba ita ſe habentia: *OB QVOD eſt meritum, CUJUS ERGO eſt utilitas ex pœna* (addimus obiter hancce cautionem: modo ratio hujus ex pœna utilitatis ſit honeſta) Nec adeo difficile fuerit aſſequi rationem, quam ad cauſam efficientem relatam velimus

cau-

cauſam προκαταρκτικὴν ſeu cauſam impulſivam externam, utpote cum ex præcedentibus id facillimum ſit colligere. Nam cauſam impulſivam externam tum demum referimus ad genus cauſæ efficientis, quando injungitur nobis, nec ſine rigore poſtulatur, ut reductio ad certum e quatuor cauſis: fine, materia, forma, efficiente, genus fiat: Sic enim hac facta hypotheſi, quod nec plura nec pauciora hiſce quatuor admitti debeant cauſarum genera, facili ratione fiet, ut vi remotionis (qua reliqua cauſarum genera à cauſa procatarctica removemus, h. e. ſufficienter oſtendimus, quod neque finalis cauſa, nec materia, nec forma ſit) relinquatur, eam ad cauſam efficientem reducendam eſſe. De materia quippe & forma ſatis ſuperque conſtat, quod ad illas cauſa impulſiva formaliter ſpectata nullatenus referri queat: Et fatentur hoc omnes, quotquot de cauſa impulſiva ſcripſerunt, nec poſſunt hoc diffiteri: E. gr. cauſa impulſiva externa fidejuſſionis dicebatur debitum quoddam pecuniarium, ſed quis diceret materiam fidejuſſionis aut ſponſionis eſſe hoc ipſum debitum pecuniarium quo fidejuſſor non obſtringitur creditori, ſed debitor, ille vero (nempe fidejuſſor) movetur hoc ipſo debito ad hoc, ut interponat fidem pro debitore. Pariter nemo tam abſurdus fuerit, ut dicat fidejuſſionem,

cujus

cujus cauſa procatarctica eſt debitum pecuniarium alienum formaliter in debito pecuniario conſiſtere: Abeſſe igitur jubentur materia & forma, quia hæ notiones cauſæ procatarcticæ qua tali repugnant, ſimulque perceptu facillimum evadit, nihil nunc ſupereſſe, quam ut vel ad cauſam finalem, vel ad cauſam efficientem cauſa procatarctica tandem reducatur. Cæterum quia omnium *Metaphyſicorum* conſenſu cauſa finalis eſt id, cujus gratia aliquid fit vel eſt, ſeu cujus gratia aliquid efficitur vel acquiritur, hoc de cauſa procatarctica qua tali dici poſſe nemo facile crediderit, qui exempla a nobis modo illata rite perpendit.

X. Sumamus aliud exemplum idque luculentiſſimum: Princeps ſuſpendit furem, quæritur jam, quænam ſit cauſa impulſiva externa, quæ principem moverit, ut decerneret de ſuſpendii pœna furi irroganda, & nunc movet principem, ut per carnificem ſuſpendat furem? Certe quisque hoc ſtatim capit, quod impulſiva cauſa externa ſit furtum, quia hujus intuitu princeps & auctor decreti exſtitit & nunc auctor pœnæ eſt, ſeu executionis decreti, h. e. auctor eſt, ut carnifex decretum exequatur: (quæ enim cauſa impulſiva erat decreti, hanc omnino dicere etiam oportet cauſam impulſivam executionis decreti) hic ſi quispiam errare velit,

vix

vix tamen aſſeruerit, furtum cauſam eſſe finalem nominati decreti ac executionis: Non enim fur pœna ſuſpendii afficitur propter furtum, h.e. ut furetur, dixeris potius furem ſuſpendi, ne furetur amplius. Non ergo furtum eſt cauſa finalis ſuſpendii, manet tamen cauſa impulſiva externa, & eſt cauſa impulſiva externa, quatenus eſt demeritum, ut Scholæ morales vocant, h. e. meritum illius pœnæ, quam princeps ut pœnam nequiviſſet exigere a fure, niſi fur eam furto promeritus fuiſſet: Puniri quippe nemo poteſt ſine merito, puniri quoque nemo poteſt ultra meritum, quia ſine merito aut ultra meritum punire eſt injuſte punire: at injuſta pœna vix magis pœna dici poteſt, quam homo pictus hominis aut cereus naſus naſi nomen meretur. Nihil tandem ſupereſt, quam ut cauſam impulſivam aut nullam cauſam, aut peculiaris generis cauſam, aut ad cauſam efficientem ſuo modo referendam cauſam dicamus. Quod cauſa ſit, negari nequit, quia oſtenſa fuit ejus cauſalitas. Ergo ſi quaternarium cauſarum numerum cuſtodias, ad cauſam efficientem cauſa impulſiva reducenda erit.

XI. Dum inter alia monuimus & decreti & executionis decreti eandem eſſe cauſam, hoc de nulla alia cauſa quam impulſiva intellectum volumus. Non enim mirari ſatis

pos.

poſſumus, cur plures ex *Reformatis* tam indigno conatu ſtudeant, imperitioribus fucum facere, quando negant a cauſa executionis decreti ad ipſam cauſam decreti plane eandem valere conſequentiam. Et hoc idpropter conantur defendere, ut eo magis magisque abſurda appareat doctrina orthodoxa de cauſa impulſiva externa prædeſtinationis ſeu electionis ad æternam ſalutem. Sic namque noſtrates Theologi docent: Quia Deus meriti Chriſti intuitu in tempore æternam ſalutem hominibus confert, ideo ejusdem intuitu omnino etiam ab æterno homines, quos ab æterno præviderat Christi meritum in tempore finali fide apprehenſuros eſſe, ſibique, ut dici ſolet, appropriaturos, ad æternam ſalutem elegit. Quam inepta vero & plane abſurda ſit *Reformatorum* ratio, qua negant unam eandemque cauſam decreti & executionis decreti omnino dari, ac ſemper dari, quisque ſtatim aſſequitur, ſi eam vel leviter inſpiciat. Urgent enim ad executionem decreti de exſtruenda domo requiri fabros lignarios, malleos, ſecures, ſerras, ligna, lapides totque alia, quæ tamen omnia nequaquam requirantur ad decretum ipſum, antequam detur executioni. Enimvero quis non videt talia quæ ad decretum ipſum non requiruntur, nequaquam eſſe cauſas impulſivas? Manet interim veriſſimum,

mum, eam cauſam impulſivam, quæ movet Patremfamilias, ut domum per alios exſtruat, eundem moviſſe ante, ut de exſtruenda domo decerneret.

§. 6. Uſu frequentiſſima *divi-* *ſu cauſæ impulſivæ externæ* ſeu procatarcticæ eſt in *juſtificam* & *ſuaſoriam*. *Illa* eſt cauſa impulſiva externa *quæ movet ſub ratione ju- i*: e.gr. cauſa procatarctica juſtifica belli a Davide adverſus Regem mmonitarum geſti erat ignominioſa violatio legatorum. *Hanc* dicunt cauſam impulſivam externam, *quæ movet ſub ratione uti- is*: e. gr. lucrum, ob quod Rex ellum gerit, nulla injuria provocatus.

***NOTÆ.***

I. Adhibet hancce diſtinctionem ac laudat *Hugo Grotius* hiſque vocibus effert *Lib. II. e Jure belli & pacis cap. I. §. 1. n. 1. & c. 22. §. 3.* unde de cauſis procatarcticis juſtificis *libri ſecundi capite primo* usque *ad caput 22.* agit, *capite 22.* demum doctrinam de cauſis procatarcticis ſuaſoriis feliciter aggreſſus.



Digitized by Google

II. Poteſt una eademque cauſa proar-ctica ſimul eſſe juſtifica & ſuaſoria, qui idem ſimul poteſt eſſe juſtum & utile, modo utilitas filia maneat juſtitiæ, hæcque ſit regula ac mater utilitatis. Sed quæ hac de re amplius dici poterant, *introductionis* noſtræ *a Hug. Grotii opus capite 1.* perſecuti ſumus, quo Benevolum Lectorem remittimus.

III. Variæ diviſiones ac diſtinctione aliæ adferri poterant, inprimis ea quoqu quâ cauſa impulſiva προκαταρκτικὴ divi- tur in eam, quæ ante ſui exiſtentiam; quæ poſt ſui exiſtentiam; & quæ dum exiſtit causam efficientem impellit: quæ certe re multas difficultates peperit: Notum enim eſt Reformatorum argumentum: Quicquid ab æterno non fuit, illud prædeſtinationi causa eſſe nequit. Atqui Chriſti paſſio & mors, item fides, ab æterno non fuerunt. E Quod tamen facile ſolvetur, ſi ſolidis rationibus Metaphyſicis demonſtretur, ſæpe cauſam impulſivam externam eſſe veram causam, licet non exiſtat. Sed hanc ipſam materiam, ut & doctrinam ac uſum practicum doctrinæ de cauſa impulſiva formaliter & virtualiter ſic dicta, de cauſis impulſivis principalibus & minus principalibus, de cauſis impulſivis per ſe & per accidens in *axiomatibus ad hocce caput* ſpectantibus perſequemur.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM
## De
# PRÆCIPUIS DIVISIONIBUS ISTIS CAUSARUM, QVÆ PER OMNIA cauſarum GENERA VAGANTUR.

§. I.

CAuſa I. dividitur in *primam* & *ſecundam*. *Illa* eſt, *quæ nullam aliam ſui cauſam ejusdem generis agnoſcit: Hæc, quæ aliam ſui cauſam ejusdem generis agnoſcit.*

*NOTA.*

Hancce diviſionem per omnia cauſarum genera vagari omnes illi admittere neceſſum habent, qui nolunt progreſſum in infinitum admittere, qui tamen ſine manifeſtiſſima abſurditate ac falſitate admitti nequit. E. gr. niſi materia daretur, quæ non eſſet ex alia materia, progreſſus cauſarum materialium in infinitum foret.

§. 2. *Cauſa* 2. dividitur in *naturalem & obedientialem. Illa* eſt *cauſa ſine ſpeciali DEI concurſu*



Digitized by Google

*ſeu auxilio: Hæc* eſt *cauſa cum ſpeciali Dei concurſu ſeu auxilio.*

*NOTÆ.*

I. Nihil nomine *cauſæ naturalis (obedientialis)* venit, niſi ſpectetur cum relatione ad cauſatum naturale (ſupernaturale) quod ante omnia bene notandum venit: Dicitur autem *naturale cauſatum* illud *quod eſt cauſatum ſine ſpeciali Dei auxilio: Supernaturale* vero *cauſatum* nuncupatur *cauſatum, quod tale eſt cum ſpeciali Dei auxilio.* E. gr. cauſatum naturale dicitur vinum, prout naſcitur ex vite, cauſatum ſupernaturale vinum appellatur, quando fit ex aqua.

II. Communiter *cauſatum ſupernaturale* duplex ſtatuitur: *aliud quoad ſubſtantiam,* eſtque illud cauſatum, quod abſque ſpeciali Dei concurſu non potuit eſſe cauſatum: (Eſt igitur ſubſtantia hoc loco idem quod eſſentia) E.gr. ſupernaturale quid quoad ſubſtantiam eſt fides ſalvifica in hominis Chriſtiani intellectu & voluntate; *aliud quoad modum,* eſtque illud cauſatum, quod tale eſt per ſpecialem Dei concurſum, utut abſque ſpeciali Dei concurſu cauſam ſui potuiſſet agnoſcere: e.gr. viſus in homine oriri poteſt abſque ſpeciali DEI concurſu, unde viſus homini cœco à Chriſto reſtitutus ſupernaturale quid dicitur non quoad eſſentiam ſeu ſubſtantiam, ſed quoad modum: Modo namque naturali viſus

Digitized by Google

fuiſſe minime reſtituebatur. *Supernaturale quoad modum* iterum rectiſſime diſtinguitur in *ſupernaturale quoad modum tantum* & *quoad modum ac eſſentiam ſimul.* Aliis placet trimembris diſtinctio *ſupernaturalis* in *ſupernaturale quoad ſubſtantiam*, quod modo fuit delineatum. *Quoad ſubjectum*, quando res quidem naturaliter produci poteſt, ſed non ex talis ſpeciei ſubjecto, aut ſi talis ſpeciei non tamen taliter affecto: e.gr. hominis generatio in ſe non eſt ſupernaturalis, ſed ex talis ſpeciei ſubjecto, lapide ſcilicet, omnino ſupernaturalis eſt. *Quoad modum*, e.gr. ut ægrotus cum valetudine redeat in gratiam, non eſt ipſi omnino ſupernaturale: ſed ut hoc fiat momento, ſolo verbo, utique ipſi ſupernaturale eſt. Hi interim ab illis non diſcedunt, niſi quod illi duobus, ipſi majoris perſpicuitatis gratia tribus membris includant. Quamvis enim quod quoad ſubſtantiam & ſubjectum eſt ſupernaturale, non poſſit non etiam ſecundum modum ſupernaturale eſſe: Nihilominus tamen, cum non ſit ſupernaturale quoad modum tantum, ſalva adhuc ſtat utraque diſtinctio.

III. Quot genera cauſarum dantur, totidem dari diximus *cauſarum naturalium* & *obedientialium genera*, id quod exemplis indicaſſe nunc ſufficiat. Ita e. gr. *materia ex qua naturalis* eſt maſſa ſanguinea, ex qua ho-

mo concurſu maris & fœminæ, ſicque naturali prorſus modo producitur: Contra ſi ex lapide homo a DEO produceretur, ſicut Deum ſemen Abrahæ ex lapidibus excitare poſſe *Scriptura Sacra* teſtatur, lapis iſte esſet *materia ex qua obedientialis.* Ita *materia in qua naturalis* ſeu *ſubjectum naturale* eſt intellectus reſpectu virtutum intellectualium naturalium & voluntas reſpectu virtutum moralium: Contra fidei ſalvificæ *materia in qua obedientialis* ſeu *ſubjectum obedientiale* eſt intellectus, ut fides ſalvifica dicit notitiam & aſſenſum, & voluntas, ut arguit fiduciam. Ita quoties intellectus & voluntas circa res mere naturales verſantur mere naturali modo, hoc eſt, citra Dei ſpeciale auxilium, *objectum* harum facultatum naturale dicitur: Si vero ſupernaturali modo occupentur circa myſteria a ſeculis abſcondita, *objectum obedientiale* recte vocabitur. Ita *cauſa efficiens naturalis* eſt quælibet aſina reſpectu ſui naturalis clamoris: at quando Bileami aſina loquebatur, erat *cauſa efficiens obedientialis* locutionis. Ita *cauſa naturalis* cognitionis Dei abſtractivæ, ut Scholæ vocant, eſt homo, quoties in hujus vitæ imbecillitate cognitionem Dei mere naturalem exercet: Contra beatus in cœlo dum Deum intuitive cognoſcit & ſicut eſt, hujus cognitionis *cauſa efficiens obedientialis* eſt. Rurſus *naturales for-*

*mæ*

quæ ſunt virtutes morales reſpectu voluntatis ſuis naturalibus viribus relictæ: e contrario *formæ ſupernaturales* ſunt illæ virtutes, quas Spiritus S. ſpeciali gratia in piorum hominum voluntate excitat. Sic *naturalis finis* eſt, quem quis naturalibus actionibus ſuis proponit, e. gr. naturalis finis eſt, quoties quis propter illud agit, quod ſcit in ſua futurum eſſe poteſtate abſque Dei ſpeciali auxilio: *finis ſupernaturalis* reſpectu Chriſtiani hominis ac actionum Chriſtiano dignarum æterna ſalus. *Cauſas impulſivas* nunc *naturales* nunc *obedientiales* dari poſſe facile credideris, modo exemplorum loco ponderemus, quos motus nunc homo ſibi relictus ex appetitu ſenſitivo prodire faciat, nunc Spiritus S. gratioſiſſima præſentia ſua in appetitu hominis excitet, cum tamen utriusque generis motus *cauſæ impulſivæ internæ* eſſe poſſint; Pariter nunc humana nunc vero divina promiſſa voluntatem noſtram movent, ut nunc humanæ nunc divinæ voluntati vitam actioneſque noſtras conformemus. En *cauſarum impulſivarum externarum* exempla!

IV. Hoc adhuc præcipuam difficultatem parit, unde cauſa obedientialis hoc habeat, quod ſit cauſa obedientialis? Omnem vero difficultatem tollit, qui & rationem cauſandi ſeu actum primum & cauſalitatem ipſam ſeu actum ſecundum probe perſpicit.

Rationem cauſandi quod attinet, dicendum eſt, quod potentia obedientialis quoad rem ſit ipſa potentia naturalis, non tamen potentia naturalis formaliter ſpectata eſt potentia obedientialis, ſed tum demum potentia naturalis dicitur potentia obedientialis, ſi ſpectetur cum connotata habitudine ad ſpecialem Dei concurſum. Rem alio quopiam exemplo facilius percipi poſſe credimus: Ita juſtitia & miſericordia Dei quoad rem ſeu à parte Dei ſunt unum & idem; omnia enim quæ in Deo ſunt, ipſe Deus ſunt: Interim ſalva veritate dici nequit, quod juſtitia Dei formaliter ſit miſericordia Dei, aut quod miſericordia Dei formaliter ſit juſtitia Dei, quia juſtitia Dei dicit habitudinem ad actum puniendi, quam certe habitudinem miſericordia Dei formaliter ſpectata non arguit, quia miſericordia Dei formaliter ſpectata non reſpicit actum puniendi, ſed actum miſerendi ſeu benefaciendi. Pariter quando e.gr. aſina Bileami loquebatur, potentia, qua aſina Bileami loquebatur, quoad rem erat ipſa in aſina exiſtens naturalis potentia edendi ſonum, formaliter vero hæc ipſa potentia obedientialis erat, ſi præciſe ſpectetur in ordine ad ſpecialem Dei concurſum, absque quo articulatum ſonum aſina non poterat edere. Cauſalitas ergo cauſæ obedientialis eſt actus ſecundus præciſe ſpectatus cum ſpeciali Dei concurſu.

V. Quæ

Digitized by Google

V. Quæſiverit quiſpiam: cur non cauſa obedientialis dicatur ſupernaturalis cauſa? Nam poſſet utique ſano ſenſu ſupernaturalis cauſa dici, per extrinſecam ſcilicet denominationem, in quantum cauſati ſupernaturalis cauſa eſt. Interim quod obedientialis dicatur ab obedientia inde eſt, quod obedientia minus proprie hoc loco ſumitur, ut importat non repugnantiam. Nam quia repugnat potentiæ naturali ſibi relictæ, ut ſupernaturalis cauſati ut eſt ſupernaturale cauſatum, cauſa ſit, ipſi vero idem non repugnat, ſi cum ſpeciali Dei concurſu ſpectetur, unde hoc ſenſu obedientialis appellatur.

VI. Mirari ſubeat, cur adeo multi nullam potentiam obedientialem præter paſſivam velint agnoſcere: Sane ſi illa potentia paſſiva eſt obedientialis, qua aliquid in genere materiæ aptum eſt, ut cum ſpeciali Dei concurſu fiat vel ſit cauſa patiens, quid prohibet, quo minus in alio cauſæ genere potentia obedientialis dicatur illa, qua nempe aliquid aptum eſt, ut in alio quam cauſæ materialis genere cum ſpeciali DEI concurſu fiat, vel ſit cauſa: E.gr. quando in genere cauſæ efficientis intellectus hominis beati ſic ſe habet, ut eo homo beatus cum ſpeciali Dei auxilio aptus ſit, ut fiat vel ſit cauſa efficiens viſionis intuitivæ Dei. Interim perinde nobis eſt, ſive notionem cauſæ obedientialis reliquis quoque cauſarum ge-



Digitized by Google

neribus applicare velis, ſive nolis. Habemus enim quod volumus, modo admittatur, in omnibus & ſingulis cauſarum generibus cauſas dari poſſe & ſine ſpeciali & cum ſpeciali Dei auxilio: E.gr. Ut ex aqua cum ſpeciali Dei auxilio fiebat vinum: Ita aſina Bileami cum ſpeciali Dei auxilio loquebatur. Erat igitur aqua cauſa materialis obedientialis vini, & cauſa efficiens obedientialis locutionis erat Bileami aſina.

## §. 3. *Cauſa* 3. dividitur in *univerſalem* & *particularem.*

*NOTÆ.*

I. Ita *in genere efficientis cauſa univerſalis* eſt Deus reſpectu omnium rerum creatarum, quæ naturaliter fiunt, adeoque ſuas ſimul agnoſcunt cauſas efficientes ſecundas: E contrario quando e.g. homo hominem generat, homo generans eſt *cauſa particularis*. Ita *in genere materiæ materia univerſalis* vocatur materia in ſe & absque diſpoſitionibus ſpectata: Eadem cum certis ſpectata diſpoſitionibus *materia particularis* denominari ſolet. Ita quando *forma* in genericam & ſpecificam diſtinguitur, *formæ univerſalis* & *particularis* diſtinctio locum invenit. Pariter nemo ignorat, qua ratione multi *particulares fines* ſæpenumero eodem collineare ſoleant, atque adeo *univerſalem* reſpiciant *ſcopum*.

II. Quisque vel ex datis exemplis colligere

ere valet notionem particularis & univerſa-
lis cauſæ in ſingulis cauſarum generibus non uno plane eodemque modo explicari ac adhiberi: Præcipuus tamen hujus diviſionis uſus ſe exerit in doctrina cauſæ efficientis. Eſt namque communis ac conſtans noſtratium Theologorum ſententia, quod nulla cauſa ſecunda agat aut efficiat aliquid absq; Dei concurſu, & huc vocant illud effatum: *In Deo ſumus, movemur & vivimus*; quod *Paulus* Apoſtolus ex *Arato* Gentili allegavit, ut ex *Act. XVII. capite* liquet.

III. Diſtingui igitur ſolet inter DEI concurſum univerſalem & particularem: Concurſus Dei univerſalis vocatur concurſus DEI indifferens, eſtque ille unde effectus quidem habet hoc, quod ſit effectus, nullatenus vero inde habet, quod ſit talis vel talis effectus: Ita e. gr. quando DEus nunc ad hominis nunc ad equi generationem concurrere dicitur, effectus, nempe eqvus vel homo, hoc quod ſit talis ſpeciei effectus, nempe eqvus vel homo, non habet a DEO cauſa univerſali, ſed a cauſa particulari, eqvo vel homine generante. Ideo docent *Scholaſtici*, eodem concurſu, quo eqvus eqvum produxerat, hominem producturum fuiſſe alium hominem. Dicitur ille concurſus indeterminatus, mallem eum, ſi uſus permitteret, quem penes poteſtas loquendi eſt, dicere

cere indeterminantem concurſum. Non enim hic concurſus, qui univerſalis vocatur, dat eſſe determinatum effectui.

IV. Unum e præcipuis argumentis, quibus Philoſophi, quotquot ſententiæ de concurſu Dei generali ac univerſaliſſimo favent, probare ſatagunt eundem concurſum, eſt, dum ſcilicet urgent, quod modus operandi ſequatur modum eſſendi, modusque eſſendi modum fiendi, ut ita quemadmodum omne ens a Deo dependet in ſuo eſſe, ſic quoque non poſſit non a Deo pendere in ſuo fieri, item in operationibus ſuis. Hoc aſſertum confirmatur, ſi attendas, quamvis operationem eſſe verum ac reale ens, atque ideo in fieri pendere a Deo.

V. Eadem vero actio eſt concurſus univerſalis & particularis reſpectu diverſarum cauſarum efficientium. Nam licet a contrariæ ſententiæ defenſoribus urgeatur, fieri non poſſe, ut a diverſis agentibus una eademque actio, unusque ac idem effectus procedat, hoc tamen fruſtra urgetur. Etenim nil implicat, eundem numero effectum diverſis cauſis adſcribere, modo cauſæ ſubordinatæ fuerint, annon e. g. ſcriptor & calamus realiter diſtincta ſunt agentia, cum tamen nequeat negari, totam Scripturam a Scriptore, totam Scripturam quoque a calamo procedere?

VI. Non

VI. Non metuendum eſt, ac ſi ſtante Dei univerſali concurſu ipſe Deus fiat cauſa peccati, item cauſa monſtrorum. Quippe diximus concurſum Dei univerſalem eſſe indifferentem. Quemadmodum igitur effectus hoc quod talis effectus ſit, non habet a cauſa univerſali qua tali, ita multo minus defectus hoc quod ſit defectus a cauſa univerſali habere poteſt. Itaque non ſine maniſeſtiſſima abſurditate ac impietate ex DEI univerſali concurſu colligitur, Deum eſſe peccati, qua talis, cauſam.

VII. In *Theologorum* ac *Philoſophorum* accuratiorum ſcriptis vel leviter verſatos pudet ignoraſſe, qua ratione utrique refutent *Reformatorum* ſententiam, aſſerentium voluntatem humanam non eſſe liberam a neceſſitate divinæ motionis in actionibus ſuis. Dum enim noſtrates Theologi ac Philoſophi inde deducunt, a Reformatis Deum haberi pro cauſa peccati, & contra hoc aſſertum ab adverſariis excipitur, DEum movere voluntatem humanam ad materiale peccati, non item ad formale, communis ac probatiſſima reſponſio eſt, Deum ſi ad materiale peccati eo, quo *Reformati* volunt, ſenſu voluntatem hominis moveat, non poſſe non ſimul movere ad formale peccati. Rationem dant *Theologi* ac *Philoſophi*, quia peccata dantur, cum quorum materiali, ut *Reformati* hoc termino

mino utuntur, nequit non eſſe conjuncta turpitudo moralis, utpote fundata in eorundem naturis, adeo ut nullo adhuc reſpectu ad legem habito diſconvenientia talium actuum voluntariorum cum natura rationali (talium ſcilicet actuum, qui per ſe ac ſua natura turpes vocantur) cognoſci poſſit ac fundamentum ejus ſpectari. Cæterum plura de hujus doctrinæ abuſu ſupra *cap. 30. not. III. ad §. 3. p. 1560. & ſeqq.* diſſeruimus.

VIII. Unicum adhuc notandum ducimus: Scilicet reſpectu diverſorum effectuum aliquid poteſt eſſe cauſa univerſalis & particularis, ſeu ad minimum non univerſalis: E. gr. Sol quando cum rana concurrit ad alterius ranæ productionem, cauſa univerſalis eſt: At ſi ſine ranæ ope Sol ex putrida aqua producat ranam, non eſt cauſa univerſalis, cum hoc poſteriori modo (non item priori) rana eſſe ſuum determinatum a Sole accipiat. Ita ſtante concurſu DEI univerſali, cujuslibet hominis, qui ex maris ac fœminæ concurſu oritur, DEus eſt cauſa univerſalis, non vero univerſalis, cauſa fuit primorum hominum: Adami & Evæ.

§. 4. *Cauſa* 4. dividitur in *proximam* & *remotam*.

*NOTÆ.*

I. Diſtinctio cauſæ in *proximam* & *re-*

*mo-*

*motam* non raro ſic ſumitur, ut idem ſignificet, quod diſtinctio cauſæ in *immediatam* & *mediatam*, & ſic optima eſt cauſæ diviſio: Hac enim ratione cauſa immediata eſt cauſa, quæ non agit mediante alia cauſa principali ejusdem generis: Cauſa vero mediata eſt cauſa, quæ agit mediante alia cauſa principali ejusdem generis. Pluribus hac de diviſione ſupra *capite XXII.* egimus. Cæterum diſtinctionem hanc alio modo acceptam uti vulgo quidem accipi conſuevit, pro vera diviſione neutiquam venditare auſim. *Remota* enim *cauſa* ut vulgo ſumitur, non attingit cauſatum, hoc eſt, nec immediata nec mediata cauſa eſt, cum in cauſatum iſtud, cujus reſpectu cauſa remota dicitur, non influit. Alias enim dicendum eſſet, naturaliter ex aſino molitorem fieri poſſe. Fieri enim naturaliter poteſt, & ut aſinus comburatur, & ut ex cineribus ejus in agrum ſparſis gramen naſcatur, & ut gramen edat vacca, & ut vaccam edant molitor & uxor ejus, & ut ex vacca comeſta fiat chylus, & ex chylo ſanguis, & ex ſanguine ſemen, & ex ſemine fiat homo, & hic homo fiat molitor, ſicq; ex aſino naturaliter fiat molitor: Quod certe patroni hujus diviſionis tueri nolunt, dicentes, potentiam remotam, ſi nimis remota eſt, amittere nomē potentiæ. Sed adeſto minus remota, ſicut e.g. chylus remota cauſa dicitur ſeminis,

nis, proxima cauſa ſanguinis: Nunquam tamen ſalva veritate dicetur, ex chylo qua tali naturaliter factum eſſe ſemen. *Paucis*, quod cauſa proxima ſit cauſa proxima hujus vel illius cauſati per accidens eſt ad remotam cauſam E. cauſa remota ut remota non eſt vera cauſa.

II. Rurſus aliter cauſa *proxima* & *remota* ſumuntur, ſi *illa* dicatur *cauſa, per quam ad quæſtionem ſcientificam ſolide reſponderi* poteſt: *hæc* vero *cauſa, per quam ad quæſtionem ſcientificam ſolide reſponderi nequit*. Verum hæc conſideratio cauſæ ad *Analyticam* potius ſpectat, ceu ſupra hanc rem *capite XI*. ex profeſſo deduximus.

§. 5. *Cauſa* 5. melioris doctrinæ gratia ſic dividi poteſt: Alia eſt *concauſa*, ut Scholæ loqvuntur, hoc eſt, reſpicit aliam cauſam, quæ ejusdem cauſati cauſa eſt, cujus ipſa eſt cauſa: Alia *non* eſt *concauſa*, hoc eſt, non reſpicit aliam cauſam, quæ ejusdem cauſati cauſa eſt. Rurſus *concauſa* vel ſunt *ejusdem generis*, ut: duæ cauſæ efficientes, duæ cauſæ materiales &c. vel ſunt *diverſi*

ge-

Digitized by Google

generis; ut: cauſa efficiens & cauſa finalis, materia & forma &c. Item concauſæ ejusdem generis, vel ſunt *ejusdem ordinis*, dicunturque *cauſæ coordinatæ*: vel ſunt *diverſi ordinis*, dicunturque *cauſæ ſubordinatæ*. *Cauſæ coordinatæ* ...erum vel ſunt *cauſæ ſecundum* ...andem *rationem*, vel *ſub diver*... *ratione*, ſicque vocantur *par*...*ales*. Cauſæ ſubordinatæ iterum variant: ut: prima & ſecunda, ...niverſalis & particularis, immediata & mediata &c.

### NOTÆ.

I. Nulla datur cauſa ſimpliciter loquen...o, quæ non ſit concauſa, h. e. reſpiciat ali...n cauſam ejusdem cauſati, cujus nempe ...uſa eſt & dicitur. Ita quicquid habet cau...m efficientem, habet etiam cauſam fina...m, & contra: Omne vero cauſatum recte ...proprie ſic dictum habet cauſam efficien...em. Pariter, quicquid componitur ex ...ateria, componitur etiam ex forma &c.

II. Dantur tamen cauſæ, quæ in ordine

ad certum genus cauſæ non reſpiciunt aliam cauſam ejusdem cauſati: e. gr. cauſa efficiens angeli nec materiam, nec formam reſpicit. Imo accurate loquendo, nullibi omnium aliorum generum cauſas cauſa hæc vel illa reſpicit, niſi cauſatum ſit corpus naturale: Et quisquis alibi eas monſtrare voluerit, analogice & vix ſine inſigni ἀκυρολογίᾳ monſtrabit.

III. De coordinatione & ſubordinatione cauſarum multa apprime utilia agi poterant: pauca interim adjeciſſe ſufficiat. Certe latius patere videntur cauſæ coordinatæ, quam cauſæ partiales: Ad has enim tria inprimis requiruntur: 1. Ut de nulla earum ſalva veritate dici poſſit, quod ſit totius cauſati (cujus nempe cauſati reſpectu cauſa partialis appellatur) ut totius cauſa. 2. Ut quælibet cauſa partialis aliam numero rationem cauſandi habeat. 3. Ut cauſandi rationem tantum numero aliam quælibet habeat: e. gr. duæ candelæ in eodem conclavi poſitæ & accenſæ ſunt cauſæ partiales luminis in eo conclavi producti: Sunt enim ejusdem generis cauſæ, nempe duæ cauſæ efficientes, aliam vero partem luminis, unde totum conclave illuminatum dicitur, hæc; aliam illa candela producit, id quod teſtatur experientia, ac facile quisque experietur, ſi alterutram extinxerit, habet vero quælibet peculiarem

po-

potentiam ſeu rationem cauſandi, non tamen niſi numero ab altera diſtinctam, cum alias eadem ratione utraque candela conclave illuminet. Non ergo cauſæ partiales dicuntur materia & forma, quia non ſunt cauſæ ejusdem generis: Nec vero partiales cauſæ vocari poſſunt: prima & ſecunda, principalis, & inſtrumentalis, principalis & minus principalis, Deus ſpeciali auxilio concurrens & cauſa obedientialis activa &c. quia utut ſint ejusdem generis, nunquam tamen ſunt ejusdem ordinis. Rurſus cauſæ partiales non ſunt e. gr. lumen gloriæ & potentia videndi in homine beato, quia viſio Dei beatifica, hoc quod ſit viſio non habet a lumine gloriæ, ſed a potentia vidente: hoc vero, quod ſit intuitiva ſeu beatifica, habet a lumine gloriæ. Cæterum non erat cur prolixe refutaremus ſententiam, qua ſcilicet contra omnem accuratiorem philoſophiã tres perſonæ divinitatis a nonnullis cauſæ partiales hujus univerſi ſtatuuntur. Abſurditas hujus locutionis inde liquet, quia totum mundum & quamlibet ejus partem Pater, Filius & Spiritus S. produxerunt: Una quoq; numero & plane eadem potentia trium perſonarum divinitatis eſt, æque ac una numero eſſentia.

IV. Quisque vero videt, facillima ſolutu eſſe ſequentia argumenta: Si cauſa principalis, item cauſa univerſalis, to-

tum producit in eodem cauſæ genere, ſequitur, quod cauſa inſtrumentalis & cauſa particularis nihil producant. Nempe dicendum eſt, a cauſa univerſali & principali procedere totum effectum in certo cauſæ genere, non item in omni ejusdem generis ordine. Conf. *not. 5. ad præcedentem §. 3.*

V. Cavendum probe, ne cauſæ partiales & cauſæ incompletæ pro iisdem habeantur, E. gr. cauſa principalis & cauſa inſtrumentalis, ut: faber ſerrarius & ſerra ſunt cauſæ incompletæ: Ita cauſæ incompletæ ſunt cauſa univerſalis & cauſa particularis, cauſa mediata & cauſa immediata, nec tamen ſunt cauſæ partiales. Non enim faber ſerrarius ſine ſerra, nec ſerra ſine fabro ſerrario cauſa ſectionis exiſtit.

# CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM
## DE
# UNIUS, VERI, BONI ac PERFECTI NOTIONIBUS.

### §. I.

*UNum* eſt *ens, quod habet eſſentiam indiviſam.*

*N O T Æ.*

I. Unum primario ac abſolute nihil dicitur

tur, niſi ſit ens. Per hoc vero ens dicitur unum, quia habet eſſentiam indiviſam, nam ſi diviſa eſſet eſſentia entis, tunc non eſſet ens, ſed entia; quia diviſa eſſentia argueret multitudinem aut ad minimum dualitatem eſſentiarum. Facile igitur eſt demonſtrare unitatem de ente, ut vix opus ſit demonſtratione. Summa demonſtrationis huc redit: Quicquid habet exiſtentiam, illud eſt unum. Omne ens habet exiſtentiam. E. omne ens eſt unum. Major propoſitio demonſtratur per impoſſibile: ſi enim aliquid eſſet unum, nec tamen haberet indiviſam exiſtentiam, ſimul eſſet unum, quia tale diceretur, nec tamen eſſet unum, quia non haberet exiſtentiam, ſed exiſtentias: & e contrario, ſi quid haberet exiſtentiam, nec tamen eſſet unum, ſic haberet ſimul unam exiſtentiam, quia habere diceretur: nec tamen haberet, quia eſſet multa, & ſic multas exiſtentias requireret: Impoſſibile autem eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Sic duplicē attulimus demonſtrationem: Unam oſtenſivam, & in Metaphyſica ſcientia omnium primam inter oſtenſivas, vix tamen & nec vix quidem demonſtrationis nomine dignam, cum ſit mere elementaris: Alteram per impoſſibile.

II. Turpiter hac doctrina *Antitrinitarii* inque primis *Sociniani* abutuntur: Nam ut ad abſurdum deducant Chriſtianæ Religio-

nis infallibile ac ſalvificum dogma de myſterio SS. Trinitatis, hoc argumento utuntur, eidemque plus fidunt, quam Hercules clavæ ſuæ: Unum non poteſt eſſe multa. Atqui ex Trinitariorum (quo nomine Chriſtianos traducunt) ſententia Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unum ſcilicet numero. Ergo Pater, Filius & Spiritus S. non ſunt multa ſuppoſita, non ſunt tres perſonæ in una numero eſſentia. Quæ tamen concluſio aperte deſtruit aſſertum omnium Chriſtianorum, quia aperte contradicit huic aſſerto, quo myſterium SS. Trinitatis adſtruitur. Enimvero vitium eſt in forma, laborat namque propoſitum argumentum vitio quatuor terminorum, quia ut Major vera ſit voce *multa* ſubintelligi debent entia; in conluſione vero ſermo non erat de multis entibus, ſed de ſuppoſitis multis. Hic namque veriſſimus canonis intellectus eſt, quod unum ens nequeat eſſe multa entia. Ita unus numero idemque homo nequit eſſe duo realiter diſtincti homines, & contra; Ita corpus Petri ejuſdemque anima ſunt duo entia incompleta, idque propter unum ens eo ſenſu ac modo, quo duo entia (nempe incompleta) ſunt, dici nequaquam poſſunt, utut ſint ens completum. Cæterum ſi major propoſitio hoc ſenſu ſumatur: Unum numero ens nequit eſſe multa ſuppoſita, ſic major evadit falſiſſima ob ea

quæ

Digitized by Google

quæ ſupra a *pag.* 140. usq; ad *164.* prolixe attulimus.

III. Ut ens ſupra *cap. 1. §. 12. & 13. p. 52. & ſeqq.* diſtinximus in ens per ſe & per accidens, ita eandem diſtinctionem notio unius admittit, qua de diſtinctione pluribus dabitur diſpicere in doctrina de ſimplici & compoſito, item de toto.

§. 2. *Verum ens quodlibet ens vocatur, quia ea habet, quæ requiruntur ad ens*: E. gr. verus homo dicitur Chriſtus, unde gaudet omnino vero corpore organico.

*NOTÆ.*

I. Primario ac abſolute veritas tranſcendentalis (ita enim vocari ſolet, ut Metaphyſicæ conſiderationis eſt) tribuitur enti reali, ſecundario tamen non enti tribuitur: Ita e. gr. dicitur, vera cæcitas, vera ignorantia, unde multo facilius aſſequi poſſumus, certo modo hancce notionem & cum addito entibus per accidens tribui, ut: quando dicitur vera ſocietas, vera Reſpublica &c.

II. Verum ens nunc ſumitur abſolute, nunc prout eſt tale vel tale ens: Ita aliud eſt, ſi dicam: hoc eſt verum ens, & hic eſt verus homo.

III. Per ea quæ requiruntur ad ens, intelli-

ſiguntur ea, quæ requiruntur ad eſſentiam: Non vero quæ ad eſſentiam requiruntur, ſemper realiter differunt ab eo, ad cujus eſſentiam requiruntur, ſed ſæpenumero noſtro ſaltim concipiendi modo.

IV. Multa vulgo in *Metaphyſicorum* ſcriptis traduntur de conceptuum intellectus ac propoſitionum veritate, imo fere utramque doctrinæ de vero paginam complet in plurium libellis & tabulis quæſtio illa: Num veritas ſit in prima quoque mentis operatione, nec ne? Verum ad *Phyſicam* & *Logicam* hæc materia per ſe ſpectat, quia *Phyſici* eſt, actus mentis ac conceptus intellectus, eorundemque affectiones, in quarum cenſum veritas & falſitas venit, ex profeſſo explicare: De veritate autem & falſitate propoſitionum agere, *Logici* eſt. Et quis non videt, longe aliam acceptionem eſſe veritatis ut hujus loci eſt. Obiter addimus, quod fortaſſis præcipua lis ſit de nomine, quando alii diſtinctionem inter veritatem incomplexam & complexam negant, alii aſſerunt. Iſti enim per veritatem intelligunt compoſitionem vel diviſionem, eam ſcilicet, qua intellectus ea pro uno habet aut non habet, quæ nemine cogitante unum ſunt aut non ſunt: Et hoc ſenſu fieri nequit, ut in prima mentis operatione veritas detur; cum prima mentis operatio nunquam ſit compoſitio aut diviſio. De cætero

relin-

relinquimus aliorum judicio, annon ſimplici apprehenſione concipi & cognoſci poſſit verus homo, verus lapis &c, ut quodammodo incomplexa veritas huic conceptui poſſit tribui: Hoc adhuc certiſſimum relinquimus; quod veritatis & falſitatis notiones, quæ ſolummentis conceptibus ac intellectus operationibus ſoliſque propoſitionibus (illis per intrinſecam, his per extrinſecam denominationem) attribuuntur, per ſe Metaphyſicæ conſiderationis dici nequeant.

§. 3. *Bonum ens* quodvis ens Metaphyſica æſtimatione dicitur, *quia habet ea omnia, quæ requiruntur ad ens*: In eo igitur conſiſtit vulgo ſic dicta tranſcendentalis bonitas, quod ens habeat ea omnia, quæ ad eſſentiam requiruntur.

*NOTÆ.*

I. Videntur hæc duo non incommode diſtingui: *ens habet ea, quæ requiruntur ad eſſentiam*, & *ens habet ea omnia, quæ requiruntur ad eſſentiam*. Priori modo dicitur *verum ens*, poſteriori modo *bonum ens* vocatur. Interim hæc duo ſaltim noſtro concipiendi modo differunt ac ſenſu formali, ſi ſenſum identicum ſpectes, res eodem redit.

II. Non pauci e Scholæ Doctoribus diſtinguere amplius ſolent inter bonum ens ac perfectum ens. *Perfectum ens* vocant, *cui nihil deeſt, quod ad eſſentiam requiritur.* Patimur vero eos abundare ſuo judicio, utut nihil ſolidi diſcriminis inter tranſcendentalem bonitatem & tranſcendentalem perfectionem valeamus invenire. Interim non debent confundi bonitas ac perfectio tranſcendentalis cum bonitate ac perfectione accidentali. Nec confundenda ſunt genera aliarum diſciplinarum, in quibus de bono & perfecto agitur; cum noſtro diſciplinæ genere, ceu vulgo fieri ſolet. Ita e. gr. aliter de perfectione Dei, ut Metaphyſicæ conſiderationis, aliter, ut Moralis conſiderationis eſt, agitur, quo de ſuis locis dicetur.

## CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

*De*

# DISTINCTIONE REALI & RATIONIS,

*item de*

## GENUINIS ET SPURIIS SIGNIS REALIS DISTINCTIONIS.

§. I.

*QUando unum revera non eſt alterum*, datur *realis diſtinctio*;

Digitized by Google

ctio, ut: inter corpus & animam: *Quando* vero *duo vel plura aliter atque aliter cognoſcimus*, ſive ea alias in rei veritate unum ſint, ſive minime, *rationis diſtinctio* locum invenit e. gr. inter juſtitiam divinam & miſericordiam divinam.

## NOTÆ.

I. Quia nullum dubium eſt, quin doctrina de realiter & ratione diſtinctis in omnibus diſciplinis ac facultatibus ſuum inveniat uſum, noſtrum erit, hanc materiam perſequi, quouſque ratio inſtituti id permittit. Eſt autem diſtinctionis notio adeo communis, ut fruſtra definitionem deſideres: Interim generalis fundamenti loco ſufficiat hæc monuiſſe. Dantur quæ ita ſe habent, ut nemine cogitante unum eorum non ſit alterum, ſicut e. gr. nemine cogitante homo non eſt brutum, canis non eſt lapis, corpus non eſt anima, & ſic datur realis diſtinctio: Alia vero ratio eſt diſtinctionis, quando nempe duo vel plura aliter atque aliter cognoſcimus; ſive ea nemine cogitante unum ſint, ſive minime: ut quando cognoſcimus aliter hominem, aliter brutum, ali-

aliter corpus, aliter animam, aliter juſtitiam Dei, aliter miſericordiam: aliter extenſum, aliter diviſibile: aliter immutabilitatem; aliter æternitatem &c. Sic vero locum invenit diſtinctio rationis.

II. Verum autem uſu frequentior ſit hæc *realis diſtinctionis* ſignificatio, qua nemine cogitante unum non eſt alterum, ſicut e. g. realis diſtinctio eſt inter viſum & lucem, quia nemine cogitante viſus non eſt lux, inter viſum & cœcitatem, quia nemine cogitante viſus non eſt cœcitas, inter cœcitatem & tenebras, quia nemine cogitante tenebræ non ſunt cæcitas, tamen fit quandoque, ut *diſtinctio realis* aliunde denominationis rationem accipiat, nempe ab extremis, ſicut nonnunquam in *Scholis alia diſtinctio realis in totum* vocatur, cujus extrema ſunt realia, qualis eſt diſtinctio inter hominem & brutum corpus & animam: Alia *diſtinctio realis in tantum*, qualis eſt, inter viſum & cœcitatem, cum unum extremum hujus diſtinctionis reale ſit, alterum vero mera privatio.

III. *Diſtinctioni reali* ſeu *poſitivæ* hoc poſteriori modo ſumtæ opponitur *diſtinctio negativa*, quæ eſt *talis* vel *in totum*, ſi nullum diſtinctionis extremum ſit poſitivum quid, qualis eſt e. gr. inter mortem & tenebras; vel *in tantum*, qualis eſt inter mortem & vitam. Et quemadmodum ſupra *capite ſecundo negativa*

ga-

gationem aliam diximus *puram*, aliam vero *privationem*; ita facile erit negativam diſtinctionem ſubdiſtinguere.

IV. Patet ex modo allatis, quod *diſtinctio*, quæ ratione extremorum *realis* dicitur, adhuc *rationis diſtinctio* dici poſſit, ſi nempe extrema realia (ejus diſtinctionis) non ſint realiter diſtincta, qualis e. gr. diſtinctio datur inter ens & attributa entis, inter DEum & attributa divina. Inde factum eſt, ut a nonnullis diſtingueretur inter *realium diſtinctionem* & *realem diſtinctionem*.

V. Si nunc *diſtinctionem realem* & *diſtinctionem rationis* in ſua latitudine ſumamus, nullum dabitur medium aut *tertium diſtinctionis genus*. Nam quæcunque diſtingvuntur, aut diſtingvuntur citra mentis operationem, & quatenus citra mentis operationem diſtingvuntur, datur *diſtinctio realis*, aut diſtinguuntur per mentis operationem, & quatenus per mentis operationem diſtingvuntur, datur *diſtinctio rationis*. Rurſus quæ per mentis operationem diſtingvuntur aut ſimul diſtingvuntur citra mentis operationem, ſicque *diſtinctio rationis abſoluta ſumta* locum invenit: Aut citra mentis operationem non diſtingvuntur, & ita diſtinctio rationis excluſive ſumta locum ſibi vendicat. Quæ enim realiter diſtingvuntur, quid prohibet, quo minus queant a ratione noſtra

ut

Digitized by Google

ut diſtincta concipi. Non vero omnia, quæ ratione noſtra ut diſtincta poſſunt concipi, ſtatim ſunt realiter diſtincta. Ita quia concluſio realiter non differt a præmiſſis, ideo nec conſcientia moralis recta ſtricte ſic dicta, à Jure naturæ realiter differt, cum conſcientia moralis recta ſtricte ſic dicta ſemper ſit concluſio.

## §. 2. *Signum* genuinum ac prorſus infallibile *realis diſtinctionis* eſt 1. *realis ſeparatio.*

*NOTÆ.*

I. Quando ſcilicet nemine cogitante duo ab invicem ſeparantur, e. gr. ſi clavum a pariete ſepares, ut clavus in pariete non amplius, ſed alibi exiſtat, hæc ſeparatio certiſſime arguit realem diſtinctionem inter clavum & parietem.

II. De reali ſeparatione unice ſermo eſt, nam licet inter realem ſeparationem & ſeparationem mentalem diſtingui ſoleat, hæc tamen non eſt verum ſignum realis diſtinctionis, ſed eſt ipſa diſtinctio rationis. Quippe mente ſeparare unum ab altero eſt ratione unum ab altero diſtinguere. Nec abſolute ſeparatio dici unquam ſolet, nec poteſt mentalis ſeparatio.

III. *Separatio realis* rurſus eſt vel *poſitiva* vel *negativa*: *Illa* eſt, *quando duo realiter ſe-*

*pa-*

*parantur, ut utrumque poſt ſeparationem manere poſſit:* e. gr. clavus a pariete. *Hæc* dicitur, *qua duo ita ſeparantur, ut neceſſum ſit ad minimum unum ex iis perire:* e.gr. albedo a pariete realiter ſeparari nequit, niſi albedo pereat.

## §.3. *Signum* genuinum ac prorſus infallibile realis diſtinctionis eſt *realis ſeparabilitas.*

### N O T Æ.

I. Quæ enim poſſunt realiter ſeparari; cet realiter non ſeparentur, nec realiter ſepa-ata ſint, nullum tamen dubium eſſe debet, uin realiter diſtincta ſint & dici debeant.

II. Cavendum probe, ne quis exiſtimet, mnia quæ realiter ſunt diſtincta eſſe rea-iter ſeparabilia. Hoc quia quibusvis *Theo-ogiæ* cultoribus omnino cognitu neceſſa-ium eſt, ſufficienter declarabimus: Sane ertiſſimum eſt, tres perſonas realiter diſtinctas dari in una eſſentia divina, falſiſſimum eſt & manet, tres perſonas divinitatis realiter ſeparabiles eſſe, hoc eſt realiter ab invicem ſeparari poſſe. Aut enim ſeparari poſſent ſeparatione poſitiva reali, & ſic una perſona poſſet ſeorſim exiſtere, & ſeorſim altera, quod impium & abſurdiſſimum, cum una numero exiſtentia (cave confundas exiſtentiam cum ſubſiſtentia) Patris, Filii & Spiritus S. ſit, quia una numero eſt eſſentia: Es-

Digitized by Google

Eſſentia vero & exiſtentia realiter ab invicem non differunt: Imo quod in divinis realiter non differant, fatentur etiam omnes ii, qui alias realem diſtinctionem inter eſſentiam & exiſtentiam in rebus creatis dari credunt: Aut ſeparari poſſent perſonæ divinitatis ſeparatione reali privativa, quod *iterum* abſurdiſſimum & plane impium, quia tali abſurdo ſtante, una perſona exiſteret altera non exiſtente, una ſupereſſet altera non manente ſuperſtite. Sed quis non deprehendit has impias falſitates, cum omnes ſane perſonæ divinitatis ſint coæternæ atque immutabiles.

III. Imo in media *Philoſophia* forſan exempla dantur eorum, quæ nequeunt realiter ab invicem ſeparari, utut realiter diſtincta ſint entia. Ita ſunt inter *Philoſophos*, qui nequaquam dubitant de reali quantitatis recte & propriiſſime ſic dictæ a corpore naturali diſcrimine, moti his inprimis rationibus: (1) Nemine cogitante corporis naturalis quantitas mutari poteſt, ut tamen ipſum corpus naturale ratione ſubſtantiæ ſpectatum minime mutetur. (2) Duo corpora naturalia ejusdem ſpeciei poſſunt habere quantitatem diverſæ ſpeciei, & vicisſim duo corpora naturalia habentia quantitatem unius ſpeciei, poſſunt eſſe corpora naturalia diverſæ ſpeciei. (3) Corpus naturale

per

Digitized by Google

per ſe non cadit ſub ſenſum, cum tamen quantitas per ſe ſub ſenſum cadat. Jam ſi ponamus reale diſcrimen dari inter corpus naturale & ejus quantitatem, adhuc tamen nequaquam fieri poterit, ut quantitas a corpore naturali realiter ſeparetur. Aut enim poſt factam realem ſeparationem corpus naturale adhuc habiturum eſſet partes, aut minime: ſi hoc, Ergo dabitur e. gr. verus homo ſine capite & ventre, verus & vivus homo ſine omni membro, quod plane abſurdum: Si illud, aut tale corpus naturale habebit partes extra partes, aut non habebit: Non poſterius, quia alias caput & pedes & venter & naſus & poſteriores partes omnes forent in unico puncto, quod ridiculum: Non prius, quia habere partes extra partes eſt eſſe extenſum; extenſum eſſe eſt quantitatem habere, ſicque abſurdum inde prodiret, adeo ut facta reali ſeparatione omnis omnino quantitatis a corpore naturali, hoc adhuc quantitatem habiturum ſit.

## §. 4. *Signum* genuinum ac prorſus infallibile eſt 3. *quando duo nemine cogitante ſunt ſuppoſita.*

### NOTÆ.

I. Fieri namque haud poteſt, ut quæ nemine cogitante diſtincta ſuppoſita ſunt, e.g.



Digitized by Google

Petrus & Paulus; tamen nemine cogitan[te] unum ſuppoſitum ſint.

II. Loquimur hic de *reali diſtinctione* qu[æ] latius patet, quam *eſſentialis*, ceu *ſequenti ca*[*pite*] *pite* dicetur. Ita realiter differunt tres perſ[o]næ divinitatis, quia nemine cogitante ſu[nt] tria ſuppoſita, non vero eſſentialiter diffe[runt], ſed manent unum numero ens, nemp[e] Deus.

## §. 5. *Signum* genuinum a[c] prorſus infallibile realis diſtinctio[nis] nis eſt 4. *quando entia nemine co*[*gitante*] *gitante realiter exiſtunt in diver*[*ſis*] *ſis ſuppoſitis.*

### *NOTÆ.*

I. Ita realiter differunt ſcientia Ariſtote[li]lis, ſeu quæ eſt in Ariſtotele, & ſcientia Pla[to]tonis ſeu quæ eſt in Platone, quia realiter di[]ſtincta ſuppoſita ſunt Ariſtoteles & Plato. E[t] niſi realiter differrent ſcientia in Platone & ſcientia in Ariſtotele, fieri quoque poſſet, u[t] realiter diſtincta ſuppoſita unum ſuppoſi[]tum eſſent: Utrobique enim par ratio.

II. Poſſet quis dicere, humanam natu[]ram competere realiter diſtinctis ſuppoſit[is] Petro & Paulo, Platoni & Ariſtoteli, & tamen unam manere. Reſpondetur: Una ſpecie manet, non una numero: ſicut enim corpus

Pe-

Petri non eſt Pauli corpus, nec anima Petri eſt Pauli anima, ita nec hæc humana natura quæ Petri dicitur eſt hæc humana natura, quæ Pauli vocatur, cum quælibet natura humana has duas partes eſſentiales habeat: corpus & animam.

§. 6. *Signum* genuinum ac prorſus infallibile realis diſtinctionis eſt, 5. *quando duo nemine cogitante ab invicem differunt*, ut *cauſa* formaliter ac vere talis & *cauſatum* formaliter ac vere tale, ut quidem hæ notiones in *Metaphyſicis* ſumuntur.

*NOTA.*

Ita e.gr. realiter differunt Pater & Filius in humanis. Sed quod bene notandum, non enim de cauſa & cauſato virtuali, nec de iis, ut alias in *Analyticis* cauſa & cauſatum ſumuntur, ſermo eſt.

§. 7. *Signum* genuinum ac prorſus infallibile realis diſtinctionis eſt 6. *quando nemine cogitante duo differunt reſpectu ejuſdem ac inter ſe, ita ut unum ſit producens alterum productum.*

*NOTÆ.*

I. Ita in divinis Pater & Filius non differunt ut cauſa & cauſatum, differunt tamen ut producens & productus, quia Deus Pater ab æterno Filium genuit ſeu per æternam generationem produxit: Filius Dei ab æterno a Patre genitus ſeu per æternam generationem a Deo Patre productus eſt. Pariter differunt realiter Pater & Filius a Spiritu S. quia per æternam ſpirationem Spiritus Sanctus a Patre & Filio procedit, adeoque per æternam ſpirationem productus dicitur, ceu ex *orthodoxa Theologia* ſatis conſtat.

II. Voces: *unum* & *alterum*, non tam rigoroſe hic accipiendæ ſunt, ut iis negetur unitas eſſentiæ, cum in divinis una perſona ab altera dicatur realiter diſtincta, ut tamen una utriusque perſonæ, imo omnium trium perſonarum divinitatis eſſentia maneat. A pluralitate enim ſuppoſitorum ad pluralitatem eſſentiarum (in divinis) non valet conſequentia.

§. 8. *Signum genuinum realis diſtinctionis* eſt 7. *quando nemine cogitante duo ita ſe habent, ut eorum unum revera ſine altero eſſe poſſit, ſive alterum viciſſim ſine illo eſſe queat, ſive minime.*

NO-

## NOTÆ.

I. Videri poterat, ac ſi hujus ſigni mentio ſupra facta fuiſſet, quando ex eo, quod unum ab altero realiter ſeparatum eſt, aut realiter ſeparari poteſt, collegimus realem diſtinctionem. Verum ſunt, qui putant longe latius patere illam formulam: *horum unum ſine altero eſſe poteſt*, quam hanc, *horum unum ab altero realiter ſeparari poteſt*. Et ſane ſi realis ſeparatio ſumatur, prout præſupponit realem unionem, omnino plurima dantur, horum unum ſine altero eſt, licet nunquam fuerint realiter unita, adeoque nec unquam realiter ſeparata, imo nec realiter ſeparabilia. Cæterum ſi in laxiori ſignificatu notionem ſeparatorum acceperis, non refragabimur, ſi id primum & ſecundum, hoc eſt, primo & ſecundo loco allatum realis diſtinctionis ſignum hoc ultimum referre malis.

II. A pluribus certitudo hujus ſigni in dubium vocatur, imprimis ob has quoque rationes. (1) Animal poteſt eſſe ſine homine, nec tamen animal & homo realiter differunt. Quod enim ſine homine dari animal poſſit, patet, quia antequam ullus homo conderetur, animalia extiterunt. (2) Deus & creator cœli & terræ realiter non differunt, cum tamen ab æterno Deus fuerit, creator cœli & terræ ab æterno non fuerit. (3) Relatio realiter non differt a fundamento relationis, & ta-

tamen hoc poteſt eſſe nemine cogitante, utut nondum relatio ſit. (4) Deus amat hanc vel illam creaturam præſentem, amor iſte eſt quoad rem ipſe Deus, adeoque ens neceſſarium, attamen DEUS poſſet eſſe ſine hoc amore, ſi creatura non eſſet præſens, aut hæc mero odio dignam ſe redderet. Sed hæc nondum talia ſunt, ut id propter aſſertum noſtrum deſeramus. Ad (1) dicendum, animal ut bruto competit, hoc eſt, ut realiter determinatum eſt ad naturam bruti, utique realiter differre ab homine. Ad (2) Deus creator cœli & terræ dicitur per veriſſimam quidem, extrinſecam tamen, denominationem; Talis enim dicitur a creatione, quæ non eſt nec unquam fuit in Deo, & ſic creator ut creationem dicit ſeu ex parte creationis omnino a DEO realiter differt. Ad (3) Si relatio a fundamento realiter non differt, (quo de jam diſputare nolumus) de relatione quoad intrinſecum ſpectata hoc intelligendum erit, non item de relatione quoad extrinſecum, hoc eſt, reſpectu termini conſiderata. Ad (4) Amor quo Deus præſentem creaturam amat, a parte Dei eſt ipſa Dei eſſentia per modum volitionis concepta: Interim ſi formaliter ſpectetur, dicit etiam objectum ipſum, unde quia objectum, nempe creatura præſens, realiter differt a Deo, reale etiam diſcrimen dabitur inter eſſentiam divinam & amorem

ſi

ſi ſic ſpectetur, ut objectum a Deo realiter diſtinctum involvit.

## §. 9. Genuina ac infallibilia *ſigna realis diſtinctionis* non ſunt *1. diverſitas definitionum, 2. prædicamentorum. 3. locorum. 4. temporum. 5. realis abſtractio. 6. ratio totius & partis.*

*N O T A.*

Solent quidem ab aliis hæc ſigna pro genuinis & infallibilibus venditari, ita ut realem diſtinctionem inde ſufficienter colligi cenſeant: (1) quando duo definitiones diverſas habent. (2) quando in diverſis ſunt prædicamentis. (3) quando in diverſis locis. (4) quando diverſis temporibus exiſtunt. (5) quando unum eorum ab altero realiter abſtractum eſt. (6) quando differunt ut pars & totum, vel ut partes unius ejusdemque totius. Enimvero hæcce ſigna realis diſtinctionis ſæpius fallunt. Nam (1) diverſitas definitionum ſæpe ex parte unius ejusdemque locum habet: Fieri quippe poteſt, ut unius ejusdemque rei materia ſeu eſſentia aliter atque aliter concipiatur, ſicque diverſus concipiendi modus diverſas definitiones pariat, re ipſa, quam definivimus, una prorſus eademque manente. (2) Diverſitas prædica-



Digitized by Google

mentorum ex unius ejuſdemque rei parte admitti ſæpe ſolet: Annon enim actio & paſſio ſemper realiter idem ſunt, cum tamen diverſa prædicamenta conſtituant *Logicorum* conſenſu? (3) Diverſitas locorum ſi ſemper argueret realem diſtinctionem, *Philoſophia Theologiæ* contradiceret, cum hæc doceat, corpus Chriſti eſſe uno eodemque tempore in diverſis locis, nec abſolutæ Dei potentiæ repugnet, quo minus unum idemque corpus naturale per eandem in pluribus locis exiſtat. Inter *Philoſophiam* enim ac *Theologiam* nulla vera contradictio locum habere poteſt, ut alibi docetur. (4) Nec diverſitas temporis realem diſtinctionem ſtatim indicat, unus certe idemque numero homo (ut articulus fidei docet) extremo die reſurget. (5) Realis abſtractio neutiquam confundenda erat cum reali ſeparatione: Poſſunt enim multa, quorum unum ab altero realiter abſtractum eſt, de ſe invicem prædicari ſalva veritate: E. gr. univerſale realiter abſtractum eſt a ſingularibus ſuis, de quibus vere prædicari poteſt. Quæ igitur de ſe invicem ſalva veritate prædicari poſſunt, realiter non differunt. (6) Ratio totius & partis non ſtatim ad realem diſtinctionem ſufficit, quia etiam datur totum ſaltem ratione ſeu noſtro concipiendi modo tale: Ita genus & ſpecies de qua genus prædicari poteſt, item genus & differen-

tia

tia reſpectu ſpeciei, cujus genus & differentia ſunt, habent ſe ut totum & pars, ut partes (eſt enim genus totum univerſale, ſpecies vero pars ſubjectiva, genus & differentia ſunt partes eſſentiales Metaphyſicæ ſeu Logicæ, ſpecies totum eſſentiale Metaphyſicum ſeu Logicum eſt) nec tamen realiter differunt ab invicem, ceu ex *capite 37.* patebit.

## CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM

*De*

# DISTINCTIONIS DISTINCTIONIBUS, QVARUM FREQVENS AC NECESSARIUS USUS EST IN THEOLOGIA.

## I. DE DISTINCTIONE ESSENTIALI.

### §. I.

D*iſtinctio eſſentialis* in rigore & propriiſſime ſic dicta, *ſemper eſt diſtinctio realis, non tamen diſtinctio realis ſemper eſt diſtinctio eſſentialis*, adeoque *eſſentialiter diſtincta* & *realiter diſtincta* ut *anguſtius* & *latius* diſtingvuntur.

## NOTÆ.

I. *Theologiæ* Studioſis notum hoc eſſe poteſt, imo omnibus notum eſſe debet. Et enim *realiter* differunt tres Perſonæ Divinitatis: Pater, Filius & Spiritus Sanctus: *Eſſentialiter* non differunt. Quod tres Perſonæ divinitatis *realiter* inter ſe differant, patet inde, quia ex Scripturis Sacr. abunde conſtat, quod nemine cogitante una perſona alteram revera reſpiciat, ut perſona producens perſonam a ſe productam: Nam nemine cogitante Pater ab æterno produxit Filium, Pater & Filius produxerunt Spiritum Sanctum, qui idpropter utriusque Spiritus dicitur in Sacris. Jam vero extra omnem dubitationem omneque dubitationis periculum hæc propoſitio Metaphyſica verſatur inque omni doctrinæ genere perpetuæ ac immutabilis veritatis eſt: *Quæcunque nemine cogitante reſpectu ejusdem differunt ut producens & productum, illa realiter differunt:* Nihil enim ſeipſum producere poteſt. Quod *eſſentialiter* non differant tres Perſonæ Divinitatis, certiſſimum eſt, quia tum ex *Sacro Codice*, tum ex *naturæ lumine* evidentiſſime liquet, unam numero eſſentiam divinam dari, nec plures eſſentias divinas dari poſſe. Quia ergo una numero eſſentia eſt Patris, Filii & Spiritus S. non dabitur *eſſentialis* diſtinctio nec dari poterit inter perſonas divinitatis, ut tamen in-

inter eas *realis diſtinctio* perpetua ſit.

II. Ea quæ ſupra *capite ſecundo* & *tertio* de exiſtentia & eſſentia diximus, hic in memoriam revocaſſe juvabit.

III. Alias triplex *eſſentialis diſtinctionis* notio haberi poteſt: Nam (1) eſſentialis diſtinctio denominari poterit ab eſſentia, & quia (ut ante diximus) una eademque eſſentia unius ejusdemque rei diverſimode concipi poteſt, non mirari ſubeat, cur quandoq; dicantur eſſentialiter diſtincta, quæ id propter non ſtatim realiter differunt: Ita e.g. eſſentialiter diſtincta a nonnullis dici ſolent: actio & paſſio, quantitas & diviſibilitas, juſtitia & miſericordia in divinis, cum tamen realiter non differant. Sed hæc ſignificatio non eſt frequens, nec ſatis tuta: Tutius eſt uti diſtinctionis formalis notione, qua de mox pluribus agetur. (2) Diſtinctio eſſentialis dari dicitur inter ea, quæ realiter diſtinctas ſpecie eſſentias habent: ut homo & brutum. (3) Eſſentialis diſtinctio locum invenit inter illa, quæ nemine cogitante ejusdem ſpeciei ſunt, numero tamen diſtinctas eſſentias (exiſtentias) nemine cogitante habent, e.gr. Petrus & Paulus, quia utriusque eſſentia abſolvitur utriusque corpore & anima, unde quemadmodum corpus Petri realiter differt a Pauli corpore & anima Petri a Pauli anima, ita non poteſt non eſſentia

Petri

Petri ab eſſentia Pauli realiter eſſe diſtincta.

IV. Caveat quisque ſibi, ne utatur quorundam locutione, ac ſi perſonæ divinitatis eſſentialiter diſtinctæ dici poſſint, ideo quod nemine cogitante plane alia ſit definitio Patris, qui eſt perſona divinitatis prima, a nulla alia perſona producta; alia Filii, qui eſt ſecunda perſona divinitatis ab æterno genita a Deo Patre; alia Spiritus Sancti, qui eſt perſona divinitatis tertia producta ab æterno a Patre & Filio. Nam adhuc una numero eſſentia trium perſonarum divinitatis manet, unde ſecuti *venerandos* Theologos ad quæſtionem, quomodo differant tres perſonæ divinitatis? Reſpondemus, realiter differre, differre nemine cogitante ordine naturalis enumerationis, non vere differre eſſentialiter.

## II. DE DISTINCTIONE MODALI.

§. 2. *Modalis diſtinctio* propriiſſime dicitur, *quæ eſt inter rem & modum ejus*: e. gr. inter Petrum & ejus ſeſſionem.

*NOTÆ.*

I. *Modalis diſtinctio* dicitur a *modo*. Licet vero neminem lateat, quam lata ſit & varia modi ſignificatio: Quis enim ignorat ampliſſimam quæſtionis: *quomodo?* interpre-

Digitized by Google

pretationem? Nam & cujusvis rei æſtimatio ac determinatio, item valor, ſecundum quem cum alia re tanquam cum menſura comparari poteſt, *modus* a quibusdam dici ſolet; Nobis tamen in præſenti utpote ſecutis uſum philoſophandi *modus* eſt *actualis determinatio entis ſingularis ab ipſo ente ſingulari, cujus actualis determinatio dicitur, realiter diſtincta. Scholaſtici modum* vocant *ſingularem entitatem, quæ ens ſingulare actu afficit, ut ne quidem per DEI abſolutam potentiam ſine illo* ſingulari ente) *eſſe poſſit*, e. g. ſeſſio reſpectu Petri, dicitur nempe ſeſſio Petri modus, nec poteſt dari ſeſſio Petri ſine Petro.

## §. 3. *Modalis diſtinctio* ita ſumta *eſt realis diſtinctio.*

*NOTÆ.*

I. Nam licet *modus* non poſſit eſſe ſine *re, cujus eſt modus:* Sufficit tamen ad realem diſtinctionem, quod *res,* cujus eſt modus, poſſit eſſe ſine *modo*: Quod vero *modus* non poſſit eſſe ſine *re cujus eſt modus*, patet inde, quia implicat manifeſtiſſimam contradictionem, dari actualem rei ſingularis determinationem, nec dari rem ſingularem, quæ actu determinatur, quod quiſque facile capit E. gr. implicat dari ſeſſionem Petri, nec tamen Petrum ſedentem dari. Vocant interim *Scholaſtici modum* debilem & exiguam *entitatem,*

nē

ne quodvis accidens reſpectu ſubſtantiæ ſingularis, in qua tanquam ſubjecto eſt, *modum* vocare neceſſum habeant.

II. Modus duplex datur: *Subſtantialis* qualis eſt e. g. hypoſtaſis humanæ naturæ Petri propria: *Accidentalis*, qualis eſt complicatio manus meæ.

§. 3. *Poterit* tamen *modalis diſtinctio* etiam *admitti inter duos modos*.

NOTÆ.

I. *Duplex* igitur dabitur *diſtinctio modalis*: *Una* quæ eſt *inter rem & modum*, ut inter Petrum & ejus ſeſſionem, *Altera*, quæ eſt *inter duos modos* vel diverſarum rerum, ut inter ſeſſionem Petri & ſeſſionem Pauli; vel ejusdem rei: Plures namque ejusdem rei modi ſunt & dari poſſunt.

II. *Keckermannus* & alii dixerunt diſtinctionem inter tres perſonas divinitatis *diſtinctionem modalem*, moti hac ratione, quod inter ſe realiter differant ratione ſubſiſtentiarum; omnem vero ſubſiſtentiam volunt eſſe modum. Enimvero repugnat (1) uſu philoſophandi: Quis enim inter Petrum & Paulum dixerit dari *modalem diſtinctionem*, atut alia ſit ſubſiſtentia humanæ naturæ Petri, alia humanæ naturæ Pauli propria. (2) Orthodoxi Theologi ſimulque *ἀκρίβειαν* ſectantes nolunt

Digitized by Google

nolunt ſubſiſtentiam in divinis vocare *modum*, quia res ſine modo eſſe poteſt, non vero eſſentia divina poteſt eſſe ſine ſubſiſtentia divinæ naturæ propria; Sunt enim tres ſubſiſtentiæ divinæ naturæ; Una Patris, altera Filii, tertia Spiritus S. Inde definiunt ſubſiſtentiam hoc modo: *Subſiſtentia eſt modus, vel quod ſe habet ut modus, quo ſubſtantia ſingularis complete & incommunicabiliter exiſtit, nec aliunde ſuſtentatur.* His namque verbis, *quod ſe habet ut modus*; ad ſubſiſtentias divinas reſpicitur. (3) *Modus* actu realiter differt ab eo, cujus eſt modus: At ſubſiſtentia in divinis realiter non differt ab exiſtentia, juxta illud Theologorum: In divinis, *ubi non eſt relativa oppoſitio, ibi nec datur realis diſtinctio.*

## III. DE DISTINCTIONE VIRTUALI.

§. 4. *Diſtinctio virtualis* dupliciter ſumi ſolet: (1) Diſtinctio virtualis admittitur *inter ea, quæ diſtingvuntur ut cauſa virtualis & cauſatum virtuale.* E. gr. virtualis diſtinctio datur inter immutabilitatem DEI & æternitatem Dei.

NO-

Digitized by Google

N O T A.

Immutabilitas enim dicitur *cauſa virtualis* æternitatis, ut tamen immutabilitas & æternitas in Deo realiſſime idem ſint. Hac de re ſupra egimus *capite undecimo*.

§. 5. (2) *Diſtinctio virtualis* dari dicitur *inter eſſentiam & perſonam in divinis*.

N O T Æ.

I. Nam quia nemine cogitante rationes contradictoriæ ſunt: incommunicabile & communicabile, nec vero fieri unquam poteſt, ut de una eademque re finita citra reſpectum ad extrinſecum quidpiam ſalva veritate prædicari poſſint, de eſſentia vero & perſona in divinis hæc ipſa prædicata prorſus citra omnem reſpectum ad aliquid extrinſecum veriſſime prædicari poſſunt ac prædicantur, inde factum eſt, ut *virtualis diſtinctio* ſtatueretur *inter eſſentiam & perſonam in divinis*. *Virtualis* dicta fuit, quia quando in humanis eſſentia & perſona, ut veritas exigit conſiderantur, ſane tres perſonæ humanæ: Petrus, Paulus & Johannes, tres requirunt eſſentias realiter diſtinctas, idque propter tres perſonæ humanæ eſſentia ſingulari neceſſario differunt: At in divinis eſſentia ob infinitatem ſuam quaſi æquipollet pluribus eſſentiis (quod ſano ſenſu accipiendum eſt)

Digitized by Google

eſt) hoc eſt, utut unica ſit eſſentia divina ; nec plures eſſentiæ divinæ dari poſſint, tres tamen ſubſiſtentiæ ejus dantur; non obſtante, quod in humanis tot eſſentiæ ſint, quot ſubſiſtentiæ humanæ. Unde in divinis quidem vera prædicata vere contradictoria de eſſentia & perſona nequaquam affirmantur, ut eſſentia divina dicatur communicabilis tribus perſonis divinitatis) perſona vero incommunicabilis vocetur: Ita perſona (prima divinitatis) genuit, eſſentia minime. Perſona (ſecunda divinitatis) per æternam generationem fuit producta, eſſentia minime: Perſona (prima & ſecunda) produxit perſonam (tertiam divinitatis) & perſona (tertia) fuit ab æterno producta per ſpirationem, eſſentia divina minime: Hæc vero prædicata: communicabile & non communicabile, generans & non generans, productum & non productum, de una eademque re creata abſque abſurdiſſima contradictione ita prædicari nequeunt, falſiſſimæque ſemper futuræ eſſent taliſmodi prædicationes.

III. Dicat aliquis, nihil novi eſſe ac frequenter evenire, ut de una eademque re prædicata contradictoria vere enuncientur: Ita v. gr. genus & ſpecies ſpecialiſſima, de qua ſcil. genus prædicatur, realiter non differunt, attamen genus de pluribus ſpeciebus prædicari poteſt, ſpecies ſpecialiſſima minime. Ita

multis videtur, ac ſi intellectus & voluntas realiter differant, aliis quod realiter idem ſint, & qui poſteriorem tenent ſententiam, adhuc admittunt prædicata contradictoria, dum intellectum negant eſſe per ſe ac intrinſece liberum a neceſſitate: voluntatem vero intrinſece liberam a neceſſitate rectiſſime cenſent: Sic in divinis juſtitia & miſericordia realiter non differunt, prædicata tamen contradictoria admittunt, quia per juſtitiam Deus punit, per miſericordiam vero non punit &c. Verum longe alia ratio eſt, quando de eſſentia & perſona in divinis affirmantur prædicata, quæ in creatis rebus non poſſunt ſalva veritate affirmari de una eademque re, & ſi affirmarentur de una eademque re, maniſeſtiſſima contradictio committeretur: Sic interim in divinis affirmantur de eſſentia & perſona, quæ ſane realiter non differunt in divinis, ut nullus reſpectus realis detur ad aliud tertium & extrinſecum quidpiam. Nam ab æterno cum nullus intellectus creatus adhuc eſſet, imo nihil plane eſſet præter Deum in perſonis trinum, inque eſſentia unum, tamen eſſentia fuit communicabilis, perſonæ vero incommunicabilis; tres fuerunt realiter diſtinctæ perſonæ, non una ſaltem; unica eſſentia divina, non plures eſſentiæ.

IV. Objici etiam poterat, quod notio *diſtinctionis virtualis* ſic explicata contineat

my-

myſterium, omnemque captum ſuperet *Philoſophorum*. Verum reſpondetur, eam quidem ſupponere myſterium SS. Trinitatis, absque cujus revelatione ſi eſſemus, notionem diſtinctionis virtualis neſciviſſemus explicare: Hoc tamen certum manet, Philoſophum absque revelatione ſuæ rationi relictum ad quæſtionem: Num in una eademque eſſentia, nempe divina, plures ſubſiſtentiæ realiter inter ſe diſtinctæ, ſicque plures divinitatis perſonæ dari poſſint? rectiſſime reſpondere, nec aliter reſpondere poſſe, quam ſi reſponſi loco dicat: Me latet; quia eſſentiam divinam, cum ſit infinita, quamdiu vitam mortalem ago, perfecte cognitam habere nequeo, utut mihi de eo ſatis conſtet, quod in humanis tot neceſſario dentur eſſentiæ quot perſonæ, cum a finita eſſentia ad infinitam non liceat argumentari.

# IV. DE DISTINCTIONE FORMALI.

§. 5. *Formalis diſtinctio a Scholæ Doctoribus* vocatur, *quæ fit per conceptus formales ejusdem rei inadæquatos, in ordine ad diverſa connotata*: E. gr. datur diſtinctio for-

formalis inter juſtitiam divinam & miſericordiam divinam.

## NOTÆ.

I. Aliter namque cognoſcimus juſtitiam divinam & aliter miſericordiam divinam, illam in ordine ad connotatum actum puniendi, hanc ad connotatum actum miſerendi, cum tamen ex parte DEI juſtitia & miſericordia ſint una eademque res, nemine cogitante.

II. Quid *conceptus formalis*, quid *objectivus a Scholaſticis* vocetur, ſupra *capite tertio* explicuimus: Cæterum *conceptus adæquatus* dupliciter ſumi poteſt: (1) ut complexum omnium conceptuum, cum neceſſariorum, tum contingentium, notat. (2) ut arguit complexun neceſſariorum conceptuum: Et hæc poſterior ſignificatio magis eſt hujus loci: Amplius tamen notetur, quod conceptus neceſſarius adæquatus dupliciter ſumatur: (1) ut includit ſimul conceptus neceſſarios accidentales. (2) ut præciſe dicit totam eſſentiam rei, utraque ſignificatio eſt præſentis uſus.

III. Patet jam, cur *formalis diſtinctio* vocetur, quam hic definimus: Scilicet ratio denominationis petitur a forma, uti quidem forma rationem formalem notat: Poſſunt enim unius ejusdemque rei plures rationes formales

Digitized by Google

les fundamentum in rei veritate agnoſcentes dari.

IV. Et quia diverſarum rerum diverſæ quoque rationes formales dari poſſunt, ſi uſus ferret, diſtinctio formalis iis quoque attribui poſſet: e. gr. diſtinctio formalis dici poſſet, quæ eſt inter hominem & brutum: Verum uſu receptum eſt, ut formalis diſtinctio ad diſtinctionem rationis excluſive ſumtam referatur, ut tamen non omnis *diſtinctio rationis* dicatur *diſtinctio formalis*, æque ac non omnem *diſtinctionem realem* poſſumus *eſſentialem diſtinctionem* dicere: Eo reſpexerunt Scholaſtici, quando diſtinxerunt inter *diſtinctionem rationis ratiocinantis* & *diſtinctionem rationis ratiocinatæ*, barbaris uſi vocabulis, ita ut prius vocabulum ipſis eſſet participium activum, paſſivum poſterius, hocque poſteriori vocabulo innuerent talem diſtinctionem, quæ fundamentum habeat in ipſius rei veritate, qua de re mox plura *ſequenti §*.

## V. DE DISTINCTIONE REALI INTRINSECA ET EXTRINSECA,

§. 6. ***Diſtinctio realis intrinſeca*** **intrinſece denominat realiter diſtincta: *Extrinſeca* extrinſece: e. gr. nemine cogitante realiter diſ-**

 ſe-

ferunt DEus & creatura, & intrinſece quidem: At juſtitia divina & miſericordia divina realiter differunt extrinſece, quia nemine cogitante juſtitia divina ut juſtitia divina non eſt miſericordia divina ut miſericordia divina.

## NOTÆ.

I. *Thomas* & *Scotus* inter ſe controverterunt: *Num inter realem & rationis diſtinctionem media diſtinctio detur?* Ille negavit, hic aſſeruit. Videtur interim, ac ſi ſpes reconciliationis ſuperſit. Nam ſi diſtinctio realis ſic ſumatur (ita vero credimus eam a Thoma ſumtam fuiſſe) *ut realiter diſtincta* vocentur, *quæ intrinſece & a parte ſui nemine cogitante differunt*, ſic dabitur *diſtinctio realis*, quæ ad *diſtinctionem realem*, ut modo explicabatur, non ſpectet: Ita e. gr. una plane eademque res ſunt juſtitia divina & miſericordia divina, ſi intrinſece & a parte ſui ſpectentur, cum ſane ſint una eademque res, quia a parte rei nihil ſunt aliud, quam ipſa eſſentia divina, prætereaque nihil. Ergo non differunt realiter a parte ſui, ſeu nulla datur inter juſtitiam divinam & miſericordiam diſtinctio realis intrinſeca. Interim datur *diſtinctio realis extrinſeca*, quia nemine cogitante juſtitia divina

[illegible] miſericordia divina dicunt realiter diſtinctos reſpectus ad realiter diſtinctiſſima, illa ad actum puniendi, hæc ad actum miſerendi ſeu benefaciendi; ut nemine hac de re cogitante, hæc tamen propoſitio ſemper veriſſima maneat: Juſtitia divina ut juſtitia divina non eſt miſericordia divina ut miſericordia divina, & contra. Hanc diſtinctionem liceat vocare *realem extrinſecam*: *Scotus* eam dixit *diſtinctionem formalem ex natura rei*, perque *diſtinctionem ex natura rei* ipſe intellexit *diſtinctionem citra mentis operationem*: per *formalem* vero *diſtinctionem* intellexit *diſtinctionem per rationes formales unius rei*.

II. Interim ſi *diſtinctio realis abſolute ac primario ſumatur*, ſola *diſtinctio realis intrinſeca* nomine diſtinctionis realis appellari poterit. Et quod *diſtinctione reali extrinſeca* diſtinctum denominabitur, diſtinctum erit dicendum per denominationem extrinſecam a diſtinctione reali ſumtam. Intelligi res aliqua ſimilitudine poteſt; Sicuti vere denominatur paries viſus, utut viſio non ſit in pariete; ſic ab actu miſerendi eſſentia divina non denominatur juſtitia ſed miſericordia, ab actu vero puniendi juſtitiæ denominationem habet, ſicque a realiter diſtinctis actibus denominatur una eademque res, qui tamen realiter diſtincti actus non ſunt in eſſentia divi-

divina, utut vere ac realiter eam denominent.

# VI. DE DISTINCTIONE REALI ADÆQVATA ET INADÆQVATA.

§. 7. *Diſtinctio realis adæquata* ſumitur inprimis tribus modis. Nam *realiter adæquate diſtincta* dicuntur (1) *Quæ nemine cogitante ita ſe habent, ut unum poſſit eſſe ſine altero, & hoc viciſſim ſine illo*: E. gr. leo & lapis. (2) *Quæ nemine cogitante differunt ut completa entia*: e. gr. Petrus & Paulus, brutum & homo. (3) Frequentiſſima ſignificatio realis diſtinctionis adæquatæ eſt, *quando nemine cogitante duo ab invicem differunt, ut tamen nequaquam differant ut includens & incluſum*: e. gr. corpus Petri & anima Pauli. Ex his facile eſt colligere varias *diſtinctionis realis inadæquatæ* ſignificationes.

NO-

## NOTÆ.

I. Non debent allatæ ſignificationes confundi: Ita e.gr. in primo ſignificatu corpus organicum bruti ejusque anima non differunt *adæquate*, quia bruti anima eſt forma materialis, adeoque ſine bruti corpore eſſe nequit, in eodem tamen ſignificatu realiter adæquate differunt corpus organicum hominis ejusque anima ut eſt ſpiritualis eſſentiæ, quia hæc ab illo poſitive ſeparari poteſt. Pariter in ſecundo ſignificatu corpus organicum & anima rationalis non differunt adæquate, quia dicunt eſſentias incompletas, hoc eſt, ex ſua natura quodvis eorum ad conſtitutionem entis per ſe ordinatum eſt.

II. Quæ differunt ut includens & incluſum, dicuntur ſubdiſtincta, ut animal & corpus animalis: At quæ differunt nec tamen ut includens & incluſum, in *Scholis* condiſtincta vocantur.

III. Datur etiam diſtinctio rationis inadæquata: Sic diſtingvuntur: animal & homo, quia noſtro modo concipiendi differunt, ut illud, quod ſub ſe continet ſeu ut totum univerſale, & hoc, quod ſub illo continetur ſeu ut pars ſubjectiva. Ita ratione diſtingvuntur inadæquate homo & animal, quia homo eſt totum Metaphyſicum, animal vero eſt pars Metaphyſica.

## VII. DE EXCEDENTIBUS ET EXCESSIS.

§. 8. Differuntur *excedentia* & *exceſſa*, *quæ nemine cogitante ſic differunt, ut illud quandoque, non tamen ſemper ſit ſimul hoc, & hoc quandoque, non tamen ſemper ſit illud*: e. gr. clericus & maritus.

*N O T Æ.*

I. Nam recte ac ſalva veritate dico: Quidam clericus eſt maritus: &, quidam maritus eſt clericus. Sunt igitur excedentia & exceſſa: clericus & maritus. Poteſt enim aliquis eſſe clericus, nec tamen maritus: Et, poteſt eſſe aliquis maritus, nec tamen clericus. Ita ſupra attulimus talismodi diſtinctionis exemplum *capite 21. §. 3.* dum nempe inter *voluntarium* & *volitum* diſtinximus.

II. Poteſt *hæc diſtinctio* commode referri ad *diſtinctionem realem adequatam*.

## VIII. DE DISTINCTIS ET DIVERSIS.

§. 9. *Latius patent diſtincta quam diverſa*: E. gr. Petrus & Bucephalus ſunt realiter diverſa entia:

Ergo

Ergo ſunt etiam realiter diſtincta. E contrario Petrus & Paulus ſunt realiter diſtincta entia, uſus vero loquendi non tam facile admittit, ut dicamus realiter diverſa entia, cum ſint unius (non tamen numero unius) eſſentiæ.

N O T A.

Ut hæc rectius percipiantur, notandum eſt, quod quemadmodum ens varii generis eſt: aliud ſubſtantia, aliud quantitas, aliud qualitas &c. ita cum omne ens ſit unum, unum itidem variis modis dicatur: Nunc nemine cogitante unum dicuntur, quorum una eſt ſubſtantia, ut: duo lapides; & hæc in rigore vocantur *eadem*, ſicut ex oppoſito, quorum diverſa eſt ſubſtantia, ut ſunt; leo, lapis; rigoroſe *diverſa* vocantur. Quorum una eſt quantitas; appellantur *æqualia*, ut tricubitale lignum & ferrum tricubitale: Ex adverſo quorum diverſa eſt quantitas, appellantur *inæqualia*, ut: lignum bipedale & lignum ſeſquipedale. Quorum una eſt qualitas, rigoroſe accepta ſimilitudinis voce dicuntur *ſimilia*, ut: duo alba: E contrario quorum diverſa eſt qualitas, nuncupantur *diſſimilia*, ut: ſcamnum album & ſcamnum nigrum.

Sic

Sic dicuntur eadem aut diverſa, quæ agunt eadem aut diverſa, quæ patiuntur eadem aut diverſa &c.

## CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM

# *De* SIMPLICIS & COMPOSITI, *item* TOTIUS & PARTIS NOTIONIBUS. UT ET DE UNIONE & COMMUNICATIONE.

§. 1.

QVicquid habet eſſentiam indiviſam, hoc eſt, quicquid eſt unum ens, illud aut poteſt dividi ſeu eſt *diviſibile* nemine cogitante, & ſic vocatur *compoſitum*: aut dividi nequit ſeu eſt *indiviſibile*, ſicque *ſimplex* nuncupatur.

§. 2. Compoſitum ſic dicitur a compoſitione & quidem reali com-

compoſitione, quæ abſolute & primario compoſitio dicitur: *Requiruntur autem duo ad realem compoſitionem:* (1) *pluralitas realium ac realiter diſtinctorum*, hoc eſt, ut duo vel plura dentur realia ac realiter diſtincta. (2) *Unio*, ut nempe plura realia & realiter diſtincta ſint unita, ſicque unum relinquant.

*N O T A.*

Singulari ſtudio dicitur (1) requiri *realia* (2) *realiter diſtincta*. Hæc enim duo confundi nequaquam debent, nec unum ſine altero ad realem compoſitionem ſufficit. Hoc tamen certiſſimum eſt, poſſe realia dari, quæ realiter non ſunt diſtincta: & poſſe dari realiter diſtincta, quæ tamen non ſunt realia: E.g. dantur realia attributa entis, realia attributa Dei, nec tamen attributa entis realiter diſtincta dici queunt, ſive inter ſe ſive cum ipſo ente conferantur: E contrario realiter diſtingvuntur cœcitas & ſurditas: item mors & ignorantia, nec tamen ſunt realia, ſed meræ privationes atque non entia.

§. 3 Eſt igitur *compoſitum* (compoſitione reali) in rei veritate

*to-*

Digitized by Google

***totum*, ac *totum quoad rem nihil aliud eſt quam compoſitum.***

## NOTÆ.

I. Mirari ſubeat, cur *pars* & *totum* vulgo vocentur attributum disjunctum entis: Nemo quippe ignorat, attributa disjuncta ita ſemper comparata eſſe, ut aliqua disjunctionis pars non poſſit non prædicari de quolibet inferiori, quod ſcilicet ſub illo, cui attributum disjunctum tribuitur, continetur. Ita e.g. quia disjunctum attributum entis eſt ſimplex vel compoſitum, unde omne ens eſt ſimplex vel compoſitum; Aliter ſe res habet cum toto & parte. Sane quia DEUS eſt abſolute ſimplex, ideo nec totius abſolute ac primario ſic dicti, nec partis notio ei attribui poteſt, ut mox pluribus monebitur.

II. Aſſerti noſtri veritas liquet ex recepta totius delineatione: *Totum* enim definitur, quod ſit *ens, quod continet ea, quæ continentur ut ſint unum*. Ubi per *ea quæ continentur, ut ſint unum*, intelliguntur *entia realia ac realiter diſtincta*; dumque additur *ut ſint unum*, ſignificatur eorundem *realis unio*.

**§. 4. Vulgo varia recenſentur genera totius, & quidem imprimis ſequentia: *Totum eſſentiale, totum integrale, totum univerſale,***

*totum*

*totum poteſtativum*. Quibus ab alis addi ſolent *totum ſubſiſtentia-le* (*hypoſtaticum*) & *totum perfe-ctionale*. Alii quoque adjiciunt *totum numerale*.

*N O T A.*

Non tamen notio *totius* recenſitis æqualiter competit, nec æque propria ſignificatione. Semper enim reſpiciendum eſt ad requiſita compoſitionis realis ſuperius allata, quæ ſi deſint, vel ſi alterutrum modo abſit, tollunt propriam ac primariam totius ſignificationem. Propriiſſime loquendo totius denominationem ſubeunt *totum eſſentiale* abſolute ac primario tale: & *totum integrale* primario ſic dictum.

§. 5. *Totum eſſentiale* primario ſic dictum vulgo vocatur *totum Phyſicum*, ejusque *partes* vocantur *eſſentiales phyſicæ*, ſuntque *materia* & *forma* ut ſubſtantiæ incompletæ per ſe ac eſſentialiter inter ſe unitæ.

*N O T A.*

Quia *Phyſici* eſt ex profeſſo agere de materia & forma, quæ & quatenus ſubſtantiæ in-com-

Digitized by Google

completæ ſunt, facile liquet, cur totum eſſentiale primario ſic dictum a Philoſophis Phyſicum nuncupetur. Hæc igitur *duo* ad totum eſſentiale Phyſicum ſufficiunt: (1) *materiæ & formæ ſubſtantialis* (ut loqvuntur) *reale diſcrimen.* (2) *realis unio per ſe ac eſſentialis.* Nec quisquam eſt qui non aſſequitur, omnia corpora naturalia, ſeu ut alii loqui malunt, omnes ſubſtantias naturales ac Phyſica conſideratione dignas & completas nomine totorum Phyſicorum venire, easque ſubſtantias ſolas. Ita animal eſt totum eſſentiale phyſicum, corpus vero organicum & anima ſunt partes eſſentiales Phyſicæ ejus, utpote cujus tota eſſentia corpore organico & anima abſolvitur.

§. 6. *Totum eſſentiale Metaphyſicum* eſt quælibet rigoroſe ſic dicta *ſpecies, parteſque eſſentiales Metaphyſicæ genus & differentia* in rigore talia vocantur.

*NOTÆ.*

I. Egimus *præcedenti* §. 7. de *toto eſſentiali Phyſico* primario & accuratiſſime ſic dicto: Sunt tamen adhuc alia, quibus *ſecundario* & *improprie*, item *minus proprie* notio totius eſſentialis tribuitur, Scilicet in memoriam revocari debent ea omnia, quæ ſupra

*capite*

*apite tertio* de eſſentia diximus cujuslibet veri ac realis entis. Nam quia omnibus liquet, dari entia, quæ ſint propriiſſime ſic dictæ ſpecies, atque ideo accuratiſſimis omnibusque numeris perfectis definitionibus comprehendi ac explicari poſſint, unde rectiſſime iis tribuitur genus primario ac propriiſſime ſic dictum, item propriiſſime ſic dicta differentia ſpecifica: Eſt namque apud *Metaphyſicos* uſu receptum, ut genus propriiſſime ſic dictum ac differentia propriiſſime talis vocentur partes eſſentiales ſpeciei, quia eſſentiam ſpeciei recte & ſufficientiſſime perſpicimus, ſi primo genus proximum, vel etiam remotum cum omnibus intermediis differentiis, deinde differentiam eſſentialem ultimam vel maxime ſpecificam accuratiſſime perpendamus. Et quia *Metaphyſici* eſt ex profeſſo agere de eſſentia, iisque quæ ad eſſentiam pertinere dicuntur, factum inde eſt, ut *totum eſſentiale Metaphyſicum* quælibet rigoroſe ſic dicta ſpecies, *parteſque eſſentiales Metaphyſicæ* genus & differentia vocarentur.

II. Interim *totius eſſentialis Metaphyſici* nomine veniunt quoque ea, quæ per modum ſpecierum ſe habent, hoc eſt, quæ veræ quidem ſpecies non ſunt, propius tamen ad naturam ſpecierum accedunt, ceu ex doctrina de communibus ad unum quæ propius acce-

cedunt ad univoca ſupra *cap. 6. §. 2.* & tradita liquet. Nam utut communia a unum, quæ ad ſpecierum naturam accedun non habeant genus & differentiam rigoroſ ſic dicta, admittunt tamen duos conceptu eſſentiales, hoc eſt, neceſſarios, ut tamen eo rum ratio a priori dari nequeat, communem & proprium, quorum unus generi quodam modo reſpondet, alter ſpecificam differen tiam mentitur; hocque pacto hi duo conce ptus, quadantenus in partium Metaphyſica rum cenſum veniunt. Ita fuerunt & adhuc ſunt, qui quodammodo Deum totum eſſen tiale Metaphyſicum dici poſſe aſſeruerunt quia Deus ſpiritus eſt, quod prædicatum ſu modo Angeli & animæ rationales partici pant; ſpiritus eſt completus, quod prædica tum certa ratione cum Angelis commune ha bet. Spiritus eſt *a ſeipſo ſubſiſtens*, quod d nullo ente, ſicque etiam de nullo ſpiritu d poteſt. Eadem facilitate patet, qua ratio n Angeli, item quo pacto ſubſtantiæ incom pletæ, tum quæ ſpiritualis eſſentiæ ſunt, tu aliæ quævis ad totorum Metaphyſicorum claſſem reduci queant.

III. Præcipua difficultas doctrinæ de t*to eſſentiali Metaphyſico* in eo conſiſtere v debatur, quod ſupra §. 3. dixerimus, ad om totum requiri plurium entium realium realiter diſtinctorum unionem, totumq

Digitized by Google

nihil aliud eſſe in rei veritate, quam compoſitum: At quomodo genus & differentia, item quæ quodammodo per modum generis & differentiæ ſe habent, admittere poterunt compoſitionem, cum nec in ſe nec ab eo, cujus partes eſſentiales Metaphyſicæ appellantur, realiter differant? Facilis vero reſponſio evadit, modo attendatur, *noſtro modo concipiendi totum* vocari *totum eſſentiale Metaphyſicum*, ſicque noſtro modo concipiendi dicere compoſitionem. Eſt igitur *compoſitio realis* & *rationis*. *Realem compoſitionem* ejusq; requiſita antea expreſſimus ac definivimus. *Rationis compoſitio* inde oritur, quando ſcilicet ratio noſtra ob imperfectionem ſuam nequit uno eodemque actu percipere ac dijudicare ea, quæ reipſa unum idemque ſunt, ac de uno eodemque cum quo itidem realiter unum ſunt, cognoſci poſſunt ac debent. V. gr. (ut rudi & ubivis obvio exemplo utamur) animal & rationale de homine eſſentialiter prædicantur, atque cum inter ſe tum cum homine realiter unum idemque ſunt, ideoque nulla datur realis compoſitio hominis ex animali & rationali, aut humanitatis ex animalitate & rationalitate. Interim fieri nullo modo poteſt, ut intellectus meus unico actu cognoſcat hominem ut animal, & hominem ut rationalem, ſeu quod tandem eodem redit, non poteſt intellectus meus ani-

malitatem ut animalitatem & rationalitatem ut rationalitatem de homine uno plane eodemque actu cognoſcere: Dum enim animalitatem qua talem de homine cognoſco, hominem conſidero in ordine ad actus ſentiendi; Dum vero rationalitatem qua talem perſpicio, hominem ſpecto in ordine ad actus ratiocinandi: Pater igitur, quid compoſitio rationis vocetur, a qua nihil denominari poteſt compoſitum, quia compoſitum compoſitione rationis non eſt compoſitum, utut cum addito tale vocetur.

IV. Ita nemo eſt qui neſcit inter abſtractum & concretum diſtingvere: Omnium vero conſenſu abſtractum dicitur habere ſimplicem, concretum vero compoſitum ſignificandi modum. Interim multa concreta notant adhuc rem plane ſimplicem, ut compoſitus ſignificandi modus talis dicatur in ordine ad rationem noſtram, nihilque ſæpe notet, quam rationis compoſitionem.

V. Unde quia rationis compoſitio intrinſece denominat rationem, extrinſece vero denominat objectum, quod ratione compoſitum dicitur: quisque qui modo vult, capere poteſt, nullam imperfectionem in Deum cadere, utut ratione compoſitum Deum dicas. Equidem veriſſimum manet, quod rationis compoſitio ſemper ſit imperfectio, non tamen niſi ex parte ejus in quo eſt: Jam vero nul-

Digitized by Google

nulla rationis compoſitio eſt in Deo, ſed rationis compoſitio ſemper eſt in intellectu creato, ipſeque Deus ſaltem objectum eſt compoſitionis rationis. Profecto ſi adeo perfectus intellectus creatus eſſet, ut unico actu omnia, quæ uni eidemque rei competunt, cognoſcere poſſet, nulla amplius compoſitio rationis locum habitura eſſet, nec ea opus foret. Igitur compoſitio rationis unde Deus ratione compoſitus dicitur, imperfectionem noſtri intellectus unice arguit, qui pluribus actibus opus habet, ut cognoſcat de DEO, quæ ex lumine naturæ cognoſci poſſunt, ſi vel maxime ea ſaltem cognoſcere velit, quorum ratio a priori haberi nequit, utut Deo veriſſime conveniant, ac neceſſario & evidenter.

VI. Nec eſt quod urgeatur, ſicut compoſitio rationis eſt imperfectio, ita ratione compoſitum dicendum eſſe imperfectum. Nam quod ratione compoſitum dicitur, quatenus tale vocatur, non per intrinſecam, ſed per extrinſecam denominationem ſic appellatur; Hinc quando Deus ratione compoſitus nuncupatur, nihil aliud innuitur, quam quod ab intellectu noſtro uno eodemque actu diſtincte ac perfecte nequeant concipi ac cognoſci, quæ ex naturæ lumine de Deo cognoſci poſſunt.

VII. Fieri poteſt ut una eademque res



Digitized by Google

nunc ut *totum eſſentiale Phyſicum*, nunc ut *totum eſſentiale Metaphyſicum* ſpectetur: E. gr. quia homo habet partes eſſentiales Phyſicas, corpus & animam, ideo *totum eſſentiale Phyſicum*; & quia rectiſſime genus & differentiam ei attribuimus, ideo *totum eſſentiale Metaphyſicum* nominatur. Hinc nihil repugnat, quo minus duæ unius rei diſtinctæ definitiones eſſentiales dari poſſint, quando nunc ut totum eſſentiale Phyſicum, nunc ut totum eſſentiale Metaphyſicum definitur, quod non ita accipiendum eſt ac ſi una eademque res diverſas habere poſſit eſſentias: Hoc enim fieri nequit, ſed ſufficit, ſi una eademque eſſentia diverſimode concipiatur.

VIII. Hoc igitur ex antea dictis liquere poteſt, quod *partes eſſentiales Phyſicæ* & a ſe invicem & a *toto eſſentiali Phyſico* realiter differant, nec de ſe invicem nec de toto in caſu recto prædicari poſſint, cum e contrario *partes eſſentiales Metaphyſicæ*, nec inter ſe nec a *toto eſſentiali Metaphyſico* realiter differant, & tum de ſe invicem, tum de toto in caſu recto prædicari ſalva veritate poſſint, ſive partes eſſentiales Metaphyſicæ concretis vocabulis, ut: animal & rationale reſpectu hominis; ſive abſtractis, ut: animalitas & rationalitas reſpectu humanitatis efferantur.

## §. 7. *Totum integrale prima-ri...*

*rio ac proprie ſic dictum* vocatur etiam a *Scholaſticis* barbaro nomine *totum quantitativum* a quantitate proprie ac recte ſic dicta, quæ dicit extenſionem, eſtque proprietas corporis naturalis. Etenim accuratiſſime loquendo omne corpus naturale & ſolum corpus naturale tale totum eſt & dicitur, idque propter recte definitur totum integrale, quod ſit *ens, cujus quantitas conſtituitur quantitate eorum, quæ continet, ut ſint unum per ſe:* E. gr. totum integrale homo dicitur, cujus partium extenſionem, e. g. longitudinem, latitudinem & profunditatem capitis, ventris &c. ſi ſpectes, ſic potes definire totius hominis extenſionem, h. e. quantitatem. Toti integrali opponitur *pars integrans*, ſi *Scholaſticorum* vocabulo uti liceat, quæ eſt *ens, cujus quantitas*

*una cum aliorum entium quantitate (quæ ſcilicet una cum ipſo continentur, ut ſint unum per ſe, quod integrale vocatur) quantitatem ſic dicti totius integralis abſolvit,* e. g. hominis caput, venter, brachia, pedes &c.

*N O T Æ.*

I. *Totum integrale* dividitur *in ſimilare & diſſimilare : Illud* eſt, *cujus omnes partes ſunt ejusdem rationis* : e. gr. omnes partes auri ſunt ejusdem rationis. *Hoc* nuncupatur, *cujus partes non ſunt ejusdem rationis*, e. gr. caput, venter & reliquæ partes integrantes hominis non ſunt ejusdem rationis.

II. Uti *totius eſſentialis Metaphyſici*, ita & *totius integralis ſecundario & analogice ſic dicti* ampliſſimus uſus eſt in *diſciplinis practicis, ipſaque Theologia ac Jurisprudentia* : E. gr. in Moralibus analogice totum integrale dicitur pœnitentia, ſatisfactio, culpa, conſcientia, & quæ id genus innumera ſunt. Sic in Politicis quælibet ſocietas nomine totius integralis venit. In Theologia tota Eccleſia reſpectu ad hanc notionem habito conſideratur: Nunc enim *totum integrale diſſimilare* analogice nuncupatur, ſi membra totius Eccleſiæ ratione officiorum ac profeſſionum

num (ratione formæ externæ, ut *Theologi* loquuntur) ſpectemus: magis vero nomen *totius integralis ſimilaris* meretur Eccleſia, ſi veram Eccleſiam conſideres ratione formæ internæ, ut *Theologi* loqui amant; Una namque omnium ac ſingulorum membrorum veræ Eccleſiæ forma eſt, quia una eſt fides. Sic Sacramentum *totius integralis* denominationem incurrit, quo ſenſu *Irenæus* Sacramentum Cœnæ totum quoddam duplici re terrena ac duplici re cœleſti conſtans vocaverat. In *Iuriſprudentia forenſi* frequens hujus notionis applicatio occurrit, ut quando totus proceſſus, totus contractus, totum negotium &c. perſpiciuntur. Ita jura civilia gentium & naturalia triplex totum jus abſolvunt.

§. 8. *Totum univerſale eſt quodvis univerſale reſpectu inferiorum ſuorum, quæ ideo partes ſubjectivæ vocantur.* E. gr. animal totum univerſale eſt, partes ejus ſubjectivæ ſunt homo & brutum.

*N O T Æ.*

I. *Totius univerſalis* doctrina difficultate caret. Quodvis enim univerſale reſpectu in-

feriorum ſuorum *totum univerſale* in Scholis appellatur, ipſaque inferiora in ordine ad univerſale iſtud, ſub quo contineri dicuntur, *partium ſubjectivarum* titulo a Scholaſticis cenſentur: E. gr. Rationale eſt totum univerſale, cujus partes ſubjectivæ ſunt hoc, illud, iſtud rationale. Quot igitur univerſalia dantur, tot ſpecies totve modi totius univerſalis haberi poſſunt. Nihil interim facilius eſt, quam capere rationem, ob quam totum univerſale ex numero eorum, quibus ratio totius proprie ac primario attribuitur, exeſſe jubeatur. Proprie enim & primario ſic dictum totum (ut ſupra monuimus) realiter inadæquate (h. e. reali diſtinctione inadæquata) differt a qualibet parte ſua: At univerſale a ſuis inferioribus, de quibus ſalva veritate prædicatur, realiter non differt, & quod præcipuum, totum proprie ac primario tale partes continet in ſe: at univerſale totum non in ſe, ſed ſub ſe partes continere dicitur.

II. Sub ſe *totum univerſale partes ſubjectivas* continere dicitur, quatenus de illis prædicari ſalva veritate poteſt, unde *ſubjectivæ partes* dicuntur inferiora, quia in ipſis prædicationibus fiunt ſubjecta, ut totum univerſale ſemper prædicatum maneat: E. gr. quando dico: homo eſt animal, & brutum eſt animal.

§. 9. To-

Digitized by Google

§. 9. *Totum potentiale* dicit σύλληψιν δυνάμεων. ***complexum potentiarum omnium & ſingularum,*** quibus id, quod propterea totum potentiale vocatur, abſolvitur, e. gr. tota anima.

*N O T Æ.*

I. *Totum potentiale* communiter vocari ſolet *totum poteſtativum*. Interim ſi rigoroſe philoſophari velis, aliud erit *totum potentiale*, aliud *totum poteſtativum*, quandoquidem aliud eſt δύναμις potentia, aliud ἐξουσία poteſtas, quâ de re ſupra *capite* X. §. 8. p. 176. & *ſeqq.* egimus: e. gr. latro dum aggreditur viatorem, potentiam aggrediendi ac occidendi habet, poteſtatem minime: viator vero viribus ſeu potentia deſtitutus, poteſtate per vim ſeſe defendendi gaudet. Et licet poteſtas quandoque potentiæ moralis aut civilis nomine veniat, non tamen facile quælibet potentia poteſtas dicetur.

II. Uſum haud vulgarem notio *totius poteſtativi in diſciplinis practicis* invenit: Ita ad imitationem doctrinæ de anima, quam nempe σύλληψιν τῶν δυνάμεων diximus, Majeſtas σύλληψις τῶν ἐξουσιῶν dici poteſt: Ita in Theologia imago Dei pro actu primo & generalius ſumta: (item fides ſalvifica pro actu primo

mo accepta, ut longe plura taceamus exempla ) σύλληψιν τῶν δυνάμεων notat.

III. Hac occaſione factum eſt, ut inter *totum potentiale Phyſicum* & *totum potentiale morale* in Scholis diſtingueretur.

IV. Fuerunt, qui animam in uno eodemque homine totum potentiale noluerunt dicere, moti hac ratione, quod partes animæ in homine, quæ potentiæ vocantur, ſint longe diverſiſſimæ rationis ac diverſiſſimæ eſſentiæ, cum aliæ ſint materiales; aliæ immateriales: Alios tamen hæc ratio nondum movet, qui in contrarium inſtantiæ loco urgent, quod totum per ſe ac unum quid maneat homo, utut ex parte (corporis) materialis ſit, ex parte ( potentiarum animæ homini propriarum ) immaterialis.

§. 10. *Totum perfectionale dici ſolet, quod plures perfectiones continet, quæ qua tales continentur, ut ſint unum perfectum.*

*NOTÆ.*

I. Quisque videt aut de eſſentialibus aut de accidentalibus perfectionibus intelligi poſſe: Si illud, ante definivimus totum perfectionale, ut vocant, nihilque erit aliud, quam totum eſſentiale: Si hoc, ſecundario totum dicendum erit.

II. Totum perfectionale nunc totum

reale

reale, nunc totum rationis eſt: Sic quia Deus eſt infinitæ perfectionis, noſtraque ratio invenit fundamentum, vi cujus perfectiones Dei diſtinguat, utut quoad rem ſint ipſe Deus, ſano ſenſu totius perfectionalis nomine cenſeri poteſt, ſi totum rationis præciſe intelligas: Sic Deus nunc ſanctus, nunc juſtus, nunc verax &c. dicitur, quæ ſane prædicata arguunt perfectiones Dei ſine omni imperfectione, ut tamen hæ aliæque perfectiones in Deo ſint quoad rem Deus ipſe.

§. 11. *Totum ſubſiſtentiale eſt, quod continet eſſentiam & ſubſiſtentiam realiter inter ſe diſtinctas, ut ſint unum ſuppoſitum,* Græce ὑφιστάμενον. Inde etiam totum ὑποστατικὸν vocatur: Tale totum eſt quilibet noſtrum, utpote conſtans propria exiſtentia & propria ſubſiſtentia.

*NOTÆ.*

I. De toto ſubſiſtentiali, inqueprimis quod reale totum ſit ac per ſe, Philoſophus qua talis nunquam cogitaſſet, abſque Scripturæ revelatione ſi fuiſſet. At quia e S. literis nobis conſtat, filium Dei aſſumſiſſe humanam naturam propria ſubſiſtentia deſtitu-

tutam; (neminem quippe ſtudioſorum Theologiæ latet, in CHRISTO θεανθρώπῳ duæ realiter diſtinctæ naturæ: divina & humana; unitæ ſint, & ſubſiſtant unica ſubſiſtentia, quam ob cauſam unio duarum naturarum in Chriſto hypoſtatica dici ſolet a Theologis, ipſeque filius Dei humanam naturam in hypoſtaſin divinæ naturæ propriam aſſumſiſſe dicitur) facile erat hiſce *Theologorum* orthodoxis aſſertis *notiones Metaphyſicas* decenter applicare hunc in modum: Quorumcunque unum poteſt eſſe ſine altero, illa realiter differunt. Atqui humana natura poteſt eſſe ſine propria ſubſiſtentia. E. humana natura & ſubſiſtentia humanæ naturæ propria realiter differunt. Major propoſitio ab omnibus *Metaphyſicis* admittitur. Minorem uti diximus, docent *venerandi Theologi*, dum myſterium incarnationis explicant. Eo quoque *Patres* reſpexerunt, ſic loquentes: *Humanam naturam aſſumſit filius Dei, hominem non aſſumſit*; ac ſi dixiſſent, humanam naturam aſſumſit filius Dei carentem propria ſubſiſtentia. Amplius ſic proceditur: Ubi duo dantur realia ac realiter diſtincta, ut nemine cogitante ſint unita adeoq; unum, ibi compoſitum ibi totum datur. Atqui e.gr. in Petro dantur duo realia & realiter diſtincta, nempe humana Petri natura & ſubſiſtentia humanæ naturæ propria, ut ſint unum ſuppoſitum. Ergo.

De-

Denique quia ſubſiſtentia humanæ naturæ Petri propria per ſe ad hoc præciſe ordinatur, ut compleat humanam Petri naturam, eſtque per ſe humanæ Petri naturæ complementum, complementum proprium, inde inferimus: Petrum eſſe totum hypoſtaticum per ſe.

II. An præter meros homines aliæ dentur creaturæ, quæ totius hypoſtatici realis per ſe denominationem incurrere valeant, quæſtio eſt non tam utilis, quam ſolutu difficilis. Sunt qui ex loco Scripturæ, qui *Ebr. 2. 16.* extat: *Nusquam Angelos aſſumſit, ſed ſemen Abrahæ aſſumſit*; ita colligunt probabili ſaltem ratione: Potuiſſet Filius naturam Angelicam in ſuam hypoſtaſin aſſumere, hoc eſt in hypoſtaſin τῷ λόγῳ propriam, ut ita unio hypoſtatica duarum naturarum: divinæ & Angelicæ, futura fuiſſet, non vero unquam aſſumſit, ſed aſſumſit humanam naturam. Etſi hæc explicatio idonea eſſet, in quovis etiam angelo daretur compoſitio realis per ſe ex eſſentia & ſubſiſtentia. Sed nolumus his immorari.

§. 12. *Totum numerale* dicitur *numerus plurium entium, in quantum ſcilicet ea conſiderantur, ut nemine cogitante unum numerum relinqvunt*: e.g. elemento-

torum numerus ſemper eſt quaternarius, unde quatuor elementa dicuntur totum numerale. *Sicut* e contrario ipſa elementa, quatenus quodlibet eorum ſeorſim ſpectatur, & aliis annumeratur, partes numeratæ dici ſolent.

*N O T Æ.*

I. Nota omnibus eſt diſtinctio inter *numerum numerantem*, quem etiam *formalem* dicunt, atque *numerum numeratum*, quem etiam *materialem* appellant. Per hunc intelliguntur res & h. l. entia realia, e. g. ignis, aër, aqua, terra, quæ numerantur. Poteſt tamen numerus numerans etiam totum numerale vocari: Eſt enim numerus, quo numeramus, (ſi unitatem excipias, de qua id propter diſputatur, num numerus dici debeat, nec ne?) ſano ſenſu unum quid per aggregationem unitatum.

II. Quia ſæpius *Theologi* utuntur hac locutione: *Tota Sacroſancta Trinitas*, inde anſam disquirendi non pauci arripuerunt, qualis notio *totius* Sacroſanctæ Trinitati applicari commode poſſit, credideruntque graviſſimi viri, notionem totius numeralis optime hic adhiberi, ut tamen numerus numeratus intelligendus ſit, æque ac *Damaſcenus* dixit

tres

tres perſonas divinitatis citra mentis operationem enumeratione differre (latius enim patet: numero differre, quam eſſentia ſingulari differre; ordinemque naturalis enumerationis in SS. Trinitatis myſterio omnes Chriſtiani admittere neceſſum habent, cum Deus Pater non ſit ſecunda, nec tertia, ſed prima perſona. Filius Dei non prima, nec tertia, ſed ſecunda; Spiritus. S. non prima, nec ſecunda, ſed tertia Perſona) & præterea nunquam ex animo dimittatur diſtinctio inter prædicamentalem numerum & tranſcendentalem, quia de hoc non de illo ſermo eſſe poteſt, quando SS. Trinitas totius numeralis nomine cenſetur, ſobrio ſcilicet ac ſano ſenſu.

III. Quisque qui judicio uti novit, videbit facile, totum numerale qua tale dicere pluralitatem ſine compoſitione. Quod vero totum abſque compoſitione dicitur, rigoroſe philoſophando non eſt totum. Imo licet omnes partes rigoroſe ſic dicti totius numerari queant, unionemque realem dicant, non tamen eam dicunt nec requirunt, quatenus unum numerum abſolvant aut poſſunt abſolvere.

## §. 13. Effectus formalis veræ ac realis unionis eſt vera ac realis communicatio.

## NOTÆ.

I. Quia huc usque de unione vera ac reali tanquam ratione formali compoſiti actum eſt, lubet pauca de effectu formali ejus ſubjicere, quem etiam eſſentiale conſequens dicere ſolet.

II. In *Scholis Philoſophorum* invenire licet varios communicationis modos, nobisque octo in memoriam veniunt, quorum in ſcriptis ſuis hi illive auctores mentionem fecerunt, indeque eos licuit colligere. (1) Statuitur communicatio κατὰ μέθεξιν, quando e. g. humana natura communicata dicitur Petro & Paulo. (2) κατὰ συνεκδοχὴν, qua nempe proprium partis communicari dicitur toti, e. g. libertas voluntatis toti homini. (3) κατὰ μετέκβασιν, qua communicatum relicto communicante tranſit ad illud, cui communicatur: uti vox Doctoris, quæ communicatur auditoribus. (4) κατ' ἀλλοίωσιν, ſicut e. gr. præceptor eruditionem diſcipulo communicare dicitur. (5) κατὰ χρῆσιν, ut quando amicorum omnia communia dicuntur. (6) κατὰ μεταδίδωσιν, ceu magnes annulo ſibi contiguo communicat vim attrahendi ferrum. (7) κατὰ σύγχυσιν, qua proprium unius miſcibilis de toto dicitur mixto, ſicut hydromelli dulcedo ineſſe dicitur, quia melli convenit dulcedo. (8) κατὰ συνδύασιν, quando unius naturæ proprium communi-

catur

Digitized by Google

catur alteri naturæ realiter diſtinctæ ſine ulla naturarum confuſione aut exæquatione, ſine ulla proprii unius naturæ ab hac ad illam naturam transfuſione.

III. *Ariſtoteles* duos modos explicat & pro præcipuis venditat, nempe communicationem κατὰ μέθεξιν, quam nos primo loco, & communicationem κατὰ συνδύασιν, quam ultimo loco recenſuimus: Nec vero opus eſt, ut doceamus, non omnibus modis notionem communicationis æque attribui poſſe, cum res ipſa id loquatur.

IV. Uſum maximum habet hæc doctrina in *Theologia*, & quidem in materia de communicatione idiomatum. *Reformati* enim pro puro puto figmento habent omnibusque ſanioris Philoſophiæ principiis prorſus contrario, quando a *Theologis* noſtratibus docetur, propria divinæ naturæ Chriſti eſſe communicata humanæ Chriſti naturæ, inque primis in *Reformatorum ſcholis* urgetur duplex ratio, ceu prolixe docet & utraque ſibi immane quantum placet *Paulus Voet* Profeſſor in Academia Ultrajectina, qui *in prima Philoſophia Reformata c. 21. num. 7. pag. 507. & ſeqq.* videri poteſt. Una ratio eſt, quod ibi dari nequeant propria, ubi non dentur eſſentialia ſubjecti principia, cum negata cauſa negetur cauſatum. Secunda ratio huc redit, quod manifeſtiſſimam contradictionem im-

implicet proprium eſſe & manere, ſimul tamen commune cenſeri, quia ſic ſoli competeret, quatenus eſſet proprium, nec tamen competeret ſoli, quatenus commune eſſet. Ad 1. dicendum confundi communicationem κατὰ μετάκβασιν (de qua *Theologis orthodoxis* nullus eſt ſermo) cum communicatione κατὰ συνδύασιν, de qua in hac materia Theologica agitur. Ad 2. reſpondetur proprium poſt communicationem manere proprium, hoc eſt, ſoli, cujus proprium eſt, convenire immediate & primo, alteri vero hac ratione non convenire, utut conveniat ei κατ᾽ ἄλλο ſeu κατ᾽ ἄλλο τι πρῶτον, ut *Græci Philoſophi* loqvuntur, hoc eſt, mediante illo, cujus proprium dicebatur. Imo ſi quis rem recte ponderat & ſecum perpendit, fieri aliter non poſſe, quam ut illud ipſum, quod mediante unione alterum a ſe realiter diſtinctum perficit, eidem communicetur ac communicatum dici debeat vera ac reali communicatione, quia vera & realis datur unio, is facile capiet, in tali caſu neceſſario admittendam eſſe veram ac realem communicationem propriorum illius naturæ, a qua ſcilicet natura mediante reali unione altera natura perficiebatur, & quæ natura alteri communicabatur. Cavendum vero probe eſt, ne a communicatione ad prædicationem valere perpetuam conſequentiam cenſeas, qua de re alibi agitur.

CAPUT

# CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM

## DE

# NECESSARIO ET CONTINGENTE.

### §. I.

*NEceſſarium* dicimus, *quod aliter ſe habere nequit: Contingens, quod aliter ſe habere poteſt.*

NOTÆ.

I. *Neceſſarium* Scholaſtici duplex ſtatuunt: *Unum* dicunt *tale in eſſendo* , *alterum tale in non eſſendo* : *Neceſſarium in eſſendo* vocant, *quod ita eſt, ut non poſſit non eſſe*, ut: Deus. *Neceſſarium in non eſſendo* appellant , *quod ita non eſt, ut non poſſit eſſe*, ut: circulus quadratus.

II. Vel ex modo dictis liquere poteſt, cur de neceſſario & contingente agere neceſſarium ſit: Et quomodo quæſo accurata ſcientia, quæ ſane eſt de neceſſario, feliciter parabitur, niſi notiones neceſſarii in eſſendo & non eſſendo prius tibi aliisque reddideris perſpectas. Simul non difficile eſt perſpicere, quid moverit *Scholæ Doctores*, ut neceſſarium & contingens dicerent attributum disjunctum entis: Scilicet de neceſſario & contingente in eſſendo, non vero de neceſſitate & contin-

gentia quavis aſſertum intelligendum eſt, ut hic ſit ſenſus: *Omne ens eſt vel neceſſarium in eſſendo*, hoc eſt, actu eſt, ut non poſſit non eſſe actu; vel *contingens in eſſendo*, hoc eſt, ita eſt actu, ut poſſit non eſſe actu: Et vice verſa: quicquid eſt neceſſarium in eſſendo, eſt ens, quia actu eſt: quicquid eſt contingens in eſſendo, eſt ens, quia actu eſt. Nam niſi neceſſarium in eſſendo actu eſſet, aut plane non eſſet neceſſarium, aut non eſſet neceſſarium in eſſendo; & niſi contingens in eſſendo actu eſſet, non poſſet dici contingens in eſſendo. Accedit, quod neceſſarium & contingens primario dicatur & per prius de neceſſario & contingente in eſſendo, ſecundario & per poſterius de neceſſario & contingente in non eſſendo.

III. Itaque contingens itidem aliud dicetur *contingens in eſſendo, quod ita eſt, ut poſſit non eſſe*; aliud *contingens in non eſſendo, quod ita non eſt, ut poſſit eſſe*, e gr. roſa naribus tuis admota bonumque ſpirans odorem eſt contingens in eſſendo, roſa in hyeme eſt contingens in non eſſendo.

§. 2. Videamus igitur uſu frequentiores neceſſarii diſtinctiones: Et quidem *neceſſarium* diſtinguitur *in neceſſarium neceſſitate ab-*

*abſoluta* & *neceſſarium neceſſitate hypothetica. Neceſſitas abſoluta* dicitur, *quæ rei convenit ſecundum ſe & ex natura ſua*: E. gr. neceſſitas illa, qua DEus neceſſario eſt Spiritus, homo neceſſario eſt animal rationale, concubitus voluntarius cum aliena uxore neceſſario eſt turpis, ſervare promiſſum neceſſario eſt honeſtum &c. *Neceſſitas hypothetica* vocatur, *cum aliquid convenit rei, ſi nempe ejus natura in ſe ſpectetur, non neceſſario (ſed contingenter) facta tamen aliqua hypotheſi, non poteſt non ipſi convenire*, e. gr. neceſſitas illa, qua neceſſarium eſſe dicimus hominis motum localem, facta hac hypotheſi, quod currat, appellatur neceſſitas hypothetica.

*NOTÆ.*

I. Sane abſolute neceſſarium non eſt hominem currere, ſed contingit hominem cur-

rere: Pariter abſoluta neceſſitate neceſſarium non eſt, hominem localiter moveri, ſed contingit hominem localiter moveri. Interim ſi ponamus hominem jamjam *currere*, negari nequit, quod facta hac hypotheſi, hoc eſt, poſito, quod homo jam currat, neceſſarium ſit hominem moveri de loco ad locum. Si rationem quæras, cur facta curſus ſuppoſitione neceſſarium ſit, eum, qui currit, localiter moveri, ea in promtu eſt, nempe curſus abſoluta neceſſitate eſt motus localis. Utut ergo nemo abſoluta neceſſitate localiter moveatur, nec abſoluta neceſſitate quisquam currat, neceſſarium tamen eſt, eum moveri de loco ad locum, qui nempe currit, quia ut diximus curſus abſoluta neceſſitate eſt motus localis.

II. Ut magis conſtet de genuino *neceſſitatis hypothetica a neceſſitate abſoluta* diſcrimine, notetur amplius, quod *neceſſarium neceſſitate abſoluta* in ſe & ſua natura, non adhibita aliqua circumſtantia extrinſeca ſit immutabile, ut tamen e contrario *neceſſarium neceſſitate hypothetica* in ſe mutabile ſit, immutabile tamen fiat ex poſita circumſtantia aliqua extrinſeca: e. gr. abſolute neceſſarium eſt, Deum eſſe ſpiritum, hominem eſſe animal rationale, adulterium eſſe turpe, ſervare promiſſum eſſe honeſtum. Hæc enim ſi in ſe & ſua natura ſpectentur, nulla adhibita circum-

ſtan-

ſtantia extrinſeca, talia ſunt, qualia jamjam definiebantur, nec aliter ſe poſſunt habere: Nunquam enim poteſt Deus eſſe non ſpiritus, nunquam verus homo poteſt eſſe verus homo, niſi poſſit eſſe animal rationale, nunquam eſt verus homo, niſi ſit animal rationale. Voluntarius concubitus cum aliena uxore non datur, niſi ſit turpis &c. Contra homo datur, utut non currat, utut non moveatur de loco ad locum, non enim homo amittit ſuam naturam, nec homo eſſe deſinit, licet plane non currat, licet plane non moveatur de loco ad locum, neceſſarius tamen eſt motus localis hominis, poſita externa illa circumſtantia, quod homo currat, quæ ſane circumſtantia non eſt eſſentialis homini, nec ad naturam hominis ſpectat, nec ea ſublata, natura hominis mutatur aut tollitur.

§. 3. *Neceſſarium neceſſitate abſoluta* iterum duplex eſt, quia *duplex neceſſitas abſoluta* datur, una *ſimpliciter talis*, altera *in certo genere talis*: *Illa* eſt, *quæ convenit rei ſecundum ſe & ex natura ſua, ita ut nullo modo nulliusque intuitu poſſit non convenire*, e. g.

neceſſitas illa, qua DEus eſt Spiritus, homo eſt animal rationale, eſt neceſſitas ſimpliciter abſoluta. *Neceſſitas abſoluta in certo genere eſt, qua intuitu certi generis convenit rei ſecundum ſe & ex natura ſua, ita ut præciſe habito reſpectu ad iſtud genus non poſſit non convenire*, e.gr. in genere naturæ neceſſitas abſoluta igni tribuitur in ordine ad combuſtionem admotæ rei combuſtibilis, congreſſui maris & fœminæ in ordine ad hominis generationem.

## *NOTÆ.*

I. Naturaliter enim res aliter ſe habere nequit, quam ut ignis comburat admotam rem combuſtibilem, & ut congreſſus maris & fœminæ præcedat hominis generationem, utut per DEI abſolutam potentiam ignis in fornace Babylonica tres viros ſanctos ſatis eidem admotos nequaquam combuſſerit: utut etiam Chriſtus verus homo natus fuerit ſine maris concurſu, imo ſemen Abrahæ ex lapidibus quoque teſte *Scriptura Sacra* excitari poſſit.

II. Eſt

II. Eſt igitur *neceſſarium neceſſitate abſoluta ſimpliciter tali, quod eſt ſimpliciter & omnino immutabile nulloque modo ac nullius intuitu aliter ſe habere poteſt*: E. gr. ſimpliciter neceſſarium eſt neceſſitate abſoluta, DEum eſſe Spiritum, hominem eſſe animal rationale. *In certo genere neceſſarium neceſſitate abſoluta eſt, quod intuitu certi generis aliter ſe habere nequit, utut alio modo ſpectatum aliter ſe habere queat*: E. gr. in genere naturæ abſoluta neceſſitate neceſſarium eſt ignem conſumere admotam rem combuſtibilem: Item ut homo generetur, abſolute neceſſarius eſt maris & fœminæ congreſſus.

§. 4. Porro *neceſſarium neceſſitate abſoluta* aliud eſt *neceſſarium neceſſitate abſoluta contradictionis*, aliud vero *neceſſarium* eſt *neceſſitate contrarietatis*. *Neceſſitas contradictionis eſt, qua quid vel exiſtit, ut ſimpliciter impoſſibile ſit illud non exiſtere, vel non exiſtit, ut ſimpliciter impoſſibile ſit illud exiſtere*; Ita e. gr. prorſus ac ſimpliciter impoſſibile eſt DEum non eſſe actu ſeu non

ex-

exiſtere: E contrario ſimpliciter impoſſibile eſt ens rationis, e. gr. ſpiritum materialem exiſtere. *Neceſſitas contrarietatis eſt neceſſitas abſoluta, qua quid neceſſariam connexionem dicit cum altero, ita quidem ut ſi ſit, ſit ſimul alterum, ſi fuerit, fuerit alterum, ſi futurum ſit, futurum ſit alterum, ſi potuerit aut poſſit eſſe, non potuerit non aut non poſſit non eſſe alterum*, e. g. homo neceſſitate contrarietatis dicitur & eſt animal rationale.

*NOTÆ.*

I. Non enim homo eſt, niſi ſit animal rationale, non futurus eſt homo, nec fuit, niſi futurum ſit animal rationale & niſi fuerit, non poterit nec poteſt nec potuit eſſe homo, niſi potuerit, niſi poſſit eſſe animal rationale. Ut hoc vel illud ens ſit homo, neceſſum eſt, ipſum eſſe animal rationale. Imo ſi ab æterno homo fuiſſet (ſive hominem ab æterno eſſe potuiſſe affirmes ſive neges) ab æterno fuiſſet animal rationale.

II. Poteſt aliquid eſſe *neceſſarium neceſſitate*

*tate contrarietatis*, ut tamen non ſit *neceſſarium neceſſitate contradictionis*: Ita e. g. nec neceſſitate contradictionis neceſſarium eſt ignẽ exiſtere, nec neceſſarium eſt ignem calidum exiſtere, ſi hanc propoſitionem: neceſſarium non eſt ignem calidum exiſtere; ita explices: ignis qui plane non exiſtit, nec exiſtit calidus, nec exiſtit frigidus, quia plane non exiſtit: Hoc igitur ſenſu negari poteſt ſalva veritate, quod ignis neceſſitate exiſtentiæ ſit calidus, quia non neceſſum eſt calidum ignem exiſtere, cum omnis ignis ſit calidus, omnis vero ignis, adeoque omnis calidus ignis poſſit non exiſtere. Unde quia non implicat contradictionem, hoc eſt, abſolute non eſt impoſſibile ignem non exiſtere, ſicque calidum ignem non exiſtere, ſano defenditur ſenſu, neceſſitate contradictionis non eſſe neceſſarium calidum ignem exiſtere: Manet tamen neceſſarium neceſſitate contrarietatis ignem eſſe calidum, quia non eſt ignis, non poteſt eſſe ignis, niſi ſit calidus, niſi poſſit eſſe calidus, nec per DEI abſolutam potentiam ignis eſt, niſi ſit calidus, nec eſſe poteſt, niſi poſſit eſſe calidus.

III. Utut *neceſſitas contradictionis* latius pateat quam *neceſſitas exiſtentiæ*, ceu ex *ipſo* §. liquet, *primario* tamen *neceſſitas exiſtentiæ neceſſitas contradictionis* vocatur: Idem eſto judicium de neceſſario tali neceſſitate.

Ra-

Digitized by Google

Ratio, cur non æque late pateant, fundatur in diſtinctione inter neceſſarium in eſſendo & neceſſarium in non eſſendo.

IV. Uſus hujus doctrinæ in *Philoſophia Practica, Theologia* & *Jurisprudentia* ſupra *cap. 1. axiom. 1. a pag. 113. usque ad pag. 140.* prolixe monſtratus fuit, quo Benevolum Lectorem remittimus.

§. 5. *Neceſſarium neceſſitate abſoluta* iterum ſic diſtingui poteſt, ac ab accuratioris Philoſophiæ cultoribus debet, ut *aliud agnoſcat necesſitatis ſuæ abſolutæ rationem a priori*, *aliud* vero *non agnoſcat abſolutæ necesſitatis ſuæ rationem a priori*: E. gr. cur Deus ſit a ſeipſo, ratio a priori dari nequit, cur ſit æternus ratio a priori dari poteſt. Utrumque vero manet exemplum abſolutæ neceſſitatis.

*N O T Æ.*

I. Per *rationem a priori* intelligitur *cauſa*, uti ſumitur in *Analyticis*, ſive alias (ſi *Metaphyſicorum* terminis utamur) ſit ſimul *cauſa formaliter talis*, ſive *cauſa virtualis*, qua de re ſupra

ſupra *capite undecimo* ſat prolixe egimus. Eodem jure diſtingui poterat inter neceſſarium demonſtrabile & indemonſtrabile.

II. Quisque igitur, modo ſit homo alicujus judicii, ſatis perſpicere valet, quid ſentiendum ſit de ſequentibus aſſertis, quæ tamen ab hominibus in omni Analytica ac Metaphyſica doctrina rudibus pro oraculis ex Apollinis tripode profectis habentur & ſaltem non adorantur: *Moraliſtæ, Hugo Grotius, JCti, Theologi, Philoſophi communiter ſtatuunt, hoc discriminis eſſe inter ea, quæ naturali, & quæ poſitiva lege præcipiuntur aut vetantur, ut illa in ſe & ſua natura honeſta aut turpia ſint: hæc vero, per voluntatem & imperium legiſlatoris talia fieri dicatur. Et admiſiſſent hæc fortaſſe commodam explicationem, modo certum conſtituiſſent γνώρισμα, ex quo liquido conſtaret, an & cur aliquid in ſe eſſet honeſtum vel turpe. Id dum non fecerunt, neceſſum fuit provenire definitionem legis naturalis, quæ non poſſet non in circulum revolvi & petere id, quod eſt in principio. Si enim quæras ex iſtis hominibus, de quibusnam lege naturæ diſponatur? reſpondent; de iis quæ per ſe ſua natura honeſta & turpia ſunt. Sin ulterius quæras, quænam autem ſunt illa, per ſe & ſua natura honeſta vel turpia? nihil aliud habent, quod reſpondeant, quam ea de quibus lege naturæ diſponitur.* Item *Ex mente Velthemii iſtorumque hominum quæſtio*

*ſtio hæc: Cur hæc vel illa, quæ lege naturali præcipiuntur aut prohibentur, per ſe & ſua natura ſint honeſta aut turpia? inepte concipitur. Nam illi τὸ per ſe & ſua natura opponunt cuivis rationi a priori: ſeu quando aliquid per ſe & ſua natura honeſtum dicitur, nullam amplius rationem inquirendam putant, ſed plane in eo adquieſcere jubent. Unde & iidem clamant: honeſtum & turpe, quod per ſe tale dicitur, antecedenter ſe ad voluntatem Dei habere.* Nam qui vel ſola rudimenta Metaphyſicæ & Analyticæ doctrinæ novit, ei nihil facilius eſſe poteſt, quam hujus aſſerti vanitatem ac falſitatem redarguere. Quemadmodum enim in Metaphyſicis duplex abſoluta neceſſitas ſtatuitur: alia, quæ nullam agnoſcit ſui cauſam, hoc eſt, rationem a priori, qua probetur; alia, quæ agnoſcit talem cauſam: Ita vel in omnibus compendiis Analyticis proponuntur duo modi propoſitionum *per ſe*, cum illarum, quarum ratio a priori dari nequit, idque propter fruſtra inquiritur, quas eſſentiales vocant: tum harum, quarum ratio a priori dari poteſt, & omnino inquirenda eſt. Imo quemadmodum docere eſt rem per cauſam h.e. per rationem a priori tradere: Ita ubi doctrina de per ſe ac ſua natura talibus locum invenit, rationes a priori inquiri poſſunt ac debent. E. gr. quando in Moralibus quæritur: Cur DEUM odiſſe, αὐτοχειρίαν com-

committere, promiſſo cadere, ſint actus per ſe ac ſua natura turpes, ipſisque opoſiti actus ſint per ſe ac ſua natura honeſti? Omnino iſti, qui ſtatuunt legem naturalem per hoc differre ab aliis legibus poſitivis, quod diſponat de per ſe & ſua natura honeſtis vel turpibus, aliud habent quod reſpondeant, quam ut dicant, quia tales actus lege naturali præcipiuntur aut prohibentur. Poſſunt enim rationes a priori reddere, quibus ad hujusmodi quæſtiones ſolide reſpondeant, quas ſupra *capite XXXI. not. 2. ad §. 2. pag. 1616. & ſeqq.* tetigimus, Ad d. *caput XI.* Item *caput X. not. 2. & ſeqq. ad §. 5. pag. 627. & not. 3. ad §. 9. p. 693. & ſeqq.* Non igitur per majorem ſive ſtuporem ſive malitiam *Grotio* iisque manifeſtior abſurditas affingi poterat, atque ea eſt, quæ illis hic affingitur, Plura hac de re in axiomatibus præſentis capitis dicentur.

§. 6. *Contingens* (ut alias diſtinctiones prætermittamus) *triplex* eſt: *Contingens plerumq;* e. gr. hominem naſci nono menſe, in diebus canicularibus magnos eſſe ardores &c. *Contingens æque* e. gr. hominem nunc loqui nunc ta-

cere, item nunc ſtare, nunc ſede-re, item nunc moveri de loco ad locum, nunc quieſcere. *Contin-gens raro* e. gr. hominem naſci ſep-timo aut undecimo menſe, vel eti-am ſub duodecimi initium, item hominem naſci ſex digitis in una manu &c.

*NOTÆ.*

I. Qua ratione omnis neceſſitas hypo-thetica ſtet cum contingentia, ut Scholæ lo-qvuntur, hoc eſt abſolutæ neceſſitati contra-diſtingui, nec cum ea confundi debeat, forte ex ſuperioribus ſatis perſpicere licuit.

II. Falluntur, qui nullam plane ſcienti-am contingentium admittunt, nam *contin-gentia ut plurimum*, quia (ut eleganter & re-cte monet *Ariſtoteles*) ſunt ὡρισμένα, omni-no nihil repugnat, quo minus quorundam contingentium ſcientia detur. Ita ſcimus nono menſe excludi fœtum humanum, utut quandoque aliter contingat: ſi enim contin-gat aliter, rationes quærere poſſumus, cur aliter contigerit, forte quia alimenta defece-rant, ſicque propter eorum defectum nimis vegetus fœtus partum acceleraverat, aut quia ligamenta uteri in certo caſu fuerant diſrupta, quibus fœtus alligabatur.

III.

Digitized by Google

III. Habet doctrina de *contingentibus utplurimum* inſignem uſum, cum in *Politicis* & *Moralibus*, (magis vero in illis quam in his) item in *Theologia* & *Jurisprudentia*, cum multæ de contingentibus demonſtrationes, quæ ideo demonſtrationes ſequioris ordinis vocantur, ibidem occurrant, qua de re celeberrimus *Conringius* in ſuo *de prudentia civili* libro accurate diſſeruit, dum in *Politicis* demonſtrationes dari poſſe integro *capite octavo* abunde probatum dedit, qui conſulatur.

# Caput Trigesimum Nonum

## *De* UNIVERSALI ET SINGULARI.

### §. I.

Univerſale eſt, *quod nemine cogitante ſuapte natura ita aptum eſt competere pluribus entibus, ut de illis ſalva veritate ac proprie prædicari poſſit*: e. gr. animal. *Singulare eſt, quod ſuapte natura pluribus entibus competere nequit, ita ut de illis ſalva veritate ac proprie prædicari poſſit*: e. gr. Petrus.

## NOTÆ.

I. De nimia hujus notionis ambiguitate aliquid monendum erit. Nempe univerſale in largiſſima ſua ſignificatione notat unum ad multa pertinens, ſeu unum ad plura ordinem ſeu habitudinem dicens. Jam quisque perſpicit, pro ordinum ac habitudinum varietate variare univerſalis ſignificationem. Ita e. gr. nomen quod plura ſignificat, dicit ordinem ſigni ad plura ſignata, e. gr. animal ſignificat hominem & brutum, hinc datur *univerſale in ſignificando*. Rurſus accidit, ut unum plura repræſentet, & a repræſentationis nomine denominetur *univerſale in repræſentando*: Exemplo eſto conceptus animalis ut ſic, qui ſane repræſentat ſuo modo omnia quæ ſub animali continentur. Evenit iterum, ut unum importet ordinem cauſæ ad plura cauſata, indeque ſubeat denominationem *univerſalis in cauſando* (ſic loqvuntur *Scholaſtici*) ſeu *cauſæ univerſalis*, e. g. materia apta nata eſt pro variis diſpoſitionibus recipere varias formas, ideo dici ſolet materia univerſalis: Hoc ſenſu DEus *cauſa univerſaliſſima* in Scholis vocatur. Fit viciſſim, ut aliquid importet ordinem eſſendi (ut vocant) ad plura, hoc eſt, ut pluribus ſine ſui multiplicatione aptum ſit ineſſe nemine cogitante, ſic datur *univerſale in eſſendo*, cui conſequens eſt, ut dicat ordinem præ-

Digitized by Google

prædicationis ad plura, hoc eſt, ut ſalva veritate de pluribus prædicari poſſit, ſicque denominatur *univerſale in prædicando*. Primario igitur & maxime in *Metaphyſicis* univerſale dicitur *univerſale in eſſendo*, hocq; hujus loci & tractationis eſt. Abſit interim, ut exiſtimemus omnes univerſalis ſignificationes hic a nobis fuiſſe traditas, cum pauciſſimas indixerimus; Quis enim quoslibet ordines ad plura jam recenſere vellet, & cui uſui hæc enumeratio foret? Ita frequens eſt diſtinctio inter univerſale incomplexum & complexum: Univerſale complexum eſt propoſitio, quæ univerſalis vocatur, vel ratione formæ, quia juſto loco præfixum habet ſignum univerſale; vel ratione materiæ, quia (ſive ſignum univerſale præpoſitum ſit, ſive minime) prædicatum in tali prædicatione omni ſubjecto ſemper ac neceſſario competit. Inde diſtinxerunt Scholaſtici univerſale complexum in prioriſticum & poſterioriſticum, quia nempe de univerſali ratione formæ in *prioribus Analyticorum libris*, de univerſali vero ratione materiæ ſeu propoſitione κατὰ παντὸς in *poſterioribus libris Analyticorum Ariſtoteles* egit.

II. Utut vero lubentiſſime largiamur omne illud, quod exiſtit eo ipſo quod exiſtit, eſſe ſingulare, quod cõmuniter agnoſcunt *Schola Doctores*, dum exiſtentiam per actualitatem

rei ſingularis definiunt: Haud interim difficile eſt probatum dare, quod univerſale formaliter ſpectatum ſit reale quid? Nam vel hoc ipſum ſufficere probationis loco poterat, quod nemine cogitante longe major laxiorque diſtinctio detur, e.gr. inter Petrum & Bucephalum, quam inter Petrum & Paulum, cum tamen numero & realiter differant inter ſe Petrus & Paulus, item Petrus & Bucephalus: Si igitur eſſentia ſingulari nemine cogitante Petrus a Paulo differt, differt quoque eſſentia ſingulari nemine cogitante a Bucephalo, ſponte ſua relinquitur, magis differre citra mentis operationem Petrum a Bucephalo, quam ut ſola eſſentia ſingulari ab eo diſtinctus dicatur. Hoc jamjam conceſſo, cen omnino concedendum eſt, ſimul admittendum venit, dari præter unitatem realem numericam ſeu ſingularem, aliam unitatem realem, quam univerſalem vocant.

III. Res clarior evadit, ſi probe ponderemus, univerſale formaliter ſpectatum, uti hujus tractationis eſt & univerſale in eſſendo dicitur, duobus abſolvi conceptibus: (1) enim dicit *unitatem.* (2) *communitatem cum ſui multiplicatione*: Uterque vero conceptus univerſali citra mentis operationem certe convenit: Ita e. g. nemine cogitante unius naturæ ſeu eſſentiæ ſunt Petrus & Paulus, nec tamen unius eſſentiæ ſingularis individua dici

lici poſſunt; imo nemo hoc negaverit, quod Petrus & Paulus ſint unius ſpeciei. Ergo unitas ſpecifica realis datur. Pariter facillimo negotio doceri communitas naturæ humanæ cum ſui multiplicatione in Petro & Paulo poteſt: habet enim Petrus nemine cogitante naturam humanam, habet itidem Paulus naturam humanam nemine cogitante, nec tamen unam numero naturam humanam habent. Ergo habent naturam humanam communem, & quia in Petro & Paulo duæ realiter diſtinctæ naturæ humanæ dantur, utique locus multiplicationi naturæ humanæ relinquendus eſt. His ita ſtantibus, unitas univerſalis & communitas (quibus tamen univerſale formaliter ſpectatum abſolvitur) non poſſunt non admitti citra mentis operationem.

IV. De cætero neutiquam quælibet communitas ſufficit ad univerſalitatem realem, utut realis communitas ſit, requiritur ſimul, ut ſit communitas cum multiplicatione ejus, quod unum in pluribus, idque propter unum communicabile vocatur, communicabile ſcilicet cum ſui multiplicatione. Unde non eſt, quod dubitemus: Num Deus ſingulare, an univerſale in eſſendo dici debeat? Nam licet eſſentia divina (ceu myſterium SS. Trinitatis nobis indicat) ſit nemine cogitante tribus realiter diſtinctis perſonis communis,

communis tamen iis eſt ſine ſui multiplicatione; manet enim eſſentia divina ſimplicisſime una.

V. Non improbamus Scholæ Doctores, quando diſtinxerunt inter *univerſale* & inter *id, quod habet ſe quadantenus per modum univerſalis*, utut adhuc ſit & maneat ſingulare: Nam in eo ſane convenit eſſentia divina cum univerſali, quod quemadmodum univerſale pluribus commune eſt, ſic eſſentia divina ſit communis pluribus perſonis citra omnem mentis operationem: Non tamen hæc communitas, uti modo diximus, a qua ſcilicet eſſentia divina communis denominatur, ſtare cum multiplicatione poteſt, qualis certe communitas ad univerſale requiritur.

VI. Non confundi debent commune & communicabile: Ita ſi unicum individuum humanum ſupereſſet, natura humana non eſſet cum ſui multiplicatione communis, quia pluribus non conveniret actu: dicendum tamen adhuc eſſet, fieri poſſe, ut humana natura cum ſui multiplicatione communicetur pluribus, ſi plura iterum ſuppoſita inciperent exiſtere. Et hoc movit nonnullos Philoſophos, ut univerſale monadicum (ceu vocant, quale e. gr. foret humana natura, ſi unicus homo viveret) negarent eſſe actu univerſale.

§. 2.

**§. 2. Univerſalitatem eſſendi neceſſario prædicabilitas conſequitur, hocque ſenſu in accuratiorum Philoſophorum ſcholis prædicabilitas eſſentiale conſequens univerſalis dici ſolet.**

*NOTÆ.*

I. Ratio hujus neceſſariæ connexionis facillime monſtrari poteſt. Quæ enim nemine cogitante unum ſunt (maxime ſi non ſimul ſint formaliter unum) eorum unum utique de altero in caſu recto prædicari ſalva veritate poteſt: Dici namque prærequirit ineſſe, & ab eo quod res eſt, dicitur prædicatio vera: Ita e. gr. formaliter quidem differunt homo & animal, brutum & animal, quia differunt ut ſpecies a ſuo genere, nemine tamen cogitante homo & brutum unum genus conſtituunt nempe animal, unde non poteſt non animal de homine & bruto prædicari.

II. Diſtinguendum tamen hic eſt inter univerſale ſpectatum in ordine ad ſua inferiora, in quibus unum eſt cum ſui multiplicatione, & ſpectatum in ordine ad inferiora non tamen ſua, hoc eſt, in quibus non eſt unum cum ſui multiplicatione: Priori namque modo ſpectari debet univerſale, ſi eſſen-



Digitized by Google

tiale conſequens ejus prædicabilitas dici debeat. Alias e. gr. animal & hæc roſa, homo & Bucephalus habent ſe ut univerſale & ſingulare, nectamen animal de hac roſa aut homo de Bucephalo ſalva veritate prædicari poteſt.

§. 3. *Univerſale* (in eſſendo) *duplex* eſt: Vel enim eſt unum in pluribus cum ſui multiplicatione, ut ad eorum, in quibus eſt unum, eſſentiam ſpectet; vel ut ad eſſentiam eorum non ſpectet: Priori modo dicitur *univerſale eſſentiale*; ut animal reſpectu hominis & bruti: Poſteriori modo *univerſale accidentale* nuncupatur, ut: album reſpectu hujus & iſtius ſcamni.

§. 4. *Univerſale eſſentiale* rurſus duplex eſt, vel enim dicit totam eſſentiam illorum, in quibus eſt unum cum ſui multiplicatione, & ſic eſt *ſpecies ſpecialisſima*: ut: homo reſpectu Petri & Pauli; vel partem eſſentiæ eorum arguit, in quibus

bus unum eſt cum ſui multiplicatione, ſicque a Metaphyſicis dici ſolet *univerſale (eſſentiale) incompletum*, qui e contrario ſpeciem ſpecialiſſimam (*univerſale*) *eſſentiale completum* nuncupant. *Univerſale incompletum* rurſus duplex eſt, vel enim dicit partem eſſentiæ communem, vel partem eſſentiæ ultimam & maxime propriam: Si partem eſſentiæ communem dicit, eſt *genus vel differentia generica*, ut: animal reſpectu hominis & bruti, item ſentiens reſpectu hominis & bruti; Si partem eſſentiæ ultimam & maxime propriam notat, eſt *differentia ſpecifica*, ut: rationale reſpectu Petri & Pauli.

*N O T A.*

Non eſt, quod objicias: Sentiens dicit ultimam & maxime propriam differentiam, nec tamen eſt differentia ſpecifica, ſed differentia generis, quia eſt differentia ultima animalis. Ergo non ſatis caute doctrina diviſio-

ſio-

Digitized by Google

ſionis in hoc ipſo §. fuit propoſita. Nam facillima reſponſio eſt: Quippe univerſale in eſſendo nunc non conſideravimus, niſi ut eſt univerſale: Jam vero licet e. gr. *ſentiens* ſit ultima differentia animalis & maxime propria, non tamen ſentiens reſpectu animalis eſt univerſale: Si enim ſentiens ſpectetur ut ultima differentia hujus generis, nempe animalis, ſic nullius alterius rei differentia ultima dici poteſt, quia ſolius hujus generis ultima differentia eſt. Non eſt quod regeras, ſentiens eſſe quoque differentiam hominis & bruti: Nam dicimus eſſe differentiam hominis & bruti, non vero ultimam & maxime propriam.

§. 5. *Univerſale accidentale* rurſus *duplex* eſt: Vel enim unum in pluribus cum ſui multiplicatione neceſſario eſt: vel eſt unum in pluribus cum ſui multiplicatione, non tamen neceſſario, ſed contingenter. Si prius, vocatur *univerſale accidentale neceſſarium*: Si poſterius, *univerſale contingens* dicitur: E.gr. univerſale neceſſariū, tamen accidentale, eſt docile reſpectu

ctu Petri & Pauli: Contra contingens univerſale eſt doctum reſpectu Petri & Pauli.

*NOTÆ.*

I. Valet: Hoc eſt *univerſale contingens*. E eſt *univerſale accidentale*. Non valet contra: Hoc eſt *univerſale accidentale* E. eſt *univerſale contingens*. Nam datur etiam *univerſale accidentale neceſſarium*.

II. Pari ratione valet: Hoc eſt *univerſale eſſentiale* E. eſt *neceſſarium univerſale*: Non valet vice verſa: Hoc eſt *uuiverſale neceſſarium* E. eſt *univerſale eſſentiale*.

III. Sunt, qui *univerſale neceſſarium*, ſi ſimul ſit *accidentale*, vocant uno nomine *proprium*. Hoc ipſum in ſenſu diviſo verum manet, falſum tamen eſt in ſenſu compoſito: Implicat enim contradictionem proprium ut proprium eſſe univerſale: Ratio eſt, quia proprium ut proprium ſoli competit, eſtque unum in uno: univerſale vero ut univerſale eſt unum in pluribus.

§. 6. Univerſali in eſſendo opponitur *ſingulare in eſſendo*: Dicitur vero abſolute & primario ſingulare in eſſendo, *quod unum in pluribus cum ſui multiplicatione eſſe*

*eſſe nequit* : e. gr. Petrus, Bucephalus.

## NOTÆ.

I. Interim ſecundario & per poſterius ac cum addito ſingulare quoque vocari ſolet, quod non in tam multis cum ſui multiplicatione unum eſſe poteſt, atque aliud quoddam univerſale in eſſendo : Ita e. gr. homo notionem univerſalis in eſſendo ſuſtinet, ſi ſpectetur in ordine ad individua tanquam inferiora ſua, Petrum, Paulum, &c. Si tamen homo comparetur cum animali, ſub quo continetur, reſpectu animalis non eſt univerſale, duplicem ob cauſam (1) quia inferius quid eſt animali. (2) quia humana natura ſaltem in pluribus individuis una cum ſui multiplicatione eſſe poteſt, cum animal etiam cum ſui multiplicatione unum ſit in pluribus ſpeciebus.

II. Uti ſupra monuimus, immane quantum variare notionem univerſalis, ita idem de ſingulari dictum eſto : Poteſt namque aliud dici ſingulare in ſignificando, aliud ſingulare in repræſentando, aliud ſingulare in cauſando, aliud ſingulare in eſſendo : E. gr. in eſſendo DEus eſt ſingulare, in cauſando tamen univerſale, eſt namque Deus maxime ſubſtantia prima, maxime quoque cauſa univerſalis.

III. *Singulare* eſt vel *communicabile*, ut: DEus;

us, quia eſſentia divina nemine cogitante communis eſt tribus realiter inter ſe diſtinctis perſonis divinitatis: vel *incommunicabile*, ut: Petrus. Bene notandum eſt, omne ſingulare eſſe incommunicabile, ſi incommunicabile ſumatur in oppoſitione ad communicabile cum ſui multiplicatione: Interim DEum dicimus ſingulare communicabile ſine ſui multiplicatione.

IV. Si unum in pluribus abſolute ſumatur, prout nempe idem eſt ac in pluribus entibus, DEus reſpectu Patris, Filii & Spiritus S. non poterit dici unum in pluribus entibus, cum tres perſonæ divinitatis ſint unum numero ens, unum in eſſentia, verus DEus: Verus autem DEus in eſſentia unus eſt.

## CAPUT QUADRAGESIMUM
### De
# DEPENDENTE & INDEPENDENTE.

## §. I.

In communi definire velle, quid ſint dependens & dependentia, ut hæc definitio exacta ſit, fortaſſis erit laterem lavare, quia adeo magna eſt harum notionum communitas

nitas ac varietas. Interim ſi quodammodo dici poteſt ac debet, quid vocetur dependens, celeberrimis viris ac accuratis Philoſophis viſum fuit, ac ſi dependens *idem* ſit quod *alterum ad ſui rationem exigens*, ut ita in abſtracto *dependentia* ſit *unius ad alterum exigentia*, ceu Scholæ loqvuntur.

*NOTÆ.*

I. Omnem dependentiam dicere neceſſariam habitudinem ejus, quod dependens dicitur, ad id, unde dependet, extra omnem dubitationem ponitur: an vero melius dependentia explicari poſſit, quam modo explicata fuit, aliis dijudicandum relinquimus.

II. Qui recte percipit, quid dependentia vocetur, is ſponte notionem independentiæ aſſequitur.

§. 2. Adeo dependentia varia eſſe poteſt, ut ob nimiam hujus nominis communitatem vix ejuſdem varietatem ad certa diſtinctionum membra redigere liceat. Unam alteramve diſtinctionem liceat

ceat recenſere. Et (1) quidem Scholaſtici recte diſtingvunt dependentiam in *cauſativam* & non *cauſativam*: Illa vocatur, quando *aliquid dependet aliunde ut a vera cauſa*: e. gr. omnis creatura eſt dependens dependentia cauſativa a Creatore; omne corpus naturale dependentia cauſativa dependet a materia & forma. E contrario *dependentia non cauſativa* dicitur, qua *unum dependet ab altero, non tamen ut a cauſa* e. g. illuminatio hujus conclavis a ſole jam facta dependet a remotione valvarum, quia opus erat remotione valvarum, ut illuminaretur conclave, nec tamen remotio valvarum vera cauſa hujus illuminationis dici poteſt.

*NOTÆ.*

1. Errant qui nullam agnoſcere volunt dependentiam, niſi cauſativam; quisque enim qui notionem dependentiæ recte expendit, contrarium nobiſcum fatebitur.

II. Circa doctrinam de dependentia cauſativa, ſi quicquam aliud, hoc notatu digniſſimum eſt, ne confundantur notiones cauſæ uti quidem in Metaphyſicis & prout in Analyticis de cauſis agitur, datur namque dependentia cauſativa ſic dicta a cauſa Metaphyſice ſumpta, & datur quoque dependentia cauſativa a cauſa Analytice accepta. Ita omnes omnino concluſiones ſcientificæ dicunt dependentiam cauſativam. Et huc quoque ſpectat doctrina de dependentia a cauſa formaliter tali & a cauſa virtuali.

III. De iis ſi ex profeſſo vellemus agere, huc reducenda eſſent illa omnia, quæ ſupra de utriusque cauſæ notionibus egimus.

§. 3. Quia dependentia cauſativa tam varia eſt & multiplex, quam latiſſime patent genera ac modi cauſarum, non eſt quod eam materiam repetamus, utpote quam ſupra explicatam dedimus.

§. 4. *Dependentia* (2) alia eſt *ab aliquo ut quod*, alia *ab aliquo ut quo*: Ita e. gr. domus dependet ab architecto ut cauſa quæ, ab arte vero architectonica & ædificatione ut cau-

…uſa qua; Idem eſto judicium de …eatura reſpectu creatoris & creationis.

NOTÆ.

I. Eſt hæc diſtinctio utrique dependen… cum cauſativæ, tum non cauſativæ com…nis. Nam uti non omne principium eſt …uſa, ita nec omnis dependentia a principio dependentia cauſativa.

II. Qui diſtinctionem inter principium …uod & principium quo probe tenet, facile …latam dependentiæ diſtinctionem intel…it.

§. 5. Dependentia (3) alia eſt *a …riori*, alia *ab eo quod eſt ſimul*, …lia *a poſteriori*: Ita dependentia a …riori eſt omnis dependentia cau…ativa, item dependentia a princi…io, quod non ſimul cauſa eſt: …mne enim principium eſt prius …o cujus eſt principium E. omnis …ependentia a principio eſt dependentia a priori. Dependentia a poſteriori eſt omnis dependentia cauſæ a cauſato, item dependen-



Digitized by Google

tia principiati a principio, quæ non ſimul eſt cauſa. Dependenti ab eo, quod eſt ſimul, eſt e. g. rela prædicamentalis a correlato prædi camentali, hæc enim ſunt natura ſimul.

§. 6. Dependentia (4) alia eſt *eſſentialis*, alia *naturalis*: *Eſſen tialem dependentiam Scholaſtici* vocant illam, *quæ ne divinitus quidem aut per miraculum poteſt ſuppleri*, e. gr. abſolute impoſſibile eſt, ut actio non dependeat ab agente, paſſio a patiente. *Dependentiam naturalem* dicunt, *quæ ſaltem divinitus & per miraculum poteſt ſuppleri*, e. g. naturalis dependentia eſt, qua productio hominis dependere dicitur a maris & fœminæ concurſu.

§. 7. *Dependentia* (5) alia eſt *entis*, ut: luminis a ſubjecto; alia *non entis*, ut: tenebrarum, quia & hæ

ex

xigunt ſubjectum, cui adhæreant.

§ 8. *Dependentia* (6) alia eſt *b ente*, ut dependentia corporis aturalis a materia & forma: alia *non ente*, ut corporis naturalis in eneratione a privatione.

§. 9. *Dependentia* (7) alia eſt ependentia *in eſſendo*, alia dependentia in *cognoſcendo*, e. g. in eſſendo hæc vel illa ſanitas dependet a, hedicamento, in cognoſcendo ab rina.

*N O T Æ.*

I. Quo ſenſu independens ac dependens ttributum entis dici poſſit, ſi attributum dici debeat, facile eſt explicatu: Nempe de eo x doctrina de cauſa & cauſato conſtat, quod auſatum in ordine ad cauſam Metaphyſice c dictam ſit verum ens, omne vero ens præer Deum agnoſcit ſui cauſam: Eſt igitur mne ens præter Deum dependens dependentia cauſativa, & quicquid eſt dependens dependentia cauſativa, prout nempe arguit cauſam formaliter & vere talem, inque rigore Metaphyſico ſumtam, eſt verum ac reale ens: Deus vero eſt ens independens, nul-

 lam-

lamque ſui cauſam agnoſcit, & ens nullam ſui cauſam agnoſcens omnino eſt propriiſſime ens.

II. Non pauci e *Scholæ Doctoribus* pro diſtinctis notionibus venditant, notionem entis a ſeipſo & notionem entis independentis. Volunt enim ad quæſtionem: Cur *Deus* ſit ens independens? ſi reſpondeatur: quia Deus eſt a ſeipſo, reſponderi per rationem a priori, ita ut noſtro modo concipiendi ad primum Dei conceptum non ſpectet independentia, ſed τὸ a ſeipſo. Idem eſto judicium de notione entis dependentis & entis ab alio.

III. Nullum dubium eſt, quin dependentia dari poſſit ſine eſſentiali diſcrimine dependentis ab eo unde dependet. Poſſunt quippe facili ratione multæ inſtantiæ dari: Annon e. gr. Deus, quia omniſcius eſt, nemine cogitante cognoſcit ſeipſum & creaturas, imo ab æterno cognovit creaturas futuras. Sane ſeipſum cognovit ab æterno primario, ſecundario & dependenter a ſeipſo & a ſua eſſentia tanquam a ratione formali cognoſcendi cognovit creaturas, dependenter a ſua potentia & libero voluntatis ſuæ decreto cognovit futuram mundi creationem creaturasque futuras, cum nihil adhuc præter Deum eſſet: Certiſſimum vero eſt cognitionem Dei, qua ſeipſum & creaturas in ſeipſo cognovit, realiter & ſimpliciſſime eandem eſſe, adeo ut ſine

ſum-

Digitized by Google

umma abſurditate dici nequeat, cognitio-
ıem, qua Deus ſeipſum ab æterno cognovit,
: qua creaturas ut poſſibiles & ut futuras in
eipſo cognovit, non eſſe realiter unam ean-
lemque: Eſt enim actio interna Dei adeoq;
quoad rem ipſe DEUS, cum omnia quæ in
Deo ſunt, ſint ipſe DEUS. Sumamus aliud
:xemplum: quando cognoſco me cognoſce-
e aliquid, mea cognitio qua cognoſco, pen-
let a ſeipſa, dum cognoſco me cognoſcere, h.
. ut Scholaſtici loqvuntur, dum cognitio-
ıem meam ſupra ſeipſam reflecto: Poſſunt
namque immateriales potentiæ actus ſupra
e reflectere. Non tamen eſſentiale diſcrimen
datur unius ejuſdemque numero cognitio-
nis ab illa ipſa cognitione, quia nihil a ſeipſo
eſſentialiter diſtinctum dici poteſt. Interim
non dubitandum eſt de eo, quod eadem nu-
mero cognitio nemine cogitante dependeat
a ſeipſa, quia dum cognoſco me cognoſcere,
nemine cogitante mea cognitio ſit objectum
ſuiipſius. Ergo a ſeipſo ut objecto depen-
det. Adeſto aliud exemplum: Nemine co-
gitante quævis concluſio pendet a ſuis præ-
miſſis, eſſentiale tamen diſcrimen non datur
inter præmiſſas & concluſionem ex iis illa-
tam, quia ne quidem realiter differunt præ-
miſſæ a ſua concluſione, ut cuivis ex Logi-
cis notum eſſe debet.

IV. Nec quiſquam adduci poterit, ut cre-

 dat,

Digitized by Google

dat, omnem dependentiam ſupponere prioritatem naturæ, ejus ſcilicet unde aliquid dependet, ſi modo cogitet dari dependentias a poſteriori, dari quoque dependentias ab iis, quæ ſunt ſimul, ut ante monuimus.

V. Maxime neceſſarius doctrinæ de dependentia & independentia uſus in axiomatibus eo ſpectantibus monſtrabitur.

# Caput Quadrageſimum Primum

De

# ΤΩ ESSE IN SE ET ESSE IN ALIO.

*Item de*

## Substantia Et Accidente

## Ut & de receptiſſimis ſubſtantiæ diviſionibus.

§. 1.

In *alio* tanquam in ſubjecto *eſſe* ſeu exiſtere dicitur, *quod vere & realiter exiſtit in altero, ut tamen nec ſit pars ejus, in quo vere & realiter exiſtit nec compars per ſe, nec ſeparari ab illo poſſit, ita ut*

*poſt*

Digitized by Google

*poſt factam ſeparationem adhuc vere & realiter exiſtat*: E. gr. albedo actu eſt ſeu vere & realiter exiſtit in pariete; non eſt pars parietis, in quo & vere & realiter exiſtit; non eſt compars per ſe, (hoc eſt, paries & albedo non conſtituunt, nec conſtituere poſſunt ens per ſe, quia ex pariete & albedine inter ſe unitis fit ſolummodo ens per accidens, nempe album) & licet albedo a pariete ſeparari poſſit (ſeparatur enim albedo a pariete, dum e. gr. paries ex albo fit niger) non tamen poſitive ſeparari poteſt, hoc eſt, ita albedo nequit a pariete ſeparari, ut poſt factam ſeparationem adhuc vere & realiter exiſtat.

## N O T Æ.

I. Non vacat alios modos, quibus aliquid in alio eſſe dicitur, nunc recenſere: Ita eſt quid in alio (1) ut *pars* in ſuo *toto* e. gr. oculus in capite, caput in corpore. (2) ut *totum in ſuis partibus*, e. gr. bos in capite, ventre, thorace, pedibus &c. Hinc nonnulli etiam id

id propter negant totum eſſe ens in alio, quia non ſaltim ſit in aliquo, ſed in pluribus, nempe omnibus ſuis partibus. (3) ut *ſpecies in* ſuo *genere* & quodvis *inferius in ſuo ſuperiori*, e.gr. homo in animali, Petrus in homine, cygnus in albo; ſive illud inferius ſit adhuc minus univerſale, ſive ſingulare: item, ſive ſuperius ſit verum univerſale, ſive ſe ſaltem habeat per modum univerſalis, nam & tres perſonæ in una divina eſſentia eſſe dicuntur, cum tamen eſſentia ac Deus eſſentialiter ſpectatus non ſit univerſale quid, quo de ſupra in doctrina de univerſali egimus. (4) ut *genus in* ſua *ſpecie* & quodlibet *ſuperius in* ſuo *inferiori* ſive iſtud ſit univerſale, ſive ſit ſingulare, adhuc tamen communicabile: E.gr. animal in homine, homo in Petro, Paulo, Johanne, Deus in tribus perſonis eſſe dicitur. Huc facit in ſcholis receptiſſima diſtinctio inter ſubjectum ὑπάρξεως (inhæſionis) & inter ſubjectum κατηγορίας (prædicationis) hoc agnoſcunt inferiora & ſingularia, ita animal eſt ſubjectum κατηγορίας reſpectu hominis & bruti: illud tribuitur ſoli enti in alio, hoc eſt, accidenti. (5) ut *forma ſubſtantialis in materia*, e.gr. anima bovis in bovis corpore. Magis tamen in materia eſſe dicitur forma ſubſtantialis poſitive inſeparabilis a materia, quales ſunt omnes formæ ſubſtantiales, excepta anima rationali ut ſpiritualis eſſentiæ eſt,
Digitized by Google

eſt, quam forma ſubſtantialis poſitive ſeparabilis a materia, quales ſunt animæ rationales omnes, eæque ſolæ, ut quidem ſpiritualis eſſentiæ ſunt. Eadem ratione, mutatis tamen mutandis, docetur formam materialem non poſſe poſitive ſeparari a ſubſtantia, qua ſcilicet ſupra aſſerebatur, accidens non poſſe eſſe ſine ſubjecto, illic de ſubjecto inhæſionis, hic de ſubiecto ſubſtantialis informationis ſermo movebatur. (6) ut *in cauſa efficiente*, e. gr. ſanitas in medico. (7) ut *in fine*, ſicuti dicimus avarum eſſe in divitiis. (8) ut *contentum in continente*, e. gr. cerevifia in cantharo, ſanguis in venis, piſcis in aqua. (9) ut aliquid *in tempore* e. gr. in hoc die, in hac hora. Longe plures modos poſſemus enumerare, verum uti diximus, non vacat nec lubet. Ita *privatio in ſubjecto* eſſe dicitur, ut: coecitas in homine, tenebræ in aere: At privatio per hoc eſſe in alio dicitur, quando oppoſitum ipſius non eſt in illo e. gr. coecitas eſt in homine per hoc, quando viſus non eſt in eo. Inde diſtinxerunt *Scholaſtici* inter *ſubjectum inhæſionis*, quale ſubjectum eſt aer reſpectu luminis, & inter *ſubjectum adhæſionis*, quale ſubjectum eſt aer reſpectu tenebrarum (quamvis & alio ſenſu ſubjectum adhæſionis ſumatur, ſicut e. gr. paries dicitur ſubjectum albedinis, & quidem ſubjectum adhæſionis, quia nempe albedo, quæ ſane non eſt privatio, hæret ſaltem

tem in parietis ſuperficie, cum e contrario aqua undique calida, ſi ſpectetur in oppoſitione ad calorem, dicatur ſubjectum inhæſionis, ideo quod calor partes aquæ intime penetret.

II. Novem modos τῦ eſſe in alio nota præcedenti recenſitos, ſi quis diſcernere velit a modo in hoc ipſo §. definito, facilius id expediet, ſi in memoriam revocet quatuor ante tradita requiſita accidentis. (I) requirebatur, *ut vere & realiter exiſtat in altero:* Hoc requiſitum excludit illos modos, quibus ſpecies in genere, totum in partibus, aliquid in efficiente, aliquid in fine eſſe dicebatur. (II) requirebatur, *ut non ſit pars ejus, in quo vere & realiter exiſtit:* Per hocce alterum requiſitum excluduntur illi modi, quibus pars in toto (huc referri debet pars per ſe in comparte per ſe, ut forma ſubſtantialis in materia, maxime ſi ſit materialis forma) it genus in ſpecie eſſe aſſerebatur. (III) requirebatur, *ut non ſit compars per ſe ejus, in quo vere & realiter exiſtit:* Vi hujus tertii requiſiti forma immaterialis non eſt in ſubjecto, ut hoc loco τὸ eſſe in ſubjecto ſumitur. Nam licet anima hominis ut eſt ſpiritualis eſſentiæ, vere & realiter ſit in corpore, non ſit pars corporis, poſſit etiam ita a corpore ſeparari, ut poſt factam ſeparationem exiſtat, eſt tamen compars per ſe: Pars enim per ſe vocatur in ordine ad totum eſſen-

eſſentiale phyſicum nempe hominem, compars in ordine ad aliam partem eſſentialem phyſicam, nempe corpus organicum. Quod enim in ordine ad totum eſt pars, in ordine ad ejusdem totius aliam partem in Scholis compars dicitur. (IV) requirebatur, *ut non poſſit ſeparari ab illo, ita ut poſt factam ſeparationem adhuc poſſit exiſtere*: Per hocce quartum requiſitum exceſſe jubentur modi iſti, quibus aliquid in continente, in loco, in tempore eſſe dicebatur. Nam utut multæ res non poſſint eſſe ſine loco & tempore, poſſunt tamen eſſe ſine hoc loco & ſine hoc tempore: Ita Petrus poteſt eſſe extra hoc auditorium & extra hanc horam in alio loco & in alia hora.

§. 2. Quicquid igitur eſt in alio, eo tamen modo, qui §. 1. exponebatur, hoc eſt & vocatur *accidens*.

*N O T A.*

Nam ut quid ſit ens in alio, ſingula quatuor requiſita adeſſe oportet: Unum enim eorum ſine altero vel reliquis ad rationem formalem accidentis profecto nunquam ſufficit.

§. 3. *Quod* vero *exiſtit*, *nec tamen exiſtit in alio*, hoc eſt & dicitur *ſubſtantia*.

*N O T A.*

Ita licet e. gr. clavus vere & realiter exiſtat in

in pariete, nec ſit parietis pars aut compars per ſe, manet tamen ſubſtantia, quia poſitive ſeparari a pariete poteſt. Ita licet anima quæ ſpiritualis eſſentiæ eſt, ut ſpiritualis eſſentiæ eſt, vere & realiter ſit in corpore, nec ſit corporis pars, poſſit quoque poſitiue ſeparari a corpore, eſt tamen ſubſtantia, quia eſt corporis compars per ſe, ut Scholæ loquuntur.

§. 4. Lubet præcipuas quasdam diviſiones ſubſtantiæ tangere. *Subſtantia* 1. dividitur in *independentem* & *dependentem*. *Illa eſt, quæ nullam agnoſcit ſui cauſam: Hæc, utique.*

*N O T A.*

Sermo enim eſt de independentia & dependentia cauſativa. Videatur *caput præcedens quadrageſimum*. Dicitur etiam illa *ſubſtantia increata, hæc ſubſtantia creata.*

§. 5. Subſtantia 2. dividitur in *infinitam* & *finitam*: Hæc dicitur *ſubſtantia, quæ finem ſeu terminum habet ſuæ perfectionis*, hoc eſt, tantæ perfectionis non eſt, ut nequeat dari excellentior perfectio, unde ea ſubſtantia, quæ finita dici-

tur,

tur, in eſſe ſuo pendeat, vel ut non admittat, nec admittere queat ullas alias perfectiones ſuæ eſſentiæ realiter additas & ab ea realiter diſtinctas. Nonnulli ita definiunt, quæ omnem perfectionem poſſibilem non continet. E contrario *Subſtantia infinita eſt, quæ nullum admittit terminum ſeu finem ſuæ perfectionis*, Eſt ergo ſolus DEus ſubſtantia infinita, ut in Pnevmatica docetur.

*N O T Æ.*

I. Scholaſtici diſtingvunt inter τὸ habere perfectionem formaliter & τὸ habere perfectionem *eminenter*, eamque ſubſtantiam dicunt finitam, quæ nec formaliter nec virtualiter omnem perfectionem continet; Infinitam vero ſubſtantiam, quæ non quidem formaliter omnem perfectionem in ſe habet, quam tamen formaliter habere nequit, habet eminenter. Perfectiones namque creatæ qua tales formaliter in Deo non ſunt, tamen eminenter; qua de re in Pnevmatica agitur.

II. Sunt alias variæ hujus notionis: ſubſtantia infinita; acceptiones, utpote quæ

nunc

nunc talis dicitur *ratione determinationis*, ut infinitum idem ſit ac indefinitum: Sic *Ariſtoteles* materiam primam dixit ſubſtantiam infinitam. Nunc *ratione quantitatis in rigore ſic dictæ*, quæ vulgo quantitas molis audit: Ita *Ariſtoteles* certo modo ſubſtantiis naturalibus infinitatem tribuit, quas alio ſenſu & ſimpliciter finitas vocaverat, huc reſpiciens, quod partes, ceu vocantur, integrales ſubſtantiæ naturalis finitæ ſic accipi poſſint, ut ſemper aliquid extra eas ſumi poſſit, ceu *Scholaſtici* loqvuntur. Nunc ratione *durationis*, ſic infinita ſubſtantia erit ſubſtantia æterna. Nunc ratione *præſentiæ*, ſic ſubſtantia infinita erit ſubſtantia omnipræſens.

§. 6. *Subſtantia* 3. dividi ſolet in *completam* & *incompletam*: *Illa* eſt ſubſtantia, *quæ per ſe & ex natura ſua non ordinatur ad alterius ſubſtantiæ conſtitutionem*: ut: animal. *Hæc* eſt ſubſtantia, *quæ per ſe & ex natura ſua ordinatur ad alterius ſubſtantiæ conſtitutionem*: ut: anima.

§. 7. *Subſtantia* 4. dividi ſolet in *corpoream* & *incorpoream*: Et com-

communiter hæc diviſio ita ſolet intelligi, ut per ſubſtantiam corpoream intelligatur corpus naturale, ceu vulgo vocant; per ſubſtantiam autem incorpoream Spiritus.

N O T Æ.

I. Hæc diviſio ita explicata non eſt adæquata diviſo, cum multæ dentur ſubſtantiæ quæ neque corpora naturalia neque Spiritus ſunt, ut patet exemplo materiæ primæ & omnium formarum materialium.

II. Hoc attendentes alii venditarunt aliatam ſubſtantiæ diviſionem pro diviſione ſubſtantiæ completæ. Verum nec ea ratione omnis difficultas videtur ſublata, cum dentur quoque formæ immateriales, quæ certe Spiritus ſunt, omnes nempe animæ rationales quatenus ſunt ſpiritualis eſſentiæ, quæ tamen non ſunt ſubſtantiæ completæ, ſed incompletæ.

III. Alii Philoſophi latius extendunt notiones ſubſtantiæ corporeæ & incorporeæ, atque ſubſtantiam corpoream docent eſſe ſubſtantiam materialem, ſubſtantiam vero incorpoream dicunt eſſe ſubſtantiam immaterialem: Verum dubitationem parere poterat, ſi quis attendat, quod materia prima nec ſit ſubſtantia materialis, nec ſit ſubſtantia immaterialis, quia non eſt Spiritus.

§. 8. *Subſtantia* 5. dividitur in *materialem* & *immaterialem*. *Illa* eſt ſubſtantia *dependens a materia* ut: homo. *Hæc* eſt ſubſtantia *independens a materia*: ut: Spiritus. Intelligitur autem dependentia & independentia in eſſe, ut *Scholæ* loqvuntur; E. gr. in eſſe ſuo a materia dependet quodvis corpus naturale: In eſſe vero ſuo a materia independens eſt Spiritus.

*N O T Æ.*

I. Poteſt hæc diviſio pro adæquata venditari, ſi commodo ſenſu τὸ materiale & immateriale exponantur: Scilicet materiale h. l. denominationem accipit a materia ſenſibili ſeu Phyſica, illudque materiale vocabitur, quod a materia Phyſica vel ſenſibili in eſſe ſuo dependet: Nam ſi in eſſe ſuo a materia ſenſibili ſubſtantia nemine cogitante dependet, utique etiam in fieri dependens fuit a materia ſenſibili, cum uti ſe res habet in fieri, ita ſe habeat in eſſe, eædemque ſint partes eſſentiales rei, quando fit & quando facta eſt: Modus vero operandi ſequatur modum eſſendi.

II.

Partis Prioris Cap. I.

2. Subſtantia ... terialem & immate... ſubſtantia dependens ... omo. Hæc eſt ſubſtan... ens a materia: ... itur autem depend... endentia in eſſe, ut ... ntur; E. gr. in eſſe ſuo ... ndet quodvis corpus ... vero ſuo a materia ... eſt Spiritus.

NOTE ... poteſt hæc diviſio pro ... commodo ſenſu ... exponantur: Scilicet ... minationem accipit a ma... Phyſica, illudque mate... quod a materia Phyſica ... dependet: Nam ſi in eſſe ... nulli ſubſtantia ... utique etiam in fieri ... ria ſenſibili, cum ... habeat in eſſe, eadem ... les rei, quando fit & ... odus vero operandi ſequ...

II. Ita materiales ſubſtantiæ ſunt omnes ſubſtantiæ naturales, quæ vulgo dicuntur corpora naturalia: Item omnes formæ materiales ſubſtantiales, ut vulgo nuncupantur. Cæterum ipſa materia prima qua talis, non erit ſubſtantia materialis, quia nullam arguit dependentiam a materia, cum nihil in eſſe ſuo dependeat a ſeipſo. Sunt tamen, qui diſtingvunt cum *Scholaſticis* inter *ſubſtantiam materialem ut qua* & inter *ſubſtantiam materialem ut quæ*: Illam vocant ipſam materiam, qua mediante & in ordine ad quam omnis ſubſtantia, quæ materialis eſt, talis eſt & dicitur: Hanc dicunt omnẽ ſubſtantiam, quæ non eſt ſpiritus nec materia ipſa.

III. De ſubſtantiis materialibus Metaphyſicus agit, in quantum ſunt ſubſtantiæ primæ vel ſecundæ, item completæ vel incompletæ it. ſubſtantiæ creatæ, finitæ, dependentes &c. Cave interim, ne confundas ſubſtantiam materialem cum materiata: Nam ab hac ad illam, non vero ab illa ad hanc valet conſequentia. Nam ſubſtantiam materialem modo definivimus: At ſubſtantia materiata a Scholæ Doctoribus vocatur ſubſtantia compoſita ex materia. Non ergo omnis ſubſtantia materialis, hoc eſt, a materia in eſſe ſuo dependens eſt ſubſtantia materiata, hoc eſt, compoſita ex materia. E. gr. formæ ſubſtantiales materiales ut: anima canis, ſunt ſubſtantiæ



Digitized by Google

materiales, non autem ſunt ſubſtantiæ compoſitæ ex materia.

§. 9. *Subſtantia* 6. diſtinguitur in *primam* & *ſecundam*: *Subſtantia prima* hoc loco nihil aliud eſt quam ſubſtantia ſingularis, ut: Petrus, Bucephalus. Subſtantia vero ſecunda eſt ſubſtantia univerſalis: ut: animal, brutum, homo.

*NOTÆ.*

I. Subſtantia ſecunda & ſubſtantia prima differunt ut univerſale & ſingulare, quo de diſcrimine ſupra *capite* 39. egimus.

II. Non tamen confundi debent ſubſtantia univerſalis & ſubſtantia, quæ ſe habet per modum univerſalis: E. gr. Deus eſt ſubſtantia ſingularis, non univerſalis, habet tamen ſe per modum ſubſtantiæ univerſalis, ceu citato *capite* 39. oſtendebatur.

III. Poſſunt etiam ſubſtantia prima & ſecunda ſpectari atque ita denominari *ratione exiſtentiæ*, ut omnis ſubſtantia dicatur ſecunda, quæ ſuæ exiſtentiæ cauſam agnoſcit, ſicque ſolus Deus erit prima ſubſtantia, hæcque diviſio (hoc nempe modo explicata) erit diviſio primæ ſubſtantiæ, quia exiſtentia eſt rei ſingularis, ut itidem ſupra docuimus. Item ratione *κατηγορίας*, & ita ſummum genus,

Digitized by Google

…us in prædicamento ſubſtantiæ titulum ſubſtantiæ primæ merebitur, reliqua genera, ſpecies & individua intra ſubſtantiæ prædicamentum nomina ſubſtantiarum ſecundarum merebuntur. Nam ſi genus natura ſua prius eſt ſua ſpecie, ſummum genus dicendum erit maxime primum. Item *ratione ſubjectionis*, ſicque omnes ſubſtantiæ ſingulares vocabuntur primæ; ſive in ordine ad ſubſtantias ſecundas, ſub quibus continentur, ſive in ſe ſpectentur. Uſus tamen obtinuit, ut ſubſtantia prima & ſecunda imprimis vocentur, quatenus ſe invicem reſpiciunt, ut id quod ſubjicitur, & id cui ſubjicitur.

# Caput Quadrages. Secundum
## De
# SUPPOSITO ET SUBSISTENTIA.
## Item
# De Persona.

## §. I.

*Subſtantia prima* & *ſuppoſitum* differunt ut *latius* & *anguſtius*. Nam omne ſuppoſitum eſt ſubſtantia prima, non tamen

omnis ſubſtantia prima eſt ſuppoſitum. Ita e. gr. ſubſtantiæ univerſales nequeunt dici ſuppoſita, animal, homo, non ſunt ſuppoſita, quia ſunt univerſalia. Item ſuppoſita non ſunt ſubſtantiæ ſingulares incompletæ: e. gr. anima mea, cor meum non ſunt ſuppoſita, quia ſunt ſubſtantiæ incompletæ per ſe. Pariter DEus eſſentialiter ſpectatus non eſt ſuppoſitum: Tria enim realiter inter ſe diſtincta ſuppoſita dantur in divinis, ut tamen una numero ſubſtantia prima, DEUS in eſſentia unus maneant. Rurſus humana natura, quam Filius Dei asſumſit, eſt ſubſtantia prima, ſed non eſt ſuppoſitum, juxta illud Patrum: Chriſtus humanam naturam aſſumſit, hominem non aſſumſit.

*N O T A.*

*Suares* multique alii eum ſecuti ſtatuerunt, in rebus creatis nihil diſcriminis intercedere inter ſuppoſitum & ſubſtantiam primam:

Digitized by Google

nam : Contrarium tamen facile liquet. Omnes namque ſubſtantiæ primæ creatæ, tamen incompletæ, ex numero ſuppoſitorum exeſſe jubentur. Imo ſi Chriſti humanam naturam conſideremus, ea ſane ſubſtantia prima creata eſt, ſuppoſitum certe non eſt, ſi in ſe ſpectetur, quia ſubſiſtentia propria caret, ceu omnes, qui SS. Trinitatem credunt, fatentur, modo terminorum gnari ſint.

§. 2. Eſt igitur *ſuppoſitum* nihil aliud quam *ſubſtantia prima completa incommunicabilis & non aliunde ſuſtentata.*

*NOTÆ.*

I. Dicitur 1. *ſubſtantia.* Nullum enim accidens ſuppoſitum dicitur: e. gr. color, albedo, hæc albedo non ſunt ſuppoſita. 2. Subſtantia *prima.* Ita animal, homo, in quantum ſunt univerſales ſubſtantiæ, non ſunt ſuppoſita. 3. Subſtantia prima *completa*: Nam ſubſtantiæ primæ incompletæ non dicuntur ſuppoſita: e. gr. hæc materia & hæc forma non ſunt ſuppoſita, quia forma in ſubſiſtendo dependet a materia, & materia dependet a forma, adeoque neutrum horum habet ſuam ultimam ſubſiſtentiam. Sic neque brachium, neque pes aut aliud membrum corporis dicitur proprie ſuppoſitum. Recte interim

rim dico: hunc canem, iſtum lapidem, illud lignum eſſe ſuppoſita. 4. Subſtantia prima completa *incommunicabilis*. Non enim debent confundi ſubſtantia prima completa & ſubſtantia prima completa incommunicabilis: Nam DEus eſt ſubſtantia prima completa, tamen communicabilis ſine ſui multiplicatione. Hic multum ſibi placent *Scholaſtici* diſtinctione inter *communicabile ut quod* & inter *communicabile ut quo*: Illud iterum duplex faciunt: tale *ſine ſui multiplicatione* & tale *cum ſui multiplicatione*, e. gr. communicabile ens ut quod in genere ſubſtantiæ eſt homo, qui eſt cum ſui multiplicatione communicabilis: Item DEus qui eſt communicabilis ſine ſui multiplicatione, quia eſt communis Patri, Filio & Spiritui S. Communicabile ut quo eſt qualibet ſubſtantia prima, quæ nempe pars eſſentialis Phyſica vel integralis eſt. 5. Subſtantia prima completa incommunicabilis & *non aliunde ſuſtentata*. Nam humana natura in Chriſto eſt quidem ſubſtantia prima completa incommunicabilis, ſuppoſitum tamen non eſt, quia propria ſubſiſtentia deſtituitur, & alia, nempe hypoſtaſi τοῦ λόγου ſuſtentatur.

II. Habet hæc doctrina inſignem uſum in Theologia: Nam in ſummis & maxime tremendis myſteriis: SS. Trinitatis & incarnationis ampliſſimus hujus doctrinæ uſus eſt: In myſte-

myſterio enim Trinitatis docent Theologi, *unicam* dari *ſubſtantiam primam*, *tria vero ſuppoſita*; In myſterio vero incarnationis *unicum ſuppoſitum, duas ſubſtantias primas*, duas ſcilicet realiter diſtinctas naturas, divinam & humanam. Ita applicant Theologi terminos Metaphyſicos ad hæc myſteria, ut clarius conſtet, quo ſenſu veteres recte defenderint in SS. Trinitate ἄλλον, ἄλλον, καὶ ἄλλον alium, alium, atque alium, non ἄλλο, ἄλλο, καὶ ἄλλο, aliud, aliud, atque aliud dari, hoc eſt aliud ſuppoſitum, non aliud ens ſeu aliud abſolute, cum e contrario in Chriſto θεανθρώπῳ ἄλλο καὶ ἄλλο detur, alia natura & alia natura, adeoque alia atque alia ſubſtantia prima, non ἄλλος καὶ ἄλλος, non aliud ſuppoſitum & aliud ſuppoſitum. Conf. ea quæ ſupra *cap. VIII*, de notione τοῦ aliud adduximus.

§. 3. Interim non confundendæ ſunt notiones *ſubſiſtentiæ* & *ſuppoſiti*, quia *ſubſiſtentia eſt abſtractum*, *ſuppoſitum* vero *concretum*, ut ſic ſuppoſitum ſano ſenſu explicetur, prout idem notat, quod *habens ſubſiſtentiam*.

*NOTÆ.*

I. Jam judicari poteſt, numne ſatis accurate

curate definiatur *ſubſtantia*, quando vulgo in libellis hæc formula circumfertur: *Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens?* Nam (1) ſubſiſtentia tribuitur ſubſtantiis ſingularibus: Auctores vero ac commendatores hujus formulæ venditant eam pro ſubſtantiæ in communi definitione, ac poſtea ſubſtantiam in primam & ſecundam dividunt. (2) Nec hoc vero conſentaneum eſt, quod omnis ſubſtantia prima ſit ens per ſe ſubſiſtens: Nulla enim ſubſtantia prima incompleta eſt ens per ſe ſubſiſtens. (3) Imo ne quidem omnis ſubſtantia prima completa eſt ens per ſe ſubſiſtens. Exemplo eſto humana Chriſti natura, quæ caret propria ſubſiſtentia, ſicque per ſe non ſubſiſtit, ſi per ſe ſubſiſtere idem eſt ac ſubſiſtentia propria ſubſiſtere. Reducantur ea mutatis tamen mutandis, quæ modo de ſuppoſito diximus, ubi etiam oſtendimus, quod tres ſint ſubſiſtentiæ unius ſubſtantiæ primæ, nempe Dei.

II. Aliud igitur eſt per ſe exiſtere, aliud per ſe ſubſiſtere.

§. 4. *Subſiſtentia* eſt *id, quo ſubſtantia prima exiſtit complete, incommunicabiliter, & ita ut aliunde non ſuſtentetur.*

N O T A.

Plures *Scholaſtici* ſubſiſtentiam definiunt per

per modum: Interim quia modus non poteſt eſſe ſine re, cujus eſt modus, res vero poteſt eſſe ſine modo, idque propter debilis entitatis nomine modus cenſetur ab ipſis *Scholaſticis*, non poteſt de ſubſiſtentia in communi hæc ſententia intelligi: Nam ſubſiſtentiæ in divinis ab eſſentia divina realiter non differunt, utut realiter inter ſe differunt. Non ergo ſubſiſtentiæ divinæ ſunt modi eſſentiæ divinæ. Id propter a *Theologis* orthodoxis *Keckermanni* aliorumque ſententia rejecta fuit de diſtinctione modali inter eſſentiam divinam & perſonas divinas. Aliis interim, iisque orthodoxis Doctoribus placuit diſtinguere inter *modum* & inter *id quod ſe habet ut modus.* Nam quia diſtinctio inter rem ejusque modum, realis eſt, ut modo diximus, inter eſſentiam vero divinam & ſubſiſtentiam divinam realis diſtinctio non datur, dixerunt, ſubſiſtentiam divinam ad eſſentiam divinam habere ſe ut modum ſubſtantialem, quo de ſupra *capite XXXVI. not. 2. ad §. 7. pag. 1710. & ſeqv.* egimus.

§. 5. Differunt etiam *ſuppoſitum & perſona*: Nam *omnis perſona eſt ſuppoſitum*, non vero *omne ſuppoſitum eſt perſona*: Ita, e. gr. ſup-

ſuppoſitum eſt hic eqvus, quem digito monſtro, iſte adamas, illa roſa, non tamen ſunt perſonæ.

§. 6. Eſt igitur *perſona ſuppoſitum intelligens*, e. gr. perſona divinitatis, Archangelus Gabriel, Petrus. Nam quæcunque ſuppoſita intellectu carent, perſonæ non ſunt, nec dici poſſunt.

*NOTA.*

Intelligens hoc loco notat intellectu prædítum, ſive actu ipſo intelligat, ſive minime, æque ac vulgo ſumitur τὸ ſentiens in definitione animalis, ut idem ſit ac ſenſu præditum.

## CAPUT QVADRAGESIMUM TERTIUM

## *De* QVANTITATE.

§. 1. *Quantitas* diſtinguitur in *quantitatem molis* & *quantitatem virtutis*.

*NOTA.*

Diſtinctionem vocamus, diviſionem minime.

§. 2

§. 2. *Quantitas molis* quoad rem nihil aliud eſt quam *extenſio ſubſtantiæ naturalis*: Per hoc autem ſubſtantia naturalis eſt & dicitur extenſa, quod habeat partes extra partes: e. gr. homo habet caput extra ventrem, manus, pedes &c. ventrem extra caput, manus, pedes &c. interim caput, venter, manus, pedes &c. unum per ſe extenſum abſolvunt.

*N O T A.*

Doctrina de quantitate molis ex profeſſo & per ſe ad *Phyſicam* & *Matheſin* ſpectat: Ad illam, ut eſt eſſentialis proprietas corporis naturalis, quod vocant: Ad hanc, uti nempe ratione abſtrahitur a materia ſenſibili, unde & Matheſis per ſcientiam quantitatis definitur.

§. 3. *Quantitas virtutis* quoad rem nihil aliud eſt quam *perfectio rei*: Hac ratione etiam DEus magnus in Sacris vocatur.

§. 4. Et *quantitas molis* & *quantitas virtutis dupliciter* accipi

cipi ſolet: (1) *indeterminate*, (2) *determinate*.

§. 5. *Indeterminate accepta quantitas molis præcedenti §. 2. fuit definita.* Nam ſi quæratur, in quonam quantitas corporis naturalis conſiſtat? Hæc ſane quæſtio eſt de quantitate indeterminata ſeu indeterminate ſpectata, ut loqvuntur. *Determinate ſpectatur quantitas, dum ipſa extenſio determinatur*: e. gr. extenſio tricubitalis.

*NOTÆ.*

I. Per extenſionem enim omnes res quantæ ab aliis omnibus rebus primo & accurate diſtingvi poſſunt, ut adeo per hoc ſubſtantia naturalis ( ſumta voce: naturalis, prout denominatur a natura, quatenus quidem natura phyſicæ conſiderationis eſt, & ab *Ariſtotele* definitur per principium movendi & quieſcendi in eo in quo eſt primo & per ſe) ſit quanta, quia eſt extenſa, hoc eſt, habet partes extra partes ita, ut ſemper una pars alteram partem habeat juxta ſe poſitam eamque excludat, ut videmus in ſuperficie menſæ hanc partem juxta ſe ponere illam, & illam iterum aliam, & ſic deinceps.

II.

II. Sunt, qui ſibi perſuaderi patiuntur, quantitatem recte & proprie ſic dictam non conſiſtere in extenſione, præcipuumque, quo negatur quantitatem corporis naturalis conſiſtere in extenſione, argumentum perſuadentium hoc eſt: *Quantitas corporis naturalis non conſiſtit in extenſione, quia ad quæſtionem: quanta ſit res? nequit reſponderi per extenſionem ſeu quod ſit extenſa.* Credimus vero argumentum a quovis, qui terminos intelligit, facile ſolvi poſſe: Quis enim negaverit ad quæſtionem de corporis naturalis quantitate reſponderi poſſe per extenſionem? Interim non debent confundi hæ duæ quæſtiones: Una quæ eſt de quantitate corporis naturalis indeterminate ſpectata, ſi nempe quæratur: *in quo quantitatis corporis naturalis ratio formalis conſiſtat?* Sic enim *Ariſtotelis* & omnium accuratiorum Philoſophorum conſenſu reſpondetur, quod ea conſiſtat in extenſione. Altera de quantitate determinata, ſi nempe hoc præſuppoſito quod in extenſione quantitas proprie dicta conſiſtat, nunc quæratur: *quanta ſit hæc vel illa res?* Nam quid quæſo obſtat, quo minus ad quæſtionem: *quanta ſit res, e.gr quantum ſit lignum?* reſponderi poſſit per extenſionem, e.gr. hoc modo: habet extenſionem pedis, digiti, trium cubitorum &c. Cæterum quod hæc reſponſio futura ſit plane ridicula & inepta, ſi ad quæſtionem:

nem: quanta ſit res? e. gr. quantum ſit hoc lignum quod digitis monſtro? reſpondeatur eſt extenſum, hoc facillime largimur: nam qui ſic reſpondet, reſpondet de allio, quæſtio vero fuerat de cepa: Nam quæſtio erat de quantitate determinata, & qui ſic quærebat, quantum eſt hoc lignum? is quæſtionem movebat de quantitate determinata, & volebat, ut hujus ligni quantitas, hoc eſt, extenſio determinaretur: Alter vero dum ad quæſtionem reſpondet: hoc lignum, quod digitis monſtras, eſt extenſum; certe non reſpondet ad quæſtionem. Nam vel cæcus videt, de eo non amplius fuiſſe quæſtionem: Num quantitas hujus ligni conſiſtat in extenſione? Hoc enim præſupponebatur, quantitatem ligni in extenſione conſiſtere, & nunc quæritur de determinanda quantitate, hoc eſt, is qui quærit, quanta ſit res? vult, ut rei, de qua quæſtionem movet, quantitas, hoc eſt, extenſio determinetur. Excipitur: *Ad quæſtionem: quanta ſit potentia Dei? non poſſe reſponderi, habet extenſionem tot digitorum vel tot cubitorum &c.* Verum ſi hæc exceptio ſpeciem quandam veritatis præ ſe ferre deberet, in ipſa diſſentientium theſi hæc verba: *corporis naturalis*, debuiſſent omitti: ſic enim ſe habebat aſſertio: *Quantitas corporis naturalis non conſiſtit in extenſione.* Eſtne vero Deus corpus naturale? Omnis igitur

ex-

explicationis difficultas ſponte ſua evaneſcit, imo quisque videt, quantitatem, quæ DEO tribuitur, non eſſe quantitatem molis, ſed quantitatem virtutis. Judicio enim quorumvis cordatorum & doctiſſimorum virorum exponimus, annon ſic quantitas proprie dicta, hoc eſt, quantitas molis confundatur cum quantitate improprie & analogice tali, hoc eſt, quantitate virtutis?

§. 6. *Indeterminate accepta quantitas virtutis* §. 3. *indicabatur: Determinate* vero *ſumta* ſolet ita definiri: *Eſt valor uniuscujuscunque rei, ſecundum quem cum alia re tanquam cum menſura comparabilis eſt.*

N O T A.

Si toleretur hæc definitionis formula, ſicque quantitas definiatur, in eo facile habebimus maximi judicii viros conſentientes atque dudum habuimus, quod ſcilicet hæc definitio ejusque explicatio ad *Metaphyſicam* & certo modo ad *Logicam* per ſe ſpectet, & eo referri debeat. Unde falluntur egregie, qui ſibi patiuntur imponi, acſi e. g. moralis Philoſophi ſit moralia ſua ſaltim denominative, non vero æſtimative tractare, Nam Ethica ethice, Phyſica phyſice, Mathematica mathe-



Digitized by Google

matice tractari ac æſtimari poſſunt & debent. Sunt enim Matheſis, Phyſica, Ethica &c. diſtinctiſſima diſciplinarum genera. Et quis dixerit Matheſin complexum omnium diſciplinarum, etiam moralis & practicæ diſciplinæ? Quælibet ſane diſciplina habet ſuum peculiare objectum, quod æſtimet, & quisque cujusvis diſciplinæ Magiſter habet, quod domi ſuæ curet, nec ſine vitioſo ſaltu de genere ad genus æſtimatio Moralium doctrinarum ad Phyſicam aut Matheſin recte & proprie ſic dictas unquam referri poterit, utpote quæ non magis eo ſpectat, quam æſtimatio Phyſicarum aut Mathematicarum doctrinarum ad Moralium doctrinam.

# CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

## *De* QUALITATE.

§. 1. *Qualitas* a Metaphyſicis communiter definiri ſolet per *accidens, a quo ſubſtantia denominatur qualis*: e. gr. albedo eſt accidens, unde paries albus denominatur.

§. 2. *Multiplex* autem eſt *qualitas*

*litas* hoc modo ſumta: Aut enim pro fine habet operationem, aut minime: Si hoc, aut oritur ex terminatione quantitatis, ut: rotunditas: Et tunc vel conſideratur in ordine ad corpus naturale (materiam ſenſibilem) in quo eſt, diciturque *forma*; vel conſideratur, nullo reſpectu habito ad corpus naturale, in quo eſt, appellaturque *figura*: aut non oritur ex terminatione quantitatis, ut: rubor; ſicque ſi eſt diu permanens, *patibilis qualitas*; ſi eſt ſubito tranſiens, *paſſio* nuncupatur. Si illud (hoc eſt, ſi pro fine habet operationem, ſive operatio illa active ſive paſſive ſpectetur) aut eſt a natura inſita, ut: inclinatio ad ſtudium Mathematicum: eaque vel perfecta eſt, nominaturque *potentia naturalis*: vel imperfecta, ut: tam exigua ac debilis inclinatio vix inclinationis no-

nomine digna, appellaturque in *potentia naturalis*: aut non eſt a natura inſita, eaque rurſus vel facile mobilis eſt, ac *diſpoſitio* denominatur; vel difficulter mobilis, ſicque *habitus* ſalutatur.

*NOTA.*

*Habitus* recte & proprie ſic dictus *ſedem* vel in *intellectu*, vel in *appetitu rationali* invenit: Uterque vero crebris actionibus præcedentibus obtineri poteſt, & dum ita obtinetur, *habitus acquiſitus* dici ſolet. Videndum ergo eſt, num per crebram θεωρίαν, an per crebram πρᾶξιν, an vero per crebram ποίησιν fuerit acquiſitus? Si per crebram θεωρίαν, hoc eſt, cognitionem quæ fit per intellectum, iterum diſpicere tenemur, num illa θεωρία fuerit practica, an effectiva, an nec practica nec effectiva? Si illud, eſt *habitus intellectualis*, ut vocant, *practicus*: Si iſtud, eſt *habitus intellectualis effectivus*: Si hoc, eſt *habitus intellectualis theoreticus*: Si per crebram πρᾶξιν acquiritur habitus, eſt *habitus appetitus rationalis* (vocatur etiam habitus electivus, quia electio eſt actus appetitus rationalis) *practicus*: Si per crebram πρᾶξιν acquiritur, eſt *habitus appetitus rationalis effectivus*. Cæterum ſi nulla præcedente vel θεωρία vel πρᾶξει vel ποιήσει obtineatur habitus, *habitus infuſus* appellatur.

Aliud

Aliud ergo eſt habitus, qui acquiritur per actus practicos; aliud vero habitus, qui acquiritur per πράξεις: Ille eſt habitus intellectus e. gr. Philoſophia moralis: Hic eſt habitus appetitus rationalis e. gr. virtus moralis. Actus enim practici ſemper ſunt actus intellectus: πράξεις vero plerumque ſunt actus alterius potentiæ quam intellectus: E. gr. actus intellectus, quibus cognoſco, a quibus, uibus, de quibus, cujus gratia, ob quid, uando, quomodo &c. eleemoſynæ dari debeant? ſunt actus practici: At πράξεις ſunt, um hi illis & iſtis tot opportunis horis locisque de legitime partis tot ac tot eleemoſynas ſubminiſtrant. Non igitur cujusvis habitus acquiſiti actus ſunt practici, ſed hoc e habitibus intellectualibus practicis ſolummodo intelligendum venit, cum alias habitus dentur in appetitu, qui non per crebros actus practicos, ſed per crebras πράξις acquiruntur. Pariter non omnis habitus cum recta ratione activus eſt prudentia, ceu vulgo dici ſolet: Nam ut nihil dicamus de diſcrimine reali inter ſcientiam de prudentia & ipſam prudentiam: Certe ipſa virtus moralis eſt habitus cum recta ratione activus, non tamen intellectualis, hoc eſt, ſed. m habens in intellectu, ſed ſedem inveniens in appetitu rationali.

§. 3. *Latius* notio qualitatis

a recentioribus inprimis extendi ſolet, prout ſcilicet *qualitas* notat *certam affectionem aut differentiam rei*; Nam & *Ariſtoteles* ipſe quamlibet differentiam expreſſe vocavit ποιότητα qualitatem, & prædicationes differentiarum dixit prædicationes in quale.

*NOTÆ.*

I. Si ita ſumatur qualitas, idem judicium eſto de qualitate, quod præcedenti capite de quantitate tulimus: Nempe hæc notio in actu ſignato omnino ad *Metaphyſicam* per ſe & directe ſpectabit. Huc facit locus *Ariſtotelis*, qui *lib. V. Metaphyſicorum capite decimo quarto* extat: *Quale uno modo dicitur differentia τῆς ὀσίας. Exempli gratia: quale animal eſt homo? bipes. Quale eqvus? quadrupes. Qualis item figura circulus? angulorum expers. Quaſi differentia, quæ ad ὀσίαν ſpectat, qualitas ſit. Itaque hoc modo qualitas differentia τῆς ὀσίας dicitur.*

II. Cæterum facile liquere poterit, quid diſcriminis inter notiones *qualitatis* & *quantitatis* ſic acceptas intercedat. Scilicet qualitatem rei ſpectaret, qui rem certa ratione, hoc eſt, ſic vel aliter affectam cognoſceret: Quantitatem vero, qui ſibi redderet perſpe-ctum

Digitized by Google

ſum valorem ejus, ſecundum quem æſtimari ſeu cum alia re tanquam cum menſura comparari poteſt.

§. 4. Inde nata eſt diſtinctio inter *qualitates Phyſicas* & *Morales*: E. gr. de qualitate phyſica quærit, qui quærit, num corpus ſit ſimplex, an mixtum? animatum, an inanimatum? item an paries ſit albus, vel niger? De qualitate morali quærit, qui quærit, num huic jus, & quale jus ipſi ſit quæſitum? Num hic ſit obligatus & qualis ſit ea obligatio.

*NOTÆ.*

I. Ita *Grotius* definit jus per *qualitatem*, dum hanc formulam *lib. 1. de Jure belli & pacis capite primo* §. 4. laudat: *Jus eſt qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum.*

II. Et quemadmodum Phyſica qualitas alia pro fine operationem habere dicitur, alia minime: Ita & recentiores Doctores Morales dividunt qualitates morales, quas vocant, in illas, quæ non tendunt aut ordinantur ad operationem, ſed tantum ad inſtar nudæ formæ ſubjecto conveniunt & tribuuntur:



Digitized by Google

vocantque qualitates morales *formales*: & in eas, quæ ordinantur ad operationem ſpectatam vel ut eſt actio vel ut eſt paſſio, & has qualitates morales *operativas* nuncupant, ac rurſus in *activas* & *paſſivas* dividunt. Hac ratione qualitates morales formales ſunt tituli, quibus deſignantur diſcrimina perſonarum moralium in vita communi ſecundum æſtimationem ac ſtatum: quales ſunt tum illi, qui vocabulis officiorum ac ſtatuum honoris cauſa adjungi ſolent, ut: Sereniſſimus, Eminentiſſimus, Illuſtriſſimus &c. tum qui directe notant aliquem ſtatum, ut ſunt tituli perſonarum moralium ſaltem honorificum ſtatum obtinentium. Contra qualitates morales activæ ſunt poteſtates & jura quæſita: paſſivæ obligationes. Cæterum recentiores, qui hiſce ſpeculationibus immane quantum indulgent, etiam ſubſtantias in phyſicas & morales dividunt: e. gr. phyſica ſubſtantia eſt homo, moralis ſubſtantia ipſis eſt e. gr. conſul, lictor, ſi ſpectetur non ut eſt homo, ſed ut conſul vel lictor.

III. Aliter vero multi *Recentiores*, aliter *Ariſtoteles* aliique *Philoſophi* accuratiores hanc rem tractant. His enim (1) doctrina de qualitatibus moralibus eſt analogica quædam tractatio: Illi vero venditant qualitates morales pro proprie & recte ſic dictis accidentibus, unde ſubſtantiæ (non phyſicæ qua tales,

tales, ſed morales, ut ſenſa ſua explicant) quales denominentur. (2) Hi doctrinam hancce pro mera nomenclatura & nominali doctrina habent, adeoque tali, quæ quo diligentius & prolixius tractatur, magis intricata quam extricata reddat ſtudia moralia, luſusque otioſorum ac ſimul eruditiſſimorum ingeniorum arguat: Illi dolent, & deteſtantur Profeſſorum Academicorum incuriam, quam in culpa eſſe clamant, quod talia antehac in ordinem non ſint digeſta, nec ipſorum indoles curatius tradita. Non enim vitio ſibi vertunt, ſi quod in aliis ſæpenumero citra fas & æqvum reprehendunt, ipſimet faciant, hoc eſt, aliorum doctrinas pro involucris grammaticalibus & meris nomenclaturis venditent, ipſi tamen novorum terminorum innumera plauſtra advehant, quibus macerent & lacerent ingenia juniorum, qui nihilo doctiores evadunt, & ſæpe efficiunt, ut nullos alios idoneos ſcriptores veteres conſulere poſſint, & nec alios intelligere, nec ab aliis intelligi queant. Quid quod ipſi tot novorum terminorum fabri ſæpe non intelligunt ſuos terminos, & ut habeant, quo ſe excuſent, dicunt meliorem ſignificationem in mentem nunc incidiſſe. (3) His alio ſenſu qualitates morales ſunt e. gr. virtus moralis, vitium morale: Illis minime, ſed ad qualitates phyſicas ſpectant.



Digitized by Google

IV. Interim eandem adhuc ſententiam circa hæcce talia tuemur, quam ſupra de abuſu practico axiomatis: *A reali ad ens reale non valet conſequentia; pag. 266. & ſeqq.* propoſuimus. Add. quæ in uſu practico ejusdem axiomatis *pag. 221. & ſeqq.* Item in uſu & abuſu practico axiomatis: *Non entis nulla ſunt prædicata pag. 211. & ſeqq.* Item *cap. 5. pag. 398. & ſeqq.* prolixe declaravimus.

# CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM

De

# RELATIONE.

## §. 1.

RElatio datur, *quando unum dicit reſpectum ſeu habitudinem ad alterum.*

§. 2. Diſtinguitur in *relationem realem & relationem rationis.*

§. 3. *Relatio realis* diſtinguitur in *relationem poſſibilem & actualem. Relatio poſſibilis* dicitur, *quando unum reſpectum aut habitudinem ad alterum dicere nemine cogitante poteſt, ſive actu di-*

*dicat, ſive minime*: e. gr. quando Politici & JCti tractant quæſtionem: Num dominium ſupereminens dari poſſit? Quæſtio eſt de relatione poſſibili.

§. 4. *Relatio realis actualis* vocatur, *quando unum nemine cogitante actu reſpicit alterum ſeu nemine cogitante habitudinem ad alterum dicit*: e. gr. quando Politici & JCti quærunt: Num huic ſit jus imperii aut dominii ſeu proprietatis (ſive plenum ſive minus pleno) quæſitum? Eſt quæſtio de relatione actuali.

§. 5. Uſum inſignem doctrina de relatione reali & in univerſa Morali ac Civili Philoſophia, & in omni Jurisprudentia ac Theologia præſtat. Nulla namque doctrina ſive Moralis, ſive Politica, ſive Juridica, ſive Theologica datur, quæ non ſit vel de relatione reali, vel re-

la-

lationem realem præſupponat, vel relationem realem pro eſſentiali conſequente habeat. Annon enim tota Philoſophia Moralis eſt de moralitatibus, adeoque de relationibus. Moralitates enim actuum ſunt relationes actuum voluntariorum ad naturam rationalem qua talem, ipſaſque moralitates actuum humanorum neceſſario conſeqvuntur relationes ad legem naturalem ſumtam pro decreto ſuperioris quo totum humanum genus ſibi obligat, ut ad præſcriptum iſtius actiones ſuas componat. Pariter tota Politica doctrina eſt de ſocietatibus, h.e. ſtatibus perſonarum certos ordines adeoque relationes inter ſe ſervantium. Nec quiſquam ullam doctrinam formaliter practicam ſive ex Juriſprudentia ſive ex Theologia ſine decenter & accurate ſpectata aut monſtrata relatione reali
ſibi

ibi aliisve perſpectam redderet.

*N O T A.*

Non debent confundi relatio poſſibilis & relatio potentia: Nam ab hac ad illam, non vero ab illa ad hanc conſequentia valet.

§. 6. Non omnis relatio realis eſt ens reale: e. gr. relatio realis eſt inter duos homines cœcos, quia per hoc nemine cogitante ſibi ſimiles ſunt, quod uterque cœcus eſt: At illa relatio realis (utpote cujus fundamentum eſt cœcitas, quæ ſane eſt privatio adeoque non ens) non eſt ens reale.

*N O T A.*

Conferantur ea, quæ ſupra *pag.* 219. & *ſeqq.* circa hoc axioma: *A reali ad ens reale non valet conſequentia*; diſſeruimus, ex quibus ſimul de uſu practico hujus §. conſtare poterit.

§. 7. Multo minus omnis relatio realis accidens prædicamentale dici poterit. Si enim non omnis relatio realis eſt ens reale, multo minus omnis relatio realis erit reale accidens.

No-

Digitized by Google

*NOTA.*

Vexatam quæſtionem credimus: An relatio realis detur, quæ ſit accidens, hoc quidem ſenſu, ut verum agnoſcat ſubjectum ὑπαρξεως inhæſionis? Quippe affirmativa facilior creditu quam probatu accuratioribus apparuit.

§. 8. Nec ſequitur: Si relatio realis eſt ens reale, tot dabuntur entia realia, quot ſcilicet relationes reales dantur: Nam in divinis relationes perſonales, quas etiam vocant relationes Dei ad intra, ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, nec tamen ſunt realiter diſtincta entia, quia quoad rem ſunt ipſa eſſentia DEI, adeoque unum numero ens manent.

*NOTA.*

Cave confundas relationes DEI ad intra cum relationibus DEI internis: De illis ſolus agit Theologus, ſpectant enim ad locum de myſterio SS. Trinitatis: De his agit & Theologus & Philoſophus, & hic quidem in Pnevmaticis ut & Moralibus.

§. 9. *Requiſita* cujuslibet relatio-

tionis realis recte & accurate conſiderat, qui ſex ſequentia cognoſcit: 1. Illud, quod relationem realem dicit ad alterum: Dicitur *Subjectum relationis.* 2. Aptitudinem illam, unde aliquid hoc habet, quod nemine cogitante relationem realem ad alterum dicere poſſit, ſive actu dicat, ſive minime: Vocatur *fundamentum ex parte ſubjecti.* 3. Id, unde habet, quod actu reſpiciat alterum: Nominatur *ratio fundandi.* 4. Hoc, ad quod alterum reſpectum ſeu habitudinem realem dicit: *Terminus* nuncupatur. 5. Aptitudinem illam, unde aliquid hoc habet, quod alterum ad ipſum referri poſſit: *Fundamentum ex parte termini* denominatur. 6. Id, unde habet, quod actu ab altero reſpiciatur. *Ratio terminandi* audit. E. gr. cauſa & cauſatum ſunt relata: Subjectum vocabatur materia-

*NOTA* … quæſtionem … tur, quæ ſit … verum agnoſca … tionis? Quippe … probatu …

8. Nec ſequitur … ens reale, tot … , quot ſcilicet … antur: Nam in … perſonales, quas … lationes Dei ad intra … liter diſtinctæ, … liter diſtincta … rem ſunt ipſa eſſent … que unum numero.

*NOTA* … confundas relationes DE… tionibus DEI internis: … eologus, ſpectant enim … o SS. Trinitatis: De his … & Philoſophus, & hic quidem … ut & Moralibus.

9. *Requiſita cujuslib…*



Digitized by Google

teriale cauſæ ; Fundamentum ratio cauſandi ex parte cauſæ ; Ratio fundandi cauſalitas ex parte cauſæ : Terminus appellabatur materiale cauſati ; fundamentum ex parte termini ratio cauſandi paſſive ſpectata ; ratio terminandi cauſalitas ex parte cauſati.

*NOTÆ.*

I. Vid. *caput VIII.* & *IX.* imo tota doctrina de cauſis ſuperius tradita.

II. Nullam doctrinam practicam feliciter tradi aut percipi poſſe credimus, niſi hæc probe ponderentur: Terminis interim allatis inter docendum ac diſcendum uti nec ſemper neceſſarium eſt, ſæpe non adeo utile, non raro valde indecorum : E. gr. ſumamus doctrinam moralem de promiſſione, quæ multiplicem dicit relationem: nunc ad cauſam efficientem, a quo poſſit promitti? nunc ad materiam objectivam, quid poſſit promitti? nunc ad materiam ſubjectivam, cui poſſit promitti? nunc ad finem, cujus gratia poſſit promitti? nunc ad cauſam impulſivam, ob quid poſſit promitti? nunc ad formam, quomodo poſſit promitti? Hæ ſane quæſtiones omnes ſunt de relationibus poſſibili-

bilibus, de materialibus ſcilicet dictarum cauſarum ipſisque cauſandi rationibus ſeu actibus primis: Sed ſi in ſingulis quæſtionibus in locum iſtius locutionis: *poſſit promitti*, ſubſtituatur hæc formula: *promittatur*, e. gr. *a quo, quid, cui promittatur* &c. quæſtiones ſunt de relationibus actualibus. Et ſane hæ quæſtiones plurimæque aliæ ipſis cognatæ & ex *Moralibus*, & ex *cujusvis juris poſitivi*, & ex *Theologiæ* principiis deciduntur. Ita in Politicis quæritur: An hic poſſit matrimonium inire? Eſt quæſtio de ſubjecto relationis. Quo titulo jus imperii maritalis quæri poſſit? Eſt quæſtio de fundamento ex parte ſubjecti. Per quodnam huic ſit jus quæſitum imperii maritalis? Eſt quæſtio de ratione fundandi. An cum hac poſſit matrimonium iniri? Eſt quæſtio de termino. Quo titulo jus imperii maritalis in hanc quæri poſſit? Eſt quæſtio de fundamento ex parte termini. Per quidnam in hanc jus imperii maritalis quæſitum ſit, & quæ ſit ipſius obligatio? Eſt quæſtio de ratione terminandi. Omnes autem hæ quæſtiones erant ſolummodo de relatione conjugii ad cauſam efficientem: Ut nunc tacite innuamus relationes ad cauſas reliquas. Conferantur ea quæ ſupra *cap. XIV. not. 5. ad §. 7. pag. 803.* monuimus, utpote quæ huc etiam apprime quadrant.

§. 10. Relatio rationis duplex eſt: Una, quando ex errore pro relatis realibus habentur, quæ talia non ſunt, tamen eſſe poſſunt. Altera, quando pro relatis realibus habentur, quæ talia nec ſunt nec eſſe poſſunt. Et hæc poſterior relatio κατ' ἐξοχὴν relatio rationis dicitur.

*NOTA.*

Relatio rationis nunc excluſive ſumitur, & ita accipiebatur in *præſenti* §. Nunc vero abſolute accipitur, & ita, quæ relata realia ſunt, etiam rationis relata dici poſſunt, hoc ſcilicet ſenſu: Ratio noſtra dum relata realia talia cognoſcit, qualia ſunt, ea ad ſeinvicem refert. Sed hæc poſterior acceptio non eſt in adeo frequenti uſu.

## CAPUT QVADRAGESIMUM SEXTUM

*De*

# ACTIONE & PASSIONE.

§. I.

*Actio in Metaphyſicis ſumitur, prout realiter abſtracta eſt a ſub-*

Digitized by Google

ubſtantia & accidente: Nam ctiones Dei internæ, quæ utique Metaphyſicæ conſiderationis ſunt, & in Pneumatica ſpectantur, non unt accidentia, ſed quoad rem ſubtantia, quia ſunt ipſe Deus. E. gr. ecretum Divinæ voluntatis, quo empe DEUS decrevit de ſalute terna Petro quem ab æterno præiderat finali fide meritum Chriſti pprehenſurum ſuumque factuum, conferenda, dupliciter ſpectai poteſt: 1. ex parte Dei, & ſic eſt pſa voluntas Dei, quæ quoad rem ſt ipſe Deus. 2. reſpectu objecti huus, & ea ratione eſt diſtinctum quid a Deo, quia objectum ipſum Deo diſtinguitur. Contra actioies Dei externæ e. gr. creatio angei, item omnes aliæ actiones creaurarum ſive internæ ſive externæ ſunt accidentia.

§. 2. Non igitur omnis actio

ſimul eſt paſſio, ſed hoc ſolummodo intelligendum eſt de actione, quæ eſt accidens, per quod potentia activa cauſativa formaliter talis ſe exerit: Actiones vero DEI internæ non ſimul ſunt paſſiones.

*NOTA.*

Nec actiones Dei internæ ſtricte ſic dictæ, ut: prædeſtinatio; nec actiones Dei ad intra, ut: generatio Filii Dei & ſpiratio Spiritus Sancti ſunt paſſiones. Ratio eſt, quia omnis paſſio importat imperfectionem. Dicis: Dantur etiam paſſiones perfectivæ. Reſpondetur: Etiam hæ arguunt imperfectionem. Nam ſi per eas res perfectior reddita eſt, utique ante non fuit perfecta.

§. 3. Actio vero quæ eſt accidens, ſemper ſimul eſt paſſio: Ita una eademque illuminatio eſt, quæ fit a Sole, & fit in aere. A Sole fit, dum nempe Sol illuminat aerem: In aere fit, dum nempe aer illuminatur a Sole. Ecquis enim tam abſurdus eſſet, ut diceret, aliam eſſe illuminationē, qua Sol illuminat ae-

rem:

rem. Ubinam enim eſſet illa illuminatio? aliam vero eſſe illuminationem, qua aer illuminatur a Sole. Eſt ergo illuminatio, ut fit a Sole actio, & ut fit in aqua paſſio. Idem eſto judicium de omnibus aliis actionibus, quæ ſunt recte & proprie ſic dicta accidentia.

§. 4. Omnis ergo actio externa, ſive ſit Dei ſive creaturæ, eſt accidens: Non autem omne accidens, quod eſt actio, eſt actio externa: Nam omnes & ſingulæ actiones internæ creaturarum ſunt accidentia: Actiones DEI internæ prorſus non ſunt accidentia, ceu ante oſtendebatur.

§. 5. Nulla quoque actio eſt in agente qua tali: Aut enim eſt actio DEI, aut creaturæ: Si illud, aut eſt actio Dei interna, & ſic plane non eſt in patiente, quia plane non eſt paſſio: aut eſt actio Dei ex-

terna, & ſic in eo eſt, in quo recipitur: Jam vero non recipitur in Deo, quia Deus omnis potentiæ paſſivæ expers eſt. E. in alio eſt extra Deum, quod non eſt agens, ſed patiens: Aut eſt actio creaturæ, eaque iterum vel externa, & ſic eſt extra agens: vel interna, & ſic eſt in agente, ſed non ut agente. In eo enim eſt actio, quod illam recipit aut retinet: At agens ut agens nec recipit nec retinet. Quia recipere ac retinere eſt pati, ac requirit potentiam paſſivam: Agens vero ut agens non dicit potentiam paſſivam, ſed activam.

*NOTA.*

Plura de actione & paſſione hujusque doctrinæ uſu practico ſupra *capite XV. §. 7. & ſeqq. pag. 877. & ſeqq.* item *capite XXVIII.* & ſatis prolixe quidem egimus, quando de cauſa agente & patiente tractatio inſtituebatur.



Digitized by Google

# CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM
## De
# DURATIONE.

§. 1.

UT rectius conſtet, *quid ſit duratio*? notandum probe, quod *duratio*, quia dicit relationem (notat enim ſimul id, cujus duratio eſt) poſſit *dupliciter ſumi*: (1) *intrinſece, materialiter* ſeu *fundamentaliter*, ut *Scholæ* loqvuntur, hoc eſt, ex parte fundamenti. (2) *extrinſece, formaliter, notionaliter*, ut *Scholaſtici* loqui amant. Jam *ſi priori modo ſpectetur duratio, realiter non differt ab ente*: Si enim ab ente qua tali realiter differret, differret etiam a Deo: Deus enim isque ſolus maxime durat, cum ſolius Dei duratio ſit interminabilis, ut Scholæ loqvuntur, hoc eſt, nullum terminum habuerit aut habere poſſit. Pugnaret igitur cum ſimplicitate



Digitized by Google

DEI, durationem eſſe in Deo, ita ut realiter a DEO differat. *Si poſteriori modo duratio conſideretur, utique ſalva veritate defendi poterit, quod formaliter ac diſtinctione reali extrinſeca* (quæ tamen abſolute realis diſtinctio dici nequit) *differat ab ente*, cum noſtro modo concipiendi notet æqualitatem entis permanentis in ordine ad partes entis ſucceſſivi.

*N O T Æ.*

I. De duratione in *Metaphyſicis* ex profeſſo agendum eſſe, nemo accuratiorum Metaphyſicorum negaverit. *Scholaſtici* ſicuti ſimplices entis affectiones ſeu potius ſimplicia attributa entis: eſſentialem unitatem, veritatem eſſentialem, bonitatem eſſentialem dixerunt, ita quoque durationem (& quæ ipſorum dictio eſt) ubicationem ſeu ubietatem ſimplicium attributorum entis nomine cenſent. Et quicquid tandem ſit de hac Scholaſticorum ſententia, nemini facile incognitum fuerit, quod duratio ſano ſenſu omnibus entibus, maxime tamen proprie & pri-

primario entibus permanentibus, ut vocantur, imo certo modo etiam non entibus (ita dicimus: tenebræ durant, malitia durat, durat ignorantia) tribuatur. Si igitur nulla alia de cauſa, profecto vel ob ſolam hancce communitatem notio durationis in *Philoſophia Prima* eſſet expendenda.

II. Quando a parte rei & ex parte fundamenti ſui aliquid recte ſpectatur, vocant Scholaſtici talem conceptum fundamentalem: Si vero ex parte intellectus ſpectetur, hoc eſt, ſi noſter modus concipiendi examinetur & attendatur, Scholaſtici dicunt conceptum formalem: E. gr. conſideramus ulnam a parte rei, ſi ipſum illud lignum aut ferrum (extenſum) ſpectemus, quod ulnam vocamus, ipſum namq; lignum aut ferrum, & ipſa ulna, quæ lignea aut ferrea dicitur, ſunt una res, quæ vi ſuæ extenſionis denominationem ulnæ ſubire apta eſt: Et ita ulnã materialiter ſeu fundamentaliter ſpectamus: E contrario ſi formaliter ſpectetur ferrum ac formaliter ſpectetur ulna, realiter inter ſe quodammodo differunt extrinſece; lignum enim aut ferrum ab arbitraria hominum impoſitione denominationem ulnæ & appellationem ſortitum fuit, quia fieri potuiſſet, ut huic ligno aut ferro, quod jam ulna eſt, nunquam hoc ab hominibus imponeretur, ut ulnæ formaliter ita dictæ denominationem

ſubiret, ſicque conceptus formalis ulnæ ab hoc ligno aut ferro abſuiſſet.

III. Diximus formaliter nihil concipi ut durans, niſi habito reſpectu ad partes entis ſucceſſivi.

IV. Sunt qui objiciunt, ſtante aſſertione (quam hoc §. explicuimus) Deo imperfectionem tribuendam eſſe: Verum reſponſio facilis eſt: Nam ſi diſtinctio realis extrinſeca, per quam duratio formaliter ſpectata a Deo differre dicitur, imperfectionem arguit, non arguit in Deo, cum Deo ſit extrinſeca, ſed arguit imperfectionem noſtri intellectus.

§. 2. Ut clarius percipiantur, quæ præcedenti §. dicta ſunt, paucis dicendum venit, quid vocetur *ens permanens*, quid *ens ſucceſſivum*? Scilicet *omne ens aut habet partes, aut non habet: Si prius, illæ partes vel ſimul exiſtunt, & ſic dicitur ens permanens*: ut: homo, lapis; *vel illæ partes nequeunt ſimul exiſtere, ſicque vocatur ens ſucceſſivum*: ut: motus, tempus: *Si poſterius, itidem ens permanens ſanè*

*ſano ſenſu dici poterit, ſi in ordine ad partes entis ſucceſſivi conſideretur.*

NOTÆ.

I. Bene notetur, quod nihil dixerimus formaliter concipi ut durans, niſi habito reſpectu ad partes entis ſucceſſivi; Ex eo namq; πεπαιδευμένος cultor Philoſophiæ primæ facile colligit, quod duratio in communi definiri nequeat, ſed primario & abſolute tribuatur enti permanenti, ſecundario enti ſucceſſivo, quia hoc etiam quodammodo durare dicitur, eo ipſo, quod ſucceſſio partium ejus non interrumpitur.

II. Qui ſtatuunt durationem realiter differre ab ente, urgent imprimis ſequentia: (1) quod nemine cogitante ens poſſit eſſe ſine duratione, ad minimum ſcilicet in primo inſtanti, cum nihil durare dicatur, niſi retineat eſſe poſt primum exiſtentiæ ſuæ momentum. (2) quod ens & duratio nemine cogitante differant ut permanens & ſucceſſivum, cum duratio ita ſe habeat in ente, ut in ea unum non ſit alterum, e. g. hoc momentum durationis, quo Petrus jam durat, non ſit illud ipſum momentum durationis, quando ſcilicet Petrus ante annum duraverat. (3) quod ens & duratio ita ſe habeant, ut duratio augeri queat, vel major evadere: ens vero

qua

quà tale minime, cum eſſentiæ rerum conſiſtant in indiviſibili. Verum ad ſingulas rationes credimus reſponderi poſſe, & quidem ad (1) concedendo, quod duratio ſive eſſe durans realiter differat ab ente ſucceſſivo, non tamen realiter eſſe permanens differt ab ente permanente: Hoc igitur admiſſo (ceu omnino admittendum eſt) quod poſito ente permanente ponatur duratio fundamentaliter ſpectata, nulla realis diſtinctio dabitur inter ens permanens ejusque durationem fundamentaliter ſpectatam. Rem exemplo declaramus ſimili: Sicut in corpore naturali eſſe compoſitum ab ente realiter non differt, & tamen in ſpiritibus eſſe compoſitum realiter differt ab ente: Ita quoque in entibus ſucceſſivis duratio ſeu eſſe durans realiter differt ab ente ſucceſſivo, non tamen eſſe permanens realiter differt ab ente permanente. Ad (2) dicendum, quod ens permanens & duratio, ſi intrinſece ſpectentur, non differant ut permanens & ſucceſſivum quid: in ente enim permanente res ita ſe habet (hoc eſt, eſſentia entis permanentis in eo conſiſtit) ut ſi partes habeat, omnes ejus partes ſint & non poſſint non eſſe ſimul. Paucis: nihil evincitur, niſi hoc, quod formaliter concipi ens permanens nequeat, niſi habito reſpectu ad partes entis ſucceſſivi, quod vel ex vocula *ſimul* conſtat luculentiſſime. Ad (3) reſp. eſſe

Digitized by Google

eſſe magnam ambiguitatem in hac propoſitione, DEus augere poteſt durationem entis permanentis: Primo enim hic poteſt eſſe ſenſus: DEus poteſt augere ipſum ens permanens, quatenus eſt permanens. Secundo hoc ſenſu accipi poteſt, DEus augere poteſt partes ſuccedentes in ente ſucceſſivo, ut majori partium ſucceſſioni ens permanens coexiſtat, & æquale evadat. Priori ſenſu ſumta propoſitio falſiſſima evadit omnique rationi contraria: Poſteriori ſenſu accepta veriſſima eſt, ſic vero aucta denominatur duratio entis permanentis non niſi per extrinſecam denominationem.

III. Fuerunt, qui dixerunt, durationem intrinſece ſpectatam nihil importare niſi negationem deſtructionis: Sed falſum hoc eſt. Quomodo enim negatio realiter eadem eſſe poterit cum ente? Imo hac ratione dicendum potius eſſet, quod deſtructio importet negationem durationis: ſicut e. gr. viſus non dicit ex parte ſui negationem cæcitatis, ſed cæcitas importat negationem viſus.

§. 3. *Duratio* commode dividitur *a Scholaſticis* in *durationem interminatam* & *durationem terminatam*. *Illam* vocant *durationem, quæ non habet terminum:*

*num: Hanc, quæ terminum agnoſcit. Interminata duratio duplex eſt, alia* nempe eſt *interminabilis, quæ* ſcilicet *terminum habere nequit: Alia* vero eſt *terminabilis*, hoc eſt, *quæ terminum habere poteſt. Interminabilis duratio* dicitur *in Scholis duratio per eſſentiam, æternitas per eſſentiam, æternitas* κατ' ἐξοχὴν, eſtque ſoli DEO propria, ac ſecundum noſtrum concipiendi modum fluit ex immutabilitate DEI. *Duratio terminabilis ut tamen non ſit terminata*, a Scholaſticis vocatur *æternitas per participationem*, item *æternitas arbitraria*, hacque ratione æterna fuiſſet dicenda creatura, ſi DEUS eam ab æterno producere potuiſſet & produxiſſet, eaque in æternum duratura fuiſſet.

*NOTA.*

Huc ſpectant ea, quæ de illa quæſtione: Num Deus potuiſſet producere creaturam ab

ab æterno, inque æternum duraturam? ſupra *capite X. de poſſibili, notis ad §. 1. pag. 612 & ſeqq.* prolixe deduximus.

§. 4. *Terminata duratio* iterum duplex eſt: aut enim ab utraque parte habet terminum, aut ab alterutra parte: Si ab utraque parte terminum habet, *tempus* vocatur: Si vero ſaltem ab alterutra parte, *ævum* dicitur: E. gr. homo qui ante 20. annos lucem viderat, hodie moritur, dicitur habuiſſe terminatam durationem, & a parte antica ſeu a parte ante & a parte poſtica ſeu a parte poſt: Sic enim loqvuntur Scholæ: habuit namque hujus hominis duratio ante 20. annos initium, hodie habet finem, dum homo moritur, ſicque homo eſſe deſinit.

NOTÆ.

I. *Ævum* iterum *duplex* eſt, *ævum a parte ante* e.gr. ſi Deus ab æterno Angelum creasſet, & hodie in nihilum redigeret, ſeu (ut Scholaſtici loqvuntur) annihilaret, ſic iſte Angelus ſaltem a parte ante fuiſſet æviternus

nus: Contra *ævum a parte poſt* interminata erit duratio beatorum in cœlis ac damnatorum duratio in gehenna. Facile ergo erit diſtinguere inter *æternitatem* & *æviternitatem*, æternum & æviternum, ut Scholaſtici diſtinguere ſolent, quippe facillimum erit rationem utriusque discriminis apprehendere, modo quæ dicta ſunt attendantur.

II. Sicut unitas eſt id, quo ens eſt unum; duratio eſt id, quo ens durat; ita ubietas ſeu ubicatio dicitur id, quo ens in ubi eſt ſive ubique ſit ſive alicubi.

# CAPUT QUADRAGES. OCTAVUM

## De NOTIONE UBIETATIS SEU UBICATIONIS, ceu a Scholaſticis dicitur.

### §. I.

In quo ratio formalis *ubietatis* conſiſtat & quomodo ubietas ab ente differat? cognoſcitur facile, ſi repetamus diſtinctionem præcedentis *capitis* §. *1.* traditam: Nempe funda-

undamentaliter ac intrinſece ſi pectetur ubietas, nullum dabitur eale diſcrimen inter ens & entis ibietatem : Si vero extrinſece & ormaliter conſideretur, ſic importat ſimul realem reſpectum ad ſpatium, in quo ſalva veritate ens eſſe concipitur.

### *NOTÆ.*

I. Sicut unitas eſt id, quo ens eſt unum; duratio eſt id, quo ens durat: Ita ubietas eu ubicatio a Scholæ Doctoribus dicitur id, quo ens in ubi eſt, ſive ubique ſit, ſive alicubi. Nec ſane uteremur hac dictione, niſi ea n Scholis Theologorum eſſet recepta, hæcque doctrina: Omne ens eſt in ubi; & vera & tilis ab Orthodoxis Theologis pronunciaretur.

II. Multæ lites moventur de eo, quid ſit ſpatium? Sunt, qui dicunt, eſſe nihil, nec pauci ex illis vocant reale & poſitivum nihil, diſtinguentes inter nihil poſitivum & nihil negativum. Alii volunt eſſe reale, nec tamen ens reale. Alii dicunt eſſe ens reale, nec tamen ſubſtantiam nec accidens, ſed medium inter ſubſtantiam & accidens. Alii alias fovent opiniones, qua de re nunc expro-

ſeſſo agere noſtri non eſt inſtituti. Quicquid interim ſit in præſenti, ſive ſpatium ſit reale, ſive nihil, toties tamen ubietatem entis formaliter concipimus, quoties concipimus ens in ſpatio, e.gr. concipio æternam Dei ubietatem, ſi noſtro concipiendi modo cogitem, quod Deus ab æterno fuerit in ſpatio. Et ſi forte urgeas, ab æterno nihil præter Deum fuiſſe, veriſſimus tamen manet hic conceptus, quod Deus in ſpatio fuerit.

§. 2. *Ubietas* a Scholaſticis rurſus dividitur *in ubiquitatem*, & *alicubietatem*. *Ubiquitas* alia eſt *ubiquitas neceſſaria*, alia *ubiquitas arbitraria*: *Illa* etiam *ubiquitas per eſſentiam*, *hac ubiquitas per participationem* dicitur. Utraque vero recte definitur, quod ſit *ubiquitas interminata*, *ut tamen illa ſit interminabilis ſolique Deo propria, hac vero terminabilis*. E contrario *alicubietas* eſt *ubietas terminata*: e. gr. Petrus eſt ibi & non alibi.

*NOTÆ.*

I. Ut ante monuimus, e *præced.* capite doceri-

doctrina hujus capitis melius percipi prolixiusque cognoſci poteſt.

II. Jam patet diſcrimen inter omnipræſentiam & multipræſentiam, ut vocant.

III. Non debent confundi: *eſſe in ubi* & *eſſe in loco*. *Hoc* ſoli corpori naturali competit, nec tamen omni: ita e. gr. cœlum eſt corpus naturale, nec tamen ex mente eorum qui ſupremum corpus eſſe ſtatuunt hacque ratione partes ejus aliena ſuperficie contineri negant, eſt in loco: Ex mente Theologorum vero aquas ſupracœleſtes ſtatuentium eſt in loco, ſed hæ non erunt in loco ex ea parte, qua ſupra cœlum ſunt, niſi aliud corpus naturale ſuper iis ſtatuere velint: Imo quicquid tandem ſtatuatur, oportebit aut te ſtatuere corpus naturale ſupra corpus naturale in infinitum, quod abſurdiſſimum: aut admittere neceſſum habebis corpus ſupremum, quod qua partes ſupremas non ſit in loco.

§. 3. Scholaſtici aliique communiter tres tradunt modos, quibus aliquid in ubi eſt: (1) *repletive, quod ita in omni eſt ubi, ut nec habeat finem adeſſendi, nec habere poſſit*: Dicuntque proprium ſolius

 DEI,

DEI, qui non ſolum in toto hoc univerſo, ſed etiam extra ipſum in infinitis ſpatiis imaginariis ſit, ut tamen iis nec definiatur, nec circumſcribatur. (2) *definitive*, quod *alicubi eſt, ut per naturam alibi ſimul eſſe nequeat, ita tamen ibi eſt, ut totum ſit in toto & totum in qualibet parte ejus*: Et hoc proprium ſpirituum creatorum, hoc eſt, angelorum & animarum rationalium cenſent. (3) *circumſcriptive, quod alicubi eſt, ut dimenſionem faciat & totum exiſtat in toto, utque pars in parte*: hocque proprium corporum eſſe docent.

*NOTA.*

In hac *Scholaſticorum* diviſione non pauca ab aliis iisque magni judicii viris deſiderantur. *Primo* enim alia entia præter Deum, Angelos, animas rationales & corpora naturalia etiam ſunt in ubi, cum tamen *Scholaſtici* ſaltem enumeratis entibus ubietatem tribuerint, ſicque eam nimis reſtrinxerint. *Deinde* non pauci ex ipſius *Scholaſticis* defendunt,

Digitized by Google

unt, etiam ens creatum (per abſolutam ſci-
cet Dei potentiam) poſſe eſſe ubique. Hi
ſum uti æternitatem, ita & ubiquitatem in
lem per eſſentiam & talem per participatio-
m diſtingvunt. *Tertio* quod *ubietatem de-*
*itivam,* ut vocant, attinet, ſane non cre-
int accurate dici poſſe, totam animam ra-
onalem eſſe in toto corpore, & totam in
ualibet corporis parte. Ratio ipſorum eſt,
uia de anima rationali agitur, ut ſpiritus eſt:
igitur ſpiritus eſſet totus in toto corpore
totus in qualibet corporis parte, quomo-
absque extenſione ante totus in paucioti-
is, nunc totus in pluribus partibus corpo-
fuiſſet, nunc in omnibus eſſet corporis par-
ous totus, nunc iterum ſaltem in aliquibus
tus, ſemper tamen idem manens? Conſtat
r experientiam, cor in homine aliisque ani-
alibus eſſe primum vivens, quod vel ex fœ-
andorum ovorum quibus gallina incubat,
ſpectione, ſi juſto tempore inſtituatur, co-
noſci ſatis poteſt: Jam ſi tota anima ratio-
alis eſſet tota in ſolo corde, poſtmodum
ota etiam in aliis partibus poſt cor ortis, de-
num tota eſſet in omnibus partibus, rurſus
ota ſaltem in aliquibus partibus, ſi homini
pedes manusque aliæque partes abſcinderen-
tur, ipſe tamen adhuc viveret: non apparet,
quomodo ſine extenſione animæ ea nunc to-
ta in pluribus, nunc tota in paucioribus dici

poſſet. Accedit, quod accurate loquendo anima rationalis non ſit totum primario ſic dictum cum ſit ſpiritus, adeoque ens indiviſibile. Denique non omne corpus naturale eſt in loco, ceu ſupra *pag.* 1825. monuimus.

# CAPUT QVADRAGESIMUM NONUM

## *De*
## SIGNO & SIGNATO, hujusque doctrinæ uſu practico.

§. 1.

Etiam ſigni & ſignati doctrina & propter nimiam harum notionum communitatem & propter ampliſſimum, quem præſtat in omnibus ſcientiis ac facultatibus, uſum, Metaphyſica eſt.

§. 2. *Primario ſignum de ente, ſecundario de non ente* dici poteſt, nam & non entia ſuo modo ſigna dici poſſunt: e. gr. tenebræ veſpertino tempore exorientes pro futuræ noctis ſigno habentur.

NO-

Digitized by Google

*N O T A.*

Idem de ſignato judicium eſto.

§. 3. *Signum primario ſic dictum* eſt *ens, quod potentiæ cognoſcenti immediate aliquid repræſentat*: e. gr. fumus eſt ſignum ignis, quatenus hominis potentiæ cognoſcenti repræſentat ignem immediate, hedera ſuſpenſa eſt ſignum vini vendibilis: Ita a Theologis Sacramenta ſigna gratiæ cœleſtis vocantur.

*N O T A.*

Laxiori ſignificatu ſignum dicitur omne id quod potentiæ cognoſcenti immediate aliquid repræſentat, ſive id quod ſigni nomine venit, ſit ens, ſive non ens.

§. 4. *Signatum* eſt *ens, quatenus potentiæ cognoſcenti immediate repræſentatur*: e. gr. vinum vendibile reſpectu ſuſpenſæ hederæ, ignis in ædibus exiſtens reſpectu fumi ex ædibus prorumpentis.

N O T A.

Quæ de *ſigno* diximus, de *ſignato* quoque intelligi debent.

§. 5. Uti ſignum reſpicit ſignatum, ita omnino neceſſarium eſt ad meliorem doctrinæ notitiam noſſe accuratam explicationem illius relationis, quam ſignum dicit ad ſignatum: *Duplex* vero *realis relatio in ſigno reali* conſideranda venit: *Una* eſt, *quam ſignum dicit ad eam rem, cujus ſignum eſt & dicitur*: *Altera* vero, *quam importat ad potentiam cognoſcentem, cui id, quod ſignum vocatur, rem illam, cujus ſignum dicitur, repræſentat*. Pariter *ſignatum duplicem relationem arguit*: *Unam* nempe *ad rem, quæ ſignum dicitur*: *Alteram ad potentiam cognoſcentem, cui id quod ſignatum audit, repræſentatur*.

N O T Æ.

I. Repræſentare hoc loco idem eſt, quod præ-

ræſens facere, & repræſentari idem, quod ræſens fieri.

II. Cum vero *duplex* in *Scholis* ſtatuatur reſentia: alia *realis*, alia *intentionalis*, ut vo- ant, *ſive objectiva*, ut itidem dici ſolet, non illa, ſed de hac nobis ſermonem fuiſſe fa- ile liquet.

III. Non ſine ratione vocula: *immediate*, djiciebatur, ut ſignificaretur, de immediata epræſentatione nobis ſermonem fuiſſe: Nam on ſtatim, quod quocunque modo alterum acit in notitiam venire, ſigni nomine cenſe- i poteſt.

IV. Multis non adeo placet ſigni defini- io ab *Auguſtino* tradita: *Signum eſt id, quod præter ſui externam ſpeciem, quam ſenſibus in- gerit, aliud facit in cognitionem venire*. Nam dantur (1.) ſigna mere ſpiritualia, quæ ſen- ſibus nullam ſpeciem externam ingerunt: Ita quando angelus angelo loquitur, certe nulla ſpecies ſenſibus ingeritur, quia angeli ſenſi- bus carent. (2) Conceptus intellectus ſunt ſigna rerum per intellectum cognitarum, non tamen ſenſui, ſed intellectui ingerunt ſpeciem. Nec (3) neceſſarium eſt, ut quod- vis ſignum cognoſcatur: Dum enim aliquid concipio, non opus eſt ut concipiam me con- cipere, aut cogitem me cogitare.

## §. 6. Liceat præcipuas ſigni di-

ſtinctiones breviter percurrere: Diſtingui (I) ſolet in ſcholis inter *ſignum verbale* & *reale*: *Verbalia ſigna dicuntur verba, ut ſunt ſigna: Cætera* vero *res ſi ſigna ſint, ſigna realia nuncupantur*: E.gr. mutui conſenſus, per quem mas & fœmina actu ipſo fiunt maritus & uxor, ſignum verbale eſt, dum ad quæſtionem: an velit, ut ex hoc momento ſit inter ſe & perſonam alteram veriſſimum conjugium? reſpondetur ab utraque perſona: quod ſic. Reale ſignum eſt, e.gr. quando quis debitori ſuo, petenti debiti remiſſionem, chirographum reddit.

§. 7. Diſtingvitur (II.) *Signum* (cum verbale tum reale) in *poſitivum* & *negativum*: *Signum verbale negativum eſt ſilentium, quatenus ſignum eſt*; e. gr. Filius præſente Patre nomen militiæ dedit, po-

potuiſſet ſane hnnc actum Pater impedire, ſi contradixiſſet, interim quia tacuit, ubi contradicere debuiſſet conductori, ſi noluiſſet ut filius tympanum ſequeretur, ſilentium in tali caſu recte habetur pro vero ſigno patrii conſenſus, quo nempe conſenſit in filii militiam. *Signum reale negativum eſt alius rei aut facti omiſſio, quatenus ſignum eſt*: e. gr. poſſedit quiſpiam bona fide agrum aut vineam, poſſederunt etiam Majores ejus, & quidem bona fide, poſſederunt omnes longo tempore, memoriamque excedit hæc poſſeſſio, nullo verbo aut facto (ex quo tanquam ſigno conſtare poſſet alium in agro aut vinea iſta jus quæſitum habere, velleque eſſe Dominum) poſſeſſio iſta fuit impedita, interpellata aut turbata, adeſt igitur duplex ſignum ex quo colligitur, jus proprietatis ſeu domi-

dominiũ hujus vineæ aut agri eſſe iſti poſſeſſori quæſitum, utrumque vero negativum ſignum: unum verbale nempe ſilentium, alterum reale, nempe omiſſio realis impedimenti. Ita in ſacris literis Iephtes Regi Ammonitarum ſibi vendicanti terras inter Arnonem & Jabocum, & ab Arabum deſertis ad Jordanem ſitas, objicit trecentorum annorum poſſeſſionem, & ab eo quærit, cur ipſe ejusque majores tanto tempore ceſſaverint. Exempla *ſigni poſitivi* cum verbalis, tum realis, præcedenti §. indicabantur.

§. 8. *Signum* (III.) diſtinguitur in *naturale* & *arbitrarium*: *Naturale ſignum* vocatur, *quod ſignat ſe ſolo*, (ita loqvuntur Scholaſtici) *nulla prævia inſtitutione ab extrinſeco facta*: e. gr. ſignum naturale eſt fumus reſpectu ignis, quia ſe

è ſolo fumus ignem ſignat. *Signum arbitrarium* eſt, quod ſignat dependenter ab extrinſeco inſtituente aut ordinante vel imponente: e. gr. ſignum arbirrarium vini vendibilis eſt ſuſpenſa hedera: ita vocabula ſunt ſigna arbitraria rerum, quia hoc, quod ſint ſigna rerum talium, habent ab impoſitione.

### *NOTA.*

Rurſus *arbitrarium ſignum* diſtingui ſolet, in *ſignum arbitrarium primi generis*, & in *ſignum arbitrarium ſecundi generis*: *Illud* vocatur, cujus *ratio ſignandi penitus pendet a mero extrinſecus imponentis arbitrio*, nullumque adeo fundamentum in ſe habet, e. gr. cribrum eſt ſignum arbitrarium primi generis reſpectu Jenenſis cereviſiæ vendibilis: *Hoc* dicitur, *quod certa ratione in ſe fundamentum invenit, & non ita prorſus in ratione ſignandi ab extrinſeca impoſitione pendet*, e. gr. hoc forſan titulo ſatis matura vitis ſignum arbitrarium muſti vendibilis dici poterat. Ita diſputant *Phyſici* ac *Theologi*, num iris fuerit ante diluvium? Et ſunt qui volunt, iridem reſpectu non ſecuturi diluvii dici poſſe arbitrarium ſignum ſecun-

cundi generis, cum ex Phyſicis conſtet, quod alias iris exigat nubem roridam & non adeo denſam, ut vix quidem ad pluviam, multo minus ad diluvium queat ſufficere.

§. 9. *Signum* (IV.) diſtinguitur in *certum* & *probabile*: *Illud* eſt, *quod potentiæ cognoſcenti absque omni oppoſiti formidine immediate aliquid repræſentat*: tale ſignum eſt fumus reſpectu ignis. *Hoc* dicitur, quod potentiæ *cognoſcenti non absque oppoſiti formidine immediate aliquid repræſentat*: e.gr. ſignum ſereni diei aurora dicitur. Hic probe notandum venit, quod alia ſit ſignorum certitudo phyſica, alia vero ſignorum certitudo moralis: ita e.gr. aliud ore, aliud corde homines premere poſſunt, oportet tamen aliquam dari verbalium ſignorum certitudinem, hinc quando v. gr. quis talibus verbis utitur, e quibus tanquam ſatis idoneis ſignis novit ab aliis colligi

volun

voluntatem ſuam de futura juris ſui translatione in alium, hæc certe verba certa ſigna dicuntur, ſibique imputet is, qui talibus verbis utebatur, ſi aliud quid his verbis intenderit, nuncque jure quæſito carere neceſſum habeat.

§. 10. *Signa* (V.) a Philoſophis alia τεκμήρια, alia εἰκότα vocantur: *Illa neceſſario ſignant*: Ita fumus eſt τεκμήριον ignis. *Hæc contingenter ſignant*: qualismodi ſignum eſt aurora veſpertina, quando pro ſigno proxime ſequentis ſereni diei habetur. Uſus philoſophandi obtinuit, ut primario & abſolute τεκμήρια vocentur ſigna.

§. 11. Signum (VI.) *a Scholaſticis Doctoribus* aliud dicitur *ſimpliciter manifeſtativum*, aliud *rememorativum*, aliud *demonſtrativum*, aliud *prognoſticum*. *Signum abſolute manifeſtativum* rigo-

rigoroſe loquendo vocatur, *quod rem poſſibilem abſolute ſignat:* qualia ſigna ſunt vocabula, quæ pueri recitant. *Signum rememorativum* eſt, *quod ſignat rem præteritam*: ut: cinis reſpectu combuſti ligni, veſtigium pedis ratione prætergreſſi animalis. *Signum demonſtrativum* eſt, *quod ſignat rem præſentem*, ut fumus reſpectu ignis. *Signum* denique *prognoſticum* eſt, *quod ſignat rem futuram*, uti ſunt ſigna extremi diei, quæ Salvator noſter prædixit.

§. 12. *Signa* (VII) alia ſunt *ſenſibilia*, alia *mere intelligibilia*: e. gr. pulſus campanæ eſt ſenſibile ſignum frequentandi templi, quia imprimit ſpeciem ſenſibilem ſenſui, & quidem auditui: Inde facile liquet, quid ſigni intelligibilis nomine veniat.



Digitized by Google

NOTA.

Si præciſe ſignum ſenſibile dicatur, quod ſpeciem inprimit ſenſui: intelligibile, quod intellectui: latius patebit diſtinctio ſigni, adeo ut ſigna dentur hoc ſenſu nec ſenſibilia nec intelligibilia, cum ipſæ etiam ſpecies ſigna ſint, quarum non dantur aliæ ſpecies. Alias vero omne ſignum dum potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat, aut repræſentat ſenſui, aut intellectui.

§. 13. *Signa* (VIII.) diſtingvuntur in ea *quæ non ſignant niſi antegreſſa ſui cognitione*, & in ea, *quæ ſine ſui cognitione ſignare poſſunt*, ſeu ad quæ non neceſſario requiritur antegreſſa ipſorum (ſignorum) cognitio. Sermo eſt de cognitione ejus, cui ſigna illa ſignificant, aut repræſentant aliquid. Ita e. gr. prioris generis ſignum eſt fumus reſpectu ignis, hedera ſuſpenſa reſpectu vini vendibilis, vocabula reſpectu rerum, quarum ſigna ſunt. Poſterioris generis ſigna ſunt formales conceptus rerum, quia conceptus

ſignant res, & immediate concipienti repræſentant, etſi ipſe non concipiat ſe concipere, hoc eſt, licet ipſe ſuos conceptus non cognoſcat.

*N O T A.*

Hoc Scholaſtici volunt ſua inter *ſignum formale* & *ſignum inſtrumentale* diſtinctione, nempe illa ſigna dicunt inſtrumentalia, hæc vero ſigna formalia.

§. 14. Signum (IX) aliud eſt *theoreticum*, aliud *practicum*: Ita fumus eſt ſignum theoreticum ignis, baptiſmus eſt ſignum practicum gratiæ divinæ.

§. 15. Denique ut longe plures diſtinctiones ſigni prætereamus, diſtinguitur ſignum (X) a Scholaſticis in *ſignum notificans*, *commonefaciens* & *confirmans*. *Signum notificans* nuncupatur, *quod potentiæ cognoſcenti primo aliquid immediate repræſentat*: Vocatur quoque *nota*. *Signum commonefaci-*

*faciens* dicunt, *quod memoriam rei ſignatæ conſervat aut excitat. Signum confirmans* eſt, *quod gradum ſignationis*, ut loqvuntur, *auget.*

§. 16. Multa hic ac notatu digna dici poſſent de *genuinis ac ſpuriis ſignorum requiſitis*, quæ a Scholaſticis *ſigna ſignorum*, item *ſigna ſignantia* appellantur; cum hæc ipſa & in omnibus aliis facultatibus & in Philoſophia ejusque partibus magnum præſtent uſum, ut: quando in Theologia de notis veræ Eccleſiæ, de notis viſibilis Eccleſiæ, de notis Eccleſiæ eſſentialibus, de Sacramentis tanquam ſignis, de ſignis Anti Chriſti, de ſignis adventus Chriſti ac extremi diei agitur: Item quando in *cujuslibet juris doctrina* adeoque etiam in *Moralibus* & *Politicis*, imo quoque in *Theologia* de verbis &

 factis

factis, an & quousque ſigna ſint voluntatis ſatis idonea ac certa in promiſſionibus, contractibus, pactis, ſponſionibus, fœderibus, delictis, ſatisfactionibus, quibusvis aliis conventionibus ac ſingulis negotiis, ſedula ac ſolida tractatio inſtituitur. Et quid quæſo aliud eſt tota *doctrina hermenevtica*, tam nobilis tamque neceſſaria omnium ſuperiorum, ceu vulgo vocantur, facultatum cultoribus ac Doctoribus, quam doctrina de ſignis, qua ſcilicet ratione ex illis conſtare poſſit ac debeat, hunc & non alium ſenſum eſſe dicti Scripturæ Sacræ, legis, hujus vel iſtius ſcripti vel ſermonis &c. Sed de his omnibus ac ſingulis ex profeſſo in axiomatibus hujus capitis agetur, ut eo rectius de genuino abuſu & frequenti ac noxio abuſu hujus doctrinæ conſtet.

CAPUT

# CAPUT QUINQUAGESIMUM

## DE MENſURA ET MENſURATO.

*Item de*

## NORMA ET NORMATO, earumque doctrinarum uſu practico.

§. 1.

Etiam hæ notiones propter communitatem & uſum ex profeſſo ad Metaphyſicam ſpectant.

§. 2. Utut vero menſura una accurata definitione explicari nequeat, videtur tamen commodiſſime ſic deſcribi poſſe: *Menſura eſt ſignum* determinatæ *quantitatis rei.*

*NOTA.*

Dicitur *ſignum*, & in eo menſura cum aliis, quæ menſuræ nomen non merentur, convenit: ita e. gr. hedera nequit dici menſura vini vendibilis, quamvis ſit ſignum ejusdem. E contrario ulna eſt menſura panni, & eſt quo-

quoque ſignum quantitatis panni. Reliqui verbis menſura ſignis illis, quæ menſuræ denominationem non ſubeunt, contradiſtinguitur: E. gr. ulna eſt menſura panni, quia potentiæ cognoſcenti immediate repræſentat quantitatem panni. Per quantitatem quid intelligatur, mox dicetur.

§. 3. *Differunt* igitur *menſura & ſignum* ut *anguſtius* & *latius*, quia *omnis menſura eſt ſignum*, ſed *non omne ſignum eſt menſura.*

§. 4. *Menſura* opponitur *menſuratum* ut vocant, eſtque nihil aliud, quam *quantitas ſignata alicujus rei* ſeu quod eodem redit, *res ſecundum determinatam quantitatem ſuam immediate repræſentata potentiæ cognoſcenti*: Ita menſuratum (Sumitur vero hoc vocabulum pro ſubſtantivo) dicitur pannus, quando determinata ejus quantitas potentiæ cognoſcenti per ulnam immediate repræſentatur.

§. 5

§. 5. Menſuræ nomen eſt, uti dimus, ex numero communium ὸς ἂν, ejusque notio ampliſſima eſt: iam licet primario menſura ſit ſinum quantitatis proprie ſic. dictæ, quam Scholæ quantitatem nolis vocant: ſecundario tamen ignum eſt cujusvis perfectionis, quam quantitatem virtutis appelant. Ut igitur quantitas virtutis n omnibus diſciplinis ac facul- atibus conſideratur; Ita ſecundario notio menſuræ attribuitur omni enti quod potentiæ cognoſcenti immediate repræſentat finitam & determinatam cujusque rei perfectionem, hacque ratione, ut facile liquet, notio menſuræ latiſſime patet, & ad omnes facultates ac diſciplinas extenditur.

§. 6. Plurimæ in Metaphyſicorum voluminibus diſtinctiones menſuræ occurrunt, e quibus ſo-

 lum

lummodo præcipuas in præſenti tangere placet. Diſtinguitur (1) *Menſura* in *adæquatam* & *inadæquatam*: *Illa* vocatur, *quæ cum menſurato plane ejuſdem quantitatis eſt*: *Hæc* dicitur, *quæ quantitate differt a menſurato*. *Inadæquata menſura* iterum *duplex* eſt: Nam *alia* eſt *majoris quantitatis*, quam multi Scholaſtici qui talem menſuram eſſe negant, rationibus magnam præ ſe ferentibus ſpeciem adhibitis. Alia *minoris quantitatis* eſt, hancque Scholæ Doctores vulgo nuncupant *menſuram repetitionis*: e. gr. ſi magnæ molis pannum metiaris ulna, ſæpius ulnam teneris applicare, ſicque ulna a Scholaſticis menſura repetitionis appellatur. (2) *menſura* alia eſt *rei* alia *cognitionis*. (3) alia *theoretica*, alia *practica*. (4) alia *immediata*, alia *mediata*.

NOTA.

Digitized by Google

N O T A.

Ex doctrina de diſtinctionibus ſignorum [...]æ notiones liquent.

§. 7. *Menſura* latius patet quam *norma*, quia *omnis norma eſt menſura*, ſed *non omnis menſura eſt norma*: Idem de *menſurato* & *normato* judicium eſto.

§. 8. *Eſt* vero *norma* nihil aliud, quam *menſura veritatis aut rectitudinis*.

N O T Æ.

I. Loco communis conceptus ponitur *menſura* in normæ delineatione; quia, ceu diximus, latius patet menſuræ quam normæ notio, e. gr. quod ex recepta loquendi conſuetudine menſuram vini aut cereviſiæ vocamus, contra receptam loquendi conſuetudinem normam vini aut cereviſiæ diceres.

II. Uſus igitur obtinuit, ut notio normæ non tribuatur niſi iis, quæ ſunt ſigna veritatis aut rectitudinis.

§. 9. Normæ relative opponitur *normatum*, eſtque nihil aliud, quam *ipſa veritas aut rectitudo rei quatenus* (ita Scholaſtici lo-

qvuntur) *menſuratur aut menſurata eſt.*

*N O T A.*

Ut enim omnis norma eſt menſura, ſed non contra: Sic omne normatum eſt menſuratum, ſed non vice verſa.

§. 10. Inde inprimis adhiberi ſolet diſtinctio inter *normam veritatis* & *normam rectitudinis. Rectitudo* rurſus a plerisque diſtinguitur *in Theologicam, practicam & effectivam.*

§. 11. Notabilis quoque eſt *normæ diſtinctio* in *internam & externam*: *Illa* rurſus in *internam* & *quaſi internam* diſtinguitur: Ita e. g. interna norma eſt lex naturæ, quaſi interna norma ſunt propoſitiones ore prolatæ vel in chartam conjectæ, quibus naturales leges indicantur.

*N O T Æ.*

I. Ut omnis normæ natura conſiſtit in uſu: ita internæ normæ uſus ponitur in ratiocinatione.

II.

II. Philoſophi & Jureconſulti, quotquot ſcilicet negant jus naturæ cadere in bruta, ad Metaphyſices fundamenta recurrunt, dum docent, bruti naturam, quia ratione deſtituitur, non poſſe uti præceptis generalibus, quæ ſunt norma interna per aggregationem, hoc eſt, plurium normarum internarum complexus.

§. 12. Doctrinæ hujus de norma uſus in omnibus diſciplinis practicis haud exiguus eſt: Omnis profecto lex norma eſt actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt, quodvis mandatum norma eſt, conſilium quodlibet norma dici debet. Unde vel ex eo Moralis ac Politicæ doctrinæ, item Theologiæ & Jurisprudentiæ cultor colligere valet, non eſſe nullius momenti uſum, quem hæc materia Philoſophica præſtat.

*N O T A.*

Ita vexata quæſtio moralis eſt: Num ſalva veritate ac noſtro modo concipiendi norma actuum moralium, qui intrinſece ac ſua natura honeſti vel turpes vocantur, ſtatui poſ-

ſit

Digitized by Google

ſit ac debeat, quæ prior dicenda ſit lege naturali? num DEUS agnoſcat juſtitiæ ſuæ normam, quam Philoſophi ac Theologi legem æternam vocant? Num norma moralitatis detur DEO cum hominibus communis, & ſecundum quam DEUS de ſe judicari patiatur? Rurſus neminem latet, quam magnus ſit doctrinæ de norma uſus in loco de Scriptura Sacra, dum contra Pontificios imprimis ut & alios ceu vulgo vocantur, Antiſcripturiſtas, a noſtratibus Theologis ſolidiſſime defenditur, Scripturam Sacram eſſe veram normam, eamque unicam, omnium ac ſingulorum dogmatum cum fidei tum morum, quæ ad æternam ſalutem cognitu neceſſaria ſunt. Nam in ipſis *axiomatibus ad præſens caput ſpectantibus* oſtendetur, quam turpiter abutantur hac doctrina *Pontificii*, ſaltem ut habeant pallia, quibus impias ac frivolas aſſertiones de Papæ infallibilitate & traditionum ſuarum ſumma auctoritate tegant. Ubi etiam pluribus & in *Theologia* & *Jurisprudentia* & *Practica Philoſophia* uſus practicus hujus doctrinæ demonſtrabitur. Nam ſi dicendum, quod rei veritas exigit, ſolus hujus doctrinæ neglectus multis iisque ſat craſſis erroribus cauſam dedit, & adhuc dare poteſt, ceu quivis rem ſine affectu æſtimantes ſponte ſua agnoſcunt.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT QVINQVAGESIMUM PRIMUM
## DE
# IMAGINE, IDEA ET EXEMPLARI,
## ET QVÆ RELATIVE ILLIS OPPONUNTUR,
## eorumque uſu practico.

§. 1.

*Mago* eſt *ſignum rei, quæ ſimilis eſt ei rei, cujus imago dicitur, atque rei illius*, cujus nempe imaginem vocamus, *repræſentativa*: e. gr. Statua Julii Cæſaris vocatur Julii Cæſaris imago, quatenus illa ſtatua Julio Cæſari ſimilis eſt, utpote quæ immediate potentiæ cognoſcenti Julium Cæſarem repræſentat.

§. 2. *Ad imaginem tria* imprimis *requiruntur*: (*1*) *ut ſit ſignum*: Nam quæ ad ſignum requiruntur, hæc quoque requiſita ſunt imaginis. (2) *ut inter imaginem &*

*& illud, cujus imago eſt & diri-tur, aliqua ſimilitudo intercedat. (3) ut exprimat id, cujus eſt imago.*

§. 3. Imagini relative opponitur *imaginatum*, qua voce Scholæ uti ſolent, eſtque *id, quod ab altero, cui ſimile eſt, repræſentatur*: Nam ut omnis imago eſt ſignum, ſic omne imaginatum eſt ſignatum.

§. 4. Sicuti requiſivimus ad omnem imaginem, idque cujus imago eſt, ut aliqua intercedat ſi-militudo inter illam & hoc, ita ſemper neceſſum eſt, ut illa ſimili-tudo fundetur in aliquo tertio: Fun-datur autem ratio ſimilitudinis vel in naturæ unitate, vel in qualitate: e. gr. Petrus ſimilis eſt Paulo, quia uterque naturam rationalem ha-bet. Sed hic amplius notandum, quod unitas naturæ non ſit unius-modi: Nam alia eſt numerica, alia

ſpe-

ſpecifica, alia itidem generica: Ita unum genere ſunt homo & brutum, unum ſpecie ſunt Petrus & Paulus, unum ens numero ſunt Pater & Filius in divinis. Amplius notamus, id quod ſane notatu digniſſimum eſt, etiam fundari in proportione; hoc eſt, ubi proportio aliqua inter duo intercedit, ibi etiam eſt aliqua ſimilitudo: e. gr. inter nautam & aurigam: Licet enim aliud ſit auriga, aliud nauta: tamen ut auriga currum, ſic nauta navim regit.

## *NOTA.*

Cur trium generum fundamenta attulerimus, dici facile poteſt: Nam quando Theologi dicunt in homine dari imaginem DEI, ſane illa ſimilitudo quæ inter Deum & hominem intercedit, non poteſt pro fundamento habere quandam qualitatem, in qua homo cum DEO conveniat, cum in Deum nullum cadat accidens: Nec vero fundamentum ſimilitudinis inter Deum & hominem interce-

dentis eſſe poteſt unitas ſeu identitas naturæ, quia nec DEus & homo unius ſpecie naturæ, nec unius numero naturæ ſunt. Imo ut Græci Philoſophi loqvuntur, hominis natura fere toto genere a natura DEI eſt diſtincta: Deus enim infinitus eſt, homo autem finitus: Deus actus purus eſt, homo minime: Deus eſt actus abſolute, eſt ſubſtantia immaterialis: homo neutiquam. Intercedit igitur inter Deum & hominem ſimilitudo fundata in unitate proportionalitatis, ut vocant.

§. 5. *Imago* I. alia eſt *ejusdem cum imaginato natura*, alia *minime*: Illa iterum multiplex eſt, prout nempe unitas naturæ antea a nobis multiplex tradebatur: Ita diximus in DEO Patre & Filio DEI dari numericam unitatem, in homine Patre & Filio ſpecificam unitatem.

§. 6. *Imago* II. alia eſt *interna*, alia *externa*. Ita e. gr. internæ imagines ſunt ſpecies ſenſibiles, item ſpecies intelligibiles: quando enim quis oculis ſuis aſpicit arborem, arbor, quam aſpicit, non venit

Digitized by Google

hit in oculos, ſed manet ſuo loco, inprimitur tamen oculis arboris imago, quæ ſpecies ſenſibilis & quidem in ſpecie viſibilis vocatur, arboriſque repræſentativa eſt. Externa imago eſt: e. gr. ſtatua Cæſaris, pictura &c.

*N O T A.*

Diſtingui etiam *imago* ſolet in *Theoreticam* & *Practicam*, in *perfectam* & *imperfectam*, item in *naturalem*, quæ nempe a natura; & *artificialem*, quæ ſcilicet ab arte ſuum eſſe habet &c.

§. 7. Ex his interim, quæ de imagine hucusque propoſuimus, liquet facillima ratione, imaginem in actu ſignato ſpectatam omnino eſſe ac eſſe debere Metaphyſicæ conſiderationis: Qua enim ratione *Phyſici*, *Theologi*, aliarumque artium ac diſciplinarum Magiſtri in actu exercito imaginem conſiderare feliciter poterunt, hancque notiorem recte ap-

plicare, niſi prius facta fuerit & antegreſſa explicatio ſatis idonea hujus doctrinæ in actu ſignato? Futuris Theologiæ cultoribus exempla omni exceptione majora commendamus, ſi oculos intendamus cum ad locum de Chriſto, utpote qui expreſſa Dei Patris imago eſt & vocatur, indeque vera ejus divinitas a noſtratibus Theologis aſſeritur, quod ſubſtantialis & æterna Dei Patris imago audiat: tum ad locum de creatione primi hominis ad Dei imaginem.

## *NOTÆ.*

I. In hoc namque poſteriori loco disquiritur, in quonam imago, ad quam primus homo conditus fuit, conſtiterit? Quæ hujus imaginis partes fuerint? An ad corpus ſuo modo referri debeat? Num dominium in cæteras animantes resque alias inferioris naturæ pars ejus imaginis fuerit? Quæ imaginis divinæ reliquiæ in homine poſt lapſum dentur? An & quousque de homine ad imaginem Dei condito nobis, item Gentilibus ex natu-

naturæ lumine conſtare potuerit? Hæc & id genus certe plura ut recte decidantur, non poteſt non Theologiæ ſtudioſus inſignem uſum doctrinæ Metaphyſicæ de imagine ſibi promittere, adeo ut Philoſophicis ſubſidiis deſtitutus felices progreſſus vix facturus ſit.

II. In loco Theologico de Filio Dei argumentum Anti-Trinitariorum, ut vocantur, proponi & ſolvi ſolet, quod ſic ſe habet: Si Filius Dei eſſet imago, aut eſſet ratione eſſentiæ, aut ratione relationis. Non ratione eſſentiæ, quia eſſentia Filii DEI eſt improducta: non ratione relationis, quia ejus ratione non datur ſimilitudo. Ergo Filius Dei plane nequit dici imago. Verum facilis eſt reſponſio, & reſpondent Philoſophiæ primæ adminiculis inſtructi Doctores, quod utriusque ratione filius Dei ſit imago. Nam filius Dei productus eſt a Deo Patre per æternam generationem, & eſt unius numero eſſentiæ cum Deo Patre cujus filius eſt, ut ita ratione eſſentiæ detur ſimilitudo in unitate eſſentiæ numerica fundata, & ratione relationis perſonalis filius ſit vere genitus a Deo Patre, & perſona a Deo Patre realiter diſtincta, adeoque expreſſa Dei Patris imago. In loco de creatione primi hominis ad imaginem Dei duo imprimis objici cernimus: (1) quod Deus infinitus ſit, omnis autem creatura finita, ſicque infinita detur diſtantia.



Digitized by Google

creaturæ a Deo, ut id propter nulla creatura poſſit dici Dei imago, cum ad imaginem ſimilitudo requiratur, vi cujus imaginatum ei eſt ſimile. (2) quod nulla plane ſit proportio creaturæ ad Deum, cum inter finitum & infinitum nulla proportio dari poſſit: Ad utrumque vero ſi Metaphyſica fundamenta teneamus, reſponſio facilis eſt: Nam ad prius reſpondetur negando, quod nulla plane detur ſimilitudo, cum omnino contrarium oſtenſum fuerit, dum nempe de fundamento ſimilitudinis diſſeruimus, atque diximus ad ſimilitudinem non ſemper requiri unitatem naturæ, ſed ſufficere analogiam: Addimus, quod alias ad imperfectam imaginem qualiſcunque habitudo ejus, quod imaginatum dicitur, ad illud, quod ipſius imago vocatur, cæteris imaginis requiſitis ſimul præſentibus, ſufficiat. Inde recte deducunt accuratiores Philoſophi, quod creatura Deo ſimilis, non vero accurate philoſophando Deus creaturæ ſimilis dici poſſit. Ad poſterius nunc liquet, quid reſpondendum ſit, nempe dum proportio inter finitum & infinitum quodammodo ſtatuitur, ſermo non eſt de adæquata in rigore ſic dicta proportione. Imo non debent confundi: vera ſimilitudo & in rigore ſic dicta proportio.

§. 8. *Idea eſt ratio practica*

*rei*

*rei in tempore producenda.* Differt vero *idea* ab *imagine* ut anguſtius a latiori, ita ut omnis quidem idea ſit imago, ſed non omnis imago ſit idea. Quod etiam inde liquet: Idea eſt imago practica: At non omnis imago eſt imago practica.

## *NOTÆ.*

I. Quomodo *idea* & *imago* ab invicem differant, inter *Scholaſticos* anxie disquiritur: Communis non *Scholaſticorum* modo, ſed & *Patrum* ac antiquiſſimorum Philoſophorum ſententia eſt, quod ideæ ſint rationes practicæ rerum in tempore producendarum. Inde factum eſt, ut ideam & imaginem ſæpenumero ab invicem diſtinxerint ut anguſtius & latius. Et ſane fieri poteſt, ut res quædam alterius repræſentativa producatur, ſicque ſit imago, non tamen juxta eam altera res producta aut producenda ſit, ſicq; non ſit idea. Pariter ideam Dei, ſi recte velimus philoſophari, non habemus, habemus vero imaginem Dei imperfectam.

II. Dum ideæ dicuntur rationes rerum, hoc ideo fieri docent *Scholaſtici*, ne quis exiſtimet, quaſi quælibet actualis cognitio idea dici poſſit, imo accuratiorum Scholaſticorum judicio idea nunquam eſt conceptus for-

formalis, ſed conceptus objectivus. Addebatur in definitione ideæ, rerum producendarum in tempore: quia non omnia, quæ objiciuntur intellectui, objiciuntur intellectui ut producenda, unde nec omnium rerum rationes ſtatim merentur nomen ideæ.

II. Si antiquiſſimos Philoſophos evolvamus, productio illa, ad quam idea habitudinem dicit, dum nempe ratio rei producendæ dicitur, debet eſſe vera cauſalitas, unde licet filius Dei a Deo Patre ſit productus per æternam Dei generationem, ex hac tamen productione nequit inferri ulla ratio ideæ aut inde colligi.

III. Hinc ſimul patet, cur Scholæ definiverint ideam per rationem rei in tempore producendæ: Nam ex ſacris conſtat, quod nulla res a Deo cognita fuerit ut ab æterno creanda, cum e ſacris ſatis conſtet, quod nulla res creata ab æterno exſtiterit.

IV. Non *Scholaſtici* modo ſed & *Patres*, et antiquiſſimi *Philoſophi*, non *Latini* ſaltem, ſed etiam *Græci*, ſolliciti vixerunt de genuina notione ideæ, multisque doctrinis, quæ eo ſpectant, adeo ut nimis jejunum judicium illorum ſit, qui judicarunt, doctrinam de ideis in mente divina nihil eſſe niſi pura puta commenta, merasque cavillationes Scholaſticorum. Qui ſic judicant, certe judicium ferunt

de

Digitized by Google

e re quam non intelligunt ac forte penitus
gnorant. Sane nullo non tempore, quo Phi-
oſophi ac Theologi exſtiterunt, diſputatum
e eo fuit, an & quomodo ideæ creaturarum
Deo ab æterno fuerint? Pulcre de illis
eis *Mercurius* Triſmegiſtus ( qui Noachi
ditor fuiſſe fertur, ſit tamen fides penes re-
ſentes, & libros longe plures ad divinarum
rum cognitionem facientes ſcripſit, quo-
im teſtimoniis Patres: *Juſtinus, Lactantius,*
*uguſtinus* & alii ſæpe uſi ſunt) diſſeruit inpri-
is in *libro*, cui nomen ac titulus: *Bimander*
( a præcipua perſona, eſt enim ſub forma
ialogi ſcriptus, eundemque edidit *Marſi-*
*us Ficinus* & nobili commentario illuſtravit)
bi inter alia *primo* ſtatim *cap.* ſequentia ha-
entur verba: *Elementa naturæ unde emanarunt?*
*x voluntate Dei, quæ verbum complexa pul-*
*brumque intuita mundum, ad ejus exemplar re-*
*qua ſuiipſius elementis, vitalibusque ſemini-*
*us exornavit.* Prolixe quoque ac ſcite æter-
ſas creaturarum inque primis rerum huma-
narum ideas in mente divina deduxit *Plato,*
ut ex multis ejus ſcriptis, imprimis vero *lib. 6.*
*de Republ. Timæo, Parmenide, Epiſtolis* ejus de-
duci poterat. Mentem & doctrinam *Plato-*
*nis* de æternis creaturarum ideis in mente di-
vina uberrime expoſuerunt hancque doctri-
nam ſimul fuſe perſecuti ſunt *Dionyſius Ar-*
*eopagita libro de divinis nominibus caput. 5.*

*Apulejus* initio *libri de dogmate Platonis, Alcinous libro de doctrina Platonis cap. 12. Plotinus Ennead. 3. lib. 2. cap. 1. Proclus* & *Porphyrius initio comment. in Timæum, Diogenes Laertius in vita Platonis, Philoponus in lib. de æternitate mundi adverſus Proclum, Cicero lib. 1. Tuſc. quæſt. Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Lactantius lib. 2. cap. 11. Institutionum divinarum, Ambroſius lib. 1. Hexaemer. cap. 1. Epiphanius lib. de hæreſibus hæreſ. 6. Auguſtinus lib. 10. de civitate Dei c. 31. cum commentariis Ludovici Vivis Valentini* & *Leonardi Coquei, Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Julianum.* Ipſe quoque *Ariſtoteles 12. Metaphyſicorum cap. 10. Text. 52.* duplicem ordinem ſtatuit: alterum in divina mente, alterum per univerſum orbem expanſum, quorum hic ad illum referatur, ſicut ordo exercitus ad eum, qui eſt in mente Imperatoris. Modo citatos auctores qui evolvit, videbit doctrinam de ideis in mente divina non eſſe mera commenta & cavillationes Scholaſticorum. Cur interim tot tamque fœdis ſcommatibus hæc doctrina a quibusdam hominibus hodie excipiatur, cauſa non e longinquo petenda venit: Nempe vident, hac doctrina recte intellecta idoneum accuratioris Philoſophiæ cultorem non amplius dubitaturum eſſe de eo, quod actus dentur per ſe intrinſece ac abſoluta neceſſitate honeſti, hoc eſt, cum natura rationa-
li

abſoluta neceſſitate convenientes, item, uod immutabilis juſtitia detur Deo & omnibus, qui ratione utuntur, communis, item uod non ex hypothetica ſed abſoluta neceſſitate homini recte & proprie ſic dicto prohibeantur lege naturæ certi actus, certi actus præcipiantur, cũ in Deo ab æterno fuerit vera idea naturæ humanæ, vera idea juris naturalis humani, nec alia idea in mente divina ab æterno eſſe potuerit, quam illa ipſa idea naturæ humanæ ac legis naturalis humanæ, qualis n omnibus hominibus ratione utentibus natura eſt, qualisque naturalis in iis lex eſt; judicavit Deus ab æterno de per ſe ac ſua natura honeſto ac turpi, nec aliter potuit judicare, quam nos nunc judicamus, dum recta ratione utimur, & id propter noſtrum judicium morale rectum radius ſapientiæ moralis divinæ & participatio ſummæ rationis in DEO & legis æternæ eſſe demonſtratur, non modo a *Scholaſticis* ſed a *Patribus* etiam, imo antiquiſſimis *Græcis* & *Latinis Philoſophis*, *Platonicis*, *Pythagoreis*, *Peripateticis*, *Stoicis*, elegantioris literaturæ Scriptoribus, *Cicerone* ipſo, *Seneca* & aliis. Sed hac de re in *axiomatibus hujus capitis* utilius agetur.

§. 9. *Idea & exemplar* ſæpenumero pro iisdem accipi ſolent: Quandoque tamen ſic diſtingvuntur,

tur, ut *idea* ſit *exemplar internum*, *exemplar* vero diſtinguatur in *internum* & *externum*.

§. 10. *Exemplar internum* in eo convenit cum *exemplari externo*, quod *utrumque* (utramque ſcilicet rem, quæ exemplaris nomine nuncupatur) *effectus imitetur ex intentione agentis determinantis ſibi finem*: In hoc diſſerunt, quod *exemplar internum* ſit *intra agentis animum*: *Externum* vero *extra agentis animum*.

## NOTÆ.

I. Nullum dubium eſt, quin exemplar & poſſit eſſe & ſit vera cauſa. *Exemplar vere ac proprie eſſe cauſam, ex communi ſententia Philoſophorum ac Theologorum ut certum aſſumimus: In iis enim, quæ per intellectum operantur, per ſe neceſſarium eſt exemplar, ut rationabili modo poſſint actionem ſuam indefinitam ad effectum dirigere. Nam cum natura ſua non ſint limitata ad determinatas formas effectibus tribuendas, ſicut naturalia agentia, oportet ut ſuo proprio & intellectuali modo determinentur.*

*Quam-*

Digitized by Google

*uamvis autem quoad exercitium ſuæ actionis eterminentur per voluntatem, tamen quoad ecificationem & directionem ducuntur per intellectum: ad hoc autem indigent propriis exemaribus talium effectuum, ut artificioſo & intellectuali modo poſſint illos efficere.* Ita diſſe- *Franciſcus Suarez tomo* 1. *diſpp. Metaph.* p. 25. quæ tota agit de cauſa exemplari, . 2. quæ tradit illam quæſtionem: Utrum emplar conſtituat peculiare cauſæ genus, vero ad unum ex quatuor cauſarum genebus reduci queat? *num.* 1. *p. m.* 571. Ex quis verbis haud difficile eſt colligere cauſam emplarem eſſe veram cauſam, & quid facius eſſe poterat, quam ad animum revoca- omnia & ſingula cauſæ exemplaris ut cau- requiſita, modo conſiderentur, quæ huc ſque de exemplari dicta fuerunt.

II. Cæterum niſi quiſpiam pro peculiari enere cauſæ eam habere malit, quod fal- a veritate fieri poſſe facile adducimur, ut redamus, omnino videtur eam commode d genus cauſæ efficientis reduci poſſe, quo tiam *Suarez ſect. citatæ §. 8. & ſeqq.* reduit, idemque alii accuratiſſimi Philoſophi entarunt, (utque nobis videtur, ſalvo meliori judicio) haud infelici ſucceſſu. Certe quæ rationes ſupra *capite XXXII.* nos moverunt, ut cauſam impulſivam, ſi ad certum genus cauſarum e quatuor vulgo enumerari

ſolitis

ſolitis referenda eſſet, non auderemus ad aliud quam ad genus cauſæ efficientis reducere, hæ etiam obſtare videntur, quo minus cauſam exemplarem alio reducamus. Nam quod exemplaria formæ recte & proprie ſic dictæ non ſint, utut vulgo per formas definiantur, probatur inde, quia iis effectus ſaltem conformantur, non autem ipſa exemplaria uniuntur cum iis, quorum exemplaria ſunt, hoc eſt, ſuis exemplatis, ut Metaphyſici loquuntur. Ad cauſam finalem in rigore ſic dictam vel ideo exemplar non poterit referri, quia cauſæ finalis nomine in rigore philoſophico ſaltem iſtud venit, quod ad ſui effectionem vel conſecutionem movet: Exemplar autem non movet & dirigit ad ſeipſum, ſed ad ſui ſimile. Interim ſi exemplar quodammodo etiam ad genus cauſæ finalis reducere velis, eo quod aliquid ipſius acquiratur, nempe ejus repræſentatio, non adeo refragabimur.

III. Singularibus ex cauſis hanc doctrinam ſupra in capitibus de cauſis intactam reliquimus, & poſt doctrinam de ſigno & imagine demum explicuimus, ut eo facilius eam daretur aſſequi. Accuratiora & utiliora in axiomatibus ad hanc materiam ſpectantibus tradentur.

CAPUT

# CAPUT QUINQUAGES. SECUNDUM
## DE
# FUNDAMENTO ET FUNDATO,
## hujusque doctrinæ uſu practico.

§. 1.

NOtio fundamenti & ob nimiam communitatem & ob ampliſſimum, quem in omnibus facultatibus & diſciplinis præſtat uſum, per ſe ac directe ad Metaphyſicam ſpectat.

§. 2. *Fundamentum* in Philoſophia prima in uſitatiſſimo ac maxime recepto ſuo ſignificatu dicit *id quo aliquid primo aptum eſt, ut tale fiat vel ſit*: Ita ſupra in doctrinis de cauſis egimus de fundamentis ex parte cauſarum, e. gr. de cauſa efficiente diximus, quod fundamentum ex parte ejus ſit poten-

tia

tia activa cauſativa. Ita in capite de relatione egimus de fundamento relationis.

*NOTÆ.*

I. Dum dicitur fundamentum id, quo aliquid *primo* &c. vocula: *primo*, ſingulari ſtudio adhibetur, perque eam ſignificatur, fundamentum eſſe id, quo poſito, etſi per impoſſibile reliqua omnia tollantur, id, cujus fundamentum dicitur, ponitur, & quo ſublato, etſi per impoſſibile reliqua omnia ponantur, id, cujus verum fundamentum eſt, tollitur.

II. Nemo non videt notionem fundamenti ex Architectonicis ad alias diſciplinas & facultates translatam fuiſſe. Nam in architectura fundameutum illud eſt, cui tota ſtructura innititur, ſicque omnia alia ſuperſtruuntur.

§. 3. Diſtingvunt *Metaphyſici* inter *fundamentum* & *rationem fundandi*, fundamentum per hoc diſcernentes a ratione fundandi, quod *hæc* ſit *illud ipſum quo quid primo tale actu ſit aut eſt, quale actu ſit vel eſt*, cum e contrario fundamentum abſtractive ſpectatum

tum notet aptitudinem. Hoc igitur obſervato diſcrimine *fundamentum* & *ratio fundandi ut* *ctus primus* & *actus ſecundus* diſtingventur.

§. 4. Inde *fundatum* dicetur *aliquid, quatenus per alterum* *rimo aptum eſt, ut tale fiat vel* *it*.

§. 5. Nullam ἀκρίβειαν ſapit quorundam diſtinctio, dum nempe diſtingvunt inter *fundamentum* *undans* & *fundamentum fundatum*. Nam uti fundamento in architectura reliqua omnia ſuperſtruuntur, ipſumque non eſt pars ſtructuræ, eſſet vero pars ſtructuræ, ſi fundaretur; Ita quod in Metaphyſicis fundamenti nomine cenſetur, oportet primum eſſe, reliquisque omnibus quaſi ſubſtratum, quia ſi alii quaſi ſuperſtrueretur, ſic non eſſet fundamentum, ſed fundatum.

§. 6. Cæ-

Digitized by Google

§. 6. Cæterum uti ſupra monuimus *notionem cauſæ Metaphyſicam* cum *Analytica cauſæ notione* non eſſe confundendam, ita nec *doctrina Metaphyſica fundamenti* cum *Analytica doctrina* confundi debet.

*NOTA.*

Nihil fundamenti diſciplinæ nomine venit, ſi accurate philoſophari velimus, niſi ſit talis propoſitio, quæ non modo ſit vera, certa, neceſſaria, natura nota, ſed etiam propoſitio maxime prima, ita ut intra idem diſciplinæ genus prior dari nullatenus queat, & (quod præcipuum eſt) in illam propoſitionem, quæ maxime genuinum fundamentum dicitur, reſolvi, ad eam reduci, eidemq; quaſi ſuperſtrui queant omnes ac ſingulæ doctrinæ atq; concluſiones ejusdem generis. Hac de re prolixius egimus *Introductionis ad Grotium lib. 1. cap. 1. quæſt. 4. & 5.* Cæterum in axiomatibus uſus hujus doctrinæ fuſius monſtrabitur.

INSTITU-

Digitized by Google

# INSTITUTIONUM META-PHYSICARUM
## PARS POSTERIOR,
quæ agit
De
## REALITER ABSTRACTIS
a materia ſenſibili
SECUNDUM EXCELLENTIAM.

§. I.

*Realiter a materia ſenſibili ſecundum excellentiam abſtracta ſunt Spiritus.*

N O T A.

Sicuti primario & abſolute Subſtantiæ ſunt & dicuntur entia: Ita primario & abſolute entia realiter a materia ſenſibili ſecundum excellentiam abſtracta ſunt Spiritus. Interim non negandum, dari etiam alia entia præter Spiritus a materia ſenſibili ſecundum excellentiam abſtracta, æque ac certum eſt dari entia præter ſubſtantias. Nempe in ſpiritus creatos omnino accidentia cadunt & cadere poſſunt, quæ tamen accidentia extra omne periculum dubitationis a materia ſenſibili ſecundum excellentiam ſunt realiter abſtracta. Nam quod formas ſupernatura-

les e. gr. fidem, ſpem, charitatem &c. ab accuratiſſimis Theologis ac Philoſophis formas materiales dictas legimus, veritati præſentis aſſerti nihil derogat: Scilicet hi per materiam non intelligunt materiam ſenſibilem, ſed ſubjectum, hocque volunt, quod hæ formæ etiam in fieri & eſſe dependeant a materia, h. e. ſubjecto: e. gr. cum producitur fides ſalvifica, illa in fieri & eſſe dependet ab intellectu & voluntate: ab intellectu, quatenus involvit aſſenſum, & repugnat fieri vel eſſe ſine intellectu: A voluntate, quatenus involvit fiduciam, & repugnat fieri vel eſſe ſine voluntate.

## §. 2. *Spiritus* eſt *ſubſtantia, quæ nec eſt materia phyſica, nec materialis, hoc eſt, ab ulla materia in eſſe ſuo dependens.*

### *NOTÆ.*

I. Vox *Spiritus* alias multis modis ſumitur: (1) pro corpore quodam exiguo aut tenui, quo ſenſu a Medicis & Phyſicis pluribus inter ſpiritus animales & vitales diſtinguitur. (2) pro reſpiratione. (3) pro anima rationali hominis, ut quando Chriſtus dicitur emiſiſſe ſpiritum. (4) pro ſpectro, ut quando Sacer codex teſtatur, Apoſtolos CHRISTUM videntes, ſibi imaginatos fuiſſe ſpiritum, id eſt, ſpectrum. Ut alias & quidem notiſſimas ſignificationes hujus vocis taceamus.

II.

II. Quid in præſenti Spiritus ſignificet, iquet ex allata deſcriptionis formula, quam amen vix pro deſcriptione venditamus, tanum abeſt, ut pro definitione auſimus venditare, quia per negationem Spirituum diffeentia ſignificabatur. Sed quid Spiritus ſint, qua ratione quaſi differentiæ eſſentiales piritum inveſtigari poſſint, omnino ad oſteriorem Metaphyſices partem ſpectat & x profeſſo in ea docendum venit.

§. 3. Dari Spiritus, multis rationious alias deducitur: Et primo quilem id teſtantur operationes, quæ nter animalia ſoli homini conveiiunt & ab omni materia indepenlentes ſunt, ac ſi ſecundum eſſeniam ſuam ſpectentur, rectiſſime immateriales dicuntur, ſuntque intellectiones & volitiones. Nam ſi hujuſmodi operationes ab omni omnino materia phyſica independentes ſunt, non obſcure inde colligitur, animam in quantum earum operationum principium eſſe poteſt, utiq; immaterialem, & quia

ſubſtantia eſt, Spiritum exiſtere. Deinde Metaphyſicus qua talis ex naturæ lumine demonſtrat Deum eſſe, Deum eſſe ſubſtantiam maxime primam, nec eſſe ullam materiam, nec ullo modo materialem, ſed Spiritum per excellentiam ac maxime talem. Tertio ex ſpectrorum apparitione colligi realis exiſtentia ſpirituum poteſt, dum tales eorum operationes advertuntur, quæ a corporibus naturalibus immediate provenire nequiviſſent.

§. 4. *Spiritus* eſt 1. vel *increatus*, vel *creatus*: Ille nullam agnoſcit ſui cauſam: Hic utique.

§. 5. *Spiritus increatus eſt Deus, iſque ſolus.*

§. 6. *Prædicata Dei* realiter abſtracta a materia ſenſibili ſecundum excellentiam ſunt varii generis. Et 1. quidem alia ſunt *poſitiva*, quæ nempe efferuntur vocabulis

quaſi

Digitized by Google

uaſi affirmativis,ut: omnipotens, mnipræſens. Alia ſunt *negativa*, uæ ſcilicet efferuntur vocabulis egativis; ut: immaterialis, infini-is. Prædicata *poſitiva* iterum ſunt el *abſoluta*, ut: omnipotens, mnipræſens: Vel *reſpectiva*,ut: reator, item conſervator hujus niverſi.

NOTA.

Non eſt, quod dicatur, etiam omnipoten-am eſſe prædicatum relativum Dei: Nam et omnipotentia Dei reſpectum dicat ad eaturas, cum per eam Deus omnia in crea-ris agere poſſit: Hoc tamen non ſufficit l uſu receptam ſignificationem prædicati ſpectivi,quod Deo tribuitur.Ratio eſt,quia mnipotentia DEI non ſimul importat ctionem, ita ut foras iſta relatio quaſi pro-rediatur, ſi ita loqui liceat. Deus enim mnipotens ab æterno fuit, cum nulla fuiſſet reatura: At creator, conſervator &c. non uit ab æterno.

§. 7. Uſu recepta ac commen-dationе digna eſt doctrina accura-tiorum Metaphyſicorum, dum ad prædicata Dei ex lumine naturæ

 cogno-

Digitized by Google

cognoſcenda triplicem viam requirere ſolent, cui idoneus Philoſophiæ Primæ Cultor inſiſtere neceſſum habeat. Una eſt via cauſalitatis, Altera eſt via remotionis, Tertia eſt via perfectionis. Illa via ducit ad cognitionem prædicatorum poſitivorum relativorum: Iſta ad prædicatorum poſitivorum abſolutorum: Hæc ad negativorum veram cognitionem.

*NOTA.*

Latius patent prædicata Dei quam attributa Dei, ſi rigoroſe loqui velimus: Ita e.gr. creatorem eſſe dupliciter conſiderari poteſt; 1. ut præciſe reſpectus habetur ad actum primum, nihilque aliud notat, quam eum, qui habet creandi potentiam. 2. ut reſpicitur ad actum ſecundum, isque creator dicitur, qui actu ipſo creaturam producit. Si priori modo ſumatur, eſt non modo prædicatum, ſed & attributum Dei, quia Deus ab æterno habuit creandi potentiam. Si poſteriori modo ſumatur, non eſt attributum Dei, quia non competit Deo ab æterno, quia creatio facta fuit in tempore, non ab æterno.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8. *Spiritus* 2. eſt vel *comple-*
*us*, qui nempe per ſe ac ſua natura
on ordinatur ad alterius entis per
conſtitutionem: Vel *incomple-*
*us*, qui per ſe ac ſua natura ordina-
r ad alterius entis per ſe conſtitu-
onem.

§. 9. *Spiritus increatus com-*
*letus* eſt *Deus*, *isque ſolus*.

§. 10. *Spiritus creatus comple-*
*us* eſt *angelus*, *isque ſolus*.

*N O T A.*

Angeli nomen hoc loco ſumitur, prout
um bono, tum malo angelo tribuitur. Quid
uod ſacer Codex ipſe nomen angeli angelo
alo abſolute tribuit, ceu ex 1. *Cor. VI*, 3.
iquet.

§. 11. *Spiritus creatus incomple-*
*tus* eſt *anima rationalis eaq; ſola*.

*N O T Æ.*

I. Studio ab accuratiſſimis Clariſſimisq; Do-
ctoribus adjici ſolet: Anima rationalis *ut ſpi-*
*ritualis eſſentia eſt*; iis nempe, qui animam
rationalem per οὐδέτερον δυνάμεων partim im-
materialium, partim materialium definiunt.
Hi enim animam rationalem in tantum ſpi-



Digitized by Google

ritualis eſſentiæ dicunt, in quantum potentias immateriales, nempe intellectum & voluntatem complectitur. Qua de re ſupra cap. *XXXVII, §. 9. pag. 1739. & ſeq.* agebatur.

II. Spiritus creatus incompletus ſpectari poteſt: (1) Secundum eſſe abſolutum. (2) Secundum certum ſtatum, quem ſeparationis, item ſtatum ſeparatum nuncupant; Utraque conſideratio Metaphyſica eſt.

III. Cæterum hanc partem prolixius tradere noluimus, partim ob cauſas in *præfatione ad B. Lectorem* jam tum indicatas, & quia Juris, Moralium, magnam etiam partem Theologiæ Cultores qua tales ea carere queunt, partim ut una ligatura Inſtitutiones hæ comprehendi poſſent. Sit igitur Deo gloria, &

*FINIS*

POSTERIORIS PARTIS, TOTIUSQVE OPERIS INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM.

SEQVI-

# SEQVITUR DUPLEX INDEX, ALTER CAPITUM, ALTER RERUM ET EXEMPLORUM PRACTICORUM,

*hoc eſt,*

## Theologicorum, Juridicorum, Moralium, Politicorum.

# INDEX CAPITUM.

CAPUT PRÆLIMINARE agit De Metaphyſices Natura, Conſtitutione ac uſu pag. 1.

*PARS PRIOR*

CAPUT

I. De Ente & non Ente, variisque utriusque diſtinctionibus, item de Ente per Accidens. pag. 48

II. De Exiſtentia & Abſentia. 235

III. De Eſſentia, item de Ratione Formali. 259

IV. De Notionis Formaliter uſu receptis ac frequentibus ſignificationibus. 270

V. De Notionis Formaliter non adeo Frequentibus, nec tamen infrequentibus ſignificationibus. 383

VI. De Communibus ad unum, hoc eſt, iis, de quibus ſi quæratur, quid Formaliter ſint? erudite ac ſufficienter reſponderi



Digitized by Google

poteſt, unam tamen ac communem rationem formalem aut prorſus reſpuunt, aut inæqvaliter communicant. 43
VII. De Principio & Principiato, item de Ordine.
VIII. De Cauſa & Cauſato, ac de utriusque neceſſariis Requiſitis, cum primariis tum ſecundariis. Item de Notione ꝧ Aliud. 493
IX. De Potentia & Actu, inprimis illa potentia, quam Cauſativam; & actu, quem Cauſalitatem appellant. Item de Actu primo & actu ſecundo, variisque eo ſpectantibus ac utilioribus diſtinctionibus. 560
X. De Poſſibili ejusque neceſſariis & uſu frequentioribus acceptionibus & diviſionibus. 611
XI. De Notionis Metaphyſicæ Cauſæ genuino diſcrimine a Notione cauſæ Analyticæ. Item de Cauſa Virtuali quam vocant. 699
XII. De Cauſa per Se & per Accidens. Item de Cauſato per Se & per Accidens. 744
XIII. De Generibus Cauſarum. 777
XIV. De Uſu Practico Doctrinæ de generibus Cauſarum in omnibus Diſciplinis cumprimis vero Practicis & Facultatibus, ceu vocantur, Superioribus. 785
XV. De Cauſa Efficiente in Communi deque Effectu, ut & utriusque cum primariis tum ſecundariis requiſitis. 867
XVI. De Cauſa Efficiente Principali & Cauſa

Digitized by Google

ſa Efficiente Inſtrumentali, item de Inſtrumento ejusque diviſionibus. Præmiſſa eſt doctrina de Communioribus notatuque dignioribus cauſæ Efficientis diviſionibus. 904

VII. De Cauſa Efficiente libera & naturali. Item de Libertate & Neceſſitate. 938

VIII. Quo docetur, quot in univerſum, & quænam Cauſæ Efficientes ſint liberæ a neceſſitate? 950

IX. Quo evidenter deducitur, voluntatem eamque ſolam eſſe Potentiam liberam a neceſſitate. 972

X. De libertatis determinatione, uſu, limitibus & participatione. 984

XI. De Voluntario ſpectato ut eſt Effectus cauſæ Efficientis liberæ. 1006

XXII. De Cauſa Efficiente immediata & mediata, Item de Cauſa Phyſica & Morali. Ubi inprimis demonſtratur, Cauſam Moralem eſſe veram Cauſam, & quidem efficientem, ejusque genuina requiſita & accurata definitio traduntur. 1022

XXIII. De diſcrimine Cauſæ Moralis ab agente Morali. Ubi ſimul uberius declaratur, Cauſam moralem eſſe veram cauſam, veraque ratio, per quam Cauſa Moralis eſt cauſa Moralis, prolixius expenditur. 1093

XXIV. De Modo inveſtigandi varias Cauſæ Moralis quaſi ſpecies aut (ſi ita malis loqui)

Digitized by Google

qui) Modos. Item de ipſis Cauſæ Moralis Modis aut quaſi ſpeciebus. 1073
XXV. De Cauſis Moraliter Moventibus. 1106
XXVI. De Cauſis Moralibus per Commiſſionem abſque Morali motione. 1170
XXVII. De Cauſa Efficiente per ſe & per accidens. Item de Effectu per ſe & per accidens. 1205
XXVIII. De Uſu Practico Doctrinæ de Cauſa Efficiente. 1331
XXIX. De Cauſa Finali deque Medio, ut & utriusque requiſitis & diſtinctionibus. It. de Uſu Practico harum Doctrinarum. 1467
XXX. De Cauſa Materiali, hujusque Doctrinæ Uſu Practico. 1552
XXXI. De Cauſa Formali, hujusque Doctrinæ Uſu Practico. 1602
XXXII. De Cauſa Impulſiva hujusque Doctrinæ Uſu Practico. 1622
XXXIII. De Præcipuis diviſionibus iſtis cauſarum, quæ per omnia Cauſarum genera vagantur. 1667
XXXIV. De Unius, Veri, Boni ac perfecti notionibus. 1684
XXXV. De diſtinctione Reali & Rationis, it. de genuinis & ſpuriis ſignis Realis Diſtinctionis. 1690
XXXVI. De Diſtinctionis diſtinctionibus, quarum frequens ac neceſſarius Uſus eſt in Theologia.

I. De

I. De diſtinctione Eſſentiali. 1705
II. De diſtinctione Modali. 1708
III. De diſtinctione Virtuali. 1711
IV. De diſtinctione Formali. 1715
V. De diſtinctione Reali intrinſeca & extrinſeca. 1717
VI. De diſtinctione Reali adæquata & inadæquata. 1720
VII. De Excedentibus & Exceſſis. 1722
VIII. De diſtinctis & diverſis. 1722
XXXVII. De Simplicis & Compoſiti, item Totius & Partis notionibus. Ut & Unione & Communicatione. 1724
XXXVIII. De Neceſſario & Contingente. 1749
XXXIX. De Univerſali & Singulari. 1763
XL. De Dependente & Independente. 1775
XLI. De τῷ Eſſe in ſe & eſſe in alio. Item de Subſtantia & Accidente. Ut & receptiſſimis ſubſtantiæ diviſionibus. 1784
XLII. De Suppoſito & Subſiſtentia. Item de Perſona. 1797
XLIII. De Quantitate. 1804
XLIV. De Qualitate. 1810
XLV. De Relatione. 1818
XLVI. De Actione & Paſſione. 1826
XLVII. De Duratione. 1831
XLVIII. De Notione Ubietatis ſeu Ubicationis, ceu a Scholaſticis dicitur. 1840
XLIX. De ſigno & ſignato, hujusque doctrinæ Uſu Practico. 1846

L. De

Digitized by Google

L. De Menſura & Menſurato. Item de Norma & Normato, harumque doctrinarum Uſu Practico. 18[illegible]
LI. De Imagine, Idea & Exemplari, & quæ Relative illis opponuntur, eorumque Uſu Practico. 1869
LII. De Fundamento & Fundato, hujusque doctrinæ Uſu Practico. 1885

## PARS POSTERIOR

De Spiritu & Spiritualibus. 1889

# INDEX
## RERUM ET EXEMPLORUM PRACTICORUM.

### A.

*AAron exemplum cauſæ moralis conſentientis* 1137
*Abjathar exemplum cauſæ moralis demeritoriæ* 1157
*Abimelech exemplum cauſæ moralis mandantis* 1109. *demeritoriæ* 1157. *applicantis agens ad patiens* 1190
*Abiſai exemplum cauſæ moralis conſentientis* 1137
*Abſentia quid?* 238. *duplex conſideratio* 239
*Abſolon* 1335. 1383. 1407

*Abſo-*

*Abſolutio cur non ſit ſacramentum propriiſſi-
me dictum? 329. num in ea reperiatur externum
ſignum? 328. quo ſenſu Auguſtana Confeſſio eam
annumeret Sacramentis?* 328

*Abſtracta realiter* 20. *utrum ſemper ſint ſine
eo, a quo realiter abſtrahuntur* 20. 21. *reali-
ter a materia ſenſibili & quotuplicia* 23. *abſtra-
cta realiter a materia ſenſibili ſecundum excel-
lentiam* 1889. *abſtracta ratione* 18

*Abſtractio quotuplex* 17. *rationis quotuplex*
18. *realis* 22. *abſoluta* 22. *permiſſiva* ibid.

*Abſtractum utrum ſemper realiter differat
a concreto?* 235. *abſtractum & concretum ſigni-
ficant unam eandemque rem, ſed non eodem mo-
do* 248

*Acceptatio an neceſſaria ad promiſſionis effe-
ctum?* 1580. *facta pro altero* 1582

*Accidens quid?* 1789. *quod per accidens tale
eſt, quomodo vere eſſe tale dicatur?* 1317. τὸ *per
accidens quid notet voci cauſa additum?* 1224.
*ſeqq. accidentis requiſita.* 1788. *ſeqv. acciden-
tia non fiunt ſimpliciter* 462. *eorum generatio
qualis?* ib.

*Acquiſitio derivativa & occupatio an agno-
ſcant medium?* 209

*Actio in Metaphyſicis abſtrahitur a ſubſtantia
& accidente* 1826. *an formaliter ſit accidens?*
878. *alia fit dependenter a materia, alia mini-
me.* 255. *nulla eſt in agente qua tali* 1259. *unde
ſit talis vel talis ſpeciei?* 1435. *unde libera?* ibid.
ſeqq.

Digitized by Google

ſeqq. an omnis actio ſit paſſio? 1827. ſeqv. an eadem poſſit univerſalis eſſe concurſus & particularis? 1676. an cuilibet ſit terminus? 868. 870. num neceſſario inferat paſſionem? 983. qui ab eadem differat? 882. 883. quo ſenſu dicatur cauſa virtutis? 553. 825. ſeqv. an omnis actio reſpiciat cauſam externam? 288. qua ratione ſit cauſalitas cauſæ efficientis? 878. an ſemper? ib. libera infert voluntatis determinationem 986. actio formaliter hominis & quæ ex humanis viribus proficiſcitur differunt 337. quæ moralibus Dei perfectionibus repugnat neceſſario eſt mala 671

Actio imperata quæ? 998. ejus requiſita ib. indifferens quæ? 941. Moralis ſemper eſt libera & voluntaria. 335. eſt commune ad [illegible] 478. quid primario dicatur actio moralis? quid ſecundario? ibid. neceſſaria quæ? 938. quæ non neceſſaria? ibid.

Actio rerum amotarum quando detur? 1164. actio de teſtamento inofficioſo quibus detur? 1415. actio tributoria qui differat ab exercitoria? 198. ejus cauſæ 815. actionis inſtitoriæ cauſæ 814

Actionis duplex conſideratio 1505. terminus quid? 870. prærequiſita non confundenda cum quibuscunque requiſitis 939. eandem actionem a diſtinctis agentibus procedere non repugnat 925

Actiones Dei ad intra ab internis differunt 881. ſeqq. cur nequeant dici accidentia & cauſalitates? 879. ſeqv. quot? ibid. cur vocentur actio-

ctiones? cur reales? cur ad intra & [illegible] perſonales? ibid. ſunt diviſæ 882. cur nequeant dici paſſiones? 1828. Reales ſunt, non ſunt entia realia [illegible] 224

Actiones morales diſtinguuntur voluntate 355. ſeqq. qui recte æſtimentur? 1355. 1485. quæ per ſe turpes 322

Actiones ſunt vel immanentes vel tranſeuntes 885. quotuplex cum immanentium tum tranſeuntium ſit acceptio? ibid. 886. aliæ per terminos, aliæ per objecta formalia diſtinguuntur 884. ſeqv. quo fundamento? ibid. tranſeuntes falſo dicuntur tranſire ab agente ad patiens 889

Actionum humanarum aliæ ſunt per ſe morales; aliæ nec honeſtæ per ſe nec per ſe turpes, quarum tamen aut commiſſiones omiſſionibus, aut hæ illis ſunt meliores; aliæ plane indifferentes 321 ſeqq. cujus beneficio circa talismodi actiones rite officio fungamur? ibid. indifferentes ſæpe fiunt materia juris voluntarii 323

Actionum internarum in divinis ſæpe altera alterius eſt cauſa virtualis 734. mixtarum quot dentur genera? 1011. 1441. quæ [illegible] tales? 1011. moralium principia 1439. actionum termini quotuplices? 872

Actus alius eſt entitativus alius formalis [illegible] entitativus quid? 238. primus quid? [illegible] actus & potentia cauſativa quomodo differant ib. primus cauſæ quid? 547. ſeu ſecundus quid? 548.

592. ſignatus quid? 424. quid exercitus? ibid. primus & id quod tale eſt in actu primo non debent confundi, nec actus ſecundus, & id quod tale eſt in actu ſecundo 593. in actu primo eſſe quid? 593. actum primum quod habet, & id quod tale eſt in actu primo differunt 59[illegible]

Actus cujusvis duplex datur ſpecies 948. puri differentia eſſentialis quæ? 331. primi definitio juſto anguſtior 590

Actus intellectus theoretici qui? 15. qui practici? qui [illegible]? ibid. actus pra[illegible]ici & [illegible] quomodo differant? 1813

Actus credendi an ſit opus meritorium? 1454 actus, quo quis credit peccata ſibi eſſe remiſſa, eſt actus fidei juſtificantis )( non eſt 429. actus perſonales in divinis qui? 223. qui notionales? ibid.

Actus commiſſionis & omiſſionis 1075. actus boni ratio formalis quæ? quæ mali? 948. actus civilis, quo arbiter compromiſſarius conſtituitur, quæ ſint cauſæ? 810. morales eliciti quatenus pendeant ab imperatis? 1436. quatenus hi ab illis? ibid. quot dentur actus eliciti voluntatis? 993. Actuum animi ſufficienter indicatorum quæ ſit certitudo? 510. ſeqq.

Actus per ſe & ſua natura morales an dentur? 79. 170. ſeqq. negantis argumentum. 79. 80. quid reſpondendum? 81. ſeqq. actus per ſe morales abſtrahendi a divinis & humanis 82. quia non dicunt reſpectum ad decretum ſuperioris? 178. per ſe turpes cur nequeant præcipi aut permit-

Digitized by Google

itti? 637. 693. ſeqq.
Actuum per ſe moralium duplex conceptus 84. neceſſitas qualis? 113. ſeqq. natura, ut poſſibilis, quo ſit producta? 103. actuum quorundam moralitas antecedenter ſe habet ad voluntatem Dei 2. 98. 104. quorundam neceſſaria convenientia cum natura rationali ſub quam Dei ſcientiam cadat? 93. per ſe honeſtorum convenientia cum natura rationali cur prior ſit convenientia cum lege? 358
Adami lapſum futurum fuiſſe prius erat noſtro modo concipiendi, quam eundem a Deo fuiſſe precognitum 500
Adhæſionis ſubjectum 574
Adoptio 809. ejus cauſa ibid.
Adulterium quid? 334. non eſſe turpe eſt ſimpliciter impoſſibile 693. quibus rationibus id negat nonnemo? ibid. adulterii cauſa moralis maritus per nudum divortium fieri poteſt 1171
Ἀδύνατον quid & quotuplex? 464
Æqualitas laterum in triangulo demonſtratur 377
Æquivoca quid? 433. æquivoca & univoca important rationes contradictorias non immediate, ſed mediate 204. 440. æquivoca & univoca non important definitiones contradictorias 439 quæ ſecundum idem nomen non habent eaſdem rationes formales, non ſtatim ſunt æquivoca 439 æquivoca & univoca agnoſcunt medium 290 communia ad unum quæ propius accedunt ad

Æquivoca, qua ratione conveniant cum æquivocis? 472. qua ratione differant ab iisdem? ibid. Scotiſtæ negant dari medium inter æquivoca & univoca 437. ſeqq. analoga ad æquivoca conſilio ſpectant 441

Ætas jam excuſat, jam minime 1355. 1377. an in delictis excuſet? 1373. ſeq. ætatis miſeratio quam vim habeat? 1373

Æternitas 613. æternitatis in Deo cauſa virtualis 733. 737. æternitas Dei & æternitas creaturæ formaliter & realiter differunt 620. 621

Ævum 1839. quotuplex? 1839. 1840

Affectio qualitatis nomine ſignificata 1514 alia phyſica, alia moralis 1815

Affectus & actiones & qualitates notant 889. 1011. affectuum quanta vis? 1443. affectuum æſtimatio alia eſt ſimplex alia comparata 1446. affectuum juſtitia interna ab externa probe diſcernenda 1444. affectus ſæpe habent effectum juris conſtituti, effectu Juris Naturalis carent 1444 effectus voluntatis tributi affectibus naturalibus ab affectibus effectuum neceſſariorum probe ſunt diſtinguendi 1445 affectus dantur per ſe honeſti aut turpes 1446. affectuum moderatio quanti ſit momenti? 1437

Agathoclis malitia & fraudes 1148

Agens morale cur aliquid poſſit eſſe, ut non ſit cauſa moralis 1060. quid fefellerit eos, qui cauſam moralem cum agente morali confundunt 1065

Agen-

Agentia libera (1) vel moralia ſunt, vel adiutoria (2( vel mediata vel immediata 1053 ſeq. Agentia omni cognoſcendi vi deſtituta cur nequeant dici agere propter finem 1475. Agentium moralium exempla quæ non ſunt cauſæ morales. 1060. ſeq.

Agere non poſſe & non agere poſſe differunt 139. Agere coacte & neceſſario differunt 952

Ahab cauſa conſentiens 1137

Abitophel exemplam cauſæ conſulentis 1120

Ἀκροαματικοὶ auditores qui ſint? 857

Albertus M. 1283

Alboinus quomodo interierit? 1188

Alcibiadis interitus? 1132

Alexander M. 1341. ab Anaximene captus 1145. mavult alieno mori ſcelere quam metu ſuo 1090. fuit cauſa Moralis incenſæ Regiæ Perſarum 1191

Alicubietas 1842

Alienans particula eſt determinatio ſine qua non 55[illegible]

Alietas eſt vel eſſentiæ vel ſubſiſtentiæ 541

Τὸ Aliquid ſignificationes 367

Τὸ Aliud nunc ſumitur abſolute, nunc cum determinatione 538. Uſus hujus doctrinæ contra Antitrinitarios quis? 539. cauſam diſtinguit a quovis alio principio 529. ſumitur vel in ſenſu negante, vel in affirmante 529. 530. in definitione cauſæ ſumitur in ſenſu negante. 531. in ſenſu affirmante eſt vel adæquate tale vel inadæquate

te 536. quomodo eo utantur Theologi? 534. ab eo in ſenſu affirmante valet conſequentia ad τὸ aliud in ſenſu negante: non contra 533

Alterationes & diſpoſitiones quomodo ſe teneant ex parte generationis? 456

Ἀμαθοδία recentiorum circa doctrinam definitionum a priori & poſteriori 354

Amor Dei unde demonſtretur? 1617. an Deus ſe ipſum amet? 734-738

Amor Chriſti debitus demonſtratur per cauſam προηγουμένην 1643. ſeqq. per προκαταρκτικὴν 1654. ſeqq. ut cauſa impulſiva 1642. ſeqq.

Amarathes Turca exemplum cauſæ impetrantis 1140

Analoga unde dicantur? 441. quæ talia referri poſſunt ad æquivoca conſilio talia 442. de iis primo omnium ſcripſit Thomas 445. fruſtra diſtinguuntur in analoga proportionis, inæqualitatis, attributionis 442

Analoga Cajetani media inter analoga attributionis intrinſecæ & extrinſecæ quid ſint? 443

Analoga attributionis quid 441. attributionis intrinſecæ quid Thomæ? 444

Analoga inæqualitatis nihil minus ſunt quam analoga 442. ſunt univoca ſtricte & in rigore ſic dicta 442

Analogum Scholaſticis eſt analogatum vel analogatum 484

Analytica & Rhetorica quomodo differant 1420. Ejus neceſſitas & uſus in ſtudio Metaphy-

physico 3. Ariſtotelis Analytica commendatur & quid præſtet Oratori? 1420. ſeqq.

Analytica cauſa quæ ſit? 700. doctrinæ de cauſa analytica quanta ſit neceſſitas? 700. quæ proxima, quæ remota 1680

Analyticæ cauſæ formale quodnam ſit? 731. earum reductio ad cauſas Metaphyſicas quam ſit neceſſaria? 847. ſeq.

Analytice definire quid? 352

Analytice qui reſpondet non ſtatim ex Analytica reſpondet 287

Anarchia ſocietati exitialis 181

Anaximenes quomodo ſervaverit patriam? 1144. ſeq.

Angelus quos actus intra voluntatem ſuam producit, libere elicit 982. ejus intellectus, eſt potentia neceſſaria, ib. ejus voluntas eaque ſola in ipſo eſt libera 982

Angeli quo ſenſu dicantur facti ex nihilo? 251 ipſis quomodo competat libertas a neceſſitate? 971

Anima quid ſit? 446. 999. eſt in numero communium πρὸς ἕν 446. hominis in quantum ſit ſpiritualis eſſentiæ 1896. rationalis facta ex nihilo 251. in ſtatu ſeparato non eſt perſona, eſt tamen inſtar perſonæ 955. eſt libera ibid. ejus exacta definitio dari nequit 451. ſeq. immortalitas 997. 1544. hujus facultates utrum omnes ſubſint libero hominis arbitrio? 997. 999.

Anteceſſoris ſui voluntatem cur ſucceſſor mutare

mutare poſſit. 407

*Antitrinitarii refutantur 1085. eorum techne* 194

*Appetitio non eſt niſi boni 995. nequit fieri ſub ratione mali 631. an ſit cauſalitas cauſæ finalis 1473. an ſolummodo cauſatum cauſæ finalis dici debeat* 1480. ſeq.

*Appetitio & volitio quomodo differant?* 994

*Appetitio & averſatio quando ſunt in appetitu ſenſitivo dicantur affectus* 1011

*Appetitus rationalis eſt objective infinitus 1514. ſenſitivus 1437. ſeq. ſubeſt πολιτικῶς voluntatis imperio 1000. in bono quid reſpondeat volitioni?* 993

*Appii Claudii dolus* 1629

*Applicans agens ad patiens non ſemper eſt cauſa moralis* 1193

*Aquæ ſupra cœleſtes* 1843

*Arbitrio libero ſubeſſe quid ſit 997. ei non ſubſunt potentiæ vegetativæ 997. ſenſus externi*

*Argumentationes Philoſophicæ quantum differant a Theologicis & Juridicis?* 28

*Ariſtides exemplum cauſæ merentis* 1150 *ejus magnanimitas* 1129

*Ariſtotelis doctrina analytica commendatur, cum maxime fecit Averroes* 1252

*Ariani negant Chriſtum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre ſuo 280. quomodo impugnent Spiritus Sancti divinitatem?* 193

*Arnulphus miro caſu occupat Romam* 1339

Albe-

*Athenæ* 1341
*Atrebatenſis calliditas* 1125
*Attributa Dei quomodo demonſtrentur?* 7.364 *ſunt a parte rei unum & idem* 732. *ſe mutuo reſpiciunt ut cauſæ virtuales & cauſata virtualia* 733. *ſeq: ſunt realia non vero realiter diſtincta* 1222
*Averroes maximi fecit Ariſtotelem* 1282 *princeps Philoſophorum ſuæ gentis* 1282
*Averſatio non eſt niſi mali* 995. *nequit fieri ſub ratione boni* 831. *a nolitione quomodo differat?* 994
*Auctoritas unde æſtimanda?* 476. *quid requiratur ad eam? ib. quarumnam diſciplinarum ſit principium adæquatum primum?* 1411. *eſt commune* πρὸς ἓν *propius accedens ad æquivoca* 476 *ſumma competit Deo primario & abſolute, Sc. Sacræ ſecundario* 477
*Auctoritatibus quo ſenſu Theol. & JCti uti dicantur?* 26.515
*Auditores* ἀκροαματικοὶ *qui?* 875
Αὐτάρκεια *Dei demonſtratur* 373
Αὐτοχειρία *eſt in ſe turpis* 1617
*Axiomata & prima principia Theologiæ & Jurisprudentiæ communia* 28. *complura ſunt conſiderationi propria Metaphyſicæ: iſta fiunt propria cuilibet diſciplinæ* 513
*Axiomatum* I. & II. *diſcrimen* 165. *ſeq.*

B.

*Balduinus VII. Comes Flandriæ* 1176.1177

Baptiſmo cur indigeant ſalvandi? 378
Beati cur in altera vita neceſſario amaturi ſint Deum? 946
Beatitudo 1514. formalis ibid. objectiva ib. quæ ſit futura in vita æterna? 344. æterna tres præcipue includit actus 347. beatitudo æterna eſt finis Philoſophiæ Moralis 1514
Becanus confundit ſenſum diviſum cum compoſito 429. 430
Bellorum fontes 1651. ſeqq.
Beneficia & pœnæ differunt materia 1559
Bethſemitæ exempla cauſæ demeritoriæ 1157
Bileam exemplum cauſæ conſulentis 1180
Bonitas tranſcendentalis 367. 1689. quomodo a perfectione tranſcendentali differat? 1690 a veritate tranſcendentali? 1689
Bonum alteri 343. ratio formalis ejus a priori & a poſteriori ibid.
Bonum nullatenus appeti a voluntate, eſt impoſſibile 996
Bona opera num meriti vim obtineant? 1426 non poſſe dici meritoria vitæ æternæ quomodo demonſtrent Theologi? 1153. nec ex condigno, nec ex congruo 1160. Pontificiorum ineptiæ circa doctrinam de B. O. 1158. ſeqq.
Brevitas ornamentum definitionis 289
Briſacum 1445
Britannorum quorundam factum 1445
Bruta an agant propter finem 1475. ſunt libera a coactione 962. cur homo magis ſit liber? 962
C. Ca-

Digitized by Google

## C.

*Cæmentarius fulmine ictus mirabile exemplum cauſæ* 1269

*Caji Mutii Scævolæ fortitudo* 1196. 1197

*Callias cuſtodia liberat Cimonem* 1162

*Calliditas Atrebatenſis* 1125

*Cambyſes acerrimus juſtitiæ vindex* 1158 *ejus exercitus fame miſere vexatus* 1445

*Candaules dat cædis ſuæ occaſionem* 1188

*Carolus Audax Burgundiæ Dux admirandum in modum juſtitiam adminiſtrat* 1109. ſeqq.

*Caſimirus Polon. Rex inter ludendum ab equite cæſus* 1203

*Caſſius exemplum cauſæ demeritoriæ* 1157 1158

*Caſus & fortuna Ariſtoteli ſunt ſpecies cauſæ per accidens ex parte effectus* 1280. *cur reſpectu Dei nihil fiat caſu?* ibid.

*Carteſianorum* [illegible] *Metaphyſica* 899

*Caudina ſponſio* 1462

*Cauſa aliter in analyticis ſumitur, aliter in Metaphyſicis* 699. *cauſa analytica quæ?* 702. *qui differat a metaphyſica?* 743. *quibus abſolvatur quæſtionibus?* 703. *quæ dicatur proxima? quæ remota?* 1680. *quot modis fit immediata?* 723 *an ratio, quæ dicitur cauſa analytica, poſſit eſſe negativa? an particularis?* 729. *quod ejus formale?* 731. *quod materiale?* 728. *quæ requiſita?* 707. 719. ſeqq. 722. ſeqq. *quæ ratio cauſandi?* 730. *Vid.* RATIO *quæ dicitur cauſa analytica.*

Cau-

*Cauſa Metaphyſica quid?* 524. *cur accurate definiri nequeat?* 526. *ſequ. an adæquate dividatur in mediatam & immediatam?* 1023. *c.. in genere dividi nequeat in cauſam per ſe & per accidens?* 764. *cur cauſa per cauſam demonſtrari poſſit?* 849. *ſequ. cauſa unius generis quot modis demonſtretur per cauſam alterius generis?* 838 *cauſa in actu primo & in actu ſecundo qui differant?* 599. *cauſa alia eſt quæ, alia qua* 551. *alia eſt per ſe talis, alia per accidens* 744. *an hæc diſtinctio ad ſolam efficientem ſit reſtringenda?* 745. *alia eſt prima, alia ſecunda: alia naturalis alia obedientialis* 1667. *alia univerſalis, alia particularis* 1674. *alia proxima, alia remota* 1778. *alia eſt concauſa, alia non concauſa* 1680. *alia eſt potentialis, alia actu* 548. *minus accurate diſtinguitur in influentem & non influentem* 1046. *ſeq. quando ſpectetur materialiter, quando formaliter?* 557. *ſeq. quomodo effectu ſit poſterior, quomodo prior?* 499. *quomodo a principio differat?* 526. *quomodo a principio cognoſcendi excluſive ſumto?* 527

*Cauſæ actus primus* 547. *conceptus communis* 527. *quid differentiæ reſpondeat?* ib. *formale abſolute tale* 549. *formale primum* 546. *ſeq. materiale* 545. *quotuplex?* 546. *oppoſitum* 548 *ſeq. requiſita primaria* 544. *ſeq. ſecundaria* 550 *notio cauſæ nequit tribui perſonæ divinæ in ordine ad opera ad intra* 535. 570. *quomodo poſita cauſa ponatur cauſatum?* 542. *ſeq.*

*Cauſa*

Digitized by Google

Cauſæ ſingulæ quibus quæſtionibus efferantur? 827. 830

Cauſarum quot vulgo ſtatuantur genera? 777 quam accurate & commode? ibid. 778. varii ordines in ſingulis cauſarum generibus 818 quam neceſſaria eorum notitia? ibid. Cauſarum tractatio analogica 786. 794. doctrina de cauſis commendatur 787. 795. ſeqq. quo relata ſit a Ramo? 800. ex cauſis habetur omnis ſcientia 787. Uſus practicus doctrinæ de cauſis in quo conſiſtat? 785. quotuplex? 790. Primus 791. ſeqq. Secundus 790. 838. ſeqq. Tertius 790. 858. ſeqq.

Cauſa concauſa quæ 1680. quotuplex? 1680 1681. an omnis cauſa ſit concauſa? ibid. cauſæ ordinatæ & partiales quomodo differant? 1682

Cauſa efficiens. Vide lit. E.

Cauſa exemplaris. Vide lit. E.

Cauſa finalis. Vide lit. F.

Cauſa formalis. Vide lit. F.

Cauſa immediata quæ? 1679. mediata quæ? ibid. interna quæ? quæ externa? 782. 783. quot vulgo ſtatuantur externæ? quot internæ? 783. inſtrumentalis quæ? 906. recte dicitur cauſa efficiens 933. ſeqq. non agit niſi elevetur 932 ſemper eſt inſtrumentum conjunctum ibid.

Cauſa impulſiva. Vide lit. I.

Cauſa intentionis & cauſa per intentionem differunt 1117

Cau-

*Cauſa libera quæ? 938. an detur in actu primo? 595. quot ſint cauſæ liberæ?* 950

*Cauſalitas quid? 548. ejus ſynonyma 549. active ſpectata 556. paſſive ſpectata 555. ſæpe dicitur cauſa 553. cauſalitatum quot dentur genera?* 779.780

*Cauſa media quid? 1026. differt a mediata ibid. minus accurate diſtinguitur in principalem & inſtrumentalem 1027. mediata quæ? 1679 ſæpe utitur immediata tanquam inſtrumento 1378 non debet confundi cum remota* 1025

*Cauſa moralis eſt vera cauſa 1035. 1066. vera cauſa efficiens 1033. 1046. 1051. quotuplex? 1074. jam ante, jam poſt ſui exiſtentiam eſt cauſa 674. an dici poſſit cauſa phyſica per accidens 1041. 1242. 1247. a multis confunditur cum agente morali 1054. ſeqq. an quid ſimul eſſe poſſit cauſa moralis & agens morale? 1061. ſeqq. cur quid ſit cauſa moralis, ut non ſit agens morale? 1057. quomodo differat a cauſa mediata? 1027. quomodo a cauſa ſine qua non? 1032. 1046. ſæpe ita ſumitur, ut nihil niſi agens morale ſit cauſa moralis 1064. cauſa moralis quam varie quis fieri poſſit?* 1102. ſeqq.

*Cauſæ moralis cauſalitas cur nequeat conſtitui in eo, quod effectus ab ea neceſſario dependent? 1050. cur non in imputatione & aptitudine ad imputandum? 1051. 1388. ſeq. cur non in motione morali? 1051. 1091. 1095. quæ ſit ejus cauſalitas? 1034. 1045. 1052. exiſtentia hujus*

cau-

Digitized by Google

cauſalitatis & efficacia differunt 1033. 1047 cur ea & ante & poſt ſui exiſtentiam ſit ſæpe efficax? 1034. 1048. quotuplici modo ſe exſerat? 1073

*Cauſæ moralis & phyſicæ quæ discrimina tradant, qui omnem cauſam phyſicam volunt eſſe immediatam?* 1031. *ejus differentia maxime propria* 318. *modi quomodo ſint inveſtigandi?* 1073 *quot eorum modos recenſuerit Thomas?* 1101

*Cauſæ morali cur nequeat tribui motio cauſæ phyſicæ?* 1094. *eidem æque ut phyſicæ effectum imputari probatur exemplis ſacris* 1067. 1068. *JCtorum teſtimoniis* 1071

*Cauſæ morales quomodo dividantur reſpectu cauſarum mediarum principalium?* 1099

*Cauſa moralis principalis quæ?* 1379. *quæ inſtrumentalis? ibid. utriusque exempla* 1382 *ſeqq.* 1396. *ſeqq. cur principali & inſtrumentali ſæpe idem imputetur?* 1400. 1404. *inſtrumentalis a nonnullis rejicitur* 1384. *ſeqq. ſæpe venia cenſetur digna* 1402. *cur ei effectus nunc in totum, nunc in tantum, nunc nullatenus imputetur?* 1396

*Cauſa moralis per ſe excluſive ſumta quæ?* 1205. *per accidens ſic ſumta quæ?* 1251. *ſeqq.*
*Cauſa moralis per ſe ex parte effectus* 1266. 1271 *per accidens ex parte effectus quotuplex?* 1267 1271. 1273. *an omnis cauſa moralis per accidens reduci poſſit ad cauſam per ſe?* 1349. *Cauſæ mora-*

moralis per ſe & per accidens exempla 1226 ſeqq.

Cauſa moralis applicans agens ad patiens exemplis illuſtrata 1190. ſeqq.

Concedentis poſitive exempla 1177. ſeqq.

Conſulens 1118

Conſentiens 1137

Demeritoria 1155

Impediens 1170

Impetrans 1139. κατ' ἐξοχὴν talis quæ? 1140

Impetrantis exempla per preces 1141. 1144. per pœnitentiam; per mendacium; per calumnias 1143. per ſimulationem; per promiſſum; per munera; per pactum; per contractum; per factum 1144

Laudans 1135

Mandans 1106. ejus exempla 1107. 1109. ſeqq.

Merens quæ? 1149. quotuplex? 1155. non confundenda cum quomodocunque impetrante 1149

Meritoria 1155. an recte dividatur in talem ex condigno & ex congruo? 1158. ex congruo quæ dicitur an ſit vera cauſa moralis? 1159

Cauſa participans poſt factum 1198. ejus exempla ib.

Patrocinans 1201. ejus exempla 1202

Per commiſſionem quotuplex? 1090. ejus quæ non eſt ſimul moraliter movens modi præcipui 1098

Per mandatum & cauſa mandati differunt 1117

Per

Per omiſſionem 1077. 1079. jam eſt agens morale, jam indifferens ibid. jam eſt talis per omiſſionem realem, jam per verbalem 1087. ſpectatur vel in ordine ad cauſam phyſicam liberam vel ad naturalem 1088

Provocans 1164

Ratumhabens 1132

Removens impedimentum 1175. exempla ib. ſeqq.

Subminiſtrans occaſionem 1190. exempla 1187

Suppeditans vires 1182. exempla ib. ſeqq.

Cauſa moraliter movens a cauſa metaphorice movente differt 1093. ut & a cauſa impulſiva 1093. 1096. vel unica movet motione, vel varia & multiplici 1169. ejus modi præcipui qui? 1092 ſeq.

Cauſa naturalis quæ? 1667. an detur in actu primo? 505. ſeqq. cauſarum naturalium quot dentur genera? 1669

Cauſa obedientialis quæ? 1668. cur non dicatur ſupernaturalis? 1673. ejus ratio cauſandi 1672. cauſalitas ibid.

Cauſa partialis 1681. quid ad eam requiratur? 1682. ſeqq.

Cauſa particularis 1674. an ſit inſtrumentum cauſæ univerſalis? 928. alia eſt ab incompleta 1684

Cauſa per accidens in communi deſtitui nequit

quit 1233. ex parte cauſæ quid? 557. num ſit vera cauſa? 755. cur in ſenſu materiali ſit vera cauſa? 756. cur non in formali? 428. 757. quomodo conveniat cum cauſa per ſe ex parte cauſæ? 748. Non debet confundi cum cauſa per accidens ex parte effectus 1302. ex parte cauſati quid? 747. quomodo differat a cauſa per ſe ex parte cauſati? 749. ſimpliciter talis non eſt confundenda cum cauſa per accidens ex parte cauſati ſecundum quid 759. ſeqq. an ſit vera cauſa? 758. ſeq.

Cauſa per accidens an ſit vera cauſa? 762. 1305. ſeq. inepte definitur principium influens in effectum non intentum? 762. an in communi recte dicatur non influere in effectum 1206. an cauſa per accidens ſit, a qua effectus nullatenus dependet 1296. 1297

Cauſa per accidens quomodo differat a cauſa ſine qua non? 772. ſeq. quomodo inveſtigandum, num quid cauſa per accidens ſit, an cauſa per ſe? 753. an qui cauſam per accidens concipit, concipiat cauſalitatem? 1299. doctrina de cauſa per accidens cujus criminis vulgo arguatur? 1319. quomodo impugnetur? 1304. 1314. ejus uſus inſignis in doctrina de ſcandalo & fato 1335

Cauſa per ſe 744. 746. ex parte cauſæ quæ? 557. quomodo conveniat cum cauſa per accidens ex parte cauſæ 748. quomodo ab ea differat ibid. ex parte cauſati quæ ſit? 747. ſeqq.

Ca-

Digitized by Google

*Cauſa phyſica & moralis quomodo conveni-ant? quomodo differant? 1028. phyſica a non-nullis diſtinguitur in mediatam & immediatam 1245. non confundenda cum cauſa naturali 1253 qui factum , ut ſola phyſica habita fuerit pro vera cauſa, excluſa morali?* 1389

*Cauſa phyſica per accidens excluſive ſumta quæ? 1238. 1244. cujus reſpectu ſit vera cauſa?* 1241

*Cauſa phyſica per ſe excluſive ſumta* [illegible] 1263 *quotuplex?* [illegible]

*Cauſæ phyſicæ modi inſigniores 1097. incli-natio quotuplex? 1098. cauſæ phyſicæ inſtru-mentalis motio quæ? 1094. quæ principalis?* 1094

*Cauſa potentia & cauſa poſſibilis quomodo differant?* 548. 600

*Cauſa prima quæ?* 1667

*Cauſa principalis quæ? 905. ſeq. ſumitur vel abſolute vel relative 908. minus accurate dici-tur agere mediante cauſa inſtrumentali* 937 1025

*Cauſa remota an ſit vera cauſa?* 458. 1025 1679

*Cauſa ſecunda quæ?* 1667

*Cauſa ſine qua non quid ſit? 550. quid requi-ratur ad eam? 551. non eſt vera cauſa* 554. 775 776

*Cauſa univerſalis 1565. in genere cauſæ effi-cientis 1674. in genere cauſæ materialis ibid. an quid reſpectu diverſorum effectuum poſſit eſſe* cau-

cauſa univerſalis & particularis, aut ad minimum non univerſalis 1678

Cauſa univoca quæ? 578

Cauſatio quid? 549

Cauſativitas 547

Cauſatum analytice ſumtum quid? 726

Cauſatum metaphyſice ſumtum quid? 545 ſpirituale 733 quando conſideretur formaliter? 559. quando materialiter? ibid. ejus requiſita 555. quod cauſam ſui univocam habet quomodo in ea eſſe dicatur? 572

Cauſatum immediatum tripliciter accipi poteſt 1479

Cauſatum naturale 1668. ſupernaturale ibid. quotuplex? 1669

Cauſatum per accidens 745. ex parte cauſati quid? 558. an ſit verum cauſatum? 771. ex parte cauſæ quid? 768. an ſit verum cauſatum? 771

Cauſatum per ſe 745. ex parte cauſati quid? 558. 768. ex parte cauſæ quid? 769

Cauſatum potentia & cauſatum poſſibile quomodo differant? 624

Cenſus hodie ſunt redimibiles 300

Certitudo, veritas & neceſſitas quomodo inter ſe differant? 720

Childerici ignavia 1628

Chriſtianus num poſſit eſſe certus in individuo de ſalute ſua æterna 276

Chriſtus 1412. in Chriſto ſunt duæ naturæ 281



Digitized by Google

negant Monophyſitæ 281. in Chriſto ſunt duæ exiſtentiæ, una ſubſiſtentia 237. eſt ejusdem eſſentiæ cum Patre ſuo 281. Ariani negant 280. Chriſtum a nobis eſſe ſupra omnia æſtimandum & amandum 375. 511. 1457. ſeqq. quo ſenſu dicatur non noviſſe diem extremi judicii 606. 607. duplici modo cauſa prædeſtinationis 294. cur potuerit obligare ad vitam pro ſalute hominum fundendam? 1215

Ciceronis ſcripta moralia commendantur 1547

Cimon 1162. 1187

Circumſtantiarum numerus 827. ſeqq. 829. 828. univerſa doctrina circumſtantiarum quibusnam doctrinis in Metaphyſica exacte reſpondeat? 828. 829

Civile forum 1296

Civilis ſocietas 712. 789

Civis eſt commune πρός ἕν 713. κυρίως dictus quis? 481. debet eſſe particeps ſuffragiorum, imperii, jurisdictionis 711. 712. 719

Civitas cur dicatur ſocietas maxime civilis? 325. perfectiſſima ſocietas 375. myſticum corpus 305. num ex pactis, quibus coaluit civitas, ſummum imperium reſultet? 409. cauſa finalis 1429

Clementis IV. Pontificis cruentum conſilium 1124. 1125

Cleomenes Rex Spartæ 1178

Cleopatræ libido 1149

Coactio cui competat? 1115. a neceſſitate quomodo

do differat? 953

Cœlum & terra quo ſenſu ex nihilo facta dicantur? 252. quo die ſint producta? 258

Cogere cujus ſit in genere morum? 304. & neceſſitare differant 952

Cogi nemo poteſt ad ſua natura turpia 380

Cogitationum cum efficacium tum inefficacium moralitatem feliciter diſpecturus quid neceſſum habeat attendere? 1438

Cognitio eſt neceſſarium prærequiſitum cauſe finalis 1474. ſeq. alia eſt confuſa, alia diſtincta 499. quomodo a volitione differat 889. Dei, qua ſe cognoſcit & creaturas 1783. vel abſtractiva vel intuitiva 344. per quam Deus nobis objectum futurus ſit præſens in vita æterna ib. intuitiva qualis? 344. ſeq. cur gignat Dei amorem? 346. alia fit per intellectum; alia per ſenſum 260. hæc non dicitur conceptus 261

Cognitionis ſubjectum 1572. quotuplex ſit? ibid. cur diſciplinis practicis fere detegatur? 1574. intuitivæ formale conſequens 345 ſeqq. intuitivæ & abſtractivæ ratio diverſiſſima 345. intuitiva cognitione adipiſcimur rem quæ cognitionis objectum eſt 344

Cognoſcendi principium ſumitur vel abſolute vel excluſive 505. abſolute ſumtum quid? 505 quid excluſive ſumtum? 506 eſt vel proprium vel commune 512. proprium ibid. commune ibid. quis hujus diſtinctionis ſit uſus? 513. potentiam quicquid habet cognoſcendi, habet etiam potentiam

Digitized by Google

*iam appetendi*

*Commune ad unum quid vocetur primario?* 483. *per ſe poſitum ſtat in ſignificatu famoſiori* 466

*Communia ad unum quomodo conveniant inter ſe?* 485. *omnia dicunt ſecundum idem & commune nomen habitudinem ad eandem rationem formalem* 487. *ita nequeunt dividi, ut diviſio prodeat quamcunque aliorum ad eadem reductionem excludens* 467. *quid ſint & quot dentur eorum claſſes monſtratur* 432. *ſeq negantur a Scotiſtis* 437. *quibus rationibus?* 437. *ſeqq. minus accurate dicuntur a Scholaſticis analoga* 445. 446. *doceri poſſunt & diſci, exacte definiri nequeunt* 450. *doctrina de his in quantum ſpectet ad Metaphyſicam?* 434. *non obſervata fuit a Scholaſticis ib. in quantum ſpectet ad Analyticam?* 435. *videtur intricata, ſpinoſa & parum utilis* 435. *non tamen talis eſt* *ib. ſeq.*

*Communia ad unum quæ propius accedunt ad univoca quæ?* 433. *quomodo vocet? Thomas* 444 *dicuntur Ariſtoteli* τὰ πρὸς μίαν φύσιν 447 *in quo conveniant cum univocis* 443. *ſeqq. in quo ab iiſdem differant. ib. eandem naturam inæqualiter participant* 447. *in quonam conſiſtat illa inæqualitas? ib. quomodo ab iis differant? quæ media ſunt inter univoca & æquivoca?* 486. 488 *quomodo ſolida eorum paretur ſcientia?* 471. *huius doctrinæ uſus ubi tradatur* 449

*Communia ad unum quæ propius accedunt ad æquivoca quid ſint?* 433. *in his obtinet illud : qui*

bene diſtinguit bene docet 474. iisdem non modo λόγος τῆς ὀσίας ſed etiam ὁρισμὸς ὑπογραφικὸς repugnat 475

Communia ad unum quæ ferme media ſunt inter univoca & æquivoca quæ? 433. quomodo vocaverit Cajetanus? 482. quomodo differant a reliquis? 479. 485. quomodo conveniant cū univocis? quomodo cum æquivocis? 479. juxta perfectiſſimam ſpeciem ſignificant totum complexum ſpecierum inferiorum 483. ubi maximus eorum uſus ſe exſerat? 480. eorum exempla dantur in omni Philoſophia & Theologia 481. eorum doctrina valde difficilis apparet nonnullis 488. difficultas utilitate compenſatur 489

Communicabile aliud quid eſt, aliud commune 1768

Communicabilitas non repugnat omni naturæ ſingulari 571. quæ efficiat univerſalitatem? 571

Communicationis octo modi inſigniores 1746 idiomatum communicationem quibus argumentis impugnent Reformati? 1747

Compenſatio quotuplex? 1163

Compoſitio quæ primario talis ſit? 1725. rationis, item quid denominet intrinſece, quid extrinſece? it. ex cujus parte ſit imperfectio? 1731 ſeqq. ad realem quæ requirantur? 1725

Compoſitum quid? 1724. 1726. ejus ratio formalis, 1746. rationis eſt tantum tale per extrinſecam denominationem 1732. ſeq.

Conceptus adæquatus 1716. duplex ejus acceptio

ceptio ib. a negatione primi conceptus communis an valeat conſequentia ad negationem ſpeciei? 331. formalis 260. uti opponitur materiali 385 fundamentalis 1833. neceſſarius 1716. objectivus 261. primus adæquatus 1716. primus partialis 317. primus partialis reciprocus latius patet quam differentia eſſentialis 317. primus totalis 265. ſeqq.

Concionatoris officio quis demum recte fungatur? 1420

Concluſio, ut eſt effectus cauſæ analyticæ, cur debeat eſſe vera, neceſſario vera, certo vera? 720. concluſio demonſtrativæ proxima quando inferri queat ex veriſimilibus? 722. quantum interſit ab omnium & ſingularum facultatum concluſiones implicitas ab expreſſis diſtinguere? 186 etiam concluſio Theologica eſſe poteſt, licet major, ſimpliciter tamen & ſumme neceſſaria, non ſit Theologica 281. concluſio Theologica quando virtualiter ſit revelata? 278

Concretum num ſemper realiter differat ab abſtracto? 235. concretum & abſtractum ſignificant unam eandemque rem, ſed non eodem modo 248

Concretorum adjectivorum, quæ ſignificatio ſit primaria, quæ ſecundaria? 415. concreta ſubſtantiva, quæ naturam & ὑπόστασιν ſignificant, quid formaliter ſignificent, diſceptatur inter Scholaſticos 415. ſententia Thomæ, Bielis, Vatz-

quæſiti, Theologorum noſtratium & Philoſopho-
rum 416.ſeqq.
Concubitus non facit nuptias 822.ſeq. 825
Concupiſcentia prava quo ſenſu dicatur quali-
tas poſitiva? 392.393
Concurſus Dei univerſalis quis? 1675 quomo-
do probetur? 1676. concurſus univerſalis Deus
non facit cauſam peccati 1677
Condictio indebiti 1464. ejus fundamentum
1465. num etiam, quamvis condictioni indebiti
ſpecialiter renunciatum fuerit, tamen illi reme-
dio locus ſit 1465. condictioni non obſtat genera-
lis renunciatio ibid. omnes & ſingulæ ejus cauſæ
813. cauſa finalis 1512. objectum 1612.1615
Condictio cauſa data, cauſa non ſecuta 1587
ejus ſynonyma ibid. ſubjectum ibid. ſeqq.
Conditiones quænam vocentur? 1728
Conditio impoſſibilis quæ ſit? 681
Conjugium facit conſenſus 553.822.ſeqq.825
conſenſus in ordine ad conjugium non eſt cauſa ſi-
ne qua non, nec forma 822.ſeqq.
Conradus III. 1628
Conſenſus quando detur? 1139. expreſſi &
taciti eadem virtus 215. indirectus quomque ad
moralem imputationem æque ac directus ſufficiat?
1446. ſeqq. quomodo Metaphyſica æſtimatione
ſe habeat ad matrimonium? 553. 822.823.ſeqq.
Conſequens formale quid vocent Metaphyſi-
ci? 343
Conſcientiæ forum 1396

Con-

Digitized by Google

Conſervatio & creatio realiter non differunt 618

Conſilium non ſemper eſt propoſitio 1125. quo ſu dicatur propoſitio practica? 1124. quomodo differat a mandato? 1123. 1130. a demanda ? 1130. habet vim obligandi extrinſecam 1123

Contingens quid? 1749. quotuplex? 1750 760. contingens & neceſſarium num ſit attri utum entis? 1749

Contingentium an detur ſcientia? 1762. con ngentium ut plurimum habetur determinata eritas 722

Contractus 806. eorum cauſæ omnes & ſingu æ 806. ſeqv. ſubjectum 1575. eſſentiale conſe ens 382. contractus innominati 1058. contra us alius perpetuo pendet a voluntate contra entium, alius ab initio tantum eſt voluntatis, oſt habet effectum neceſſitatis 686. adverſus rincipum contractus num reſtitutio in integrum ocum habeat? 422. 423

Contradictio in adjecto quid? 240. contradi tionem implicare quid ſit? 648. ſeq.

Contradictoriorum repugnantia eſt immutabilis 68. immediata 164. ſola contradictoria inter oppoſita non admittunt medium 167. contradictoria vel formaliter vel virtualiter talia 209. alia immediate, alia mediate important rationes contradictorias 202. 203. medium ſæpe datur inter ea, quæ contradictorias rationes important 199. quando id fiat, quan-

Digitized by Google

quando minime? 293

Contrariorum unum ſemper continet in ſe virtualiter alterius negationem 1217. contraria ſimul eſſe in eodem ſubjecto eſt ſimpliciter impoſſibile 1217

Converſio apud Theologos jam tranſitive, jam intranſitive ſumitur 335. utraque ſignificatio probatur ex Scriptura Sacra 338. converſio tranſitiva eſt actio Spiritus Sancti 336. ejus definitio 338. 339. intranſitiva eſt actio hominis, 336. 337. ſed non ex humanis viribus profecta 337. 338. ejus definitio 339. converſionis cauſa efficiens, meritoria 1370. 1412. ad ſui converſionem quid homo conferat? 336. 337. converſio tranſitiva & regeneratio, intranſitiva & pœnitentia ἰσοδυναμοῦντα 339

Corpus hominis an recte vocetur ſubjectum animæ 1569

Corpus Juris 285. multas continet leges expreſſe non poſitas ibid.

Corpora naturalia non ſunt actus non puri 331

Corpus naturale 1226. cur ſit diviſibile? 369 num quantitas a corpore naturali realiter differat? 370. 1696. 1697. quomodo quantitas de corpore naturali demonſtretur? 369

Creare 616

Creatio quid? 616. 460. quotuplex? 460 461. num poſſit dici creatura? 247. 871

Creationis hiſtoria 252. alii primo, alii ſe-



Digitized by Google

ſecundo die putant producta cœlum & terram 252

Creator & opifex quomodo differant? 616

Creatura quæ, creatura qua 247. num potuerit eſſe ab æterno? 572. 574. 577. 583. 612. 615 ſq. 619. 623. creaturæ æternitas poſſibilis & Dei æternitas poſſibilis multis modis differunt 618. 620. ſeqq.

Creaturæ ab æterno habuerunt duplex eſſe in Deo 562. 563. 574. 575. an dici poſſint principium cognoſcendi reſpectu Dei? 508. creaturarum perfectiones quatenus ſint in Deo? 179

Crudelitas Neronis 1343

Culpæ homonymia 1366. Theologica, Juridica ibid. culpa qua ratione ſit eſſentiale conſequens peccati? 304. 383. an citra culpæ communitatem communitas pœnæ detur? 1557. ſeqq. materiale & formale ejus 1558. ad culpæ moralis abolitionem moralem quænam requirantur? 1363

Cultus Dei 1486. 1539. qui ductu luminis naturæ inveſtigari poteſt, utrum ſufficere potuiſſet in ſtatu innocentiæ ad æternam ſalutem? 1486 optimus quis? 1547. doctrina de cultu Dei ad Philoſophiam moralem doctrinamque Juris naturalis per ſe, directe ac ex profeſſo ſpectat 1539 ſeqq.

Cupiditas vindictæ quomodo vocetur a Moraliſtis, 305. eſt cauſa τ ἐγκύκλιον pœnæ 305

Cyri apologus 1174

D.

D

## D.

Damiata 1176
Damnum & injuria quomodo differant? 1165
Darius 1185
David 1178. 1182. 1382. 1442. exemplum causæ mandantis 1067. seqq. 1108. seq. an fuerit causa cædis LXXXV. Sacerdotum? 1334. exemplum causæ impetrantis 1144
David Pareus defendit supremam potestatem habentem ab inferiori Magistratu puniri posse 500. ejus liber Oxoniæ per carnificem publice combustus ibid.
Tò debere ſumitur modo in laxiori, modo in ſtrictiori ſignificatu 1085
Decretum quid? 288. ab intentione quomodo differat? 1085
Decreti & exſecutionis decreti eadem eſt cauſa impulſiva 1661. ſeq. ejus executio ſemper eſt decreto conformis 291
Definire analytice quid ſit? 352
Definitio alia eſt a priori, alia a poſteriori 342. 352. Scholaſticis eſt vel formalis, vel objectiva 315. eſſentialis realiter a ſuo definito non differt 315. 537. cauſalis nunquam eſt perfecta definitio 312
Definitionis ornamentum brevitas 289. ad eſſentialis definitionis notitiam quid requiratur? 313
Ad Definitionem eſſentialem in omni demonſtratione recurrendum 309. utrum per ſolam definitionem cauſalem reſponderi poſſit ad quæſtionem

Digitized by Google

rem; quid ſit hoc vel illud? 308. ſeqq. per definitionem nequit demonſtrari definitum 370

Definitiones exactæ non omnium rerum dantur 306. ſæpe ἀπαιδεύτως deſiderantur 45. in quibus differentiæ loco ponitur id unde differentia erat petenda, quomodo feliciter percipi queant? 321 cauſales ſunt principia demonſtrationum, non definitionum eſſentialium 310. eſſentiales cur non ſint principia demonſtrationum? ibid. eſſentiales non ex ſolis Mathematum fontibus deducuntur 308. eſſentiales a quibusdam non habentur pro realibus & intrinſecis 309. harum ἀπαιδευσία notatur ib. 312. ſeq.

Definitionum eſſentialium notitia ſolide commendatur 307. ἀμεθοδία recentiorum circa doctrinam definitionum a priori & poſteriori 354

In Definitionibus eſſentialibus ad quid potiſſimum reſpiciendum? 290. in definitionibus eſſentialibus practicis potiſſimum reſpiciendum ad finem. 290

Definitum nequit demonſtrari per definitionem 370

Defuncti factum cur heres teneatur tueri, comprobare, præſtare? 377

Delicti eſſentiale conſequens eſt culpa 304. delictum eſt objectum pœnæ 304. obligatio alia eſt ex re, alia ex delicto 1365. in delictis num ætas excuſet? 1373. ſeq.

Delphorum Antiſtites per laudem fiunt cauſæ morales 1336

De-

Demandans cauſa quæ? 1128. ejus exemplum Paulus 1128. ſeq.

Demandatum quomodo differat a mandato 11[illegible]

Demeritum quid? [illegible]

Demetrius 118[illegible]

Demonſtrare quid ſit? 40. modus demonſtrandi cauſam unius generis per cauſam alterius generis quotuplex? 838. demonſtrari poteſt cauſa finalis propior & particularis per remotiorem & univerſalem 850. ſeq. demonſtrari poteſt cauſa formalis per finalem, efficientem, materialem, 840. ſeqq.

Demonſtratio eſt commune ad unum propius ferme medium inter univoca & æquivoca 30. διότι eſt perfectior demonſtratione ὅτι ibid. illa unde petenda? 308

Demonſtrationis finis 40. ratio formalis rei utrum aſſumi poſſit in medium demonſtrationis? 310

Demonſtrationem ſolidam abſque ſyllogiſmo ne poſſe perfici declaratur 373. ſeqq.

Demonſtrationes primæ & elementares ab accuratioribus non venditantur pro demonſtrationibus abſolute talibus 305. ſeq. argumenta, quibus definitum per definitionem probatur, non ſunt analytica 370. demonſtrationes non deducuntur ex ſolis Mathematum fontibus & principiis 308. ad quam ſpectent ſcientiam, unde conſtet? 714. ſeqq. διότι, ὅτι, & per impoſſibile duntur

Digitized by Google

tur in Metaphyſica 6. ſeqq.

Demonſtrationum dictarum de Deo exempla 372. exempla, quæ non abſolvuntur unico ſyllogiſmo theologica 377. ſeq. Juridica 379. Ethico-Politicum 380

Demonſtrationes dari nonnulli negarunt vel ipſa Matheſi 364. veras non fieri per ſyllogiſationem, quibus adſtruere nonnemo conetur 375 ſeqq. quid ei reſponſum? 379. ſeq.

Denominatio quo ſenſu dicatur fieri a potiori 537. extrinſeca non confundenda cum impropria 475

Denunciationum formulæ 1168

Dependens quid? 1776

Dependentia quid? 1776. quotuplex? 1777 ſeqq. an omnis ſupponat prioritatem naturæ? 1784 an dari poſſit ſine eſſentiali diſcrimine dependentis ab eo unde dependet? 1782. ſeq.

Deſcriptiones comparantur σωματογραφίαις pictorum 470

Deſtinare quid notet apud profanos auctores? 289

Determinatio voluntatis non eſt actio 990 992. alienans 1231. ſeqq.

Deus cur nequeat mentiri, negare ſeipſum? 567. an concurrat ad peccati materiale? 1563 ſeqq. Pater & filius quomodo differant? 1700 quando vult aut non vult volitionis aut nolitionis non eſt cauſa formaliter talis 958. eſt ſupra omnia amandus 1617. cur nequeat dici univer-



Digitized by Google

ſolo in eſſendo? 1767. cur ſit ſumme dilig...
... non poteſt non bonorū eſſe remunerator
... vindex 640. cur nequeat fallere & ...
... 479. debuit nos perſpicue docere in Sacr...
... que creditu ſunt neceſſaria 183. quod vult...
... eſt 184. eſt finis obiectivus Theologiæ 1500 ...
... promiſſo cadere nequeat? 492. utrum ſatis ...
... dicatur Deum non poſſe agere contra ...
... miſſum & juramentum? 388. ſeqq. negan...
... tiones 388. exploduntur 389. cur quoſda...
... gerit? 739. cur paucos? 740. cur ſit in...
... dens? 1782. cur de homine non item de ...
natura vere prædicari poſſit? 419. cur ...
causa univoca creaturarum? 572. ſeq. cur ...
per omnia colendus? 1464. cur ſuper omni...
gendus? 738. 1461. cur ſuper omnia time...
cur in eo ſolo ſperandum? 1461. cur ei ...
debeantur grates? 1451. cur invocand...
cur non potuerit legem naturæ ita for...
contraria forent præcepta illis quæ ...
662. quærere, utrum Deus legem naturæ ...
mare potuerit, ut contraria forent præc...
quæ jam ſunt, omni vacat petulantia 660.
663. utrum pœnitenti citra ſatisfactionem ...
ſa condonare poſſit? 1219. cur ſit æter... 7
ſeq. cur nequeat dici fato Stoico a... 05
cur nequeat habere principium ... ?
98. cur amet ſeipſum ſuper omnia? 736. an
recte dicatur non velle peccatum, ita ut nol-
le idem ſit ac nec velle nec nolle? 1082. ſeq. ...

pro hominibus judicium de actionibus ſuis 641. quo
ſenſu dici queat totum eſſentiale metaphyſi-
cum? 1760. quomodo agat propter finem? 1490
per quem actum nobis objective futurus ſit præ-
mium in vita æterna? 344. ſi per impoſſibile move-
ret voluntatem hominis ad concubitum cum alie-
na uxore, utrum futurus eſſet conſpurcati? quæ-
ſtio ventilatione digniſſima 969. ſolus eſt Spiri-
tus increatus 1892. an agnoſcat principium co-
gnoſcendi? 509. quot modis naturaliter conſi-
derari poſſit? 1537
Dei actiones internæ nec inter ſe nec ab eſſen-
tia Dei realiter differunt 740. attributa quomo-
do demonſtrentur? 1364. attributa ſunt realia,
non vero realiter diſtincta 1222. αὐθεντία de-
monſtratur 373. benevolentia eſt cauſa impulſiva
interna prædeſtinationis 295. cognitio qua ſe co-
gnoſcit & creaturas 1783. cognitio intuitiva
qualis ſit 344. 345. intuitiva cur ſit cauſa amo-
ris? 346. filius cur conceptus ſit, cur natus, cur
genitus? 378. filii divinitas quomodo impugne-
tur ab Arianis & Photinianis? 193. Filius produ-
ctus de eadem numero ſubſtantia producentis 194.
195. intellectus utrum in cognoſcendo ſit neceſ-
ſarius? 98. immutabilitas eſt cauſa virtualis
æternitatis 733. 737. juſtitia quo ſenſu dicatur
eſſe miſericordia Dei? 421. ſeq. num ſine hetero-
doxiæ periculo defendi poſſit nullas dari Dei no-
titias natura inſitas nec in actu primo, nec in actu
ſecundo? 603. cur non detur notitia de Deo in-

tellectui humano connata in actu secundo? seu cur non in actu primo? 605. Opera ad intra sunt divisa. 882, perfectionibus moralibus repugnantes actiones non possunt non moraliter esse mala 671. in ejus potentia creatrice habere verum esse quid sit? 622. ejus respectu cur nihil sit, ... sit? 1280. sub quam scientiam cadat ... rundam necessaria convenientia cum natura rationali? 91. ejus voluntas eaque sola est formaliter libera 980. Deo Plato magis obediendum censuit quam hominibus 380. num recte tribuantur actiones propter finem? 1476. In Deo sunt perfectiones physicæ creaturarum? ... eo libertas a necessitate est perfectio formalis 956. notitiam de Deo insitam sive innatam quo modo vocent Theologi? 602. num talis ... detur? 601. affirmativa quorum sit 602. Philosophi Græci aliter de Deo locuti sunt, aliter ... runt

Deum esse demonstratur, 6. esse in numero possibilium 8. 9. esse a se ipso verum in sensu negante, falsum in sensu ajente 250. esse liberum ... tate demonstratur 955. seqq. esse ... demonstratur per impossibile 7. 8. fieri est ... absolute impossibilium 654. esse causam ... sequitur ex Reformatorum doctrina ... misericordem exigere satisfactionem pro peccatis non est absurdum 1323. seq. ... sensu dicatur omnia esse possibilia ...

Diabolus Poeta 1368

Diale-

Dialectica annexi loci cauſarum non ſunt reſtringendi ad eam ſolam 857
Dialectice definire quid ſit? 352
Differentia maxime propria & ultima non ſunt confundendæ 319. eſſentialis & conceptus [illegible] partialis reciprocus differunt 317. eſſentialis latius patens quomodo dici poſſit maxime propria? 333. eſſentialis maxime propria interdum latius patet quam id cujus eſt differentia 333. eſſentialis ſæpe nequit unica voce exprimi 317. ſeqq. alia eſt eſſentialis, alia quaſi eſſentialis 317. eſſentialis non deſumenda ab aliqua tantum ſpecie 330. circa eſſentiales cautela 330
Dilemmatum notitia utilis 209
Diſcere recte quid ſit? 787
Diſciplina quævis habet principia ſua 308. diſciplinarum practicarum objectum ſunt potiſſimum actus 793. in diſciplinis practicis quid forma notet? 297. 793. 1607. diſciplinæ omnes ſunt [illegible]ales 227
Diſcurſus eſt actus intellectus 978
Diſpenſari utrum a Deo in jure naturæ poſſit? 331. ſeq.
Diſpoſitio 1812. & alteratio quomodo ſe teneant ex parte generationis? 456
Diſputantium perverſa aſtutia 36[illegible]
Diſtichon a diabolo formatum 1269
Diſtincta realiter non ſtatim ſunt realiter ſeparabilia 1691. & diverſa 1722. attributa Dei ſunt realiter, non vero realiter diſtincta 1723

Diſtinctio inter perſonam & eſſentiam in divinis cur dicatur virtualis? 1712. formalis quæ vocatur? 1715. realis adæquata tripliciter ſumitur 1720. realis eſt talis vel in totum, vel in tantum 1692. realis quando detur, quando rationis? 1691. ſeq. realis intrinſeca, extrinſeca 1717. inter realem & rationis num detur media? 1693. 1718. ad realem an requiratur, ut eorum unum revera ſine altero eſſe poſſit? [illegible] aliud eſt diſtinctio realium, aliud realis 1695 realis diſtinctionis genuina & prorſus infallibilia ſigna 1694. realis ſigna minus genuina, nec omnia infallibilia 1703. virtualis ubi detur? [illegible] ſeq. rationis eſt vel rationis ratiocinantis vel ratiocinatæ 1717. negativa eſt talis vel in totum vel in tantum 1692. eſſentialis & realis quomodo differant? 1705. eſſentialis homonymia 1705 modalis quæ? 1708. quando modalis ſit realis 1709. modalis an detur inter duos modos? 1710 modalis eſt vel inter rem & modum, vel inter duos modos 1710. an modalis detur inter perſonas divinitatis? 1710. diſtinctionem inter eaſdem formaliter & virtualiter talem auctor primus quis? 1713. ſeq.

A non diſtributo ad diſtributum non eſt procedendum 431

Diverſa & diſtincta [illegible] 1722

Diviſibilitas fluit ex extenſione [illegible]

Per divortium quomodo maritus poſſit fieri cauſa moralis adulterii? 1174

Do

*Docere recte quid ſit?* 1987

*Docentium incuria* 1726

*Dogmaticos quomodo impugnarint Sceptici?* 1984 ſeqq.

*Dolor juſtus ſæpe non caret malitia morali* 1444

*Dominium ſpectatur vel ut dicit actum primum vel ut actum ſecundum 609. utroque modo ſpectatum quid ſit? ibi. ad ejus acquiſitionem quænam requirantur?* 1358 ſeqq.

*Duratio cui tribuatur primario, cui ſecundario? 1835. dupliciter ſumitur 1831. non differt ab ente realiter 1831. quod nonnulli impugnare conantur 1835. differt formaliter 1831. ſeq. indeterminata quæ ſit? 1837. quotuplex? 1838. terminata quotuplex? 1839. an recte dicatur intrinſece nihil importare aliud quam negationem deſtructionis? 1837. creaturæ ſi ab æterno fuiſſet quotupliciter ſpectari poſſit? 610. quo ſenſu dici poſſit eſſentia Dei? 619. eſt contingens 619. Dei eſt neceſſaria* 619

*Dutrii* 1193

*Δυνάμει ὄν, quid ſit Phyſicis* 457

*Ebrietatis turpitudo propoſita ex Seneca* 1636

*Eclipſis lunaris cur ſit poſſibilis? 374. cur fiat? 379. ejus ratio formalis quæ? 399. an demonſtrari poſſit?* ibid.

*Effectio quid ſit?* 782



Effe-

*Effectus quid? 869. 872. quid morali aſſimatione? 1364. quomodo differat à cauſato? 869 quatenus cauſa ſit prior? quatenus poſterior? 499. an poſſit eſſe cum cauſa ſimul? 575*

*Effectus alius eſt qui, alius quo 575*

*Effectus per accidens quotuplex? 1321. ex parte efficientis 1322. ſemper reduci poteſt ad cauſam efficientem per ſe. ex parte cauſæ efficientis ibid. ex parte effectus quotuplex? 1326. 1332 1333. quomodo reducatur ad cauſam per ſe? 1329*

*Effectus per ſe quotuplex? 1321. ex parte efficientis quis? ib. ex parte ſui quis? 1325*

*Efficiens cauſa quæ? 867. an ſemper ſit cauſa per veram & realem actionem? 868. quotupliciter dicatur cauſa per veram & realem actionem? quomodo demonſtretur? 845. ſeq. quomodo determinate agat? 927. quid notet in practicis? 793. eſt commune* κατ' *ἐν 907. quomodo probetur in ſcientiis practicis, quarum adæquatum principium eſt auctoritas? 1411. 1455*

*Efficientis cauſæ cauſalitas 877. materia 873. an etiam non ens? ibid. ratio cauſandi 876 diviſiones potiſſimæ 905. oppoſitum 868. requiſita ſecundaria 890. virtus nobilior quæ? quæ ignobilior? 906. ejuſdem, ubi in practicis ſtatuitur requiſita & primaria & ſecundaria 1353 1355. 1357. Doctrinæ de cauſa efficiente uſus practici I. 1351. II. 1411. III. 1457. quæſtiones de cauſa efficiente 1351. 1372*

*Efficiens immediata quæ? 1022. Mediata? ib.*

Digitized by Google

ib. an illa cum phyſica, hæc cum morali coincidat? 1023. instrumentalis ſemper ponitur in actu ſecundo 909. ſemper eſt instrumentum conjunctum ſecundum operationem 912. non agit nec eſt cauſa, niſi elevetur ibid.

Efficiens libera quæ? 938. naturalis quæ? 938 ejus ratio cauſandi 980. effectus 1006

Efficiens per accidens qua talis non eſt vera cauſa 1222. 1305. ex parte cauſæ quæ ſit? 1222 quomodo differat a cauſa per accidens ex parte effectus? 1229

Efficiens per accidens ex parte effectus quid? 1223. equivoce eſt cauſa 1315. inepte definitur per principium influens in effectum non intentum 1288. 1313. quotuplex? 1237. quæ ſit talis ratione influxus tantum? 1238. quatenus ſit vera cauſa? 1247. 1303. quatenus non ſit? 1248. 1303 quæ ratione intentionis tantum ſit talis? 1251 num ea ſit vera cauſa? 1255. an ſemper ſit cauſa phyſica libera? 1254. quæ ſit talis ratione influxus & intentionis? 1257. num ſit vera cauſa? 1259

Efficiens per ſe 1205. quotuplex? ibid. ex parte ſui quæ? 1206. ex parte effectus quæ? 1222 quotuplex? 1262. quæ ſit talis ratione intentionis? 1265. quæ ratione influxus? 1263. doctrina de cauſis efficientibus per ſe & per accidens non eſt figmentum Stablii 1276. tradita jam ab Ariſtotele 1277. ab ejus interpretibus 1279 1281. ab Arabibus 1282. a Latinis ib. & ſeqq. qui-

 bus

bus vulgo argumentis impugnetur? 1283.
Electio quomodo fingenti? 1855
Electio cur sit pauco rum? 740
Electione regis quam prior est previsio fidei
740
Elevatio quid? 1907
Eli exemplum causæ moralis [illegible]
Eliæ exemplum causæ impetrantis [illegible]
Elisabetha Angliæ Regina [illegible]
Eminenter esse in aliquo aut eminenter aliquid competere quid sit? [illegible]
Eminentia causæ, moralis & physica 10[illegible] ejusdem essentiale consequens 1248. differentia essentialis [illegible]
Emtor quid intendat in pacto retrovendition is? [illegible]
Ens quid? 48. definitio quid 49. non existit nisi Deus cogitaret illud [illegible] non [illegible] in [illegible] & potentia [illegible] [illegible]
Ens an ab essentia differat realiter? [illegible] idem sit realiter quod existentia? 242. Ens nihil [illegible] 249. [illegible] & esse [illegible] æquipolleant? 368. [illegible] [illegible] per indu[illegible] [illegible] [illegible] non [illegible] quot [illegible]? [illegible] quid [illegible] differens [illegible] impossibili ibid. ens possibile [illegible] [illegible] 222 quomodo differat ab
cæte

esse potentia? 52. ens quo, ens quod 247. ens
rationis quid? 61. quomodo differat ab impoſ-
ſibili? 61. quod ejus formale? quod materia-
le? 61. entis oppoſitum? 50. 56. ens ſucceſſi-
vum 612. 1834
Entis abſtractum 235. attributum disjunctum
ut pars & totum? 1726. quo ſenſu dependens
& independens? 1781. diſtinctiones quæ pro
varietatis diviſionibus haberi nequeunt 50. divi-
ſio in ſubſtantiam & accidens 54. ex diviſione-
nis non datur 451. oppoſitum 49. ſynonyma an
ſint res bonum, aliquid, unum? 367. unitas quo-
modo & unde demonſtretur? 363
Entia potentia ſunt non entia 56. Entia mo-
ralia 237. 238
Non ens quid dicatur? 49. non ens poſſibile
& impoſſibile 55. ejus diviſio 54. non entis nulla
ſunt prædicata [illegible] 21
non entia cur poſſint dici aliud & aliud? 91
an dici poſſint principia interna? 32
Ἐντελέχεια 1604. non confundenda cum ἐνδελε-
χείᾳ 1605. minus feliciter verbitur a[illegible] 45
Entitas potentialis cur non ſit merum nihil?
463. cur non ſit entitas actualis [illegible] 464. quid
ſit Ariſtoteli? 464
Enunciationis veritas requirit identitatem
extremorum [illegible]
Epaminondas qualem ſibi [illegible] peteret? [illegible]
Eſſentia, ut eſt abſtractum entis quidditas,

ut eſt primum rei conceptus dupliciter ſumitur 265. ſeparari nequit ab exiſtentia ib. nec realiter differt ab ente 235

Eſſe in alio tanquam in ſubjecto quid? 1784. eſſe in potentia Dei per conceptum formalem quid ſit? 1769. eſſendi modum cur neceſſario ſequatur modus prædicandi? [illegible]

Eſſentia divina non eſt materiale principium Filii & Spiritus Sancti 194. quomodo communis ſit pluribus? 571. [illegible]

Eſſentiæ duplex ſignificatio 259. Synonyma 314. quod finitæ repugnat, bene convenit infinitæ 282. eſſentiam accipere & habere diſtincta ſunt 525. ad eſſentiam quæ ſpectent? 263. eſſentiæ rerum quo ſenſu dicantur æternæ? [illegible]

Ethicus quomodo conſideret & bonum & malum? [illegible]

Eudociæ aſcenſus & dejectio [illegible]

Ex quotupliciter ſumatur? [illegible]

Excedentia & exceſſa quomodo differant [illegible]

Exemplar & idea ſæpe æquipollent 18[illegible]. an ſit vera cauſa? 1882. ad quod cauſæ genus commode reducatur? [illegible]

Exiſtentia quid? 236. 1765. quomodo [illegible] tur Scholaſticis? 238. an ſit verum & reale [illegible] 247. 248. realiter ſeparari nequit ab eſſentia 236. non confundenda [illegible] ſubſiſtentia [illegible]. quomodo differat ab unitate? 365. exiſtentiæ deſcriptio [illegible] accurata 23[illegible] oppoſita [illegible] 238

Ex-

Exoterici auditores qui? 857
Extenſio eſt principium diviſibilitatis 370
Extenſum & diviſibile quomodo differant? 369
Ezechias exemplum cauſæ impetrantis 1142

F.

Facta infecta reddi nequeunt 652.653
Facultates animæ humanæ utrum omnes ſubſint libero hominis arbitrio? 997.999
Fato Stoico cur Deus nequeat dici alligatus 95
Fidelis non eſt, qui non credit peccata ſibi eſſe remiſſa 430
Fides alia eſt quæ creditur, alia qua creditur 1613. nunc ſumitur pro actu primo; nunc pro actu ſecundo 608. actualis an ſit bonum opus? 1454 qua ratione dicatur imputata Abrahamo ad juſtitiam? 1614.1454. ſeqq. eſt cauſa juſtificationis 514. in Chriſtum cur conjunctam habeat pacem conſcientiæ? 375. finalis eſt objectum formale prædeſtinationis 292
Fidei definitio a poſteriori 430. ejus objectum 1611. ſalvificæ ſubjectum obedientiale 1670. objectum non implicat contradictionem 150. objectum eſt revelatio tum formalis tum virtualis 284 quodnam objectum immediatum, quod mediatum? ibid. juſtificantis definitio a poſteriori 352 num fidei juſtificantis actus ſit iſte actus, quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata? 429.430
Fidejuſſor quando ſolvit pecuniam non luit pœ-

pactam 1500. hodie non [illegible] qui capite luendum admisit crimen 1223. cur olim fuerit acceptus? 1213

Figura 1811

Filia [illegible] servat matrem: [illegible] 1186. [illegible]

Filius est instrumentum patris 1380. [illegible] cur nequeat [illegible] testamentum? [illegible] Pater in divinis different realiter 280. [illegible] negent ibid. Dei [illegible] proprie sit genitus [illegible] an sit imago Patris? 874. [illegible]

Filii Dei generatio passiva an sit vera [illegible] 883. est vel activa vel passiva 883. non est [illegible] phorica

Finalis causa demonstrari potest per [illegible] tem, materialem, formalem 829. seqq. [illegible] plex sit? 849. est vel interna vel externa [illegible] vel ultima, eaque jam simpliciter talis, jam [illegible] to ordine, vel intermedia 1491. seq. vel [illegible] vel objectiva 1493. propior & particularis [illegible] est demonstrari per remotiorem & univ[illegible] 850. seq. in genere accurate definiri nequi[illegible] quomodo probetur? 1513. seqq. utrum [illegible] secundum esse cognitum, an secundum esse [illegible] 1477. seqq. quomodo moveat? 1095. [illegible] 1467. infert causam efficientem 1468. [illegible] sione efferatur? 817. 1513. alia movet [illegible] acquisitionem tantum, alia movet ad [illegible] nem 1494. & finis an differant, & [illegible]

1468. ſeq. & cauſa moralis quomodo differunt? 1095

Finalis cauſæ materiale quodnam ſit? 1469. ratio cauſandi 1470. cauſalitas quæ? 1472. cur nequeat eſſe motio proprie dicta? 1472. utrum recte ſtatuatur appetitio? 1473 utrum motio metaphorica? 1473. prærequiſita ſecundaria 1474 cauſatum quotuplex? 1478. immediatum 1478 cauſatum mediatum 1478. ſeq. 1480. doctrinæ de cauſa finali uſus practicus in quo conſiſtat? 1495 ſeq. 1513. commendatur. 1496. ſeq.

Finis quid ſit in Practicis? 793. ſpectatur vel materialiter vel formaliter 1475. alius dicitur cui, alius cujus, numque finis cui ſit proprie & rigoroſe loquendo finis? 1494. alius eſt objectivus alius formalis 1514. hujus ratio formalis in quo conſiſtat? 344. intermedius utrum abſolute loquendo ſit finis? 1492. internus male confunditur cum intermedio 1491. ultimus formalis ſæpe demonſtratur per objectivum 1515. eſt vel obtinendus vel efficiendus, iſque vel operatio vel opus 1492. ſeq. obtinendus an ſemper inferat finem efficiendum? 1494. dat normam, modum & menſuram mediis 1497. ejus homonymia 1468. ejus neceſſitas facit jus in Politicis 712

Finem eſſe cauſam quo prætextu negarint nonnulli? 1469. bruta an agant propter finem[illegible]? ad finem potiſſimum reſpiciendum in [illegible] eſſentialibus practicis 290

Fi

Finito quod repugnat poteſt convenire infinito 212

Feminæ apud Indos quomodo maritis imponunt? 1192. ſeq.

Forma quid? 1603. ſæpe idem eſt Philoſophis quod eſſentia 314. eſt vera cauſa 1603. quid præſtet in diſciplinis practicis? 297. 793. 1607. triplex? 1607. ſubſtantialis quid? 264. [illegible] ſpectatur vel ſecundum eſſe abſolutum, vel ſecundum eſſe reſpectivum 1570. ſpecies qualitatis 1811. materialis in corruptione recidit in potentiam materiæ ex qua in generatione educitur. imputationis theologicæ 1610. ejus homonymia 1603. Synonymia 455. ejus unio, cum materia in quo conſiſtat? 1604. quæſtiones de forma quomodo efferri ſoleant? 1608. ſeq.

Formalis cauſa quid notet in diſciplinis practicis? 1607. demonſtrari poteſt per efficientem, materialem, finalem 841. ſeqq. quomodo efferatur? 828. ejus materiale 1603. ratio cauſandi ejus cauſalitas [illegible]

Formalis ratio & eſſentia differunt 269

Formaliter. Undecim ſignificationes, earumque uſus practici: prima 271. ſeqq. ſecunda 286. ſeqq. tertia 316. ſeqq. quarta 332. ſeqq. quinta 340. ſeqq. ſexta 384. ſeptima [illegible]. ſeqq. octava 414. ſeqq. nona 420 ſeqq. decima 423 ſeqq. undecima 427

Fortuna quomodo definiatur ab Ariſtotele 1280. fortuna & caſus Ariſtoteli ſunt ſpecies cau-

cauſa per accidens ex parte effectus 1180
Forum internum & externum quomodo differant? 1296
Forum Conſcientiæ 1296
Franciſcus I. Galliæ Rex 1442
Frater fratrem mactat 1268
Fraudes & malitia Agathoclis 1440
Fridericus Barbaroſſa 1442
Fundamentum quid? 1885. 1887. quomodo differat a ratione fundandi? 1886. disciplinæ alicujus quid vocetur? 1888. omnis reliquæ honeſtatis eſt pietas 1534. ſeqq. minus accurate diſtinguitur in fundans & fundatum 1887. doctrina de fundamento & metaphyſica & analytica 1888
Fundamentalis conceptus quid? 1833
Fundandi ratio a fundamento quomodo differat? 1886
Furioſus cur nequeat venire agentis moralis nomine? 1353. ſeqq.
Futuritio rei quid præſupponat? 112

G.

Generatio quomodo definiatur a Thoma? 386 ſeq. quomodo ab aliis? 387. quid ſit formaliter? 452. 462. ejus eſſentialia requiſita quæ ſint? 452 accidentium non eſt generatio ſimpliciter ſic dicta 462. non fit niſi prævüs quibusdam ſubjecti alterationibus 456. cujuslibet rei habet certum & definitum ſubjectum 454. qua Deus Pater produxit filium qualis ſit actio? 879 quando dicatur pro-



Digitized by Google

productio rei ex ſubjecto 291. generatio & productio ex nihilo non ſunt immediata oppoſita 200. & ſpiratio in divinis ſunt actiones Dei ad intra 223. & ſpiratio in divinis ſunt actiones Dei ad intra reales 223. eſt commune τῷ ἐξ ἐν 465. de quo dicatur γέννησις, de quo δὲ τέρας 465. 466

Generatio Filii Dei eſt vel activa vel paſſiva ; paſſiva an ſit ultra paſſio ? 883. non eſt ab temporalis 386. ſeqq.

Generationis nomen eſt ſignificatio apud antiquiores, aliud apud recentiores 462. nomine autem venit omnis productio quæ fit dependenter a materia 452. ſeqq. 457. ſeqq. 462. ejus datur duplex conceptus : formalis & materialis 386. ejus ſubjectum explicatur 453 nomine ejus venit omnis productio quæ fit dependenter a materia ? 452. ſeqq. 457. ſeqq. 461. de ejus generali conceptu quid habendum ? 460. 462. per eam quicquid producitur, ex habili & diſpoſita materia producitur 456. 457 per eam forma materiæ inducitur 455. Generationem filii in divinis cur dubitaverint quidam proprie dictam generationem cenſere 386. ad generationem ut ſic non requiritur ſubjectum patiens, & potentia paſſiva 386. ſeq. quicquid generatur fit 453. fit ex aliquo 453. 454.

Gentes quo ſenſu dicantur ſuperiores ? 1116

Genus cur dicatur materia ? 1556. ejus in definitione neceſſitas 287. de generibus cauſarum uſus ſecundus doctrinæ in quo conſiſtat ? 790. 838

Geor-

Georgii Caſtrioti fortitudo 1165. ſeq.
B. Joh. Gerhardus à Zwickeri calumniis vindicatur 360. ſeq.
Gideon ſuperſtitionis cauſa per accidens 1333
Gnoſtici 234
Goliath exemplum cauſæ provocantis 1165
Hugo Grotius quomodo diſpoſuerit ſuum de J.B. & P. opus? 1052
Guelphus Bav. Dux 1028

H.

Habitus 1812. ubi ſedem inveniat? ibid. quomodo obtineatur? ib. acquiſitus quis? ib. intellectualis practicus? ibid. intellectualis effectivus quis? theoreticus quis? ib. practicus quis? 1812. infuſus? 1812. moralis unde id habeat quod ſit honeſtus? 324. qui acquiritur per actus practicos & habitus practicus differunt 1813
Hæreditatis petitio quas habeat cauſas? 812
Hæres dum ſolvit id quod in pœna erat defuncti non luit pœnam 1559
Hannibalis calliditas 1167
Henricus II. Galliæ Rex probat duellum 1138 quomodo perierit? 1139
Henricus a Kempten 1202
Hieron Syracuſarum Rex 1182
Homo an habeat jus in vitam ſuam? 1214 moriens abit in nihil privativum 255. cur de Deo vere prædicari poſſit? 419. quid in his propoſitionibus: Hic Homo (Chriſtus) edit, bibit, vigilat (homo) ſignificet in recto, quid in obliquo? 416

416.417. quid in hac propoſitione: homo eſt Deus ſignificet in recto, quid in obliquo? 417. ſeqq. inepte definitur per mentem 536. ſeqq. cur obligetur ad conſervandam vitam? 374. cur magis ſit liber quam brutum? 962. cur nequeat cogi ad enormia & gravia delicta 380. ei competere libertatem a neceſſitate probatur per experientiam 959. ab abſurdo 961. ab impio 963. ei cum Deo eſſe communionem juris 1548. eum eſſe agens a neceſſitate liberum demonſtratur ab experientia, abſurdo, impio 959

Homines ſunt objectum prædeſtinationis 291

Honeſta quomodo promte eligat homo & exerceat? 321. ſeq.

Honeſtas reipſa nihil differt a mediocritate 323

Horatiorum pater expiat filium ſuperſtitem 1161

Hoſti ſubminiſtrans res an pro hoſte habendus? 1182. ſeqq.

Hoſtem an veneno interficere liceat? 1618

Huſai exemplum cauſæ conſulentis 1120. cauſæ moralis inſtrumentalis 1383

I.

Jabeſitæ exempla cauſæ meritoriæ 1155

Idea quid? 1876. ſeq. quomodo differat ab imagine? 1877. ideæ cur dicantur rationes rerum? 1877. doctrina de ideis antiquior, quam quæ a Scholaſticis demum ſit conficta 1878. ſeq. idea & exemplar ſæpe non ſemper æquipollent 1881.

Idem

Idem quid importet formaliter? 267. unum & idem quomodo differant? 268
Identice quid ſignificet? 420
Idololatria 1418
Jeremias ſummus orator 1423
Jehu exemplum cauſæ mandantis 1109
Jeſuitæ Ariſtotelis de generatione ſubſtantiali doctrinam intricant magis quam explicant 465
Ignavia Childerici 1628
Ignorantia quotuplex? 189. invincibilis quotuplex? 1452. non omnis ignorantia invincibilis actionem reddit involuntariam 188. ignorantia invincibili laborans aut agit contra aut præter voluntatem 190
Imago quid? 1896. ejus requiſita 1870. diviſiones 1872. Filius Dei imago Patris 1874. ſeqq.
Imaginatum quid? 1870
Immortalitas animæ humanæ 1544
Immutabilitas Dei eſt cauſa virtualis æternitatis Dei 733. 737
Impediens quando eſt cauſa moralis non ſemper per hoc eſt cauſa moralis, quia impedivit, quod impedire non debebat 1174
Imperium proprie dictum quid? 1001. imperium voluntatis non eſt proprie dictum imperium, ſed tantum tale κατ' ἀναλογίαν 997. 1001. 1002. num voluntati potius, quam intellectui imperium tribui debeat? 1002. imperio voluntatis quænam potentiæ ſubſint? 999. ſeqq.

Impetrans cauſa ejuſque exempla 1140. ejus variæ quaſi ſpecies ſeu modi 1140

Impoſſibile quid? 625. ejus requiſita 625 quotuplex? 626. ad impoſſibile quo ſenſu nulla, quo ſenſu aliqua detur obligatio? 680. 1080. phyſicum & morale, illuſtratum exemplis Theologicis, Juridicis 676. 677. 680. ſeqq. 689. ſeq. impoſſibile quidnam potius dicatur? 684. impoſſibile phyſicum dicit negationem δυνάμεως, morale negationem ἐξουσίας 676. 677. impoſſibilium primum quodnam? 68. convenienter dicitur, hoc vel illud non poſſe fieri à Deo, quam Deum iſtud non poſſe facere 651. 658. eſt nomen 67. in eſſendo quid? 55. quid maxime dicatur moraliter impoſſibile? 687. impoſſibile in eſſendo quid? 55. ſimpliciter impoſſibile aliud eſt talis ratione exiſtentiæ, exercitii ſeu contradictionis, aliud ratione eſſentiæ, ſpeciei ſeu contrarietatis 693

Impotentia naturalis 1811

Impulſiva cauſa quæ? 1623. ad quodnam cauſæ genus referri queat? 1623. 1645. ſeqq. uſus practicus hujus cauſæ commendatur ibid. impulſivæ cauſæ motio quomodo differat à motione cauſæ phyſicæ; cauſæ moralis & cauſæ finalis 1094. ſeqq. cauſa impulſiva alia eſt externa ſeu [illegible], alia interna ſeu [illegible] 1624. cauſa impulſiva externa ſeu [illegible] quænam ſit? 1649. Non confundenda cum cauſa moraliter movente 1650. ejus exempla ſunt

& profana 1625. ſeqq. an referenda ad cauſam finalem? 1646. ſeqq. 1662. an ad efficientem? 1658. ſeqq. 1662. ſeqq. ejus cauſalitas in quo propriè conſiſtat? 1656. num ſit impulſus formalis? 1646. an impulſus activus? 1648. an movere poſſit ante vel poſt ſui exiſtentiam? 1666 cauſa impulſiva externa & cauſa finalis quomodo diſtinguantur? 1660. nequit referri ad materiam aut formam 1661. ejus triplex uſus practicus: unus 1650. alter 1651. tertius 1653. amor Chriſto debitus demonſtratur per cauſam προκαταρκτικὴν 1654. ſeqq. cauſa impulſiva externa alia eſt juſtifica, alia ſuaſoria 1665. an eadem ſimul poſſit eſſe juſtifica & ſuaſoria? 1666. cauſa impulſiva interna ſeu προηγουμένη quid? 1625. ejus exempla ſacra 1625. ſeqq. & profana 1628. amor Chriſto debitus demonſtratur per cauſam impulſivam internam ſeu προηγουμένην 1642. ſeqq. iram eſſe cauſam impulſivam demonſtratur 1633. ſeqq.

Imputare in doctrina Metaphyſica de cauſa morali quid ſit? 1396

Imputatio quid? 1168. 1364. imputatio in genere morum talis & imputatio metaphyſica differunt 1393. 1399. non debet utraque acceptio confundi 1404. imputatio ad culpam Theologicam quid? 1366. ad culpam Juridicam quid? 1366. imputationis ſignificatio preſſior 1370. moralis quotuplex? 1368. imputationis Theologicæ forma 1610. ſubjectum 1577. imputationis va-

variæ diviſiones apud Theologos receptæ 130[illegible]

In Incarnationis myſterio datur ἄλλο καὶ ἄλλο, non ἄλλος καὶ ἄλλος 534. Myſterium Incarnationis includit duas exiſtentias, unam ſubſiſtentiam 537

Inceſtus horrendus vide 1344. ſeqq. 135[illegible]

Inclinatio formaliter eſt volitione prior 989 non eſt actio 990. a voluntate & ejus libertate non ſolo differt, ſed λόγῳ 990. ſeqq. eſt moralis 98[illegible]

Inde mulieres quomodo maritis imponant? 109[illegible]

Independens 1782

Indifferens quid vocetur? 941

Indifferentia tollit obligationem 862. formalis vel objectiva 941. formalis quid importet 940. 985. non omnis indifferentia eſt libertas 94[illegible]

Per indulgentiam quomodo quis fiat cauſa moralis? 1100

Ineſſendi varii modi 1785. ſeqq.

Infantes cur non ſint agentia moralia? [illegible]

Inferioribus nequit jus pœnæ eſſe [illegible]

Infinito convenire poteſt, quod finito repugnat 182

Infinita objective eſt voluntas 1514

Influxus quid & quotuplex? 1386. [illegible] eſt verum & reale ens 1042. verus [illegible] influxus cum vero & reali influxu phyſico non debet confundi 1394. influxus cauſæ efficientis eſt verum ac reale ens 1042. influxus mediatus [illegible] ſit

An verus influxus? 1036. 1049.
Informatio quid? 782.
Inhæſionis ſubjectum 1573. ſeq.
Injuria & damnum quomodo differant? 1163.
Inſtans quotuplex? 617.
Inſtrumentum quid? 914. quid primario & magis proprie dicatur inſtrumentum? 915. omne inſtrumentum eſt alicujus gratia ibid. inſtrumentum contradiſtinguitur cauſæ ſecundæ 927. inſtrumentum & cauſa inſtrumentalis quomodo differant? 909. ſeqq. inſtrumentum qua tale non eſt vera cauſa 909. manet inſtrumentum ſive in actu ſecundo ponatur, ſive minime 909. 910. in actu ſecundo poſitum non ſemper eſt cauſa efficiens 910. inſtrumentum ſæpe eſt cauſa principalis 911. 912. unde inſtrumentum ſuam habeat efficaciam? 927. inſtrumenti variæ diſtinctiones 918. ſeqq. activum 918. paſſivum 919. conjunctum ſeu συνδεδυασμένον, ſeparatum ſeu ἀσυνδύαστον 919. 920. 922. inſtrumentum (conjunctum) non movet niſi moveatur 1049. inſtrumentum conjunctum non agit, niſi elevetur 923. 929. ſeq. ſemper virtute ignobiliori influit, quam requiritur ad producendum effectum 924. inſtrumentum ſeparatum agit, utut phyſice non moveatur 923. 929. ſeqq. ſemper influit vi ſatis nobili 924. 930. ſeqq. inſtrumentum conjunctum & ſeparatum quomodo conveniant? 926. ſeqq. quomodo differant? 923. ſeqq. 929. ſeqq. inſtrumenta alia determinantur a natura, alia ab

 arte

arte 916. instrumenta quedam inanima sunt; quedam animata 1381. physica vel moralia 1379 moralia & civilia quenam sint? 1378. seqq. exempla practica 1380. seqq. Causa instrumentalis physica & moralis 1379. exempla practica 1381. seqq. rationes, ob quas causa instrumentalis moralis seu monstrum Metaphysicum rejicitur. 1384. seqq. rationes hæ solvuntur 1386. seqq. usus practicus hujus doctrinæ 1395. seqq.

Intellectus quid? 975. seqq. ut intelligat quenam prærequirantur? 887 quotuplices in universum sint actus intellectus? 927. indifferens quidem sano sensu dici potest, non vero intrinsece liber a necessitate 991. tum quoad speciem actus; tum quoad exercitium, sed manet potentia intrinsece necessaria 976. adeoque in nullis plane operationibus suis liber, quod probatur inductione 977. seqq nempe nec in apprehendendo 978. seqq. nec in judicando 978. seqq. nec in ratiocinando 979. seqq. intellectus assensus & dissensus quid? 979. num quo judicio consentit in exercitium actus, eodem consentiat in speciem actus? 948. intellectus est potentia libera per participationem 999. subest imperio voluntatis quoad quosdam actus, quoad alios [illegible] imperio [illegible] 1000. ob quid intellectus hominis Christiani assentiatur mysteriis fidei a seculo absconditis 1000. quale sit principium actus videndi? 27. utrum non sit effectivum? 221. alii actus intellectus sunt Theoretici, alii practici,

...ualis effectivi 15

Intellectionis terminus quinam ſit & quomodo vocetur? 858

Intelligentiæ & ſapientiæ diſcrimen 10. 13. ſunt adæquate diſtincti habitus ibid.

Intelligibilis ſpecies 887. quam neceſſaria ſit ad hoc, ut intellectus in actu ſecundo poni poſſit 605

Intentio ſumitur etiam pro actu intellectus, frequentius pro actu voluntatis 262. qua ratione brutis tribuatur? 1242. ſeqq. intentionis cauſa & cauſa per intentionem differunt 1117. Intentio indirecta in quantum ad moralem imputationem ſufficiat? 1448. intentionis indirectæ quot dentur modi? 1448. 1449. intentio & decretum quomodo differant? 1115

Joab exemplum cauſæ demeritoriæ 1157. exemplum cauſæ moralis inſtrumentalis [illegible] reſtituit Abſaloni gratiam patris 1383. exemplum cauſæ conſulentis 1120

Jonadab exemplum cauſæ conſulentis 1120

Jonathan exemplum cauſæ mandantis 1136. cauſæ merentis 1149. ſeqq.

Joſaphat exemplum cauſæ conſentientis 1137

Jones 1174

Joſeba exemplum cauſæ impedientis 1175

Joſeph exemplum cauſæ mandantis 1108. cauſæ per accidens 1136

Joſias exemplum cauſæ poſitive removentis impedimentum 1176


Joſua

Joſua exemplum cauſæ mandantis 1081. ſequ. poſitive concedentis 1178. ratihabentis 1132
Ira ut cauſa impulſiva demonſtratur 1633
ſeqq. ira inſana Cn. Piſonis 1629
Iſtieus Mileſius 1178
Judicium Deus permittit hominibus de actionibus ſuis 645
Judicium intellectus practicum quadrupliciter ſumitur 88. formaliter prius eſt voluntatis decreto 89. ejus veritas unde pendeat? 90
Judicii extremi quæ ſint cauſæ? 809. quo ſenſu Filius hominis dicatur non noſſe diem extremi judicii? 606. ſeq.
Juliæ enormis impudicitia 688
Juliani emblema 1407
Julianus Chriſtianis claudit ludos literarios 1183
Julii Cæſaris apophthegma 1090
Juramenti quæ ſint cauſæ 907. juramenti promiſſorii objectum 1613. ſubjectum 1588. ſeq. verum ſatis piè & cautè dicatur, Deum non poſſe agere contra promiſſa & juramenta? 386. ſeq. negantium rationes 388. 389. exploduntur 389
juramentum promiſſorium, quod vocant, vi metuque extortum an obliget? 1588. ſeqq.
Jure Conſulti quo ſenſu dicantur uti meris auctoritatibus 30. 715. eorundem modus argumentandi ac docendi 29
Juriſdictionis cur civis primarius talis debeat eſſe particeps? 375

Juris-

Jurisprudentiæ civilis principium ultimum & primum idque proprium 30. 1411. axiomata & prima principia Jurisprudentiæ civili cum aliis diſciplinis communia 28. finis proximus & remotus 1506. finis internus & externus 1501 num ejus finis juſtitia particularis, an univerſalis ſtatui debeat? 1502

Jurisprudentiæ moralis principium cognoſcendi ultimum quodnam? 516. doctrina de religione naturali nativam ſedem ſortitur in Juris naturalis diſciplina 1536. 1539. ſeqq. ſocialitas adæquatum fundamentum univerſæ diſciplinæ juris naturalis dici nequit 1544. ſeq.

Jus pro qualitate ſumtum quid? 1815. Jus & Juris uſus curate diſcernenda 1371. differunt ut actus primus & ſecundus 610. juris effectus nequeunt ad ſolum animi actum conſequi, niſi is ſignis quibusdam indicetur 510

Juris pro lege ſumti effectus 1365. diſtinctio in commune homini cum brutis & homini proprium vix ullum habet uſum 430. ſeq. num jus homini cum DEO ſit commune? 1548. Vid. Lex.

Jus Gentium poſitivum & reapſe a Jure naturali diſtinctum an detur? 201. 205. Juris gentium objectum 1613. 1618

Jus naturæ quo ſenſu ſit & recte dicatur ſimpliciter immutabile? 332. 627. 630. ſeqq. negantium ἀπαιδευσία demonſtratur 332

Juris naturalis immutabilitas non dicit repugnantiam ex parte Dei tanquam cauſa 629. ſed ex

ex parte ſui 630. per extrinſecam denominationem mutabile dici poteſt 730. 731. aſſertio immutabilitatis juris naturæ nihil derogat Majeſtati & gloriæ divinæ, nihil libertati divinæ 628. 629. 630. 632. 638. juris naturalis fundamentum unicum fruſtra quæri fruſtra nonnemo aſſerit 1546. ſalva juris naturalis immutabilitate ſolus Deus dicitur immutabilis 332. Juris naturalis diſcrimen ab aliis juribus 1561. Juris naturalis præcepta differunt a conſiliis 323. Juris naturalis & civilis reſponſa ſæpenumero immane quantum diſcrepant 1402. ſeq.

Juris voluntarii materia ſunt actus indifferentes 323

Juſſione quis fieri poteſt cauſa moralis 1102

Juſtificationis quæ ſint cauſæ? 807. effectus 28. ſeq. 38. 375. 511. 514. cauſa meritoria eſt Chriſtus, qua Θεάνθρωπος 1424. ſeqq. 1370 fides eſt cauſa juſtificationis 514. ſubjectum 1175

Juſtitiæ conceptus materialis non confundendus cum conceptu formali 389. ſeq.

Juſtitia egregie exercita a Carolo audaci Burgundiæ Duce 1109. ſeqq.

Juſtitia Dei & miſericordia Dei, ſtante doctrina orthodoxa de ſatisfactione Chriſti, inter ſe non pugnant, ceu Sociniani impie & frivole aſſerunt, ac Philoſophia cum prima, tum morali abutuntur 1212. 1217. 1218. 1220. juſtitia Dei eſt objectum imputationis 1609. ſeq. 1613. ſeqq. juſtitia divina & humana in quo conveniant? 177. cur

Digitized by Google

177. cur inter Deum & homines juſtitia locum poſtulet? 64
Juſtitia expletrix quoties ad idem non poteſt pertingere fertur in tantundem valens 1551
Juſtitia particularis num ſit finis Juriſprudentiæ civilis? 1502. ſeq.
Juſtitiæ univerſalis conſideratio in quantum ſpectet ad JCtum? 1504
Iothab exemplum cauſæ conſulentis 1118
1119

K.

Κοινὰ τῶν φίλων. Communia ad unum.
Κεινόμενον quando poſſit adferri inſtantiæ loco? 992

L.

Lacedæmoniorum & Thebanorum bellum 1162
Laus quid dicatur in doctrina de cauſa laudante? 1237. per eam Delphorum Antiſtites erant cauſa morales 1136
Legationis ſolennis cauſæ quæ ſint? 807
Legatorum ſanctimonia 1541
Legio fulminatrix impetrat precibus pluviam & tonitrua 1141
Legislatoris requiſita 860
Lepore duce capta Roma 1339
Lex quid Ariſtoteli? 859. & mandatum quomodo differant? 1115. poſitiva & lex a ſuperiore lata utrum differant? 116. poſitiva cum lege naturæ pugnans non eſt lex 687. ejus mutatio

quo-

quotuplex? 299. 205. 333. ejus ſubjectum quis ſit? 1575. ejus effectus formalis 305. [illegible] per ſe honeſtorum convenientia cum natura rationali cur prior ſit convenientia cum lege? [illegible] Naturæ ſumta pro judicio intellectus practici [illegible] Deus cur non potuerit legem naturæ ita formare ut contraria forent præcepta illis quæ jam ſunt? 662 quærere, utrum DEus legem naturæ ita formare potuerit ut contraria forent præcepta illis quæ jam ſunt? omni vacat petulantia 659 ſeqq. legis divinæ effectus 1543. quo ſenſu vocari poſſit mandatum DEI univerſale? [illegible]

Lex civilis quibus feratur? 855. 861. de quo diſponat? 856. 862. ejus cauſæ quæ ſint? [illegible] materialis cauſa ſubjectiva quæ? 864. effectus formalis quis? 869. ſæpe non præſtat [illegible] ſed tantum impunitatem 688. cur ea princeps ſit ſolutus? 855. ſeqq. ea ſubditum poſſe obligari demonſtratur 865. ſeqq. Legis moralis ſubjectum ultimus quis? 1529. obligat etiam poſt lapſum ad quod implere nequeat, eſt ex accidente [illegible]

Libera perſona a ſubjectione quæ dicatur? 951. agentia ſunt (1) vel moralia, vel adiaphora (2) vel mediata vel immediata [illegible]

Libertas agendi quid ſit? 942. ſeqq. [illegible] ut opponitur ſubjectioni quid? 951. ſeqq. ejus ſit [illegible] ſtationis? 951. & quotuplex? ib. a coactione 952. a neceſſitate cur dicatur libertas abſolute & ſimpliciter libertas? 954. competit Angelis 971. quoad rem eſt ipſa voluntas 943.

Digitized by Google

943. cur ponatur in indifferentia? 940. cur in indifferentia formali? 941. cur definienda formaliter ſit in ordine ad potentiam activam, non paſſivam? 983. requirit potentiam activam liberam 972. eſt duplex 135. contrarietatis præſupponit libertatem contradictionis 978. a ſubjectione & coactione nihil in ſubjecto ponunt, ſed aliquid tollunt 954. voluntatis humanæ habet limites ſuos 995. quomodo accuratiſſime demonſtretur? 976. a quo determinetur? 985. 987. per quid? 985. ſeq. hanc non labefactat quod poſita actione nequeat non agere 586. ſeqq. eſt vel completa vel incompleta 943. eſt vel exercitii vel ſpeciei vel modi 944. eſt vel plena vel minus plena 946. plena & perfecta quomodo differant? 947. eſt vel phyſica vel moralis 947. quomodo peget determinationem? 988. libertas & ejus exercitium non debent confundi 945. ſubjectum libertatis a neceſſitate non eſt niſi perſona 951. ſeq. ejus ſignificatio ex ſubſtrata materia dijudicanda 951. libertatis humanæ uſus quid prærequirat? 995. eſt vel immediatus vel mediatus 993. ſeqq. quid uſus iſte prærequirat? 995. libertatem exercitii a libertate contradictionis accuratiores diſtinguunt 945. libertatem ſpeciei a libertate contrarietatis ib. libertatem quando & quomodo participent potentiæ, quæ intrinſecæ non ſunt liberæ? 997. 1003. ſeq. libertatem a neceſſitate competere Deo probatur 955. libertatem tum intellectus tum voluntatis

 quo-

quomodo quidam conentur aſſerere? 565. voluntatis humanæ libertatem a neceſſitate quomodo Reformati impugnent? 9. 43. 945. 961. 962.
Homini libertatem a neceſſitate competere probatur per experientiam 959. ab abſurdo 960. ab impio 962. & ſeq.
Liberum arbitrium quid? 950. & in ſubiecto quo ſit? [illegible]
Licitum ſæpe dicitur quicquid impune fit. 684. non ſemper eſt honeſtum. 684
Limbus Patrum & infantium quo ſenſu dicatur nihil? 250. & ſeq.
In loco eſſe & eſſe in ubi differunt. [illegible]
In Logicam & Metaphyſicam quæ nomina inveniuntur ſophiſmata? [illegible]
λόγος & [illegible] differunt [illegible]
Lombardus [illegible]
Lucii Veratii petulantia [illegible]
Lucretia [illegible]
Lumen naturæ utrum in ſtatu innocentiæ ducere potuiſſet ad æternam ſalutem? [illegible]
Luna cur poſſit pati eclipſin? 371. [illegible] ſiatur eclipſin? 310. cur ob diametralem poſitionem terræ patiatur eclipſin? 311. diametraliter oppoſita patiatur eclipſin [illegible]
Lyſander cur occiderit Alcibiadem [illegible]

M.

Machetas a Philippo minus attento appella-

ad eundem attentum 1149

Sp. Mælius exemplum cauſæ demeritoriæ 1157

Magiſtratus ſuperior an puniri poſſit ab inferiori? 500. ſeq. Magiſtratus creatio quem habeat finem? 804. quam cauſam efficientem? ibid. quam materiam? quam formam? 805. 828

Magnanimitas Ariſtidis 1129. Crateſicleæ 1178 ſeq.

Majeſtas quid ſit? 399. 859. quid abſtractive & formaliter ſpectata? 403. 409. quid concretive ſpectata? 406. 412. Ejus effecta 413 ſubjectum 225

Major pars an habeat jus integri? 181

Majorum virtus quam proſit poſteris? 1156

Malum abſtractive ſumtum quid notet? 394 397. quid concretive? ibid.

Mandantis cauſa exemplo 1109

Mandare quid ſignificet generatim? 1130

Mandatarius quomodo differat a Procuratore? 1131 mandatarii & mandantis idem ſæpe delictum 1071. 1400

Mandatum quid? 1114. ejus requiſita ib. materia 381. non ſemper eſt propoſitio 1125. quo ſenſu dicatur propoſitio practica? 1124. pollet vi obligandi intrinſeca 1126

Mandata & conſilia quomodo conveniant & differant 1120. publica 1130. privata ibid.

Manes 234

quomodo quidam conentur adstruere? 965. voluntatis humanæ libertatem a necessitate quomodo Reformati impugnant? 960. 95. 961. 960.
Homini libertatem a neceſſitate competere probatur per experientiam 959. ab abſurdo 960. ex impio 962. & ſeq.
Liberum arbitrium quid? 958. & ſubiectum quod ſit? 957
Licitum ſæpe dicitur quicquid impune fit 681 non ſemper eſt honeſtum 681
Limbus Patrum & infantium quo ſenſu dicatur nihil? 875. & ſeq.
In loco eſſe & eſſe in ubi differunt [illegible]
In Logicam & Metaphyſicam quæ nomina ejaculentur ſcommata? [illegible]
[illegible] differunt [illegible]
Lombardus [illegible]
Lucii Veracii petulantia [illegible]
Lucretia [illegible]
Lumen naturæ utrum in ſtatu innocentiæ ducere potuiſſet ad æternam ſalutem? [illegible]
Luna cur poſſit pati eclipſin? 371. [illegible] patiatur eclipſin? 370. cur ob diametralem poſitionem terræ patiatur eclipſin? 371. [illegible] diametraliter oppoſita patiatur eclipſin [illegible]
Lyſander cur occiderit Alcibiadem [illegible]

M.

Machetas a Philippo minus attento appellat [illegible]

ad eundem attentum 1147
Sp. Melius exemplum cauſæ demeritoriæ 1157
Magiſtratus ſuperior an puniri poſſit ab inferiori? 900. ſeq. Magiſtratus creatio quem habeat finem? 804. quam cauſam efficientem? ibid. quam materiam? quam formam? 805.828
Magnanimitas Ariſtidis 1129. Crateſicleæ 1178 ſeq.
Majeſtas quid ſit? 399.859. quid abſtractive & formaliter ſpectata? 403. 409. quid concretive ſpectata? 406. 412. Ejus effecta 413 ſubjectum 225
Major pars an habeat jus integri? 181
Majorum virtus quam proſit poſteris? 1156
Malum abſtractive ſumtum quid notet? 394. 397. quid concretive? ibid.
Mandantis cauſa exemplo 1109
Mandare quid ſignificet generatim? 1130
Mandatarius quomodo differat a Procuratore? 1131 mandatarii & mandantis idem ſæpe dictum 1071. 1400
Mandatum quid? 1114. ejus requiſita ib. materia 381. non ſemper eſt propoſitio 1125. quo ſenſu dicatur propoſitio practica? 1124. pollet vi obligandi intrinſeca 1120
Mandata & conſilia quomodo conveniant & differant 1120. publica 1130. privata ibid.
Manes 234

Manicheorum ſpurcus error 253. ejuſdem au-
ctores 294
Manlius exemplum cauſæ demeritoriæ 157
M. Flaccus exemplum cauſæ demeritoriæ 157
Materia in ſua latitudine ſpectata an ſit cauſa
interna? 783. quid ſit in prædicio? 793. quadru-
plex? 1557
Materia circa quam quæ? 1596. quomodo dif-
ferat a materia in qua? 1596
Materia ex qua quæ? 1552. quibus propriè
tribuatur? 1554. an ſemper in potentia cauſalitas
[illegible]? 1555. ejus requiſita: ma-
teriale 1553. ratio cauſandi ibid. cauſalitas 1554
Materia ſubſtilis quæ? 218
Materia in qua quæ ſit? 1569. ejus cauſalitas
1570. cauſatum 1570
Materia prima an habeat propriam exiſten-
tiam? 238. an ſit ens actu? 97. a quo ſenſu [illegible]
tur fieri ex nihilo? 1251
Materia ſenſibilis quæ ſit? [illegible]
Materia univerſalis quæ? [illegible]
Materiale peccati quid? 1563. ſubdolè [illegible]
nitur a Reformatis [illegible]
Materialis cauſa nequit in communi [illegible]
1552. an in latitudine ſua habere poſſit [illegible]
interna? 783. quomodo demonſtret [illegible]
quæſtiones de cauſa materiali? 827
Materialiter rem ſpectare quid? 382 [illegible] 391
Mathematici an ſit omnia æſtimare? 308

Mathe-

Mathematum utilitas 307
Mediocritas vel ſimplex vel compoſita 24
ab hac reipſa non differt honeſtas 222
Medium quid? 1482. quid ſignificet in lexicis ſignificatu? 1482. 1484. quid in finibus uni? 1483
Medii requiſita 1482. Media per quid ſint media? 1497. unde accipiant æſtimationem ſuam? 1497
Medium terminus eſt ſyllogiſmi forma 716
B. Meisnerus vindicatur a Zwickeri calumniis 160. ſeqq.
Melanchton 1286
Meliſſus abſtulit omnem generationem & corruptionem 454
Mendacium cur repugnet Deo? 674
Menſura quid? 1861. quomodo differat a ſigno? 1862. quomodo a norma? 1865. quid ſit primario? quid ſecundario? 1862. quotuplex? 1864
Menſuratum quid? 1862
Mercatoris cujusdam fatum 1139
Mercis nomine quid ſignificetur? 300
Meritum quid? 1150. quodnam κατ' ἐξοχὴν tale? 1154. ejus requiſita 112. 1154. ſæpe ſumitur pro actione, qua quis meretur 1154. eſt mere denudanum 974. inepte dividitur a Pontificiis in meritum ex condigno & ex congruo 1158
Meſotes & [illegible] apud Ariſtotelem indu- [illegible] 323
Meſſalina omnium flagitiorum cloaca 1280
Metaphyſica eſt & ſcientia & ſapientia 12

cur ſit ſcientia demonſtratiua? 15. cur ſpecu-
latiua? ibid. ſui gratia expetenda 41. re[illegible]
tur per ſcientiam 9. ſeqq. ejus [illegible]
& alii recentiores [illegible]

Metaphyſices definitio 7. [illegible]
conceptus communis 5. proprius ibid. dignitas [illegible]
utilitas vindicatur 38. diviſio trita in partem
communem & propriam 24. exiſtentia 4. obje-
ctum adæquatum 15. partes ejus 23. [illegible]
4. uſus generalis 26. ſeqq. ſpecialis [illegible]
taphyſicam eſſe ſcientiam probatur 6. ſeqq. [illegible]
dem dari demonſtrationes [illegible]
bile [illegible]

Metaphyſicus debet analytices [illegible]
eſſe 3. in quantum eſt Metaphyſicus [illegible]
ejus officium [illegible]

Methodus alia eſt analytica, alia [illegible]

Motus affectus ſingulari modo con[illegible]
elegit [illegible]

Michal [illegible]

Milo, quod felem occidiſſet [illegible]
cujuſdam [illegible] 1745. alius [illegible]
ria [illegible]

Minores jam magis jam minus [illegible]
ralium noſtrum merentur [illegible]

Miſeratio [illegible] habeat [illegible]

Modus quid? 1709. nequit eſſe ſine [illegible]
eſt modus 1710. quotuplex? [illegible]

[illegible] decepta [illegible] 1341

Me-

ET EXEMPLORUM PR[illegible]

Moloch quale fuerit εἴδωλ[illegible]
Monophyſitarum error [illegible]
Moralis [illegible] accepta [illegible]
Moralia doceri & diſci p[illegible]
[illegible] 228. [illegible]

Moralitas [illegible] defin[illegible]
plex? 1365. a priori ſpe[illegible]
[illegible] 1065. [illegible]
[illegible] 961. [illegible]
datur in actibus huma[illegible]
[illegible]? 690. ſpectata pr[illegible]
[illegible] dicatur anteced[illegible]
[illegible] Dei? [illegible]

Moralitas actuum p[illegible]
[illegible] CTUS. ſpectata ut p[illegible]
[illegible] 112. an ſit objectiva [illegible]
[illegible] 3 91. ejus forma[illegible]
[illegible] 350. eſſentia [illegible]

Moralitatis eſſentia [illegible]
[illegible]?

Moſes exemplum [illegible]
[illegible] per accidens dup[illegible]
Motio quotuplex? [illegible]
[illegible]. an ſit cauſalitas [illegible]
Motio cauſarum: [illegible]
[illegible] diſtinguun[illegible]
[illegible]?

P. Mutius [illegible]
C. Mutii Scævola [illegible]

*Moloch quale fuerit* εἴδωλον? 1194
*Monophyſitarum error* 381
*Moroſitatis variæ acceptiones* 1065
*Moralia doceri & diſci poſſunt, adeoque eorundem datur ſcientia* 228. *mathematice doceri nequeunt* 308
*Moralitas accurate definiri nequit* 470. *quotuplex?* 1365. *a priori ſpectata quid? quid a poſteriori?* 1065. *an ex ſolo reſpectu ad legem ſpectari poſſit?* 9. 1061. *unde ſit formaliter?* 1437. *an detur in actibus humanis citra reſpectum ad legem?* 640. *ſpectata præciſe ut poſſibilis* 193. *an recte dicatur antecedenter ſe habere ad voluntatem Dei?* 92. 98. *ſeqq.* 350
*Moralitas actuum per ſe moralium. Vide* ACTUS. *ſpectata ut poſſibilis* 103. *ut actu exiſtit* 112. *an ſit objectiva ex priori judicio intellectus practici?* 91. *ejus formale primarium habitudo ad legem?* 350. *eſſentiale conſequens* ibid.
*Moralitatis eſſentia an ſit imputativitas moralis?* 354
*Moſes exemplum cauſæ impatientis* [illegible] *per accidens duplicati laboris* 1338
*Motio quotuplex?* 909. *Metaphorica quid?* 1482. *an ſit cauſalitas cauſæ efficientis?* 1478
*Motio cauſarum phyſica, finalis & impulſiva quomodo diſtinguantur a motione cauſæ moralis?* 1094
*S. P. Mutius* 1157
*C. Mutii Scævolæ fortitudo* 1196. 1197


*N. Naa-*

## N.

*Naaman num fuerit ante conversionem [illegible] moralis idololatriæ? an post conversionem [illegible] ſemper accidens?* [illegible]

*Naemi exemplum cauſæ conſolantis.* [illegible]

*Natura quid notet in Phyſicis?* 314. [illegible] *ſit dici poſſit cauſa virtutis?* [illegible] *catur omnes peperiſſe liberos* [illegible] *2. quomodo* [illegible] *habeat ad virtutem moralem* [illegible] *ſeq.* [illegible] *ad* [illegible] *inter utraque &* [illegible] [illegible] *ſæpe ſumitur pro rei eſſentia* [illegible] *liquæ dicatur?* 105. *& ſubſiſtentia in* [illegible] *realiter differunt* 1742. [illegible] *doctrinam de officiis erga Deum naturam* [illegible] *fidem in doctrina juris naturæ* [illegible] [illegible] 1539. [illegible]

*Naturale ſimul liberum eſſe poteſt.* [illegible]

*Neceſſarium & contingens cur ſint* [illegible] *disjuncta* [illegible] *quid dicatur?* [illegible] *ſoluta neceſſitate tale eſt immutabile in ſe.* [illegible] *neceſſarium & naturale ſæpe* [illegible] *ſimpliciter abſoluta neceſſitate tale quid?* [illegible] *vel agnoſcit neceſſitatis ſuæ rationem a priori vel minime* 1758. *ſub quam Dei voluntatem* [illegible] *dat?* 113. *neceſſarium vel tale eſt in eſſendo* [illegible] *in non eſſendo* 1749. *ejus diſtinctiones* [illegible]

*Neceſſitare & cogere differunt.* [illegible]

*Neceſſitas quid importet?* 942. *abſoluta quæ ſit?* 1751. *quæ hypothetica?* 1751. [illegible] [illegible] *eſſentiæ* [illegible] *eſt vel completa vel*

in

Digitized by Google

in completa 943. alia neceſſitatis diviſio 944 contradictionis quæ ſit? 1755. eadem latius patet quam neceſſitas exiſtentiæ 1757. & infert neceſſitatem contrarietatis 979. moralis ſemper præſupponit phyſicam libertatem 949. contrarietatis quæ ſit? 1756. non infert neceſſitatem contradictionis 1757. abſoluta ſimpliciter talis quæ ſit? 1753. quæ in certo genere talis? 1753 quibusdam actionibus ad moralitatem tributa qualis? 113. ſeqq. cur non diſtinguatur in plenam & minus plenam? 947. & coactio in quo conveniant? 953. veritatis neceſſitas & certitudo quomodo differant? 720. ſeqq. Deum eſſe liberum a neceſſitate demonſtratur 955. ſeqq.

Neceſſario & coacte agere differunt 952

Negatio formalis ſive incomplexa quid? 239 virtualis quid? 239. pura quid? 240. pura & privatio differunt 242. 414. quando dicenda vel negatio pura vel privatio? 241. ſeq. eſt non ens 58

Negotiorum geſtio quas habeat cauſas? 810

Nehemias [illegible]

Nihil eſt cauſa ſui ipſius 250. eſt ab omni parte beatum 250. ejus frequentiores ſignificationes in S. S. ac Theologia, item Philoſophia 249 ſeqq. eſt purgatorium 250. negativum & privativum differunt 253. nihil & ens non habent medium a parte rei, noſtro cognoſcendi modo habent 249. in nihil negativum quod abiit utrum poſſit reproduci idem numero? 254. ſeqq. in nihilum

bilem abire quo ſenſu dicatur? 251. [illegible] ſieri quid ſit in doctrina creationis? [illegible]

Nolitio & averſatio quomodo differant? 994. nolitio & volitio cur dicantur actus voluntatis? 994. ei quid reſpondeat in appetitu ſenſitivo? 993. Deus quando vult aut non vult volitionis aut nolitionis non eſt vera cauſa, 958. eam per quid homo determinetur? [illegible]

Norma quid ſit? 1801. quomodo differat menſura? ib. quotuplex? 1866. finis dat [illegible] medium & menſuram medii 1497. doctrina [illegible] normalis ut practicus [illegible]

Notitia quædam natura inſita de DEO num nobis detur? 601. ſeqq. quomodo eam vocent Theologi? 602. num detur intellectui creata in actu ſecundo, an in actu primo? [illegible]

Novitas Philoſophantium [illegible]
Numerus quotuplex? [illegible]
Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit 822. quis hujus regulæ ſenſus? [illegible]

O.

Objectum 1596. 1598. materiale, formale 1600 ejus diſcrimen a ratione formali objecti 1601 [illegible] 1598. notio objecti [illegible] adhibeatur? 1599

Obligatio alium dicit conceptum formalem aliam materialem 389. ſeqq. obligatio ut ſonat importat ſuperioritatem 390. obligatio non ſem-

per

per parit jus in alio 1086. impossibilium obligatio nulla eſt 683. 1080. eſt eſſentiale conſequens omnium pactorum 337. ſeq. 383. cur turpia cur nulla detur obligatio ? 1117
Obligatio civilis quid ? 860. ejus cauſa efficiens 858. 859. finalis cauſa 861. materia, forma ibid. unde demonſtretur ? 741. obligatio quo pro contractu habenda ? 1447. obligatio ex lege civili in neminem cadit niſi inferiorem 860
Obligatio ex conſilio an detur ? 1123
Obligatio coactiva 112. 307. [illegible]
Obligatio ex delicto 1305
Obligatio naturalis 390
Obligatio ex re 1365
Occaſio quid ? 1189. plena vel minus plena ibid occaſionem ſubminiſtrans non ſtatim eſt cauſa moralis ibid.
Occupatio 209
Oedipus exemplum cauſæ per accidens 1346
Officiorum adverſus Deum doctrina nullam ſedem in diſciplina Juris naturalis ſortitur 1539
Omiſſio 994. nuda dupliciter ſumitur 994. aliud eſt ſequi omiſſionem, aliud ex omiſſione ſequi 1089. utrum omiſſio ſpecialis auxilii Deum faciat auctorem peccati ? 1081
Omnipotentia num ſit prædicatum Dei abſolutum, an relativum ? 1893
Omniſcientia humanæ naturæ Chriſti communicata 606. 607
Opera Dei ad intra ſunt diviſa 882. operum Dei

Digitized by Google

bilem abire quo senſu dicatur ? 271. ... fieri quid ſit in doctrina creationis ?

Nolitio & averſatio quomodo differant 994. nolitio & volitio cur dicantur actus voluntatis ? 994. ei quid reſpondeat in appetitu ſenſitivo ? 993. Deus quando vult aut non vult volitionis aut nolitionis non eſt vera cauſa 958. ... cam per quid homo determinetur ?

Norma quid ſit ? 1467. quomodo differat a menſura ? ib. quotuplex 1466. finis dat ... modum & menſuram mediis 1497. doctrinale ... norma actus practicus

Notitia quædam natura inſita de DEO ... nobis detur ? 601. ſeqq. quomodo eam vocant Theologi ? 602. num detur intellectui ... ta in actu ſecundo, an in actu primo ? 603

Novitas Philoſophantium ...

Numerus quotuplex ? 178

Nuptiæ non concubitus, ſed conſenſus facit 822. quis hujus regulæ ſenſus ?

O.

Objectum 1596. 1598. materiale, formale 1600. ejus diſcrimen a ratione formali objecti 1602. externum 1598. notio objecti ubi ... adhibeatur ? 1599

Obligatio alium dicit conceptum formalem, aliam materialem 389. ſeqq. obligatio ut ſit ... importat ſuperioritatem 390. obligatio non ſu-

per parit jus in alio 1086. impoſſibilium obligatio nulla eſt 683. 1080. eſt eſſentiale conſequens omnium poſteriorum 377. ſeq. 383. ad turpia cur nulla detur obligatio? 1117
Obligatio civilis quid? 860. ejus cauſa efficiens 878. 879 finalis cauſa 864. materia, forma ibid. unde demonſtretur? 741. obligatio an pro contractu habenda? 1447. obligatio ex lege civili in neminem cadit niſi inferiorem 860
Obligatio ex conſilio an detur? 1123
Obligatio coactiva 112. 305. 790
Obligatio ex delicto 1305
Obligatio naturalis 390
Obligatio ex re 1305
Occaſio quid? 1189. plena vel minus plena ibid. occaſionem ſubminiſtrans non ſtatim eſt cauſa moralis ibid.
Occupatio 209
Oedipus exemplum cauſæ per accidens 1346
Officiorum adverſus Deum doctrina nativam ſedem in diſciplina Juris naturalis ſortitur 1539
Omiſſio 994. nuda dupliciter ſumitur 994. aliud eſt ſequi omiſſionem, aliud ex omiſſione ſequi 1089. utrum omiſſio ſpecialis auxilii Deum faciat auctorem peccati? 1081
Omnipotentia num ſit prædicatum Dei abſolutum, an relativum? 1893
Omniſcientia humanæ naturæ Chriſti communicata 606. 607
Opera Dei ad intra ſunt diviſa 882. operum Dei

Digitized by Google

Et ad intra non datur cauſa 545

Operationis ſubjectum quid? 1518

Opifex & creator quomodo differunt? 66

Oppoſita mediata ſæpe habentur pro[illegible] diatis 187. 199. oppoſita omnia præter contra[illegible] ctoria agnoſcunt medium 167. oppoſitorum ſ[illegible] per una eſt disciplina 1424

Oppoſitio omnium maxima quæ? 46

Orationis quanta ſit vis? [illegible]

Oratori cum ſacro tum civili quem uſum Me taphyſica & Analytica præſtent potius quam promittant? 1420. ſeq. orationis ſummum exem plum 1423. Oratoris ſacri vel civilis officio qui dammam recte fungatur? 1420

Ordo quid? [illegible]. contrarium ordinis & [illegible] menſus ſimul dari non repugnat [illegible]

[illegible] comparatur [illegible] pictorum 470. differt a [illegible] [illegible]

Ottonis I. rariſſimum & memorabile exem plum [illegible]

P.

Pædia 1. ſeqq. 744. Metaphyſica. [illegible]

David Pareus defendit ſummam pote[illegible] habentem ab inferiori Magiſtratu puni[illegible] 900. liberaſque a carnifice publice [illegible]

Parlamenti Anglicani Præſes quo [illegible] ierit Regicidium? [illegible]

Parmenides abſtulit omnem generatio[illegible] corruptionem [illegible]

Pars

Pars ejusque variæ diviſiones 1727. ſeqq. & totum an ſint attributum entis? 1726. pars eſſentialis phyſica 1727. metaphyſica 1731. integrans 1735. totius numeralis 1745. totius perfectionalis 1740. totius potentialis 1739. ſubjectiva 1737. totius ſubſiſtentialis 1740

Paſſio 732. 983. 1811. 1828

Patris inſtrumentum filius 1380

Patrocinio quomodo quis fiat cauſa moralis? 1102

Paulus exemplum cauſæ demandantis 1136

Pauſania mater exemplum memorabile cauſæ conſentientis 1137

Peccatum jam abſtractive jam concretive ſpectatur 394. 397. num ſit poſitivum quid, nec ne? 395. 397. peccati eſſentiale conſequens, cum immediatum, tum mediatum 383. peccati materiale & formale aſſerunt & Noſtrates & Reformati, ſed diverſo ſenſu 969. peccata ſibi eſſe remiſſa quomodo Chriſtianus certus eſſe poſſit? 283. 284. ad peccati materiale an Deus concurrat? 963. ſeqq. Deum eſſe cauſam peccati ſequitur ex Reformatorum doctrinis 964. ſeqq. utrum Deus ſi moveret (quod ſine ſummo ſcelere dari nequit) movere voluntatem hominis ad concubitum cum aliena uxore, futurus eſſet cauſa peccati? eſt quæſtio ventilatione digniſſima 969

Peccati moralis materiale quodnam ſit? 1565. ſeqq. quodnam ejus formale conſequens? 1568

Peccatum morale duplici modo ſpectatur 108

pec-

peccati moralis reatus unde demonſtretur? 741

Peccati originis definitio 117 ... peccatum originis Noſtratium & Pontificiorum diſſenſus 393. quo ſenſu ſit & dicatur poſitiva qualitas 392. ſeq. ... primo quid? 607. 608. in actu ſecundo? 609 ... thodoxorum Theologorum doctrina Socinianorum dogma de peccato originis evertens ... datur

Peredeus trucidat Alboinum 1188. perit ... no

Perfectio & bonitas tranſcendentalis ... ferunt

Perfectio habetur vel formaliter vel eminenter 1791. alia effectiva, alia formalis

Perfectio moralis quæ ſit? 673. falſo requiritur ad omnem perfectionem moralem, ut ... diſciplina acquiratur & tanquam habitus ... inhæreat ... alia eſt increata, alia creata ... utrum ſalva veritate DEO perfectiones ... tribuantur? 670. ... ralibus Dei perfectionibus repugnat, ... non eſſe moralis ... 671. perfectiones ... quo ſenſu dicantur eſſentiales? 672. ... ſint?

Perfectiones creaturarum phyſicæ ... Deo? 272. quomodo dependeant a Deo?

Permiſſio quid & quotuplex?

Perſæ in convivio trucidati a ...

Perſona quid? 804. ejus diſcrimen a ſuppoſito

Digitized by Google

to 803. per quid perſona ſit libera a ſubjectione? 953. coactione? 952. a neceſſitate? 954. ſola perſona num ſit ſubjectum libertatis a neceſſitate? 954

Perſonæ SS. Trinitatis differunt realiter non eſſentialiter 1706

Pero lacte ſuo alit Cimonem Patrem 1087

Petere id quod in principio quid ſit? 991. cujus? ibid.

Petitio hæreditatis quas habeat cauſas? 812

Phantaſia eſt potentia per participationem libera 999. ſubeſt imperio voluntatis mediatè 1000. ſeq.

Philiſtæi 1334

Philippus Melanthon 1256

Philiſtæi 1334

Philoſophantium novitates 232

Philoſophi Gentiles, cum Græci, tum Latini, pietatem habuere pro omnis honeſtatis fundamento. 1535

Philoſophia ſumitur vel abſtractivè & ratione eſſentiæ, vel concretivè & ratione exiſtentiæ 157

Philoſophiæ Græcæ infortunia 435

Philoſophia moralis dupliciter ſpectatur 1522 ſeqq. finis 1514. finis eſſentialis ultimus 1513. ſeqq. an in ſtatu innocentiæ ſufficere potuiſſet ad ſalutem æternam? 1523. 1526. ad Philoſophiam Moralem quomodo hominis ſtatus integritatis & ſtatus miſeriæ ſe habeant? 1521

Philoſophiæ Moralis pars præcipua & neceſſaria

eſt

eſt de religione naturali ſeu pietate 1536.1539 ſeqq. Philoſophia Moralis & Theologia moralis in quantum ex parte finis differant? 1529

Philoſophiæ novæ ſpecimen 232

Philoſophia Peripatetica quando vigere cœperit apud Latinos? 128

in Philoſophia Practicâ quando quis quid verè ſciat? 700.7[illegible]

Philoſophiam primam negligentium [illegible] 39[illegible]

Photinianorum ſubdola ſyllogiſatio 282. [illegible] pluralitatem ſubſiſtentiarum in divinis quomodo impugnent Filii & Spiritus Sancti [illegible]vinitatem? 193.ſeqq.

Phyſices objectum 10[illegible]

Pignus & emtio venditio ſunt [illegible] contractuum genera 8[illegible]

Pilati acta metaphyſice examinata 1507. ſeqq. quibus mediis conatus fuerit ſervare Chriſtum 1809. ſeqq.

[illegible] cauſæ [illegible]

Plato non ſtatuit pluralitatem Deorum 15[illegible]

Inter plura & [illegible] medium [illegible] lum 44[illegible]

Pneumaticæ uſus in Theologia [illegible] moralibus [illegible]

Pœna quid ſit formaliter? 218. 306. cur [illegible] genda? 304. à quo? quo affectu? 304. ob quid? quomodo? ibid. communicanda an prærequirat communicationem culpæ? 374


Pœna

Pœnæ genus 304. 1558. objectum 212. 304 cauſa efficiens; προηγουμένη; προκαταρκτικὴ formalis; finalis 305

Pœnæ communitas an detur citra communitatem culpæ? 557. Pœnæ jus cui ſit quæſitum? 1427 an populo in Regem? 1428

Pœnam alienam num quis ſalvo naturæ jure poſſit luere? 211. ſeqq.

Pœnarum quanta in Rebuspublicis neceſſitas? 1405

Pœnitentiæ cauſæ 808. debitum demonſtratur 1584. dicitur propriè ſacramentum, in laxiori tamen ſignificatu. 328

Polycrates 1350

Pompejus 1183

Pontificii ineptiunt in doctrina de bonis operibus 1158. quomodo ſua de reliquiis Sanctorum figmenta incruſtent? 1336. eorum in adſtruendo purgatorio fervor 250

Pontius Samnis 1162

Porcia quomodo ſui ſumſerit experimentum? 1146. quomodo ſe ſuſtulerit? 1192

Poſitivi homonymia 66

Poſſibile formaliter prius eſt futuro 112. quid maxime tale dicatur? 611. non raro idem eſt quod facile, gratum, decorum, conveniens 689 idem oſtenditur exemplis Theologicis 690. Juridicis 691. (1) eſt vel phyſicum vel logicum 644. (2) vel phyſicum vel morale 676. verba Scripturæ de poſſibili morali non ſunt accipienda de



Digitized by Google

de poſſibili phyſico 678. quæ non ſint poſſibilia reſpectu Dei? 648 ſeqq.

Poſſibilitas moralis vel conjungitur cum libertate morali, vel cum neceſſitate morali 685

Sp. Poſthumius 1462. 1591

Potentia ut dicit non repugnantiam quotuplex ſit? 561. Mathematica per quid deducitur in actum? ibid. per quid Logica? ibid. potentiæ Logicæ a nonnullis paulo anguſtior datur deſcriptio ibid.

Potentia per quid facilitetur? quando extrinſece terminetur ad alterum? 1598. alia eſt exiſtendi, alia cauſandi [illegible]

Potentia activa vel ſumitur pro potentia cauſativa, vel pro productiva 567. quomodo differat a cauſativa? 877. ejus objectum 567. eſt vel rationalis, vel irrationalis 1002. aliud eſt potentia activa, aliud potentia active ſpectata 556

Potentia allicitiva, quam vocant, eſt ratio cauſandi ex parte cauſæ finalis 1[illegible]

Potentia cauſativa quid? 546. 560. quomodo definiatur a Scholaſticis? 569. quomodo differat ab actu primo? 590. a potentia activa? 877. non exſerit ſe niſi ſit incompleta 593. poſitis concomitanter requiſitis non amplius eſt indifferens 590. an ſit ipſa entitas cauſæ abſolute accepta, an vero ens cauſæ abſolute acceptæ ſuperadditum? 585. ſeq.

Potentia cauſativa alia eſt completa alia incom-

completa 584. alia eſt ens, alia non ens 586

Potentia cauſativa activa eſt ratio cauſandi cauſæ efficientis 596. differt a ratione cauſandi [illegible] 558

Potentia cauſativa completa quæ? 587. quæ incompleta? ibid. quot modis incompleta dicatur? 587

Potentiæ cauſativæ efficacia quando dicatur pendens? 587. requiſita antecedenter [illegible] quæ ſunt? 589. quæ concomitanter? ibid. antecedenter requiſita partim ſunt abſolute neceſſaria, partim ex hypotheſi 600. requiſita in genere partim cauſalitati ſunt intrinſeca; partim extrinſeca 590. quot dentur potentiæ cauſativæ? 779. 781

Potentia Dei an agnoſcat principium cognoſcendi? 508. potentia qua Deus pater genuit filium an ſit activa? 568. an cauſativa? 568

Potentia informativa 1603. potentia libera an determinetur? 985. cur nequeat eſſe materialis? 984. quando determinetur? 985. quid requiratur ut aliqua potentia dicatur formaliter libera? 989

Potentia naturalis 1811. dupliciter ſumitur 942. non ſemper contradiſtinguitur liberæ 991

Potentia non cauſativa 560. ejus exempla 566. 572

Potentia obedientialis quæ? 1672. an alia detur præter paſſivam? 1673

Potentia objectiva quid? 562. 576. cur vocetur potentia Scoti? 562. cur ſit formaliter poſiti-



Digitized by Google

[illegible]tivum quid? 579. cur non ſit ens reale ſeu realiter exiſtens? 581. contradiſtinguitur potentiæ entitativæ 577. definitur à Scoto in ordine ad potentiam Dei 562. dicit realem reſpectum ad actum entitativum 581. eſt reale quid 219. impugnatur à Thomiſtis 562. 577. non eſt cauſativa 572. non debet confundi cum logica & paſſiva 563. per quid ducatur in actum? 561. quomodo defendatur à Scotiſtis? 579. quid requiratur, ut aliquid ſit in potentia objectiva reſpectu Dei? 583

Potentia paſſiva quid? 553. qua talis non eſt libera 982. non requiritur ad generationem ſubſtantiæ 386. ſeqq.

Potentia productiva 567. ejus objectum ibid.

Potentia remota non eſt vera potentia 458

Potentia ſubjectiva contradiſtinguitur actui formali ſeu formæ 572

Potentiæ liberæ animæ humanæ vel ſunt intrinſece tales & per eſſentiam, vel extrinſece & per participationem 996. 999. 1004. materiales ſunt homini communes cum brutis 974. cur nequeant eſſe liberæ ib. per ſe non agunt cum ratione 974

Potentiæ morales formaliter conſideratæ num in ſenſu Metaphyſico ſint vera & realia entia? 403

Poteſtas dari poteſt ſine potentia 403. ſumma quæ ſit? 401. formaliter ſpectata nihil dicit aliud, quam licentiam ſummam ib. ſubordinata quæ? 402

Practicus

Digitized by Google

Practicus habitus quid? 1812. uſus doctrinæ de forma quis & quotuplex? 1608. in practicis cauſa agens quid? 1353. actus ſunt potiſſimum objectum diſciplinarum practicarum omnium 793

Πρᾶξις & actus practicus quomodo differant 1813

Præceptum impoſſibile nullius eſt momenti 682

Prædeſtinare non eſt niſi ſubſtantiarum intelligentium 288

Prædeſtinatio quid ſit ut vocis 289. eſt actio 288. eſt actio interna, non ad intra 293. eſt actio totius SS. Trinitatis ib. utrum ſit intellectio, an actio interna voluntatis? 288. num volitio, an nolitio? ib. eſt decretum ib. quod patet ex definitione nominali prædeſtinationis 189. ad quid tendat? 290. quorumnam ſit? 291? non eſt omnium, ſed paucorum ib. cur? ib. eſt ſolum finaliter credentium in Chriſtum 291. ſeq. a quo ſit? ib. non differt realiter a Deo 293. ob quid? 293 in quo ſit facta? 294. ex quo ſit facta? 295. quid ſit formaliter? 296. cujus intuitu facta? 739 ſtylo Scripturæ S. non notat deſtinationem hominis ad damnationem æternam 290

Prædeſtinationis differentia petita a cauſis 290. vox inſolens ſecularibus ſcriptoribus 289 cauſa efficiens meritoria quæ ſit? 294. 1370. ſynonymia 289. cauſæ 807. 830. ſeq. cauſa efficiens virtualiter talis 292. cauſa impulſiva externa 299. impulſiva interna 295. ſeq. definitio 296 309. cauſam προκαταρκτικὴν impugnant Refor-

mati 875. formam ſibi perfectam reddere quid ſit? 297. genus 289. cauſa finalis 290. objectum 290. ſeq. ratio formalis objectiva 292. objectum materiale ib. formale ib. an prior eſt prævisio fidei 740. qui actus noſtro modo concipiendi ea ſint priores? 29[illegible]

Prædicata contingentia affirmativa intrinſeca & poſitiva præſentis temporis prærequirunt exiſtentiam ſubjecti 211. Dei realiter abſtrahunt a materia ſecundum excellentiam ſunt vel poſitiva 1892. vel negativa 1890. poſitiva ſunt vel abſoluta vel reſpectiva 1893. quotuplici via ex lumine naturæ cognoſci poſſint? 1894. latius patent quam attributa 18[illegible]

Prædicatio extrinſeca non confundenda cum impropria 475. propria cum intrinſeca non confundenda 1005. ejus veritas requirit identitatem extremorum 418. eſt vel eſſentialis vel accidentalis, hæcq; iterum vel extraeſſentialis vel accidentalis ſtricte ſic dicta 342. eſſentialis & accidentalis utrum agnoſcant medium? 208. perſonalis utrum eſſentialis an accidentalis? 207.

Præmiorum & pœnarum quanta in Republ. neceſſitas? 1425

Præmiſſa unde habeant eſſe ſuum? 715. ſeq. præmiſſas & concluſionem eſſe ejuſdem generis unde conſtet? 714. eſt quæſtio maxime neceſſaria 714

Prærequiſita non confundenda cum quibuscunque requiſitis 993



Digitized by Google

Præſcientia Dei prior eſt futuritio lapſus Adamitici 500
Præſentia alia eſt realis, alia intentionalis 1849
Præſcriptio an nondum natis jus ſuum adimat? 114. uſucapionis & præſcriptionis jus demonſtratur 377. uſucapionum ac præſcriptionum jus demonſtratur 1550
Præſumtio quotupliciter ſpectari poſſit? 1012
Precum quanta ſit vis? 1141. 1142
Pretium in quo conſiſtat? 306
Primorum naturæ in homine quæ ſint cauſæ? 806
[Se]cundorum naturæ quæ cauſæ? 806
Princeps cur debeat eſſe præmiorum cauſa im[m]ediata; pœnarum cauſa mediata 1436. an ut [ſ]ubditos ita ſe quoque reſtituere poſſit in integrum? an contractum irritum facere? an jurejurando ſe exſolvere? 1209. ejus officium circa la[t]as a ſe leges 864. ſeq.
Principia diſtinguenda a concluſionibus 286
[P]rima propria unius ſcientiæ reſolvi poſſunt in [p]rincipia cum aliis ſcientiis communia 35
Principiatum quid 495. qui hujus notionis au[c]tores ib. eſt vel cognoſcendi vel eſſendi 504. co[g]noſcendi ſumitur vel abſolute vel excluſive 507 abſolute ſumtum quid ib. quid excluſive ib. aliud eſt principiatum, aliud id quod principiatur 496 ad principiatum quid requiratur? 498
Principium quid? 493. non omne eſt cauſa 494. principium & cauſa quomodo differant? 526

526. eſt vel cognoſcendi vel eſſendi 501. cauſale proprium Theologiæ quodnam ſit? 514. principii requiſita quot & quæ? 997. ſeq. ſimpliciſſime primi uſus practicus 73. ſeq. ejusdem abuſus practicus 74. ſeqq. poſito principio poni principiatum quo ſenſu dicatur? 496

Principium cognoſcendi non eſt principium rei 503. quid ſit? 501. tale habere quid ſit? 509. ſimpliciſſime primum qui negant quomodo convincendi? 71. ultimum vel ſimpliciter tale eſt, vel in certo genere 517. an Deus agnoſcat? 509. aliud eſt ultimum aliud non ultimum 515. non ultimum quo ſenſu dicatur proximum? 516. eſt vel immediatum vel mediatum 516. aliud eſt complexum aliud incomplexum 517. ſeq. non omne quod eſt complexum quid eſt principium cognoſcendi complexum 518. creaturæ an dici poſſint principia cognoſcendi? 518

Principium eſſendi quid? 502. aliter ſumitur in Analyticis, aliter in Metaphyſicis? 594. nunc ſumitur in laxiori ſignificatu, nunc in ſtrictiori 519. aliud eſt verum & reale ens, aliud eſt [illegible] ens 522. aliud internum, aliud externum ib. internum quodnam ſit? ib. quodnam externum? 523 ſemper eſt principium cognoſcendi & quare 507. qua tale non eſt principium cognoſcendi 507 aliud eſt cauſale, aliud non cauſale 523

Prioritas duplex datur inter cauſam & effectum 499

Privatio quid? 240. quomodo a privativo diſ-

ſe-

ferat ? ? 59. 241. formaliter eſt non ens 58. ens connotat 59. quando pro ente rationis habenda ? 62. ejus formalis ratio quæ ? 531

Privativum a privatione quomodo differat ? 241

Probationis judicialis quæ ſint cauſæ ? 815. ſeq.

Procedere inde & procedere aliunde differunt 496

Procurator & Mandatarius quomodo differant ? 1131

Προαίρεσις quo ſenſu dicatur principium proximum actionum moralium ? 1439

Προορίζειν quid ſignificet ? 289

Προορισμὸς ὁμώνυμον prædeſtinationis 289

Productio rei ex ſubjecto duplex 252. quando creatio ? 253. ex ſubjecto eſt proprie dicta generatio 455. ſeqq. ex ſubjecto & ex nihilo agnoſcunt medium 194. ex materia quando dicatur generatio ? 204. quando creatio ? ibid. productio ex nihilo & generatio non ſunt immediate oppoſita 200. utrum omnis productio quæ ſit dependenter a materia generatio dicenda ſit ? 452. ſeqq. 457. ſeq. 462. ejus terminus 103. ejus diviſio in creationem & generationem utrum ſit immediata ? 458. 460

Promiſſio cur ex ſua natura obliget ? 708. 717. 718. primi gradus quæ ? 491. quæ ſecundi gradus ? ibid. quæ tertii ? ibid. 492. ejus ſubjectum quodnam ? 1575. 1580. objectum 490. ſeq. 1583. ejus cauſæ quæ ? 805. eſt commune πρὸς ἕν 489.



Digitized by Google

*Promiſſionis juratæ ſubjectum 1588. ſeq. objectum 490. 1613. primi gradus quis effectus 710 quis ſecundi gradus ib. plenæ & perfectæ ſeu tertii gradus quiſnam effectus ſit? 710. 718. quot dentur genera? 489. ſeq. objectum 490. acceptatio an neceſſario requiratur ad promiſſionis effectum? 1580 pro altero facta* 1582

*Promiſſorium juramentum metu extortum an obliget? 1588. ejus objectum* 1613

*Promiſſum cur ſit ſervandum? 381. ſeq. 516 1616. aliud eſt dandi aliud faciendi 710. promiſſo ſtare eſt debiti 685. cur Deus eo cadere nequeat?* 492

*Promittere eſt voluntatis, promiſſo ſtare eſt neceſſitatis* 685

*Propoſitio univerſalis talis eſt vel ratione materiæ, vel ratione formæ 1765. alia eſt formaliter practica, alia virtualiter practica, 275. geometrica & arithmetica utrum medium habeant? 209. virtualiter revelata an minus eſt ſalvificæ fidei quam quæ formaliter 278 propoſitionem eſſe ſalvificæ fidei unde innoteſcit? 278. Theologica quando recte dicatur virtualiter revelata? 278. Theologicæ propoſitiones an æquum omnes vel formaliter practicæ ſunt vel virtualiter 275. propoſitionum impoſſibilium exempla* 698

*Proprium eſſentiale aliud eſt genericum aliud ſpecificum 343. Metaphyſicis quomodo dicatur?* 342

*Provoca-*

Digitized by Google

*Provocationes variant* 1166

*Prudentia docendi quid requirat?* 724. *prudentiæ differentia maxime propria* 318. *prudentiæ eſſentialis definitio* 317

*Ptolomei Macedonum Regis fata* 1167

*Pupillus cur debeat inteſtatus decedere?* 376

*Purgatorium quo ſenſu dicatur nihil?* 256

Q.

*Qualitas quid?* 1810. *quotuplex?* 1811. *ſeqq. ſæpe notat certam affectionem aut differentiam* 1814. *alia phyſica, alia moralis* 1815. *qualitas moralis quomodo dividi ſoleat?* 1815. *ſeqq. doctrinam de qualitatibus moralibus aliter tractat Ariſtoteles, aliter Recentiores* 1817

*Quantitas molis quid?* 805. 1807. *quomodo demonſtretur de corpore naturali?* 369. 370 *num realiter differat a corpore naturali?* 370 *quando indeterminate, quando determinate ſpectetur?* 1806

*Quantitas virtutis, quando indeterminate, quando determinate accipiatur?* 1809

*Quæſtiones quibus ſingula cauſarum genera efferuntur, quæ & quot ſint?* 827. *ſeqq. quæſtionum examen phyſicum non confundendum cum examine practico* 832. *quæſtio: an ſit? decidi poteſt ex principiis cognoſcendi excluſive ſumtis* 511. *quæſtiones omnes practicæ in diſciplinis, ſola quæſtione an ſit? excepta, agunt aut de quatuor cauſis in univerſum, aut de earum aliquot vel una* 701. 789. 790. *quibus quæſtionibus cauſa analy-*

*tica*

tiva abſolvatur? 703. quæſtiones & reſponſiones quomodo conveniant? 705. & differant? 706
quæſtiones de certo genere cauſæ non debent confundi cum quæſtionibus de certo ordine cauſæ 833
quibus modis efferantur quæſtiones de cauſa efficiente? 1372. 1372. ſeqq. de cauſa finali? 1513
de cauſa formali? 1608. de materia? 1577. de forma? 1608. quæſtionum moralium arduarum exempla 1371. ſeq.

Querela inofficioſi teſtamenti quas agnoſcit cauſas? 811. quibus detur? 1415. quis eam juſte inſtituat? 1427

Quidditas quid dicatur Scholaſticis? 314

R.

Rabſake exemplum cauſæ moralis inſtrumentalis 1384

Rahab 1187. 1199

Ramus infenſus hoſtis Metaphyſices 800. 801
quodnam ſibi elegerit epitaphium? 801

Ramiſtarum odia in doctrinam analyticam 803

Ratihabitio quid ſit? 1133. comparatur mandato ib.

Ratio recta nonnegat, quod aſſerit Scriptura S. 157. ejus definitio a priori 1438

Ratio cauſandi quid ſit? 246. ejus synonymia ibid. ſeq. formalis 269. formalis alia eſt a priori, alia a poſteriori 342. aliud eſt dicere eandem rationem formalem, aliud dicere habitudinem ad eandem rationem formalem 487. a priori quid notet? 1758. quale ſit riſus principium? 371



Digitized by Google

num ... queat eſſe effectivum? ib. quæ vocatur cauſa analytica utrũ poſſit eſſe negativa & utrum particularis? 729. quæ nomine cauſa analyticæ venit (1) debet eſſe propria 707. quæ ratio ſit propria? 707. ſeq. ejus exemplum Morale 708. Politicum 711. ſeqq. (2) debet eſſe ita comparata ut incluſa ſyllogiſmo arguat propoſitiones neceſſario veras, hoc eſt, præmiſſas & conclusionem neceſſario ac certo veras 719. ſeq. (3) debet eſſe immediata 722. quot modis dici poſſit immediata? ib.

Rationis uſus eſt neceſſarium requiſitum ſecundarium ex parte cauſæ efficientis ut agentis moralis. 1357

Rationalis anima facta ex nihilo 251

Rationale latius patet quam homo 335

Ratum habens cauſa quæ ſit? 1132. ejus exemplum populus Thebanus 1134

Ratum habens num toties vera cauſa moralis dici poſſit, quoties citra dubium cauſa fuiſſet, ſi mandans fuiſſet? 1135

Reale latius patet quam ens reale 60. ſeq. 219. quid dicat formaliter? 220. reale & realiter diſtinctum differunt 222. ejus ſignificatio rigoroſior & laxior 66

Reatus eſt, ubi culpa 304

Receptantis cauſæ exemplum 1199. ſeqq.

Receptio & retentio quomodo differant? 1154

Rectitudo moralis 223

Re.

Redaplicatione aliter in univocis, aliter in communibus ad unum accipienda 471

Reformati falſo affingunt noſtratibus, quod quovis modo liberam eſſe ſtatuant voluntatem 996. concedunt hominem eſſe liberum a coactione 953. a neceſſitate liberum eſſe negant ib. talia ſtatuunt, unde Deum cauſam peccati eſſe non poteſt non ſequi 964. ſeqq. quomodo hoc declinare conentur? 965. ſeqq. fruſtra diſtinguunt inter materiale & formale peccati 966. Reformati noſtrates reos facere conantur progreſſus in infinitum 98[illegible]

Regenerationis neceſſitas demonſtratur 376

Regicidia an excuſari poſſint? 1428. ſeqq.

Relatio quando detur? 1818. eſt duplex [illegible] realis eſt vel poſſibilis vel actualis 1818. an relatio realis ſemper ſit ens reale? [illegible] numne quælibet relatio realis poſſit dici accidens prædicamentale? 1821. an ſtatim quot dantur relationes reales, tot etiam dentur entitates? 1822. reales relationes in divinis, in quo fundentur? 222. non ſunt entia realia 224. [illegible] lis requiſita 1823. rationis quotuplex ſit? [illegible] poſſibilis quæ? 1818. poſſibilis & potentialis differunt 1821. realis actualis quæ? 1819. [illegible] ſus doctrinæ oſtenditur ibid. 1820. relationes Dei ad intra non ſunt confundendæ cum relationibus internis 11[illegible]

De Religione naturali doctrina an pars aliqua ſit Philoſophiæ Moralis? 1536. affirmant

pr-

Digitized by Google

probatur 1539. ſeqq.

Reliquiæ Sanctorum non ſtabiliuntur teſtamento Joſephi 1336

Remiſſio peccatorum & ſatisfactionis exactio invicem non pugnant 1212. gratuita non excludit quodvis pretium redemtionis 1221

Renovationis cauſa efficiens meritoria quæ ſit? 1370

Reproductio alia eſt ejus quod abiit in nihil negativum, alia ejus quod abiit in nihil privativum 254. poſterior in quantum reſtituat idem numero? 255. ſeqq.

In Republica vivere cur homo pro hodierno rerum ſtatu teneatur? 381. Reipubl. mixtæ exiſtentia quibus fundamentis negetur? 410. contra Rempubl. imperata cur nefas ſit præſtari? 381

Repugnantia formaliter eſt negativum quid 579. quotuplex? 626. exempla Theologica 642 ſeqq. non repugnantia cur ſit poſitivum quid? 582. quotuplex? 561. Mathematica per quid ducatur in actum? ib. per quid Logica? ib. per quid objectiva? ib. Logicæ a nonnullis juſto anguſtior traditur deſcriptio 561

antecedenter Requiſita tripliciter ſumi poſſunt 598

Res latius patet quam ens 367. naturalis quid denotet? 464. entis eſt συνώνυμον 367. res moralis 227. ſeqq.

Reſpondens petere poteſt id quod in principio 991

Reſpon-

Reſponſio ſcientifica non datur quæ nequeat in formam ſyllogiſticam redigi 361. Reſponſiones quid ſint? 706. quando ſint analyticæ? ib. & ſeqq. dare quænam ſint?

Reſurrectionis ejuſdem numero carnis fundamentum 258. reſurrectionem ejuſdem numero carnis quo argumento negent adverſarii? 2 ſeq. confutantur 254.

Retractatio quomodo reſpiciat abolitionem moralem culpæ moralis? 13

Retrovenditio per quid formaliter differat a contractu pignoratitio? 339. eſt pactum 2 unde id conſtet? ib. ſeq. cujus ſit pactum? ib. ſeq. quonam fiat? ib. 300. ſub quanam conditione fiat? ib. ob quid ineatur? 301. cujus ergo in cujus favorem fiat? 302. quid formaliter ſit 303. per quid formaliter differat a pacto promiſeos? 340. per quid a pacto de pœnitendo? 34 per quid formaliter differat a lege commiſſoria addictione in diem it. pacto diſplicentiæ? 340 in quo cum iisdem conveniat? 340. retrovenditio & pactum retrovenditionis differunt

Retrovenditionis genus 298. cauſa efficiens 299. materia ib. ſeq. cauſa formalis 300. cauſa impulſiva externa 301. cauſa finalis 302. ſubjectum ib. & ſeq. definitio 303. effectus 1455. ſeq. cauſa ſine qua non 1456. ex parte venditoris quid oriatur ex hoc pacto? 349. quid ex parte emtoris? 34. 350 pacti de retrovendendo eſſentiale conſequens 347. quomodo dicatur J Ctis 349

Re-

Digitized by Google

Revelatio alia eſt formalis, alia virtualis 277. virtualis quot modis contingere poſſit? 278. revelationes ſupernaturales an etiam in ſtatu innocentiæ extituræ fuiſſent? 1487. eſt fidei ſalvificæ objectum tum formale tum etiam virtualis 280. quodnam ejus objectum immediatum? quod mediatum? ib.

Revelata virtualiter ſunt ſalvificæ fidei 278

Rex infans quomodo habeat majeſtatem? 610

Regis actus alii ſunt regii, alii privati 120

Rhetorica & analytica qui differant? 1420

Riſibilitas unde demonſtretur? 378

Roma capta duce lepore 1339

Romani an recte a Samnitibus fuerint perfidiæ inſimulati? 1462. quomodo factum ut populos omnes illuſtrium virorum multitudine ſuperaverint 1406

Roſimunda quo fato obierit? 1192. patris necem cæde mariti ulciſcitur 1188

Ruſtici cujuſdam bruta ſimplicitas 1325

S.

Sabelliani negant Deum Patrem & Filium realiter differre 280. convincuntur ib.

Sacramenti vox jam ſumitur proprie, jam propriiſſime & ſtrictiſſime 329. ejus conditiones ſubſtantiales, recenſitæ a B. Martino Chemnitio 327. ejus differentia eſſentialis 326. de numero eorum diſputatur inter Noſtrates & Pontificios 327. Noſtratium circa hanc controverſiam diſſenſus 328. per quid actio aliqua formaliter fiat ſa-

ſacramentum? 326. ſeqq. ad ſacramentum ſtri-
ctiſſime dictum requiritur viſibile elementum 329
ſacramenti cœnæ quæ ſint cauſæ? 808. quæ cauſa
efficiens

Sacrilegium a Cæpione commiſſum cauſa
lis 1177.

Salus æterna eſſentialis finis prædeſtinationis
390. ejus cauſa efficiens meritoria 370. ejus
dia quæ futura fuiſſent in ſtatu innocentiæ?
de ea num certi eſſe poſſimus in individuo?
negant Pontificii, aſſerunt Noſtrates ib. bapti
cur indigeant ſalvandi? 378

Samnites non fuiſſe ſubjectum fœderis cum po-
pulo Romano initi, demonſtratur 1584. an re
Romani a Samnitibus fuerint perfidiæ accuſa

Samſon 1176

Sanctitas quid? 389

Sapientia male dividitur in primam & ſecun-
dam 13. 14. cur non poſſit eſſe genus Metaphyſi-
cæ? 12. non eſt vere & realiter compoſita ex in-
telligentia & ſcientia 10. ſpectari poteſt forma-
liter & materialiter 384. formaliter ſpectata
quid? 384. formaliter ſpectata non eſt accidens
ibid. materialiter ſpectata & quidem ut creata
eſt accidens 384. alia creata, alia increata
ſecunda non datur 13. ſapientia & ſcientia ſunt
& non ſunt ſpecies diſparatæ 12. 13. ejus vera
definitio 9. Ariſtoteles vindicatur 10. ſapientiæ
duplex acceptio 14. ſapientiæ & intelligentiæ
diſcri-



ſcriptum 12. 13. ejus d
Sardanapalus quo fa
Satisfaciens cauſa q
Satisfactio quid? 1
quomodo reſpiciat abo
talis? 1363. Deus ut
peccata condonare poſſ
eadem exigere ſatisf
abſurdum 1323. ſeq
impugnatur a Socinianis 1
gumento?
L. Saturninus exem

Saul exemplum cauſa
Scandalum 1335. in l
de cauſa per accidens
Sceleris volitio ſæpe p
ſcelus ipſum meretur
Sceptici quomodo im
891. ſeq. ſtatuerunt omn
acem & incertam 892.
um ... notatur
Scholaſticorum otio
potentia quæſtiones fug
Scientia latius patet
tia 14. 15. ejus duple
demonſtrativæ accurat
theoreticæ propter ſe e
vis una eſt ratio formali
quomodo diſciplina diff



Digitized by Google

diſcrimen 12, 13. ejus duplex acceptio. 11.

Sardanapalus quo fato interierit? 1105. ſeq.

Satisfaciens cauſa quæ? 1160. ſeq.

Satisfactio quid? 1162. quotuplex? 1163 quomodo reſpiciat abolitionem moralem culpæ moralis? 1363. Deum utrum pœnitenti citra eam peccata condonare poſſit? 1219. Deum miſericordem exigere ſatisfactionem pro peccatis non eſt abſurdum 1323. ſeq. ſatisfactio Chriſti impugnatur a Socinianis 1210. quo potiſſimum argumento? 1211

L. Saturninus exemplum cauſæ demeritoriæ 1115. ſeq.

Saul exemplum cauſæ moralis 1107

Scandalum 1335. in loco de ſcandalo doctrinæ de cauſa per accidens uſus inſignis 1335

Sceleris volitio ſæpe pœnam tam gravem atque ſcelus ipſum meretur 1438

Sceptici quomodo impugnarint Dogmaticos? 891. ſeq. ſtatuerunt omnem cognitionem eſſe falſam & incertam 892. Scepticorum hodiernorum ἀκαταληψία notatur 893. ſeq.

Scholaſticorum otioſæ & petulantes de Dei potentia quæſtiones fugiendæ 648

Scientia latius patet quam ſcientia demonſtrativa 14. 15. ejus duplex acceptio 11. ſcientiæ demonſtrativæ accuratiſſima diviſio 15. ſcientiæ theoreticæ propter ſe expetendæ 41. ſcientiæ cujusvis una eſt ratio formalis objectiva 17. a ſcientia quomodo diſciplina differat? 1599. Dei quotu-

plex ? 92. ſimplicis intelligentiæ quæ ? 104 utrum pendeat a voluntate Dei ? 92. [illegible] quorundam neceſſaria convenientia cum natura rationali ſub quam ſcientiam Dei cadat ? 93

Scriptura Sacra ſibi ipſi non contradicit 15[illegible] eſt Theologiæ principium cognoſcendi incomp[illegible]xum 529. continet & probat omnia ad ſal[illegible] neceſſaria 184. an debeat eſſe perſpicua ? 18[illegible] ſit perſpicua ? ib. ſeqq. cur debeat eſſe perſpi[illegible] 1550. num adverſetur rationi rectæ ? 157[illegible] perpetuo efficax, nec ne ? 606. cur ſola princip[illegible] cognoſcendi reſpectu SS. Trinitatis 509. ſeq. quo ſenſu dicatur principium cognoſcendi exc[illegible] ſive ſumtum ? 510. ejus cauſa efficiens quæ ? [illegible] ejus infallibilis veritas demonſtratur 36. ejus c[illegible]ſa finalis quæ ? 1507. ejus efficacia vel eſt [illegible] in actu primo vel in actu ſecundo [illegible] quid requiratur ad efficaciam ejus in actu ſe[illegible]cundo ? ib. eſt ſummæ auctoritatis 476. 47[illegible] ea quæ creditu ſunt neceſſaria Deus perſpicue [illegible] voluit docere [illegible]

Secundorum naturæ quæ ſint cauſæ [illegible]

Semen generantis eſt inſtrumentum, non [illegible] ſe inſtrumentalis [illegible]

Senſus duplici ſenſu fallax dicitur 892. ex[illegible] terni non ſubſunt libero arbitrio 997. extern[illegible] nunquam judicat 892. errare nequit ſiq. intel[illegible] ctus erroris præbet occaſionem id non fit niſi per accidens 893. ad perfectam ſenſus cognition[illegible] requiritur (1.) organon recte affectum 894. (2) obj-

objectum idoneum ib. (3) Medium naturaliter ſe habens nec aliena qualitate imbutum 896. (4) intervallum debitum 896. quando ejus judicium ſit per rationem corrigendum? 897

Senſus eſt vel formalis vel identicus 421. formalis præter rem includit noſtrum concipiendi modum 422. ſenſum diviſum cum compoſito confundit Becanus 429. ſeq. in ſenſu identico nonnullæ propoſitiones veræ ſunt, quæ tamen falſæ ſunt in ſenſu formali 421

Separabilitas realis 1695

Separatio mentalis quid? 1694. realis 1694 eſt duplex? 21. realis poſitiva quæ? 21. 1695 realis privativa quæ? 21

Servitutis ſubjectum quodnam? 225

Servus eſt inſtrumentum heri 1380. qui jurat Domino felicitatem quid in memoria tenere debeat 1681. ſervis ad quæ ſit ignoſcendum? 379

Signatum quid ſit? 1847

Significatio in recto & ſignificatio primaria non ſunt confundendæ 415. in concretis adjectivis ſignificatio in recto eſt ſecundaria, in obliquo eſt primaria ib.

Signum primario [illegible] 1847. de quo dicatur primario? 1846. de quo ſecundario? ib. quodnam vocetur notificans & commonefaciens? confirmans? 1858. ſeq. quomodo definiverit Auguſtinus? 1849. quomodo differat a menſura? 1862. certum quod ſit? 1854. probabile? 1854. naturale? 1852. arbitrarium? 1853

& quotuplex? 1850. verbale negativum quod? 1850. reale negativum quod? 1851. quod nunc sit simpliciter manifestativum? 1856. quod rememorativum? 1855. quod demonstrativum quod prognosticum? ibid. quæ dicantur ... ? quæ ... ? 1855. ejus distinctiones 1850. seq. in signo reale quæ, & quotuplex dicitur ... 1848. signa verbalia quæ? 1850. quæ realia? signa quæ indicant actus animi sunt principia cognoscendi exclusive sumta 510. signa de ... actibus cur non habeant certitudinem mathematicam? 510. quædam sunt sensibilia, quædam intelligibilia 1856. quædam signant sine ... gressu sui cognitione; quædam minime 1850. quædam sunt theoretica, quædam practica 1858

Silentium 1103. quomodo per illud quis fit causa moralis? 1103. seq.

Similitudo quæ est inter imaginem & originatum in quo fundetur? 1570. seq. quæ est inter Deum & hominem in quo fundetur? 1572

Simplex quid? 1174

Sine qua non: hæc determinatio est particularis alienans 754

Singulare quid? 1768. in essendo primario tale quid? 1772. seq. singulare est communicabile vel incommunicabile 1775

Societas quælibet formaliter posita in ordine 3325. qui doctrinam de societatibus sibi perspectam reddere gestiunt, quæ respicere necessario debeant? 3325. seq. finem ... retineat ... sequit

325. cur dari nequeat ſine imperio? 374. cur ineatur? 325. ei anarchia exitialis 181. ſocietatem conſtituentium quæ voluntas? 181. eæ nequeunt accurate & analytice definiri per jura quæſita 354

Sociniani negant dari peccatum originis 216 refutantur 1685. remiſſionem & ſatisfactionem habent pro oppoſitis 1211. pertinaciter impugnant ſatisfactionem Chriſti 1210. quo potiſſimum argumento? 1211. eorum technæ 154. eorum [illegible] Phyſico-Moralis 1215. ſeq.

Socrates ob quid cicutam biberit? 1534. ejus pietas 1404

Sol num formaliter ſit calidus? 271. ſeq

Solon nudus per forum currit 1442

Sophiſticæ aſtutiæ exemplum 362

Spatium quid ſit? 1841. ſeq.

Species expreſſa quid ſit? 898. cur nuncupetur etiam verbum mentis? ib.

Spiratio Spiritus S. eſt vel activa vel paſſiva 883. an hæc ſit vera paſſio? 883. qualis illa, qua nempe Pater & Filius ab æterno produxerunt Spiritum Sanctum, ſit actio? 879. Spiratio & generatio in divinis ſunt actiones Dei ad intra reales 223

Spiritus 1890. an detur ſpiritus? 1891. eſt vel increatus, vel creatus 1892. vel completus vel incompletus 1894. ſeq. increatus quis? 1892. quis creatus? 1892. completus quis? 1895. quis incompletus ib. quis increatus completus? ib. quis creatus com-

completus? ib. quis creatus incompletus? 1895
quotuplex? 1896

Spiritus S. eſt verus Deus 279. productus de eadem numero ſubſtantia Patris & Filii 94. ſeq. quomodo a Theologis probetur? 195. quid agit in converſione? 326. ejus productio non eſt dicenda generatio 387. ſeq.

Sponſio Caudina 1462
Spurius Poſthumius 1462. 1591. ſeq.
Stipulatio quando nihil valeat? 681
Stoico fato cur Deus nequeat dici alligatus 95

Suareſii ſententia de cauſa morali 1035. examinatur 1041. ſeq.
Subdiſtincta quæ vocentur? 1721
Subditus an ſit inſtrumentum imperantis? 1320

Subjectum quid? 1569. quodnam inhabile? 352. activum quid vulgo dicatur? 1577. aliud eſt veræ & realis denominationis; aliud eſt veræ & realis inhæſionis 225. aliud eſt quod; aliud quo 1570. aliud eſt informationis, aliud inhæſionis 1571. ſeq. aliud ὑπάρξεως, aliud κατηγορίας 1786. aliud inhæſionis; aliud adhæſionis 1787 ex quo quid producitur non ſemper eſt in vera potentia cauſativa ad rem producendam 451. cognitionis cur disciplinis practicis fere denegetur? 1574. quodnam ſit? 1573. quotuplex? 1572 ſeq. ſcientiæ quo ſenſu vocetur pars objecti? 1549 notio ſubjecti in practicis diſciplinis quam ſit le-

xa

Digitized by Google

xar? 1575. doctrinæ de ſubjecto uſus practicus quis ſit? 1575

Subſiſtentia quid? 802.1711. a natura in humanis realiter differt 1742

Subſtantia quid? 1789. eſt vel independens vel dependens 1790. vel infinita vel finita ib. 1791 vel completa vel incompleta 1792. vel corporea vel incorporea 1793. an hæc ſit adæquata diviſio? 1793. vel materialis vel immaterialis 1794 an ſit adæquata diviſio? 1794. vel prima vel ſecunda 1796. minus accurate definitur per ens per ſe ſubſiſtens 1802. prima & ſuppoſitum quomodo differant? 1797. magis eſt particeps τοῦ ὄντος, quam accidens 444. materialis alia eſt ut qua, alia ut quæ 1795. in quantum de iis agat Metaphyſicus? 1794. prima & ſecunda quomodo diſtent? 1796. alia eſt univerſalis, alia ſe tantum habet per modum univerſalis 1796. num omnis ſubſtantia producta ex materia ſit generata? 452. ſeqq. 457. ſeqq. 462

Succeſſor cur poſſit anteceſſoris ſui voluntatem mutare? 407

Superior in ſenſu aſente quis? 1116

Suppoſitum & perſona in quo differant? 803 quid ſit? 954. 1799. 1800. quomodo differat a ſubſiſtentia? 1801. a ſubſtantia prima quomodo differat? 1797

Syllogiſatio utrum prorſus improbanda, quæ de eadem re idem realiter per realiter idem probat?

bat? 363. ſyllogiſationis negotium quibus a nonnemine impugnetur? 355. ſeqq. ei reſpondetur 359. ſeqq. demonſtrationes veras non fieri per ſyllogiſationem quibus aſtruere nonnemo conetur? 235. ſeqq. quid ei reſponſum? 359 ſeqq.

Syllogiſmus ad quam ſpectet diſciplinam unde dijudicandum? 714. ſeqq. ejus forma eſt medius terminus 718

T.

Tarpeja virgo 1343

Tarquinius exemplum cauſæ mandantis 1728

Τέχνης vocabulum ſæpe ſumitur adeo late, ut etiam ſcientias complectatur. 565

Temperies quæ ſint? 1855

Tectoſagi 1117

Tempus 1839. non facit jus [illegible]

Terra quo ſenſu ex nihilo facta dicatur? 252. quo die ſit producta? [illegible]

Termini actionum 870. permanentes vel ceſſantes 872

Termini in diſciplinis non accipiendi ut libet, ſed ut [illegible] libet [illegible]

Teſtamenti [illegible] cauſæ? 816. requiſita ex parte cauſarum 29. 34. num filiusfamilias cauſa efficiens eſſe poſſit? 370. actio de inofficioſo teſtamento cui detur? [illegible]

Teſtimonia quam ſæpe vana? [illegible]

Thebanorum & Lacedæmoniorum bellum [illegible]

Theca [illegible] exemplum cauſæ moralis inſtrumentalis [illegible]

Themiſtius Ariſtotelis Paraphraſtes [illegible] ſic dictus [illegible]

Themiſtocles [illegible]

Theologia num ſit habitus mere practicus? 874. negativum argumentum ibid. nullam tractat propoſitionem [illegible] ſit

ſit formaliter vel virtualiter practica 275. ejus finis ultimus formalis 1499. 1500. 1507. objectivus 1500. principium proprium 29. 514. adaequatum primum 1411. principium cognoſcendi complexum, incomplexum 519

Theologia Moralis & Philoſophia Moralis in quantum conveniant & differant? 1519. 1520. Theologia Moralis finis 1514. ultimus 1519. intermedii 1519

Theologia naturalis eſt duplex: alia eſt pars Philoſophiae primae, alia pars Philoſophiae moralis 46. 1536. ejus finis ultimus quis? 1530. Theologia naturalis in ſtatu hominis corrupto non differt ſpecie a Theologia naturali in ſtatu ejus primaevo & integro 1527. 1528. quod poſt lapſum nunquam ſufficiat ad aeternam ſalutem eſt ex accidente 1532. ſeqq.

Theologicae virtutes quo ſenſu dicantur formae materiales? 858

Titulus una cum traditione neceſſario requiritur ad acquiſitionem dominii 1358. ſeqq.

Thomas de Aquino [illegible] primus omnium de analogia ſcripſiſſe creditur 445. cur tam infenſus fuerit hoſtis potentia objectivae? 562. 577

Thomae Mori Cancellarii feſtivitas 1121. ſeqq.

Thomiſtae quibus rationibus impugnent potentiam objectivam? 577. ſeqq. refutantur 580. ſeqq.

Titus Veturius 1462

Totum quid? 1726. totum & pars an ſint attributum disjunctum entis? 1726. totius varia genera 1726. 1727. totius denominationem quaenam propriiſſime ſubeant? 1727. totum eſſentiale primario tale 1727. ejus requiſita 1728. ſeq. eſſentiale Metaphyſicum 1731. integrale 1735. quotuplex 1735. numerale 1745. non eſt in rigore totum 1745. perfectionale 1740. potentiale 1739. 1740. diſcrimen a poteſtativo 1739. perfectionale 1740. ſubſiſtentiale 1741. univerſale 1737

Traditio ad acquiſitionem dominii num jure naturae ſit neceſſaria? 1361

Tranſactionis quae ſint cauſae? 810

Tranſitus per alienum territorium an debeatur tranſeuntibus? 218

Trian-

*Triangulum* 377

*Trinitatis myſterium 196. quam ſublime? ibid. dantur in SS. Trinitatis myſterio tres realiter diſtinctæ ſubſiſtentiæ, una numero eſſentia 237. quomodo probetur ab orthodoxis Theologis? 156. vehementiſſime impugnatum à Zwickero 144. ſeqq. 147. ſeqq. utrum implicet contradictionem in Philoſophia? 136. ſeqq. 156. ſeqq. cur in myſterio SS. Trinitatis cauſatum dari nequeat? 880. in Trinitate dantur ἄλλος, ἄλλος καὶ ἄλλος 534. 539. ſeqq. 544. 571. non ἄλλα, ἄλλο καὶ ἄλλο ibid. non aliud ens, aliud tamen & aliud & aliud ſuppoſitum 539. 544. 571. In SS. Trinitate qualis detur ordo? 499. qua ratione notio totius SS. Trinitati tribui queat?* 1744

*Turpia per quid promte averſetur homo? 322. cur ad turpia nulla detur obligatio? 1117. cur ad turpia nemo cogi poſſit?* [illegible]

*Turpitudo alia eſt actualis, alia poſſibilis 639. Turpitudo moralis ſpectata, ut dicit [illegible] an ſit ens reale?* [illegible]

*Tutela quid? it. tutor?* [illegible]

## V. U.

*Valentiniani Imperatoris elegans ἀπόφθεγμα* [illegible]

*Ubi 1843. quot modis aliquid dicatur eſſe in ubi?* [illegible]

*Ubietas quomodo differat ab ente? 1840. quid? quomodo dividatur?* [illegible]

*Ubiquitas quotuplex?* [illegible]

*Venditionis cauſa moralis quæ? 1058. quæ phyſica?* ibid. *Venditiones jure Hebræorum univerſaliter habuere pactum retrovenditionis* [illegible]

*Venditor ad quid actione emti obligetur? 368. quid intendat pactum retrovenditionis?* [illegible]

*Veritas num etiam in prima mentis operatione detur? 1688. transcendentalis cui tribuatur primario? cui ſecundario? 1687. quomodo differat a bonitate transcendentali?* [illegible]

*Verum ens nunc abſolute ſumitur, nunc ut eſt ratio [illegible] tale.* [illegible]

*Vindicationis rei quæ ſint cauſæ? 1813. quod ſubjectum? 1578.*

*Vis-*

Digitized by Google

Vindictæ cupiditas eſt cauſa προηγουμένη pœnæ 34[illegible]
Virtualiter & eminenter idem ſæpe ſignificant 274
Virtus accurate definiri nequit 470. variè delineari poteſt 324. in quo formaliter conſiſtat? 320
Virtus moralis facit hominem promte eligere actiones honeſtas, eaſdemque expedite exercere 321. 322. juvat voluntatem in eligendo, appetitum ſenſitivum in parendo 322. facit itidem, ut quis promte averſetur & omittat actiones turpes 322. actiones plane indifferentes redigit ad honeſtatem 323. definitur ab Ariſtotele ἐκ προαιρέσεως 320
Virtutis moralis definitio Ariſtotelica explicatur 320. differentia eſſentialis ibid. 321. cauſa efficiens 825. ejuſdem habitudo eſſentialis ad mediocritatem in quo conſiſtat? 320
Virtutes omnes ad tuendam ſocietatem civilem ſunt neceſſariæ 1505
Virtutum doctrina in quantum ſpectet ad Philoſophum? in quantum ad JCtum? 1504. Virtutum moralium ſubjectum naturale quod? 1670. quod nam intellectualium? ibid.
Vita cur conſervanda pro virili? 374
Vita æterna quid ſit formaliter? 344. certo eſt futura 343. an formaliter poni poſſit in amore Dei & gaudio circa Deum? 345. eſt prædeſtinationis finis abſolutus 295
Vitæ æternæ ratio formalis a priori 344. 352. proprietates eſſentiales 347. ratio formalis a poſteriori 347. 352. cauſa meritoria quæ? 1370
Vivicomburia quomodo fuerint inſtituta? 1193
Ulyſſes exemplum cauſæ impetrantis 1143
Unio formæ cum materia in quo conſiſtat? 1604
Unionis verus & formalis effectus quis? 1743
Unitas entis unde & quomodo demonſtretur? 363. 365
Univerſale quid? 1703. an ſit reale quid? 1766. formaliter ſpectatum quibus abſolvatur? 1768
Univerſale in eſſendo eſt vel eſſentiale, vel accidentale 1770. eſſentiale quotuplex? 1771. accidentale quotuplex? 1772
Univerſale in ſignificando 1764. in repræſentando 1764. in cauſando ibid. in eſſendo & prædicando ibid. primario tale? 1765. Univerſale complexum priorïſticum 1765

Digitized by Google

1765. poſterioriſſimum 1765

Univerſale monadicum actu non eſt univerſale 1768. aliud eſt univerſale, aliud id quod ſe habet per modum univerſalis 1768

Ab univerſali eſſentiali ad univerſale neceſſarium valet conſequentia: non contra 1773. Ab univerſali contingenti valet conſequentia ad univerſale accidentale; non contra 1774

Univocum univocans, univocum univocatum 484. an detur medium inter univoca & æquivoca? 200. 437. an ponant rationes contradictorias? 204. an definitiones contradictorias? 439. Univoca arguunt naturam ſupra individua poſitam 447. Ariſtoteli & Græcis quomodo dicantur 448

Unum quid? 1684. quid Metaphyſicis? 1367 eſt vel numerale vel tranſcendentale 1367

Vocationis in jus cauſa efficiens quæ fuerit olim? quæ jam ſit? 809. 1413. quis finis? quæ forma? 809

Volitio quomodo differat ab appetitione 994. quomodo à cognitione? 889. cur dicatur uſus voluntatis? 994. quid ei reſpondeat in appetitu ſenſitivo? 994

Volitum quid dicatur? 1007. 1008. quomodo differat à voluntario? 1008

Voluntarium quid dicatur? 1006. 1008. cui tribuatur primario? cui ſecundario? 1006. quomodo diſtinguatur à volito? 1007. 1431. an detur medium inter voluntarium & involuntarium? 1013

Voluntarium elicitum quid? 1009. quatenus pendeat ab imperato? 1436. quomodo diſtinguatur ab immediato? 1019

Voluntarium immediatum quid? 1010. mediatum? 1011 quomodo diſtinguatur ab imperato? 1019. Imperatum quid? 1009. quatenus pendeat ab elicito? 1436. Indirectum quid? directum quid? 1011. 1012. perfectum & plenum differunt 1018. præſumtum quotuplex? 1013. primarium quid? quod ſecundarium? 1010. purum quid? mixtum quid? ibid aliud eſt tale voluntate propria, aliud aliena 1016. voluntate perſonali & reali ibid. aliud in totum, aliud in tantum 1017. 1018. perfectum & imperfectum ibid.

Volun-

Digitized by Google

Voluntas diſtinguit maleficia 505. eſt potentia libera 973 ſola eſt libera ibid. in altera quoque vita futura eſt libera 946. ut eſt libera eſt ratio cauſandi ex parte cauſæ efficientis liberæ 980. humanæ voluntatis libertas quomodo accuratiſſime demonſtretur? 976. habet limites ſuos 995. conſenſu ſuo movet intellectum ad aſſenſum 1006. non fertur in incognitum 188. 995. eſt potentia immaterialis 975. nihil appetit ſub ratione mali; nihil averſatur ſub ratione boni. 995. eſt actuum, qui a voluntate pendent principium cum cognoſcendi tum eſſendi 502. ſeq. nihil recipit ab objecto per quod immutari poſſit 978. an determinetur? 985. ſeq. quando determinetur? 985. ſeqq. 989. per quid determinetur? 989. a quo determinetur? 985. 987. quando agit ſimul determinata eſt & indeterminata 987. an etiam per nudam omiſſionem libertatem poſſit exercere? 994. quatenus habeatur pro falſa? 1434. Dei non elicit ex ſe actum 981. DEI ſola eſt formaliter libera? 980. Angeli eaque ſola in ipſo eſt libera 982. ejus determinatio non eſt actio 990. 992 ejus determinatio non tollit ejus libertatem 986. ſeqq. qualem arguat neceſſitatem? 987. ejus actus elicitus quotuplex? 993 ejus prærequiſitum neceſſarium quod? 1451. ejus objectum non debet confundi cum ejusdem effectu 1431. voluntatis humanæ libertatem non labefactat quod poſita actione nequeat non agere 598. ſeq. Reformati quomodo impugnent voluntatis humanæ libertatem a neceſſitate? 942. 945. 960. 962. 986. ei quando obſequium præſtent aliæ facultates? 1003 eam quovis modo liberam eſſe negant noſtrates 996

Vota Majoris partis an prævaleant? 181. affirmatur 182

Uſucapionis & præſcriptionis jus demonſtratur 377. 1550

X.

Xerxes navarcham decorat & perdit 1340

Z.

Zaleuci juſtitia 1214. utrum recte oculum ſibi erui fecerit, ut filio ſervaret viſum? 1214

Zwickeri vafrities 154. ejus compelle intrare 140. pleraſque eccleſias contradictionis reas facit 141. ſeqq. impugnat myſterium SS. Trinitatis 144. ſeqq. ei reſpondetur varie 147. ſeqq. accuratius per inverſionem. 149. ſeq.

BENI-

Digitized by Google

# BENIVOLE LECTOR, ERRORES SIVE TYPOTHETÆ, SIVE CALAMI, ITA EMENDABIS.

*In Præf. pag. 6. lin. ult.* Apparatus moralis) Apparatus Metaphyſicus. *Pag. 23. lin ult.* abſoluta) permiſſiva. *p. 88. l. 22. leg.* accuratioribus. *p. 106. l. 25. poſt* antecedentes *leg.* ſe. *p. 128. l. 23.* contrarietatis) contradictionis. *p. 133. l. antepenult.* Octavo) Sexto. *p. 204. l. 17.* Quinto) Sexto. *p. 210. l. 23. 24.* eſſentialia) neceſſaria. *p. 244. l. 9.* realiter non differant) realiter differant. *p. 240. l. 20.* probari) refutari. *p. 289. l. 9. leg.* occurrit. *p. 302. l. 26.* emtori venditoris. *l. 27.* emtoris) venditoris. *p. 307. l. 2. poſt* ſequenti *leg.* ſexto. *p. 308. l. 2.* illius) ullius *p. 346. l. 1. leg.* cognitum. *p. 350. l. ult.* & *351. l. 1.* definiendum) demendam. *p. 420. l. ult. poſt* viſibile *leg.* ſeu in ordine ad colorem. *p. 469. l. 11. leg. 458. p. 481. l. 11. poſt* demonſtratio *leg.* ac ſcientia. *p. 510. l. 23.* Scripturæ S. SS. Trinitatis. *p. 529. l. 20. poſt* eſſentiæ *leg.* cum eo. *p. 545. l. antepenult. poſt* quæ *leg.* non tamen qua talis. *p. 568. l. 5. poſt* Filium *leg.* & potentia ſpirandi. *p. 606. l. 2. poſt* contra *leg.* non. *p. 615. l. 27. leg.* notitiam. *p. 634. l. 14. poſt* ad ſervandum. *p. 661. l. 8. poſt* quiſpiam *l.* audiat. *p. 695. l. 24. poſt* homo *l.* non *l. 25. poſt* ignis *l.* non *p. 749. l. ult. poſt* cauſa *leg.* non *p. 761. l. 14.* parte. *p. 774. l. 24.* cauſa) cauſa. *p. 781. l. 18. poſt* materialis *l.* ſeu cauſalitatem materiæ. *p. 789. l. 20.* habituros) habiturum. *p. 806. l. 11.* Illius) Hujus. *l. 12.* Hujus) Illius. *p. 809. l. antepenult. poſt* quod *l.* noverit. *p. 840. l. 22.* [illegible]. *p. 848. l. 4.* materialem) efficientem. *p. 882. l. 10.* ad intra) internæ. *p. 888. l. 15.* Hurtadus. *p. 907. l. 5.* clavum) malleum. *p. 914. l. 4.* motionem) notionem. *p. 982. l. 11.* Intellectus) Intellectui. *p. 992. l. 16.* argumentum) argumenta. *p. 998. l. 3.* exercere *l. 13.* prærequiſitis. *p. 1018. l. 23.* plane) plena. *p. 1027. l. 5.* ult.) penult. *p. 1041. l. 4. leg.* not. 3. & 4. *p. 1044. l. 7. leg.* not. 3. *p. 1046. l. 23.* realis. *p. 1047. l. 14* nota 4. *p. 1050. l. 20.* nota 4. *p. 1071. l. 27.* influentem. *p. 1093. l. 3. leg.* ratum habens. *p. 1425. l. penult.* perſona) natura. *p. 1588. l. 15.* cultori) auctori. Necdum omnia perquiſivi, reliqua, ſi quæ forte ſuperſint, benevole corriges. Vale & fave.

*F I N I S.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4° Ph.
Velthen

Digitized by Google

Digitized by Google